UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1604

urn:nbn:de:hbz:466:1-42667

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2404

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ad usum FF. Capucinorum Ill. Paderbornensium



# VITAE SANCTORVM

EX SELECTISS. ORTHODOXIS PATRIB. COMPENdio conscriptæ per f. ZACHARIAM LIPPELOO *Carthusianum: et nunc recens fidelissimè recognitæ ac auctæ per fr̃em* COR̃ELIVM GRAS *itidem Carthusianum*

COLONIAE AGRIPPINAE
*Ex officina Bernhardi Gualteri. An. sal. h.*
M D CIIII
*Cum Gratia et Priuilegio Sacræ Cæs. Maiest.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# APPROBATIO.

PRimum hunc Tomum, quem de vita, rebus gestis, Palmis, honoribus, ac patrocinijs Sanctorũ, ex orthodoxis Scriptoribus, F. ZACHARIAS LIPPELOO Carthusianus Colonienſis breui compendio collegit: & nunc recèns F. CORNELIVS GRASIVS, eiuſdem Carthuſiæ profeſſus, magno ſtudio recognouit, vitarumq; aliquot acceſsione locupletauit: ex ſpeciali commiſsione legi, examinaui, & vtiliter ad multorum ædificationem in lucem edi poſſe iudicaui.

Tilmannus Voſmerus SS. Theologiæ Licentiatus.

Annumeror Bibliothecæ SS. Capucinorum Paderbornæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# VENERABILI, MVLTVMQVE RELIGIOSO IN CHRISTO PATRI, D. HECTORI VITENSI; PER PROuinciam Rheni, Sacri Ordinis Carthusiensis Visitatori Primario, dignissimo vigilantissimoque; nec non Carthusiæ propè TREVERIM Priori meritissimo: cum debita obedientia. S.

INTER multifaria, meritoq; laudabilia de Republ. Christiana ac fide Orthodoxa benè merendi studia, Venerãde admodum plurimumque colende Pater: duo hæc, haud infimum, optimo iure communique eruditorũ sententia, sibi vendicare locum; notius est: quàm vt fusius me id comprobare necesse sit.

Primum quidẽ eorum, qui assiduo comparatam labore variarum rerũ notitiam, haud sibi solis seruare; verumetiam eandem, varijs ad posteros trãsmissis doctissimis libris, alijs cõmunicare gnauiter accurateq; allaborant: iugiter sibi ob oculos ponẽtes illud Ecclesiastici; Sapientia absconsa & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisq;? Præclaræ dein D. Augustini sententiæ inhærentes; qua de ijsdem etiam rebus ac quæstionibus, plures à pluribus conscribi libros, diuerso quidem stylo, haud

cap. 20. & 41.

Lib. 1 de Trinitate cap. 2.

haud diuersa tamen fide vtiliſſimum cenſet: non ſolùm quod difficile admodùm ſit, quæ ſcribuntur à ſingulis, in omniũ manus venire: aſt quoque, quòd qui vel minus intelligit, minoriq; cum voluptate legit vnũ; fortè melius aſſecuturus ſit, libentiuſq; lecturus alterum: rem eandem alijs verbis, aliaq; methodo explicantem. Nonnulli ſiquidẽ, res multis varijſque dictionibus declarari: alij breuiter proponi gaudent. Quidam non niſi phalerato dicendi genere delectantur: alij mediocre & ſimplex amplexantur. Eximia itaq; laude eos cenſet dignos facer Antiſtes, qui in eo, vt omnibus fiat ſatis, ſtrenuam operam, maximumque ſtudium impendunt.

Alterum verò eorum, qui veterũ ſcriptorum monumenta in obſcuro latentia, in lucẽ ac publicum de nouo proferre: dein tam eorundem, quàm modernorum quę iam lucem aſpexerunt, à mendis & erroribus, quibus partim auctorum partim calcographorum vitio plerunque ſcatent, expurgare, auctioraque reddere, impigrè deſudant. Atque hac ſanè in parte, fortaſſe hoc alterum vtilius illo videri poteſt: quòd efficiat, vt optima Orthodoxorum Patrũ volumina, hac cura adhibita: cùm priſcõ nitori, tũ debitæ integritati ſigillatim reſtituantur. Et quidem ſicut illud magnam quandam ingenij copiã poſtulat, vt quis poſt tam multa à doctiſſimis viris ſcripta, dignum aliquid, hoc ſeculo vno omnium eruditiſſimo (vtinam tam pio) commentari poſſit: ita alte-

alterum exactissimum sanè iudiciũ, summãq; diligentiã requirere exploratissimũ est.

Præclarè itaque fecisse, post alios quamplurimos eruditione ac pietate insignes, haud immeritò censendus est confrater quondam noster Zacharias Lippeloo: qui se totũ quoad fieri potuit, dum viueret, cõmuni bono consecrans, tenuioriq; fortunæ hominibus ac breuitatis studiosis consulere volens: Historias seu Sanctorum vitas, illas potissimũ quæ per Venerabilem (piæ memoriæ) P. Laurent. Surium prolixæ admodum extant cõscriptæ: breui compẽdio 4. Tomis egregiè exhibuit. Verùm enimuerò haud ipsi tãtùm tribuimus, vt nusquàm offendisse putemus: homines siquidem sumus omnes: ast quòd, quæ diuturno studio ac indefesso labore sibi comparauerat, ad Dei gloriam, SS. eius honorem, publicamq; Ecclesiæ vtilitatẽ in medio proposuerit, meritò comprobari: nemo puto inficias ibit.

Ceterùm cum illi memoratos Tomos recognoscere, expurgare, ac vitarũ aliquot accessione locupletare, certò constitutum esset: iamq; primum ægrè inchoasset: placuit benignissimo bonorum largitori, laborumq; omnium fidissimo remuneratori, ad eam eũ vitam euocare (vti piè confidimus) in qua neque labor, neque luctus, sed pro labore Christi nomine susceptо, sempiterna quies, & gaudium nunquam finiendum tribuitur. Nè verò opus tam fructuosum, ne dicam necessariũ

intercideret; tũ ipſius auctoris in limine mortis iam exiſtentis obteſtatione, tũ piorũ aliquot monitis aſſiduiſq; ſtimulis incitat⁹, eãdem prouinciã (arduã ſatis) cõtinuandã ſuſcipere, ijſdemq; obaudire tandẽ adductus fui: ne ſi in renuẽdo pertinax perſtitiſſem, ſuperbię deniq; id potius, quã modeſtię aſſcriberetur. Feci ergo q̃ rogatus erã: Deoq́, benè propitio, ad finẽ vſq; perduxi. De quo id tantùm dixiſſe ſufficiat, nihil in eo q̃ ex apocryphis ſcriptorib⁹ deſumptũ ſit appoſitũ eſſe, hoc eſt, nullas eorũ vitas quarũ ſcriptores penitùs ignorãtur, aut ſi ſciuntur, pertenuis in Eccleſia æſtimationis & auctoritatis sũt, inſertas eſſe, nihil etiã q̃nõ ſtatim in exẽplari vndè deſumptũ ſit faciłè inueniri poſſit: ne quis ex capite noſtro aliqua ſuffarcinaſſe & ingeſſiſſe cõminiſci valeat. Cũ porrò haud eſſem neſcius (experto vtpotè, vt in prouerbio eſt, edoctus iã pridẽ Roberto) quã eſſent in alienos carpẽdo labores, hominũ ingenia, noſtro infelici hoc ęuo, prõptiſſima, dein quã ſuſpitioſũ, quamq́; periculi plenum, aliquid in lucẽ edere, quod nõ ſit p̃fecto ingenio & artificioſa induſtria inſigniter elaboratũ, cõſultum viſũ fuit, hũc meumqualemcunq́; laborẽ iudicio ac cẽſuræ cenſoris à Sereniſſ. & Reuerendiſſ. Principe Ferdinãdo Archiepiſcopatũs Coloniẽſis Coadiutore, Bauariæ Duce, mihi dati, diſcutiendũ approbandumq; exhibere: ne quid zoilo, Cacodoxouè reprehenſionis reliquũ foret. Quod ſi nec nũc omnib⁹ ſatisfactũ erit, & homines

mines, pręſertim moroſuli, naſutuli, & delicatuli, vitas, alias forsã prolixiores, alias breuiores dictitauerint, & modo hæc, modo illa in alijs atque alijs deſiderauerint: mihi hoc ſufficiet, quod nõ tã ſtudio mihi fuerit, vt illis placerẽ, quã pijs prodeſſẽ. Qui verò ad carpẽdũ faciliores erũt, illi tũ demũ nõ temeritate, ſed iudicio id feciſſe putabũtur: vbi ipſi præclari⁹ aliquĩd nobis exhibuerint. Nã id genus hominũ morſus oẽs euitare velle, nihil aliud eſt: quã niti ad impoſſibile. Reſtabat nunc vt pro cõmuni multis iã ſeculis recepta cõſuetudine aliquem mihi deligerem patronum, cui haſce meas qualeſcunque conſecrarem lucubrationes. Hac autẽ in parte ſuſpẽſus animo cũ hærerẽ, ac viri excellentes quãplurimi occurrerent, tu mihi inprimis obuius fuiſti admodũ Venerande Pater, quẽ optimo mihi iure aſciſſerẽ: tũ quod te rerũ à SS. geſtarum, frequenti, inter tot curarũ ac occupationum cumulos, lectione animũ mirificè recreare ac paſcere, ſedulã dein in ijſdem imitãdis operã nauare exploratã habeã: cũ propter multã raraque variarũ rerũ, antiquitatis potiſſimũ eccleſiaſticæ in te recõditã cognitionem, quæ cũ morũ grauitate, vitæ integritate, eruditioniſque claritudine cõiũcta, longè lateque ſic diffũditur: vt eius fragrãtia, nõ ſolũ hæc Germania, verũ nobile illud etiã Regnũ Gallicanum ſuauiter redoleat.

Certiſſimum autem eſt, qui SS. vitis diligenter ſtudet optimè ſuæ prouidere. Quem

admodum siquidem pictores cum imagine ex imagine depingunt, exemplar itidem respectantes, lineamenta eius magno studio ad suum opificium transferre conantur: ita qui sese meditatur omnibus virtutum numeris absolutum reddere, SS. vitas veluti simulachra quædam spirantia & actuosa respicit: probaque illorum opera sua imitando facit. Ex illis siquidem & qua via gradiẽdum post Dominũ sit; simul & quomodò sceleratorũ hominum flagitia, nec non impia omnium dogmata fugienda sint optimè perdiscitur: Hinc Patriarcharũ, Prophetarũ, Apostolorũque chori sacrati, immortalem sui in Ecclesia obtinent memoriam. Habent & eandem SS. Martyres; qui pro Christi saluatoris fide ac honore inuicto animo decertârunt: sanguinemque suum fuderunt. Nec non & SS. Confessores; qui pleni Spiritu sancto, multis coruscârunt miraculis; quibus mundus crucifixus fuit & illi mundo; pari gloria amoris Christum Redemptorem sequentes: iugiterque crucem salutiferam post eum portantes. Vt enim Martyres, ita & Confessores pro Christo communi omnium remuneratore pati voluerunt: & ij quidem Ecclesiæ lilia, illi verò rosæ sunt.

Ceterùm quicquid à me ad recognoscendos, expurgandos, augendosque memoratos 4. Tomos operæ ac studij impensum est: id totum V.P.V. ex intimis cordis mei penetralibus, velut amoris atque obseruantiæ ergà te

gà te meæ, offero, dicoque: Christum Saluatorem caput electorum omnium, ac totius beneficentiæ exhibitorem deprecans: quatenùs eandem pro Sacri Carthusiensis cætûs, pace, conseruatione & amplificatione, eximia dexteritate, dies noctesque laborantem, multis annorum periodis felicissimis, nobis totique Prouinciæ conseruare dignetur: ad Diuini nominis sui maiorem gloriam, subditorum verò eius consolationem, ædificationemque, ac salutem sempiternã. Ex Carthusia Colonienſi: Anno Incarnati verbi, 1602. Pridiè B. Iosephi Nutritoris Domini.

*V. P. V. humillimus ac obsequentissimus filius Fr. Cornelius Grasius.*

Annumeror Bibliothecæ Fratrum Capucinorum Paderbornæ..



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# INDEX SANCTORVM HOC volumine contentorum.


| Menſes. | Dies. | | pag. |
|---|---|---|---|
| Ianuarij. | 1 | Almachij, Monachi | 36 |
| | 2 | Adelhardi Corbeienſ. Abbat. | 55 |
| | | Argei, Narciſci & Marcellini | 62 |
| | 3 | Anteri Papæ | 70 |
| | 5 | Apollinaris virginis | 88 |
| | 6 | Andreæ Epiſcopi | 111 |
| | 12 | Archadij martyris | 217 |
| | 17 | Anthonij Abbatis | 308 |
| | 21 | Agnetis virginis | 386 |
| | 22 | Anaſtaſij Perſæ | 410 |
| | 30 | Aldegundis Abbatiſſæ | 512 |
| Februarij. | 5 | Agathæ virg. | 627 |
| | 6 | Amandi Epiſcopi | 639 |
| | 9 | Appolloniæ virginis | 666 |
| | | Ansberti Epiſcopi | 671 |
| | 10 | Auſtrebertæ Abbatiſſæ | 778 |
| | 12 | Anthonij Epiſcopi | 715 |
| | 14 | Auxentij Abbatis | 736 |
| | 19 | Auxibij Archiepiſcopi | 760 |
| | 27 | Andronici & eius coniugis Athanaſiæ | 804 |
| Martij. | 1 | Albini Epiſcopi | 815 |
| | 8 | Aſclæ, Leonidis, Philemonis | 898 |
| | 10 | Attalæ Abbatis | 912 |
| | 16 | Abrahami Eremitæ | 957 |
| | 25 | Annunciatio B. Mariæ virginis | 1050 |
| | 29 | Armogaſtis & Saturi | 1087 |

B.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Ianuarij. | 1 | Baſilij magni Epiſcopi | 6 |
| | 15 | Boniti epiſcopi | 273 |
| | 16 | Berardi, Petri, Accurſij, Adiuti & Ottonis | 296 |
| | 24 | Babilæ epiſcopi | 440 |


Brigi-

| Menſes. | Dies. | SANCTORVM. | pag. |
|---|---|---|---|
| Februarij, | 1 | Brigidæ virginis | 553 |
| | 3 | Blaſij epiſcopi | 607 |
| Martij, | 21 | Benedicti Abbatis | 1023 |
| | | C. | |
| | 1 | Circunciſio Domini noſtri Ieſu Chriſti | 1 |
| | | Cyrini, Primi, & Theogenis martyrum | 71 |
| | 18 | Cathedra S. Petri, Romæ | 337 |
| Ianuarij, | 23 | Clementis epiſcopi Ancyrani | 417 |
| | 29 | Conſtantij epiſcopi | 504 |
| | 31 | Cyri Abbatis & Iohannis | 517 |
| Februarij, | 2 | Cornelij Centurionis | 575 |
| | 3 | Celerini Diaconi | 605 |
| | 2 | Ceaddæ epiſcopi | 843 |
| | 3 | Caluppani Recluſi | 852 |
| | | Chunegundis Imperatricis & virg. | 854 |
| | 6 | Coletæ virginis | 874 |
| Martij, | 10 | Codrati, Cypriani, Dionyſij, & Anecti epiſc. | 909 |
| | 18 | Cyrilli epiſcopi | 924 |
| | 20 | Cuthberti epiſcopi | 1007 |
| | 22 | Catharinæ viduæ & virginis pariter | 1034 |
| | 29 | Cyrilli Diaconi & Martyris | 1086 |
| | | D. | |
| Februarij, | 6 | Dorotheæ virginis & mart. | 631 |
| | | E. | |
| | 1 | Euphroſinæ Alexandrinæ | 37 |
| | 1 | Eugendi Abbatis | 46 |
| Ianuarij, | 5 | Eduardi Regis | 101 |
| | 6 | Ermenoldi Abbatis | 121 |
| | | Epiphania Domini | 112 |
| | 20 | Euthymij Abbatis | 376 |
| | 1 | Ephræm Diaconi Edeſſeni | 547 |
| Februarij, | 8 | Eugenij & Mariæ eius filiæ | 657 |


Eucherij

| Menſes. | Dies. | INDEX | pag. |
|---|---|---|---|
| Februarij. | 20 | Eucherij Epiſcopi | 767 |
| | 13 | Euphraſiæ virginis | 944 |
| | 18 | Eduardi Regis & martyris | 988 |
| Martij. | 29 | Euſtachij Abbatis | 1095 |
| | | F. | |
| | 1 | Fulgentij Epiſcopi | 26 |
| | 14 | Felicis Nolani Confeſſoris | 235 |
| Ianuarij. | 16 | Furſei | 289 |
| | 20 | Fabiani martyris atque Pontificis. | 307 |
| | 21 | Fructuoſi Epiſcopi, Augurij & Eulogij Diac. | 398 |
| Februarij. | 15 | Fauſtini & Iouitæ martyrum | 744 |
| | | G. | |
| | 3 | Genouefæ Virginis | 63 |
| Ianuarij. | | Gordij Militis | 75 |
| | 4 | Gregorij Lingonienſis Epiſcopi | 86 |
| | 8 | Gudulæ virginis | 135 |
| | 6 | Guarini Epiſcopi | 644 |
| Februarij. | 10 | Guilielmi Ducis, Comitis & Eremitæ | 683 |
| | 12 | Gregorij Papæ Doctoris Eccleſiæ | 918 |
| | 17 | Gertrudis virginis | 977 |
| Martij. | 31 | Guidonis Confeſſoris | 1103 |
| | | H. | |
| Ianuarij. | 13 | Hermyli & Stratonici | 221 |
| | | Hilarij Pictauorum Epiſcopi | 226 |
| | 16 | Honorati Epiſcopi | 276 |
| | 3 | Hemiterij & Chelidonij | 849 |
| | 4 | Hadriani & aliorum 23. martyr. | 863 |
| Martij. | 7 | Hadriani & Eubuli martyrum | 897 |
| | 16 | Hereberti Archiepiſcopi Colonienſis | 967 |
| | 25 | Hermelandi Abbatis | 1055 |

Iuliani


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

| Menses. | Dies. | SANCTORVM. | pag. |
|---|---|---|---|
| | | I. | |
| | 9 | *Iuliani martyr. cum reliquis ac Basiliscæ virg.* | 163 |
| *Ianuarij* | 15 | *Iohannis Calybitæ* | 253 |
| | 23 | *Ildefonsi Episcopi* | 432 |
| | 25 | *Innentini & Maximi militum* | 446 |
| | 28 | *Iacobi Eremitæ* | 495 |
| | 1 | *Ignatij martyris* | 528 |
| | 3 | *Ioannis Eleemosynarij Archiepisc.* | 585 |
| *Februarij.* | 5 | *Isidori martyris* | 624 |
| | 16 | *Iulianæ virg. ac martyris* | 753 |
| | 27 | *Iuliani, Eunt, Besæ & Macarij* | 808 |
| | 19 | *Ioseph sponsi B. Mariæ* | 993 |
| *Martij.* | | *Iohannis Syri Confessoris* | 996 |
| | 27 | *Isaaci* | 1074 |
| | 29 | *Ionæ & Barachisij* | 1090 |
| | 30 | *Ioannis Climaci* | 1101 |
| | | L. | |
| *Ianuarij.* | 7 | *Luciani* | 126 |
| | 8 | *Laurentij Patriarchæ Venetiarum* | 151 |
| | 18 | *Leobardi Recluſi* | 340 |
| *Februarij.* | 2 | *Laurentij Archiep. Cantuariensis* | 584 |
| | 18 | *Leonis & Paregorij Martyrum* | 758 |
| | 28 | *Lupicini & Romani Abbatum* | 810 |
| *Martij.* | 15 | *Longini Centurionis martyris* | 952 |
| | 19 | *Landoaldi Archipresbyteri* | 997 |
| | 26 | *Ludgeri Episcopi Monasterienſis* | 1063 |
| | | M. | |
| | 1 | *Martinæ virginis ac mart.* | 33 |
| *Ianuarij.* | 2 | *Macariorum duorum & Marci monach.* | 50 |
| | 6 | *Macræ virginis* | 105 |
| | | *Melanij Episcopi* | 110 |
| | 9 | *Marcianæ virg. ac mart.* | 161 |
| | 10 | *Martiani Presbyteri* | 187 |
| | 15 | *Mauri Abbatis* | 261 |

*Mauri-*

| Menſes. | Dies. | INDEX | pag. |
|---|---|---|---|
| | 20 | *Mauri epiſcopi* | 372 |
| *Martij.* | 21 | *Meinradi Eremitæ & mart.* | 309 |
| | 31 | *Marcellæ viduæ* | 521 |
| | 13 | *Martiniani* | 719 |
| *Februarij.* | 24 | *Montani &c ſociorum* | 770 |
| | | *Matthiæ Apoſtoli* | 779 |
| *Martij.* | 3 | *Marini & Aſterij mart.* | 847 |
| | | N. | |
| *Februarij.* | 9 | *Nicephori mart.* | 667 |
| | 26 | *Neſtoris epiſcopi* | 789 |
| | | O. | |
| *Ianuarij.* | 1 | *Odilonis Abbatis* | 36 |
| *Februarij.* | 16 | *Oneſimi diſcipuli B. Pauli Apoſt.* | 750 |
| | | P. | |
| | 3 | *Petri Aulani* | 73 |
| | 10 | *Pauli primi Eremitæ* | 177 |
| | 13 | *Potiti mart.* | 232 |
| *Ianuarij.* | 14 | *Patrum in Sina & Rhaiti regione* | 141 |
| | 19 | *Pontiani* | 344 |
| | 21 | *Patrocli martyris* | 394 |
| | 25 | *Proiecti epiſcopi* | 449 |
| | | *Popponis Abbatis* | 454 |
| | 26 | *Polycarpi epiſcopi* | 463 |
| | | *Paulæ viduæ Romanæ* | 472 |
| | 1 | *Pioni preshyteri & mart.* | 541 |
| | 2 | *Purificatio B. Mariæ virg.* | 566 |
| *Februarij.* | 4 | *Philoromi & Phileæ martyrum* | 611 |
| | 7 | *Parthenij epiſcopi* | 653 |
| | 8 | *Pauli epiſcopi* | 662 |
| | 26 | *Porphirij epiſcopi* | 792 |
| | 5 | *Phocæ mart.* | 863 |
| *Martij.* | 12 | *Petri Cubicularij Dioclet. Imperat.* | 933 |
| | 17 | *Patricij epiſcopi* | 981 |




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

| Menses. | Dies. | SANCTORVM. | pag. |
|---|---|---|---|
| | 28 | *Prisci, Malchi, & Alexandri* | 1085 |
| *Martij.* | 9 | *Quadraginta militum martyrum* | 904 |
| | | R. | |
| *Ianuarij.* | 4 | *Rigoberti Rhemorum Archiepiscopi* | 82 |
| *Februarij.* | 4 | *Remberti Archiepiscopi* | 619 |
| *Martij.* | 27 | *Ruperti episcopi* | 1078 |
| | | S. | |
| | 5 | *Simeonis serui Dei* | 98 |
| | 8 | *Seuerini Noricorum Apostoli* | 143 |
| *Ianuarij.* | 11 | *Saluij episcopi Ambianensis* | 815 |
| | 17 | *Speusippi, Eleusippi, & Meleusippi* | 302 |
| | | *Sulpitij cognomento pij, episcopi* | 328 |
| | 20 | *Sebastiani martyris* | 353 |
| | 1 | *Seueri episcopi* | 558 |
| *Februarij.* | 11 | *Saturnini Presbyteri, Datiui & Sociorum* | 702 |
| | | *Seuerini Abbatis* | 711 |
| | 20 | *Sadoth episcopi & Sociorum* | 765 |
| | 1 | *Suitberti episcopi* | 818 |
| | | *Siuiardi Abbatis* | 840 |
| *Martij.* | 13 | *Sabini mart.* | 940 |
| | 24 | *Simonis pueri* | 1044 |
| | | T. | |
| | 5 | *Telesphori Papæ & mart.* | 100 |
| *Ianuarij.* | 11 | *Theodosij Cœnobiarchæ* | 192 |
| | 24 | *Timothei Apostoli* | 437 |
| | 28 | *Thyrsi, Lucij & Callinici* | 485 |
| | 1 | *Tryphonis mart.* | 560 |
| *Februarij.* | 4 | *Theophili œconomi* | 614 |
| | 7 | *Theodori mart.* | 647 |
| | 25 | *Tarasij Archiepiscopi* | 781 |
| | 7 | *Thomæ Aquinatis* | 881 |
| *Martij.* | 12 | *Theophanis, qui & Isaacius dictus* | 934 |
| | 24 | *Timolaij, Dionisij, & sociorum* | 1043 |




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

| Menſes. | Dies, | INDEX SANCT. | pag. |
|---|---|---|---|
| | | V. | |
| Ianuarij. | 22 | Vincentij Leuitæ & mart. | 403 |
| | 29 | Valerij epiſcopi | 502 |
| Februarij. | 6 | Vedaſti epiſcopi | 635 |
| | 14 | Valentini Presbyteri, Aſterij & ſociorum | 728 |
| | | Valentini epiſcopi | 733 |
| Martij. | 11 | Vindiciani | 916 |
| | 20 | Vulfranni Archiepiſc. | 1000 |
| | | VV. | |
| Martij. | 3 | VVinualoci | 859 |


FINIS.

IANVA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# IANVARIVS.

## DE CIRCVNCISIONE DOMINI, ET ANTIQVA CIRCVNCISIONIS LEGE, EX *Sermone D. Cypriani Episcopi, & Ludouico Granatensi.*

CVM summus ille cœli terræque Dominus, peculiarem quendam sibi in hoc mundo populum deligere statuisset, à quo singulari quadam religione & pietate coleretur, cuiusque ille maximam curam & prouidentiam gereret, voluit cũ eo percusso fœdere amicitiam copulare. Huius verò fœderis signum, ac veluti monumentum sempiternum, fuit Circuncisio; Qua quidem, inter omnia testamenti veteris sacramenta, nihil solemnius antiqua celebrauit religio; quæ & lege ipsa antiquior; vtpotè quæ nõ Moysi, sed Abrahę quadringẽtis antè latã legẽ annis, data fuit. Quia verò Dominus summã pacem & vnitatem in hoc populo vigere cupiebat, statuit, vt totus hic populus ab vna stirpe prodiret; vt se omnes mutuò, tanquàm fratres germana charitate prosequerentur, atque religionis vnitatem & pacem, communis necessitudinis, & naturæ vinculum astringeret. Hic autem cõmunis omnium parens fuit Abraham. Quamuis enim alios ante hunc amicos habuerit, cum nemine tamen eorum pari solemnitate & religione, qua cum Abraham, fœdus percusserit; qui propterea omnium credentium pater appellatur, quia primus omnium, hac singulari ratione, ad vnius veri Dei

1. Ianuarij.

Genes. 17.

cultum vocatus est; cuius fidem & religionem, cæteri deindè fideles, ijsdem vestigijs insistentes, secuti sunt. Hæc tamen Circunciſio, quæ in filiorum Abrahæ carne exstabat, & ad Dei populum eos pertinere, & à cæteris gentibus separatos esse declarabat, nec fœdus ipsum, nec pactum erat, (quamuis scriptum sit: Et erit pactum meum in carne vestra) sed pacti huius cum Deo iniri symbolum, vt latè Apostolus ad Romanos disserit. Pactum porrò erat, vt populus ille nullum alium præter Abrahæ Deum coleret, illi vni crederet, illi fideret, illi obtemperaret, illum toto corde & tota mente diligeret, & bona sua omnia in illo collocaret; contrà verò, Deus illum benignè protegeret, regeret, tueretur, ac foueret, & multis diuinæ gratiæ opibus auctum & amplificatum, ad vitam perduceret beatam & immortalem.

Circunciſio fuit initi cũ Deo fœderis, Symbolum. Rom. 4.

Itaque quamuis fortassis eo tempore, multi diuersis in locis viri insignes, hoc circunciſionis cauterio insigniti non fuerunt, & tamen iustitiæ Dei subiecti, præclarum sanctitatis testimonium consequuti à Deo fuerint, quemadmodum sanctũ Iob, iugis quidem sacrificijs occupatum, nõ tamen circumciſum legimus, non propterea, huius fœderis symbolum, à quoquam sanctorum patrum per cõtemptum aut negligentiam prætermissum fuisse existimãdum est. Adeò enim solenne & sanctum apud eos fuit, vt quisquis in gente illa huius signi careret differentia, Ethnicus non Iudæus reputaretur, & à titulo filiorum Israel abraderetur proscriptus.

Iob. 1.

Fuit autem hoc ipsum, octauo, à natiuitate cuiusque, die celebratum, quo etiam nomen circunciſo imponebatur, vt eò ipso intimaretur, quòd eorum nomina, qui sanctorum consortio digni censebantur,

Quare octauo die Circunciſio fiebat.

tur,in cęlis ſcriberentur, & æternæ beatitudinis, quàm poſt vitæ huius ſeptimanam, octaua conſequitur,hæredes fierent,quicunq; vitæ innocẽtia,& cælibatus ſanctimonia, ſeſe Domino cõſecraſſent. Tenera itaque infantia,huiuſmodi erat imbuenda doctrina,& ante cõcupiſcibiles motus,quos peccatum meruerat,miſerabili pœna & ineuitabili vindicta, etiam in paruulis adhibenda erat ſeueritas; & antequàm ebulliret ſartago libidinum, prouiſum eſt ventilabrum,quo refrigerari poſſet & extingui,depopulatricis flammæ vagus ardor, & vniuerſa perluſtrans incendium. Ideoque dolor voluptati,& ſanguini delectationis, ſanguis tormenti opponebatur: vt in primis elementis diſcerent paruuli,ſemper propriæ memores ſectionis, cõtraria curare contrarijs,& ad cohibendos refrenandoſq; turpitudinum appetitus, neceſſarium eſſe ſale corroſorio, carnis perfricare pruritus, & ſemper recrudeſcentes deſiccare putredines.

Cur adhiberi ſolita, in tenera ætate.

Fuit igitur Circunciſio hæc, peccatoris ſignum, quod ideò potiſſimum in mẽbro virili fiebat, quia contra peccati originalis contagium,quòd per carnalem concupiſcentiam traducitur, remedium erat.Fiebat & cultro lapideo,quia omnis Circunciſio ſiue peccati ſiue corruptionis, per Chriſtum in petra ſignificatum,faciẽda eſt;neq; enim aliud nomen datum eſt hominibus,in quo oporteat nos ſalutis ſempiternæ beatitudinem conſequi. Nouum verò nomen in Circunciſione dabatur, quia tùm demum,ſicut & nunc in baptiſmo, in fidelium numerum referebantur.

Quare cultro lapideo. Actor. 4.

Chriſtus aũt Ieſus,qui non modo omnis peccati expers,ſed totius etiam ſanctitatis & honeſtatis architectus erat,tribus potiſſimum de cauſis, huic Circunciſionis legi ſe ſubmiſit. Primùm quidem

Chriſtus tribus de cauſis circunciſus.

Rom.15. (vt Apostolus ait) propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrũ. Promissus fuerat patribus, ex eorum semine, Redemptor, cùm Abrahæ ac eius posteritati dictum fuit: In semine tuo benedicentur omnes cognationes terræ. Vt igitur apertè liqueret, Christum ex Abrahæ semine propagatum esse, debuit vtique circumcidi, (quod posteritatis eius symbolum erat) vt ita tãdem, diuinæ promissionis veritas apertè constaret. Qua Dei promissione impleta, non est cur nos iam circuncisionis lege astricti simus. Fuit & altera, quod videlicet Saluator noster, vix dum natus, Seruatoris officiũ fœliciter auspicari dignatus est; quod quidem sanguinis effusione perficiẽdum erat. Tertia verò fuit, vt hac ratione, Dominus, altissimæ humilitatis suæ, locupletissimum nobis præberet exemplum. Quamuis enim tota eius vita, absolutissimum quoddam fuerit humilitatis exemplar, nunquam tamen ita se deiecit atque exinaniuit, quàm cùm peccati cauterio insignitus, susceperit imaginem peccatoris. Et quamuis in baptismo, eandem peccatoris imaginem præ se tulerit, (quando cum peccatoribus ablui, vt impurus voluit) tamen eò tempore, super eum aperti sunt cœli, & vox Patris intonuit, & Spiritus sanctus in columbę specie super eum descendens, columbinam eius innocentiam atque puritatem declarauit. In passione quoq; sua, quamuis peccatoris & flagitiosi speciem gesserit, (quandò inter facinorosos & latrones, innocentissimus Agnus pendebat) dum tamen ità penderet, cœlum tenebris horrẽdis obducitur, terra tremit, petræ scinduntur, elementaq́ue omnia, mœroris & tristitiæ luctuosa signa ædunt. Quo facto, multi ei diuinitatis testimonium præbuerunt. Itaque nusquàm ferè ita se Dominus in vita deiecit, quin pro-

In quo summa luceat Christi humilitas.

Geneſ.22.

Matth.3.

Matth.27.

protinus cœlestia signa, gloriam & innocentiam eius magnificè prædicarent. At circũcisio, quæ peccati signum est, nullis miraculis illustratur. Perpendite ergò, fratres, quò se nostri gratia, summa illa celsitudo demiserit. Summum quidem in mũdo, Deus est, qui est super omnia; infimum verò, peccatum, quòd infra omnia est. Quia ergo impossibile erat, Deum ad peccatum vsque se demittere, proximè tamẽ ad illud descendit; quando qui peccator esse non poterat, suscepit imaginem peccatoris. Quo ergo se amplius summa illa maiestas inclinare potuit, quam vt peccatoris habitũ, & signa gestaret, qui tàm procul aberat ab omni peccato? Quia enim generis humani morbꝰ, à superbia initium cœperat, medicina eius debuit ab humilitate proficisci.

De sanctiss. nomine Iesu.

Quamuis autem Circuncisio Domini, miraculis illustrata non fuerit, debito tamen huius tantæ humilitatis præmio non caruit. Præmium verò declarat, glorioſum nomen, quod illi hodie diuina authoritate impositum fuit, quòd Saluatorem significat. Cuius nominis & officij gloriam, Apostolus declarat, cùm ait; Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; vt in nomine IESV, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; Is igitur, qui se infra omnia humiliauit, seque nouissimum virorum fecit, debuit vtiq; omnium princeps & caput fieri, & supra omnia exaltari; vt quicunque siue in cœlo, siue in terra sint, illius gloriam confiteantur, illius laudes prædicent, illiq́ue acceptam salutem suam ferant.

Philip. 2.

# VITA B. BASILII MAGNI, CAEsarienſis Archiepiſcopi: exijs quæ extant in Cæſarij Baronij Annalibus. Exceſsit è corpore, Anno Incarnati verbi 378. Damaſi Papæ 12. Valentis Imperatoris 15. Cùm ſedisſet annis 8. Menſibus 6. diebus 16.

Vide Tom. 2. 3. & 4.

1. Ianuarij.

Patria & genus eius.

BAſilius Cappadox, qui à rerum geſtarum gloria, magnus dicitur, Baſilio & Emmelia, parentibus Chriſtiana religione ſpectatis, ac honorum, opumque gloria inclytis natus, à Macrina fœmina ſanctiſſima, ipſius auia, ac in Chriſto nutrice, Catholicæ fidei elementis, Neocæſareæ, imbutus eſt. Cumque Cæſareæ Paleſtinæ primùm, inde verò Conſtantinopoli egregiè litteris excultus eſſet, Athenas litterarum & litteratorum aſylum cõceſsit. Quas tamẽ haud quales putabat eruditas adinuenit. Eò ſiquidem ſcientiarum, antequam illuc ſe cõferret, progreſſus erat, vt quod ibi addiſceret, haud reperiret. Omni igitur doctrinę genere locupletatus, in patriam reuerſus, quam cęperat vitam ſanctiſſ. excoluit: Corporis virginitatem ab omni carnis illecebra ſeruans immaculatam. Licet non ita, mentis puritatem illibatam ſeruaſſe, ſcribens ad Chilonem diſcipulum, conqueri videatur. Creditur tunc AEgypti, Paleſtinæ, Syriæ & Meſopotamiæ monachos inuiſiſſe; Cùm eorum inflammatus exemplo, idem viuendi genus, Domum reuerſus, conſectatus ſit: ac in Ponto & Cappadocia, monachorũ cœnobitarum paulò pòſt eximius exſtiterit auctor; Cùm & alios, qui iam ibidem eiuſmodi inſtitutionem vitæ ſectari cœperant, in vnum collectos, regulis editis, ad perfectam monaſticæ diſciplinæ normam primus excoluit.

Excellens eius eruditio.

Permanſit virgo.

Eius peregrinationes.

Amplectitur vitã monaſticam.

Monachos colligit.

Regulas monaſtici inſtituti conſcripſit.

In multis deindè muneribus antè exploratus, ac quo-

quotidie clarior illustriorque compertus, in sacrũ Presbyterorum ordinem, ab Hermogene Cęsariẽsi Antistite adscriptus est. Quo quidem è viuis sublato, cum sedulò quæreretur ad Pontificalem dignitatem, vir sanctus, improuisa fuga sibi consuluit. Accidit interim vt, Eusebio violenta creatione in sede collocato, monachi illi quibus Basilius præerat, haud ratam eã electionẽ habentes, sese ab eius cõmunicatione diuellerent, atq; ea & alijs de causis parum ęquo, idem Antistes in illũ esset animo. Quibus obortis simultatib. paci cõsulturus, in Pontificas solitudines ad monachorũ habitacula secessit. Præsentia siquidẽ conflabat aduersariorũ inuidiã. Verumenimuerò re paulò pòst cõperta, à suis Cæsarienſibus magnis studijs reuocatur; Ad quos ille Apologeticam dedit de sua discessione Epist.

Initiatur Presbyteratu.

Fugit Episcopatum.

Eusebij Episcopi cum Basilio simultas.

Est epist. 141.

Intereà diuinis rebus incumbens, vitã omni non modò mœrore vacuã, sed in omnibus lętam atq; hilarem trãsigebat. Ibi afflictio pro delitijs illi erat. Quandoquidem molestia spontè susceptа, voluptati minimè voluntarię præstat. Ibi psalmodijs & vigilijs mentẽ ad cęlestia erigens: ad Deum per orationẽ à corpore peregrinabatur, vitamq; veluti materia vacantem & incorpoream ducebat. Quis verò fratrum, qui ab ipso ad omnẽ pietatis rationẽ studiosè fingebantur, concordiam, & animorum coniunctionem, quis virtutis certamen, & ad eam incitationem, quam scriptis legibus ac regulis obseruabant explicare valeat? Aſt licet vir sanctus in eadem Pontica solitudine degens, è fluctibus maris videri posset, ad tutum portum nactum esse confugiũ, haud tamen desiuit iactari fluctibus, nec quidem leuibus, qui contemni & pro nihilo duci possent, sed illis planè immensis, vtpotè à vehemẽtiori flatu perfidiæ agitatis.

Sententia.

Eius pia exercitia in solitudine.

Sabelliani affirmabant Patrem & Filium eundē esse.

Contigit enim his temporibus sedem Neocæsariensis Ecclesiæ viduari pastore; Cumque vniuersæ ciuitatis studia essent in deligendo Basilium propensiora, eccè, hæretici Sabelliani, nullam in electione Pontificis sui ipsorum rationem haberi videntes, indigno id ferentes animo, in ipsum conspirant, eumq; hominem ambitiosum, nouorum dogmatum inuentorem, fideiq; syncerę, desertorem inclamãtes, dictis scriptisque lacerare, atque haud leue negotium facessere non cessantes, ciuitatem illam magnis dirisque motibus exagitârunt. Hæc cùm Basilius persensisset, magno de pereunte populo dolore confectus, ad eosdem Neocęsarienses Apologeticam scribens, ab illatis calumnijs penitus se expurgauit. Cùm primum enim Catholicæ fidei sectatorem se esse declarasset, eosdem Neocæsarienses deceptos à Sabellianis magnoperè dolet. Sed & de institutiõe monastica, cuius rei gratia grauem ab hæreticis patiebatur calumniam, quasi rerum nouarum extitisset inuentor, plenissimam affert rationem, dum nequaquã id genus vitæ & disciplinæ à se tradit excogitatum, quod in ecclesia Catholica esset altis iam antè radicibus fixum ac latissimè propagatum. Ad calumniam verò de Episcopatu ab eodem expetito quoque respondens, eandem & præclarè confutat. Intereà Iouiniano Imp. improuiso casu extincto, Valens imperio potitus, initio quidem doctrinæ Apostolicę ornamẽtis decoratus, non longò tamen post tempore, cõiugis Arianæ lenocinijs delinitus, nimia animi mollitie diffluere, & veritatẽ apertè prodere cępit; cuius hortatu in horrendũ blasphemię barathrũ pręceps cum ea deiectus est. Nam ab Eudoxio, Arianæ perfidiæ propugnatore acerrimo, Cõstantinopolitano Antistite, sacro baptismatis initia⁹ mysterio, nefa-

Basilius exagitatur calũnijs Sabellianorum.

Est epist. 63.

Purgat se vir sanctus.

Epist. 164.

Valens Imp. opera vxoris fit Arianus.

nefario iureiurando, eodem Eudoxio exigente, ſeſe obſtrinxit, vt in eo impio dogmate perſeueraret, atque omnes contrariæ doctrinæ adhęreſcentes, vbique ab Eccleſijs eijceret.

Eudoxius epiſcopus Conſtantinopolitanus Arianus.

Igitur ea imbutus perfidia, apertum Orthodoxę Eccleſiæ bellum indixit, & cæca auri cupedine ductus in quaſcunque incidit Eccleſias, inuaſit, proſtrauit, earumque ſpolijs auri famem explere non deſtitit. Cuius perfidia ſimulac Orientis Eccleſijs innotuit, Orthodoxi omnes Epiſcopi, tanquam ad prælium claſſico excitati, arma capeſſunt, contraq; omnes aduerſariorum futuros inſultus ſeſe muniunt & obfirmant. Tunc igitur opportunum viſum eſt tempus, vt validum illud cæli tonitruum, ex eremo ad arenam certaminis prodiret, ac in hoſtes fidei, cominus fulmina verbi iaceret. Quid igitur generoſa illa, mentisque magnitudine præſtans anima, Chriſtique amore verè inflammata? An illius animo veteris ſimultatis quidam fomites reſidebant? Minimè gentium. Spiritualibus quippè rationibus, ſecum optimè, ſapientiſſimeque diſtinguere nouerat, aliud ſimultatis tempus eſſe (ſi quid etiam vnquam, eiuſmodi affectui indulgendum eſſet) aliud rurſus æquanimitatis. Hæc itaque ſecum reputans, confeſtim è Pontica ſolitudine, cum fidiſſimo ſocio Gregorio excedit, atque ergà periclitãtem veritatem, zelo exæſtuans, vltrò ſuppetias affert, totumq; ſe matri Eccleſiæ tradit. Omnia quippè ſimul præſtat, inimicitias ponit, conſultat, aciem ſtruit, ſcandala & offendicula intermedia ſubmouet, cunctaque ea, quorum fiducia illi, bello, Orthodoxos laceſſendos putabant. Alios aſciſcit, alios retinet, alios propulſat, alijs murus firmus & vallum efficitur, alijs ſecuris petram ſcindens, aut ignis in ſpinis, (vt ſcriptura loquitur) ſarmentitios

Valẽtis perſecutio ſæuiſſima in Eccleſiam

Baſilij induſtria & zelus diſcretus.

Pſal. 117.

homines, & in diuinitatem contumelioſos facilè abſumens.

Baſilij in Euſeb. Epiſc. obſeruãtia & fidelitas, tẽpore perſecutionis.

Proximum deindè negotium ac ſtudium eius fuit, Antiſtitem obſeruare, ſuſpicionem extinguere; mortalibus omnibus perſuadere, mœrorem illum, quo affectus fuerat, tentationem quandam, colluctationemque peruerſi ſpiritus extitiſſe, honeſtæ ac laudabili concordiæ inuidentis; cæterum non ignarum ſe eſſe quid obedientiæ, ordiniſque ſpiritualis leges poſtularent. Ac proindè adeſſe, docere, dicto audientem ſe præbere, monere, quid uis deniq; illi eſſe; conſultor bonus, opitulator optimus, diuinorum oraculorum explicator, rerum agendarum præmonſtrator, ſenectutis ſubſidium, fidei adminiculũ, domeſticorum fideliſſimus, externorum ad res gerendas aptiſſimus, & tantam (vt vnico verbo dicam) eius beneuolentiam obtinens, quãto prius apud eum odio flagrare putabatur. Ex quo hoc aſſecutus eſt, vt etiamſi illi Cathedræ honore ſecundus eſſet, Eccleſiæ tamen imperio potiretur. Etenim pro beneuolentia quam conferebat, auctoritatem viciſſim accipiebat. Ac mirus quidam erat inter eos concentus, nexuſque poteſtatis. Ille plebem ducebat; Hic ductorem, atque inſtar Leonum cuiuſdam curatoris, præpotentem, arte cicurabat. Namque, vt nuper in ſublimi cathedra conſtitutus (quippè ex laico fuerat delectus Epiſcopus) & terrenæ materiæ nonnihil adhuc ſpirans, nondumque in his quæ ſpiritûs erant, numeris omnibus abſolutus, magnisque etiam fluctibus inferueſcentibus, atque ingruentibus Eccleſiæ hoſtibus, opus habebat homine, qui eum manu ductaret atque fulciret. Eoque nomine, ipſius ope atque auxilio acquieſcebat, eoque imperante, ſeipſum imperare arbitrabatur.

Baſilius ſecundus ab Epiſcopo.

Iam

Iam verò ipsius erga Ecclesiam curæ ac patrocinij, (quamquam multa quoque alia) signa & argumenta sunt, libertas animi, qua cum cæteros magistratus, tum potentissimos quosque ciuitatis alloquebatur; cõtrouersiarum solutiones nequaquam suspectæ, sed ab eius voce formatæ ac constitutæ, modoque ipsius tanquam lege receptæ; pauperum tutelæ, plures quidem spirituales, sed tamen corporeæ non paucæ (nam id quoque sæpenumerò animæ prodest, eos nimirum, in quos beneficium confertur, per beneuolentiam subigere) pauperũ alendorum, hospitum excipiendorum, virginum curandarum studium; monasticarum legum institutiones, partim scripto, partim voce traditæ, precum descriptiones, sacrarij concinnitates, ea denique omnia quibus homo verè diuinus, Deoque adiunctus, plebi vtilitati esse potest. Diuinas quoque scripturas Eusebij iussu ad populum explicabat, & legationem in Synodis pro suo Episcopo obibat, summaque libertate, quod sanæ synceræque fidei erat, loquebatur. Hoc tamen vnum maximum est, maximeque illustre atque insigne. Fames grassabatur, & quidem post hominum memoriã atrocissima. Languebat ciuitas, nec ex vllo loco auxilium afferebatur, nec vlla calamitatis medicina. Sed in huiusmodi malis nihil grauius atque acerbius, quam crudelitas, cupiditasq; inexplebilis eorum, qui rei frumentariæ copia circumfluunt. Obseruant enim temporum difficultates, atque ex annonæ penuria, lucrum captant, & ex aliorum calamitatibus messem faciunt, nec illud audientes, eum qui pauperes commiseratur, Deo fœnori dare: nec rursum illud, Eum qui frumentum abscondit plebi, execrabilem esse. At quid tunc Basilius? Pauit omnes. Et quonam pacto? Audi.

Basilij officia, ergà Ecclesiæ administrationẽ.

Valida fames, in Ciuitate Cæsarea.

Frumentariorum impiæ nundinationes.

Prouerb. 11. Eccl. 29. Prouerb. 11.

Aper-

Basilius tempore atrocissimæ famis ciues alit. Esaiæ 58. Tobiæ 4. Lucæ 1.

Apertis oratione sua & exhortatione locupletum horreis, facit quod est in scriptura: Cibum esurientibus frangit, panibus pauperes satiat, alit eos in fame, atq; esurientes animas implet bonis. Quo tandem modo? neque enim ad laudis cumulũ hoc parui momenti est. Nam cum eos quos fames vulnerauerat, in vnum coêgisset, nonnullos etiam spiritum ægrè trahentes, viros, fœminas, puerulos, senes, omnemque ætatem commiseratione dignã, omnia ciborum genera quibus fames depelli solet, corrogans, Ac deindè, Christi, qui linteo præcinctus discipulorum pedes nequaquam lauare grauabatur, ministerium imitans, simulque puerorum siue conseruorum suorum ad eam rem opera vtens, corpora pauperum animasque curabat, honorem cum necessario alimento connectens, ac dolorem eorum vtrinque leniens. Quinetiam venditis suis prædijs & possessionibus, atque pecunijs in alimenta conuersis, (cùm etiam rarum esset, vt illi qui valdè sibi prouidissent & instructi essent, ea quæ ad mensam & victum pertinent, sibi conficere & suppeditare possent,) ille per omne tempus famis, cùm eos qui vndique confluerent, tum iuuentutem totius vrbanæ plebis alere perseuerauit, adeò vt etiam Iudæorum liberos huius benignitatis & liberalitatis ex æquo participes faceret.

Distrahit possessiones suas & prædia, vt pauperes alat.

Sententia.

Nihil enim interest, vtrum per vas olearum, quis, an per aliam aliquam materiam & occasionem, diuinum mandatum exæquatur.

Ioan. 13.

Moritur Eusebius Cæsareæ Episcopus, & succedit ei Basilius inuitus.

Interea Eusebius Antistes, Anno Imperij Valentis & Valentiniani sexto, repentino violentoque morbo confectus, ex hac vita sublatus est. Cui Basilius inuitus planè atque reluctans in dignitate successit. Nam cum ægrotanti Episcopo, assiduo ministerio vsque ad eius vitæ exitum præsto esset, adeò vt in

vt in eius manibus animam exhalaret, neque ignoraret plurimorum in se studia, vt crearetur Episcopus conspirasse, maturè fugam arripuit; ita tamen vt in destitutam pastore Ecclesiam oculos conuersos haberet, timens illi ne à schismaticis & hæreticis inuaderetur. Verùm cum in vnum Episcopi, calatis comitijs, de electione Episcopi acturi conuenissent, multis licet obuersantibus, obnitentibusq; promotioni Basilij, vicit tamen pars illa, quæ illi fauebat. Non id quidem citra laborem, nec citra inuidiam & dimicationem, tum eorum qui patriã cum imperio administrabant, tum perditissimorũ quorundam vrbis ciuium, qui ab illorum partibus stabant. Sursum illi atque deorsum ciuitatem commiscebant, nihil non agentes, vt in gratiam Ariani Imperatoris, alius quispiam, excluso Basilio, crearetur Episcopus. Sed præualuit in omnibus Dei virtus, qua Basilius in sedem Episcopalem euectus, perditissimo tempore factus est aduersus ingruentes hæreticos & furentem cum eis Imperatorem, Ecclesiæ Catholicæ propugnaculum, Orthodoxorumque omnium robur & fortitudo, seditque inuito licet & obnitente Imperatore Valente, ac frustra sæuientibus magistratibus, vsque ad obitum, diuino planè miraculo inconcussus.

Basilij aduersariorũ impij conatus.

Inuito Imperat. non sine miraculo, retinet sedem Basil.

Cum verò in tanta rerum omnium difficultate, haud tutos sibi ministros assistere videret, non solum sibi in curarum partem allegit Gregorium fidissimum socium & amicum, sed & fratrem suum Petrum, ex decem vltimo loco natum, virtutibus verò consummatum, primoque loco habendum, ex monacho presbyterum ordinauit. Porrò Valens grauibus pro more suo incommodis Ecclesiam afficiens, & vbique impietatis suæ atque sæuitiæ impressa relinquens vestigia, relicta Nicomedia, Antiochiam

Fratrem suũ Petrũ creat Sacerdotem.

Valens Imp. Orthodoxos & maximè Basilium persequitur.

tiochiam contendit: atque vt alia omnia peruagatus, in Cæsarienſem firmam. & ab omni iniuria tutam Eccleſiarum matrem, impetum fecit, quatenus vitalem quoque illum veritatis igniculum, qui ſolus reliquus erat, opprimeret, tum primum malum ſe conſilium inijſſe intellexit. Nam vt ſagitta in durius ac ſolidius corpus incidens repulſus eſt, ac rudentis inſtar effractus ceſſit. Temporis verò tandem ſucceſſu, præualuêre ſcelerati atque aduerſus Baſilium, exilium decerni procurârunt, nec quidquam eorum, quæ ad eam rem pertinebant, deſiderabatur. Nox aderat, paratus currus, plaudebant hoſtes, mœrebant pijs nihil denique, quod ad præclaram ignominiam ſpectabat, requirebatur. Sed quid accidit? Exilij decretum reſcindit Deus. Nam qui Aegyptij, aduerſus Iſraelitas ſæuientis, primogenitos percuſſit, idem Imperatoris quoque filio, morbi plagam infert. Et quidem qua celeritate? Illinc exilij tabulæ, hinc morbi decretum, ac ſcelerati ſcriptoris manus inhibetur, & ſanctus periculo liberatur. Ita febris beneficio, ſeruatur vir pius, Imperatoris audaciam coercentis. Quid hoc Dei iudicio vel æquius vel celerius fingi atque excogitari poteſt? Poſt filium porrò, pater ſimul ægrotare cepit, remedium vndecunque morbo conquirens, atque optimos quoſque medicos deligens, ac precibus, vt ſi alias vnquam, incumbens, humique prouolutus. Nam reges quoque humiles & abiectos reddit calamitas. Nec mirum, cùm Dauidem etiam ob filij morbum, eodem modo affectum fuiſſe ſcriptura teſtetur.

Cùm autem huic malo medicinam nullam inueniret. ad Baſilij fidem confugit, per idoneos miniſtros orans atque obſecrans, vt pro ſalute filij

Deum

Simile. Vincitur à Baſilio Valens Imper.

Exilium Baſilio decretum diuinitus reſcinditur.

Ægrotat filius Valentis Imp.

Similiter & ipſe Imper.

2. Reg. 12.

Valens implorat preces Baſilij.

Deum deprecari dignaretur. Ille verò nihil cunctatus, nec quod fortaſsè alius feciſſet, calamitoſo tempore aduerſus eum inſultans, pro Imperatore terreno apud cæleſtem ſe mediatorem interpoſuit, morboque fugato, meliorem ſpem afflicti parentis animo iniecit. At verò ſimulac puerum ſanitati reſtitutum viderunt ſerpentes, rurſus leuis Imperatoris animum deprauârunt, eiuſque filio accepto baptizarunt illum, non ſpiritu ſed aqua tantum, impiè Dei filium reijcientes. Vndè iuſta indignatione commotus Baſilius, ingratam Imperatoris mentem liberè redarguit, & ſtatim poſt puer interijt. Atque ita rebus ſtupendis Eliæ non inferiora, ſignisque Heliſæi non minora Baſilius edidit.

Sanatur Valentis filius Baſilij precibus.

Ariani eum baptizant.

Moritur Valentis filius.

At quis dignè enarrare poterit, imbres miraculorum, quæ oſtendit Beatus & fidelis Baſilius? Cùm autem impoſſibile ſit, narratione complecti tanta illius viri rectè facta, omnibus prætermiſſis, vnum tamen commemorantes, oſtendemus etiam, quomodò rationis ac ſenſus expertia, ſimul cum viro iſto pugnauerint. Nam cùm omnem mouerent lapidem genimina viperarum, quo iuſtum è medio tollerent, aſſiduis præſertim illius verbis ſimul ac miraculis, tanquam telis quibuſdam vulnerati, Valentem Imperatorem acceſſerunt, poſtulantes eum exterminari. Imperator autem illorum adductus ſermonibus, incubuit ad voluntatem denuò eijciendi Baſilium in exilium. Cæterùm calamus ſtatim, nolens iniquo ſubuenire conſilio vltrò confractus eſt, inſipientem erudiens, quam enorme facinus patrare niteretur in ſeruum Chriſti, vnam diuinitatem Patris & Filij & Spiritus ſancti prædicantem, eoſque

Varia fuêre & præclara Baſilij miracula.

Valens iterũ machinatur Baſilio exilium.

qui

Imperatoris calami tres perfracti.

qui secus sentirent aut dicerent, tanquam canes rabidos sapienter reprehendentem. Cùm autem non intelligeret tyrannus, vt qui inanimato calamo insensibilior erat, ac filius erroris, secundum quoque arripuit ad subscribendum sententiæ exilij, & ad voluntatem suam iniquam perficiendam; quem etiam vidit confringi, nolentemque communicare malo, quod ipse enitebatur facere. Quin & tertius calamus sumptus, etiam confractus est, nolens parere ac cooperari iniustitiæ. Tunc perspicuè omnibus, præconis voce, victoria pronunciata est, & illustre trophæum inuicti militis Christi erectum. Tres siquidem calami consubstantialitatem Trinitatis prædicanti patrocinati sunt. Manus ad sententiam proferendam accelerabat, & calami illam iniustam demonstrârunt. Manus ad improbum exilij decretum scribendum festinabat, & calami inanem festinationem ac studium retardabant.

Hæc ex ijs quæ sunt a. pud Surium

Cæterùm Valens, Constantinopolim per Nicæã iter instituens, principes Arianæ impietatis, nouis Orthodoxos calumnijs exagitantes inuenit. Instabant, vrgebantque, vt Catholici Ecclesia cederent, liberamque Arianis praua sua dogmata populo prædicandi potestatem facerent. Cumque impios eorum conatus superueniens Imperator, & voluntate & facto vehemèter probaret, Catholici pietatis fideique propugnatores acerrimi, rem penè iam deploratam ad Basilium deferunt. Accurrit ille, & Pontificia auctoritate grauis, Imperatorem conuenit, intrepidè hominem manifestæ impietatis redarguens, quod Orthodoxos iniquo opprimeret iudicio, & Cacodoxos, deprauatæ sententiæ homines, in Christianæ fidei perniciem omni beneuolentia & fauore prosequeretur. Imperator rursus viri sanctissimi constantiam reueritus, cum

Ecclesiam Orthodoxis ablatam, Valens dat Arianis.

Basilius eam repetit.

neque

neque minas, neq; mortem pro iustitiæ defensione eum extimescere, haud ignoraret. Vade, inquit, Basili, & iudicis officio, inter partes de Ecclesia contendentes fungere: ita tamen ne immodico populi tui amore ductus, parum æquus iudex inueniaris.

Acceptis itaque Basilius à Valente litteris, Iudex Nicæam contendit, accitisque Arianis, Imperatoris decretum eis exhibuit. Et illi, Iudica, inquiunt, ex sententia Imperatoris. Nihil recusamus, dummodò ab eius decreto non receditur. Quibus Basilius; Claudantur, ait, templi fores, & firmis vtriusque partis signaculis muniantur. Primique vos dies tres, totidemque noctes in precibus expendite, & siquidem euntibus vobis ad Ecclesiam, diuinitùs reserâtur, vestri iuris, perpetuò erit. Sin minus, Nos vnicam in oratione vigilem agemus noctem, & siquidem manè cum psalmis & litanijs ad eam tendentibus vltrò patuerit, nobis iure perpetuo adiudicabitur. Ariani cum postulatum æquitatis plenissimum recusare nō possent, quod reliquum erat, ad preces vigiliasque, sese composuerunt, totoque triduo tandem exacto, ad Ecclesiam venêre. Sed fores templi, perfidorum precibus, nequaquam reserata sunt. Ita vt fessi tandem inanes recederent, Basilioque similiter precandi tempus concederent. Tum vir sanctus, aduocata fideliū concione, pernox in precibus diuinâ implorauit opem, factoq; mane longo supplicantium agmine, Kyrieeleyson prolixè inclamantium ad templum processit. Aderat ingens Arianorum mulittudo, parata, & templum occupare, & Antistitem cum Orthodoxo populo repellere, si fores ad eorum preces similiter obseratæ manerent. At Basilio sublatis manibus tem-

**Ariani frustra sibi fores Ecclesiæ reserari precantur.**

Catholicis orantibus patescunt fores.

pli valuas in nomine Sanctissimæ Trinitatis consignante, & populo pijs vocibus Christi Iesu virtutem inuocante, vectes vi orationis contriti sunt, pessuli laxatis clauis deciderunt, & ostia tanquam valido concussa vento, liberam Orthodoxis, stupentibus interim Arianis, ingrediendi potestatem fecerunt. Atque hic quidem mundanum externumque bellum concluſum est, finemque habuit, Deo fauente, lætum atque felicem, qualemque fides sanctissimi viri merebatur. Verum enimuerò, paulò post, Eustathij, Ariani cuiusdam Antistitis perfidia, præteritis (proh dolor) multò acerbioribus fuit excruciatus, spiritualibus conflictationibus, vexationibusque, ac vndique in eum conflatis congestisque exagitatus calumnijs, ita vt non ab hostibus tantum, sed & à proximè sibi studio atque affectione coniunctis, fideique professione cohærentibus, in suspicionem hæreseos adduceretur. Quæ res, quantum, ad aliquod temporis spatium, haud solum in Oriente, sed & in Occidente, viri sancti famæ attulerit detrimenti, vix credi posset. Et certè magna erant hæc cruciamenta Basilio. Nam malè apud hæreticos audire, gloriæ loco ducendum erat.

Alia Basilij tribulationes maximæ

Basilius per ora hominum traducitur hæreticus.

Malè audire apud hæreticos gloriosum.

Sed apud præclaros fidei Catholicæ defensores, eiusmodi dictari, atque credi, intolerandum planè, & quouis supplicio grauius videri poterat. Vndè & factum est, vt nemini se iam propemodum crederet, omnesque pariter vereretur, ac dolorem immensum in penetralibus cordis occultans, illum mœrore decoqueret: Quod cum nihil penes se, ab ipsis incunabilis antiquius fuerit, quam Catholicam fidem illibatam in omnibus

nibus conseruare, eius tamen præuaricator, desertorque, sæpius & à pluribus accusaretur. Denique tot tantisque malis ac tempestatibus fuit agitatus, vt instar Eliæ, tædio iam victus mortem vitæ præferret. Illud verò omni admiratione dignum est, quod homo ægra valetudine & longa infirmitate exhaustus, tot insuper doloribus confectus, ac tempestatibus penè obrutus, nihil tamen totius fermè Orientalis Ecclesiæ tot exagitatæ fluctibus, propensioris curæ & sollicitudinis intermitteret. Verè enim sponsam Christi amabat ardenter, paratus vtique pro illius amore, si opus fuisset, sanguinem profundere.

Basilius inter tot calumnias & aduersitates nunquam deserit Ecclesiam.

Sed quæ vis orationis omnia huius viri facta explicare poterit? Ita enim per omnia virtutum genera grassatus est, vt in eo præclarum & eximium pietatis suæ specimen edidisse Deus videatur. Id quod exemplorum veritate perspiciemus. Neque enim singulas illius virtutes, quas superius libauimus, referre in animum ducimus.

Fuit omnibus naturæ & gratię dotibus ornatissimus.

Egregia, & inter omnes planè regia virtus est Charitas, quam cum in pauperum alendorum cura, tum multò præclarius in animabus Deo reconciliandis exercuit. Proterio Senatori, eximia fide ac pietate viro, filia erat, quæ summa parentis voluntate & gaudio Christo se consecrare decreuerat. Sed diabolus, qui sanctiori vitę studio inuidebat, mox vnum è seruis illius, in puellæ amorem acriter inflammauit. Ille verò concepta visceribus peste, indignũ se tanto connubio haud ignorans, execrabilis cuiusdam magi opem ingentis auri vis, si puellæ nuptijs frui posset,

Subsequentia miracula desumpta sunt ex ijs quæ extant apud Surium.

Implorat seruus quidam magi cuiusdam opem.

Abiurat Christum vt connubio puellæ cuiusdam compos fiat.

pollicitatione, implorat. Cuius diabolica opera, scriptis litteris, Christi fidē abiurata, seseque totum tenebrarum principi mancipans; optatæ rei tandem efficitur compos. Pius siquidem parens, puellæ à fornicationis dæmone agitatæ, precibus importunis, vberrimis lachrymis, obtestationibus, comminationibus ac amicorum consilijs denique victus, infelicem, suspirans, miserrimo tradidit seruo, & iniquo matrimonij fœdere sociauit.

Prodit se seruitutem impietas.

Vxor pro eo Basilij opem implorat.

Inito igitur matrimonio, & eo mali dæmonis facinore perpetrato, non multo post tempore, nequissimi istius mancipij manifesta se prodidit impietas. Visus namque sacra limina templi non visitare; ad vxorem delatus est, quod à Christiana religione extorris, & prorsus esset alienus. Illa accepto hoc nuntio, tanta est caligine ac mœrore perfusa, vt flens gemensque, & vnguibus genas laniens, se perditam clamaret. Totius verò rei ex blandiente & lachrymante marito certior facta, in re penitus desperata ad Basilium confugit, preces eius opemque implorans, vt à miseranda dæmonis captiuitate solueretur. Basilius rei gestæ seriem, per ordinem cum intellexisset, maritum ad se adduci præcepit, adhibitoque salutari medicamine, vtriusque animum ad certam spem veniæ erexit. Et quidem maritus votis precibusque in Christi libertatem restitui optabat, sed scriptum manu propria chyrographum, omnem planè spem præcidebat. Hortanti tamen, monentique Basilio supplex parebat, illoque & duce pariter ac adiutore, perangusto admodum loco se inclusit, die noctēque ad Christi pedes abiectus, vt perfidiæ suæ veniam mereretur. Nullos interim non clamores, terroresque intentabant dæmo-

dæmones, ſuum ſibi mancipium iure vendicantes. Sed Baſilio fidei clypeo, aſſiduisque precibus, pugnam eorum ſuſtinente, peruicit miſer, ac magno Dei miraculo, maiorique Eccleſiæ gaudio, euaſit liber. Nam die quadrageſimo, cum ſolemni populi ſupplicatione eductus, inter preces, lachrymasque cunctorum fidelium, & horrendos cacodæmonum terrores, dilapſum per aera ad Baſilij pedes chyrographum, lætabundus recepit, & plenus ſpe ac gaudio Eccleſiam intrauit. Ibi tum Baſilius, expoſtulante nequicquam de iniuria cacodæmone, ſcriptum decerpſit, hominemque è miſeranda dæmonum ſeruitute in Chriſti libertatem aſſeruit, ac poſtremò, viuificis expiatum, munitumque ſacramentis, coniugi tradidit. Et hæc quidem ægris animabus præſtabat. Corporibus verò varijs calamitatibus, fœdiſque morbis contaminatis, tanta benignitate & humilitate ſubuenit, vt omnibus planè perſuaſerit, ne homines cum ſimus, homines contemnamus, nec noſtra, in illos crudelitate Chriſtum vnum omnium caput ignominia afficiamus: ſed in alienis calamitatibus nobiſipſis optimè conſulamus, Deoque miſericordiam, qua ipſi egemus, fœneremur. Quocirca ne labra quidem vir generoſus, & generoſis parentibus ortus, nominisque ſplendore clariſſimus, ægrotis admouere grauabatur, ſed vt fratres amplectebatur, vt ſapientiſſimo ipſius exemplo, cæteri quoque ad ægrotorum corporum curationem accedere non vererentur. Ita non modo loquendo, ſed etiam tacendo eos cohortabatur. Sed ad animarum curationes reuertamur, quæ quanto corporibus ſunt præſtantiores, tanto impenſa illis miſericordia illuſtrior, omnique laude maior eſt.

Baſilij precibus dæmonis mancipium liberatur.

Morbidos quoſlibet vir ſanctus, magna charitate complectitur.

Ioſephus Iudæus, medicus, à Baſilio ad Chriſti fidem conuertitur.

Ioſephus quidam erat, Hebræus genere, medendi peritiſſimus, quem intima familiaritate, non abſque multorum inuidia, Baſilius complectebatur. Diuino namque edoctus oraculo, firmam de æterna hominis ſalute ſpem conceperat. Itaque imminente iam tempore quo ex hoc exilio, ad patriam vocandus erat, ſub prætextu capiendæ medicinæ Hebræum aduocauit, illumque quid de morbi ratione ſentiret, percunctatus eſt. Hebræus verò tentata vena, ilicò domeſticis, vt funeri neceſſaria pararent, edixit. Hic enim, inquit, iam planè moritur. Ad quem Baſilius, Neſcis, ait, quid loquaris. At contra Hebræus; Crede mihi, inquit, Domine, ſol cum ſole hodie occumbet. Et Baſilius; Quid, inquit, dicturus es, ſi in matutinum vſq; tempus ſuperuixero? Dicit Iudæus. Ego profectò moriar; nam mihi crede, vix tibi dimidiæ horæ, ſpatium vitæ ſupereſt. Et vir ſanctus. Moriaris, inquit, peccato, viuas autem Chriſto. Scio quid dicas, ait Hebræus, & faciam ſanè quod vis, ſi eouſque ſuperuixeris. His dictis Hebræus receſſit; & Sanctus Baſilius tota mente conuerſus ad Dominum, non tam ſibi vitæ ſpatia, quam Iudæo æternæ vitæ cognitionem poſtulauit. Facto verò mane, accerſitus Iudæus ab eo, quem planè extinctum credebat, adfuit, videnſque ſanctum Baſilium vitali ſpiritu verba facientem, vehementer obſtupuit; prorſus vt ad illius pedes abiectus, inuiſam Chriſto Iudæorum religionem abiuraret. Hic verò nouo rurſus miraculo & Iudæi fides confirmata, & Chriſti fidelium gaudia multiplicata ſunt.

Baptizatur

Baſilius namque, quanquam delaſſatis naturæ viri-

viribus, ſtupente Iudæo, ſurrexit incolumis, re-
ctaque ad Eccleſiam contendens, vitalibus aquis
Hebræum eiuſque familiam expiauit. His ritè
peractis cum curſu confecto, fideque ſeruata, re-
ſolutionis deſiderio teneretur, tempuſque coro-
narum appeteret, maxima ex parte iam vita per-
functus, circa extremos ſermones inualeſcit, vt
cum pietatis verbis abſcederet, ac fideliſſimis
ſuis cultoribus, ad Eccleſiaſticos gradus proue-
hendis manum & ſpiritum præberet, ne ſacra-
rio fraudarentur, quos diſcipulos, atque in ſa-
cerdotio adiutores habuerat. Cumque extre-
mos ducens ſpiritus, oculos ad cœleſtem chorum
conuerſos haberet, circumfuſa illi tota penè ci-
uitas, diſceſſum eius perindè ac tyrannidem ac-
cuſans, animam, non ſecus ac ſi vel manibus vel
precibus retineri poſſet, arripere tentabat. Men
tis enim errorem ex mœrore contraxerant, nec
quiſquam erat, qui non aliquam vitæ ſuæ par-
tem, ſi fieri poſſet, illius vitæ addere paratus eſ-
ſet.

Ioſephus, à Baſilio cum tota familia

Baſilius in extremis conſtitutus, promouet & hortatur ſuos.

Immenſæ ciuium, in Baſilium, charitatis indicium.

Tandem autem cum ſacroſancta doctrina, eos
qui aderant, nonnihil inſtruxiſſet, extremiſque
alloquijs meliores effeciſſet: In Redemptoris
manus, ſpiritum commendans, animam lætus
exhalauit, Angelorumque choris, à quibus in
cœlum ferebatur, adiungitur feliciter. Tum
verò ſummè admiranda omnium qui aderant, in
virum ſanctum charitas & beneuolentia palam
manifeſtatur. Omnes quippè dabant operam,
partim vt fimbriam arriperent, partim vt vm-
bram, partim vt feretrum quo ſanctus portaba-
tur, vel ſolum attractarent, partim vt propius ad

Tradit Deo animam.

Baſilij funus

eos qui corpus ferebant, accederent, partim vt aſpectu ſolo fruerentur, tanquam eo quoque vtilitatis aliquid afferente. Plena erant fora, porticus, duplicia & triplicia tabulata hominum illum deducentium, præeuntium, ſequentium, aſſectantium, ſeque inuicem conculcantium; multa hominum millia omnis generis & ætatis ad eam diem incognita. Pſalmodiæ luctu interrumpebantur ac vincebantur, patientia doloris magnitudine frangebatur. Certabant noſtri cum exteris, cum Ethnicis, Iudæis aduenis, ijque viciſſim nobiſcum, vtris vberiores lachrymæ, vberiorem vtilitatem afferrent. Vt finem faciam, in periculum etiam luctus deuenit; pluribus nimirum hominibus, illa propulſionis & protruſionis violentia extinctis, atque hinc ſimul cum eo digreſſis; qui etiam mortis nomine felices exiſtimati ſunt, vt ipſius itineris comites, atque, (vt feruentiorum quiſpiam dixerit) funebres victimæ. Tandem corpus, vix raptoribus elapſum, ac proſequentium victor, in parentum ſepulchro conditur, ac ſacerdotibus ſacerdotum princeps, prædicatoribus magna vox, Martyribus martyr adiũgitur. O felix Baſili, velut Abel acceptus, ſicut Noë ſaluatus, tanquam Abraham amicus Dei vocatus, vt Iſaac pro victima Deo oblatus; inſtar Iacob tentationes fortiter pertuliſti, & ſicut Ioſeph magnificè glorificatus es. Vt Moyſes, Pharaonem poſteriorem virga Crucis demerſiſti, mare paſſionum ſecans. Vt Aaron, ſummus ſacerdos Domini fuiſti. Vt Ieſus filius Naue, inimicos in fugam vertiſti. Vt Phinees æmulator, gratia dignus habitus. Vt Iſaias, ſpirituali igne mundatus. Vt Ezechiel, ſedentem ſuper Cherubin ſpectaſti. Vt Daniel ora Leonum obturaſti: & ſicut tres pueri, aduerſario-

Summus omnium luctus.

Sepelitur.

Hac Apoſtrophe vtitur S. Ephrem ad finem orationis, quam in laudem Baſilij habuit.

fariorum flammam rectè conculcasti. Instar Petri prædicasti. Instar Pauli docuisti. Instar Thomæ, filium Dei passum cõfessus es. Instar Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis de rebus diuinis disseruisti: Instar Apostolorum iniquos erudisti, impios conuertisti, & Deo gratus fuisti. Deprecare pro me admodum miserabili, & reuoca me tuis intercessionibus pater. Hæc, aliaque multa in laudem Basilij S. Ephræm, vir quidem ab omni adulatione remotissimus, verique, si quis alius, studiosissimus. Quidni autem summis efferret virum præconijs, quem diuini Spiritus sciret aperta testificatione laudatum? siquidem cum illum conuenit, vidit super eius dextram insidẽtem columbam, eique concionanti sermonem suggerentem. Tanta porrò refulsit claritudine, vt eum omnes tanquam omnibus numeris absolutum, sibi proposuerint imitandum exemplar, nullum putantes in eo habendum delectum, vt quid deligendũ, seligendumue quid in eo existimarint: sed quæcunque eius essent dicta vel facta, etiam quibus natura minus feliciter arrisisset, eadem ex eo tantum, quod Basilij essent, exacta perfectaque putarint. Quod autem spectat ad eius scripta: Egregios contra Eunomium elaborauit libros, & de S. Spiritu volumẽ, & in hexameron homilias nouem & ἀσκητικὸν, & breues varioque tractatus. Sed & à principio ad finem vsque, diuinam scripturam est interpretatus Græcè. Extant porrò eiusdem complura decreta, quæ Ecclesia Orientalis, piè sancteque obseruanda suscepit, vt quæ continentur in tribus epistolis ad Amphilochium datis, in alia ad Theodorum scripta, alia ad Gregorium siue Paregorium, qua vetuit senem septuagenarium habitare cum fœmina, & ad Corepiscopos

S. Ephræm inuocat S. Basilium.

Sanctitatis Basilij, cuidens signũ. Basilij summa perfectio.

Varia & præclara eius scripta.

Epist 76. Basil regul. fusi disput. interrog 40

de ordinandis. Insuper perstrinxit grauiter Simoniacos, sed & nundinationes fieri solitas in festis SS. Martyrum vetuit.

S. Basilij effigies.

Procero fuit habitu corporis & recto, siccus, gracilis, color eius fuscus, vultus temperatus pallore, iustus nasus, supercilia in orbem inflexa & adducta, cogitabundo similis fuit, paucæ in vultu rugæ, eæque renidentes, genæ oblongæ, tempora aliquantum caua, promissa barba, & mediocris canities. Vna illi tunica & pallium vnum, & humi cubatio, & balnei contemptus, illa eius decora ornamenta, & vigiliæ. Et cœna suauissima atque pulmentum illi erat, nouum, inquam, illud condimentum panis & sal, & potio sobria & vberrima: quam fontes proferunt. Suffectus est autem in locum Episcopatus eius, Galladius ipsius discipulus, à quo scriptus fuisse res ab eodem Basilio gestas auctor est Damascenus, sed non extant; quæ autem Amphilochij falso nomine fertur vita Basilij, haud digna satis habetur quæ eruditorum auribus ingeratur, nisi adeo sint perspicaces, quæ in eis quæ sint vera à falsis disquirere atque secernere valeant.

Voluntaria paupertas eius. Et Abstinentia.

Succedit ei in Episcopatu Galladius eius discipulus.

De Imagin. Orat. 1. Basilij vita scripta ab Gelladio nō extat, q̄ verò Amphilochij nomine fertur spuria.

Vide Cæs. Baronij Annal tom. 6. & 7.

## *VITA B. FVLGENTII, ECCLESIAE Ruspensis Episcopi, ex ea quæ est fideliter conscripta, à quodam ex discipulis eius, ad Felicianum Episcopum. Desijt ab humanis, Anno ab Incarnatione Domini 529. Felicis sedis Apostolicæ præsulis 4. Iustiniani verò Imperatoris 3.*

1. Ianuarij.

BEatus Fulgentius, nobili Carthaginensium senatorum genere, auo Gordiano, à Genserico rege, Carthaginis victore, in exilium missio,

missò, oriundus in ciuitate Lepte: patre Claudio, matre verò Mariana natus est. Quem pia mater, patre è viuis sublato, Græcis ac Latinis pariter apprimè eruditum litteris, paternæ domûs gubernationi præfecit. Quod ille munus tãta, industria executus est: vt ad procurationis prouinciæ officium assumeretur. Sed vanæ fœlicitatis tædio victus, & graui sæcularium negotiorũ sarcina prægrauatus, animum paulatim magis magisque, ad indefessum lectionis & orationis studium appellere cœpit. Deindè monasticæ vitæ conuersatione mirificè delectatus, & rerum diuinarum dulcedine allectus, suauissimaq; virtutum omnium fragrantia, quam ex monachorum percipiebat familiaritate captus, seriò de vitæ genere mutando secùm deliberauit. Sed ne subita violentaque mutatio, corpus simul cum mente transuersum raperet, occultis primum ieiunijs exercere, dehinc antiquorum sodalium consortia vitare; postremò cunctis iam vitiorum hostibus ex cordis sui ditione profligatis, quod animo compressum tenuerat, monasticæ vitę propositum promulgare non erubuit: vt quamplurimos insigni virtutis exemplo, ad imitationem traheret.

Patria & genus eius.

Genserieus VVandalorum rex.

Vide quam prudenter, & quo ordine ad monasticam vitam se componat.

Fuit tunc temporis, quidam Episcopus nomine Faustus, Hunerici tyranni malignitate, à cathedra sua relegatus. Hic monasterium, mirabili virtutum splendore conspicuum, construxerat. Ad hoc à Fausto, magna cum precum instantia admissus Fulgentius, tàm excellens cõuersionis suę specimen præbuit, vt nõ pauci ruptis prauę consuetudinis vinculis, illi sese aggregarent. Huius rei fama ad matris aures delata, bone Deus, quas illa tragœdias non excitat? Turbatur, expauescit, & fœ-

Hunericus maior filius Genserici, & in regno successor.

A Fausto ad monasticã disciplinam suscipitur.

& fœmineis cœlum lamentationibus implens, inconsideratis ad monasterium cursibus furibunda rapitur, ac sciens quantum à filio diligeretur, Fulgentij nomen ante fores iterato nequicquam inclamitans, desolationem suam miserabiliter allegabat; sed ille solitam pietatem, religiosa crudelitate vincebat. Hac prima tentatione, non sine ingenti fratrum omnium admiratione deuicta, tantis abstinentiæ laboribus carnem domuit, vt eximiam delicati corporis pulchritudinem, diuersis vlceribus & impetigine fœdaret; omnes spiritualis vitæ hostes, insita animi virtute ita profligans: vt plurimos in sui stuporem conuerteret.

Maternos affectus superat.

Arianorum furor.

Sed hunc fœlicem successum, Arianorum furor qui Faustum Episcopum persequebantur, monasterioque excludebāt: interturbare conatus est.

Ad Fœlicem Abbatem migrat.

Quare Fulgentius, ad Fœlicem Abbatem, vicino monasterio præfectum, commigrauit; à quo continuò in societatem regiminis, frustrà reluctans, assumptus est. Sed cùm subito barbaricæ multitudinis incursu turbaretur prouincia, inclyti cælestis exercitus duces, per ignotas Africæ regiones, sacra monachorum comitante caterua, spiritalia mouent castra. Dumque in territorio Siccensi, regionis fœcunditate delectati, certas figere sedes statuunt, Fœlix quidam, infœlix Arianæ perfidiæ præco, crudelem erga Dei seruos persequutionē, diris inuidiæ stimulis concitatus, molitur. Vinculis igitur constricti, ad Arianum presbyterum trahuntur; & primò quidem, Fœlix Abbas flagellorum crudelitati subditur. Deindè beatus Fulgentius, violentis immanissimè fustibus contunditur. Vterque tandem omnibus spoliatus vestimentis, è domo exturbatur. Crudelissimi statim

Fœlix Abbas, ab Arianis flagellis. B vero Fulgentius fustibus cæditur.

fama

fama sceleris, vniuersam oberrat regionem, factumque, bonus quilibet, supplicio dignum clamitat; sed Christi serui, contumelia ob eius nominis gloriam accepta gauisi, vindictam omnem respuebant, conuocatisque fratribus, vicina prouinciæ suæ loca repetentes, Maurorum potius barbariem, quàm Arianorum sæuitiam perferre elegerunt. Barbarorũ magis quã hæreticorũ sæuitiam eligunt.

Igitur Ididi nouam propter ciuitatem, iactis monasterij fundamentis, turbata vitæ monasticæ exercitia restaurant, & religionis splendorẽ, longè lateque diffundunt. Sed Fulgentius AEgyptiorum monachorum instituti æmulus, charismata adhuc meliora, nocte dieque meditabatur; Igne diuini amoris tam excellenter succensus, vt neq; itinerũ difficultate, neque periculorum magnitudine deterritus, primò Carthaginem, indè Syracusas, vnico peregrinationis socio, Redempto nomine, proficisceretur. Sed cùm ex Syracusano antistite B. Eulalio, AEgyptum sacro fulmine, ab Ecclesiæ communione, segregatam intelligeret, ne apud rebelles, fidei suæ imprudens fortè naufragium faceret: Hyemem illam, apud S. Eulalium, admirabilis hospitalitatis virum, transmisit. Indè consultandi gratia, ad Rufinianum Episcopum, in exigua Siciliæ insula, monasticis disciplinis eximiè florentem, commigrauit. A quo similiter, ab AEgyptiaca profectione deterritus: pristinum pietatis studium repetere decreuit. Ididi ciuitas.

Itaque vt venerabũdus, sacra martyrum loca Romæ visitauit, oblato opportunè nauigio, ad Africam appulit; Incredibile monachis suis gaudiũ, sua præsentia adferens. Nec monachorum tantũ, sed & secularium præcipua nobilitate præstantium mira fuit exultatio: Adeò vt Byracenæ prouinciæ Loca sacra Romæ inuisit. Redit ad monasteriũ suum.

uinciæ primarius, Syluestrius nomine, locũ quendam, vbertate glebę inprimis egregium, fabricãdoq; monasterio aptissimum illi donaret: nulloque non charitatis studio, eum sibi deuinctũ haberet. Condidit verò B. Fulgẽtius, in loco sibi cõcesso, cœnobium, non tam lapidum magnificentia, aut structuræ nouitate visendum: quã cœlesti omnium virtutum maximarum splendore sanè admirandum.

Monasteriũ constructum, in Prouincia Byzacena.

Ibi verò orationis & lectionis suauitate vehementer inescatus, de molesta præfecturę istius sarcina abijcienda cogitare cępit. Occurrebat illius animo, monasteriũ, in medio maris, Vincensi Littori proximũ: omni humanarũ rerũ solatio destitutũ. Eò itaq;, calore pietatis planè incensus peruolauit ocyus: maximis summę beneuolentiæ indicijs, ab Insulanis fratribus receptus quidem. sed Fausti Episcopi interminatione illicò reuocatus, ab eoq; sacerdotij munere, (ne spiritalis vitę dulcedine Victus, ad solitudinẽ resiliret) consecratus est. Istis igitur honorũ, onerumque vinctus cõpedibus, animũ vel inuitus, ad tractanda prudenter, cõmissi sibi regiminis gubernacula adiecit. Cuius fama, cum sanctitatis opinione celebris longè lateque vagaretur, ad Episcopalem dignitatem, populi vocib. pertrahi cępit. At ille honorũ, dignitatumq; titulos maximè abhorrens, quæsiuit latebras, quæ illum ad tẽpus protexêre. Sed ad monasterium tandẽ reuersus, à complexu suorũ, violenta multitudinis manu auulsus, inuisũ honoris culmen cõscendere coactus est. Neq; tamẽ ea propter, rigorẽ monasticæ disciplinæ excussit, sed ad vltimum vitę spiritum constantissimè seruauit.

Presbyter cõsecratur.

Inuitus suscipit Episcopatum.

Honores nõ mutant illi mores.

Hac porrò in dignitate constitutus, ingentẽ miseriarũ cumulum deuorauit. Defensor fidei Catho-

tholicæ præ cæteris acerrimus, cum sexaginta & eò amplius episcopis, exilio damnatus: eorum ipse & lingua & Ingenium dicebatur; tanta inter illos & prudentiæ & pietatis opinione pręcellens, vt licet ordine vltimus foret: sententia tamen, in grauissimis fidei quæstionibus, semper primas teneret.

Mittitur in exilium cũ alijs 60. Episcopis.

Quid referam animi virtutem, eloquentiæ vim, atq; verborum præstantiam, deniq; sentẽtiarum auctoritatem, qua Trasamundo Regi, astuto veritatis oppressori restiterit? Quid commemorem admiranda Ingenij eius monumenta, quibus impias & perfidię plenas confutauit propositiones? Certè tanta omnia ipsius & dicta & scripta, sapientia claruerunt, vt maximum etiam apud impium, perfidumq; regẽ pondus haberent. Laudabat sapientiam, mirabatur eloquentiam, prædicabat humilitatem, veritatem tamen iusto Dei iudicio, mentis oculis inspicere non meruit.

Præconia S. Fulgentij.

Trasamundus rex laudat quidem Fulgentij sapientiam, & tamẽ in perfidia persistit.

Coruscantẽ tam insigni virtutum omniũ splendore, Ariani haud mediocriter timebant. Trepidi ne perfidæ religioni, nimis maturum inferret excidium. Itaque Satanæ stimulati inuidia, assiduis Trasamundi regis obtudêre aures clamoribus, vt secundo virum sanctum exilio mulctaret. Vincitur ille impiorũ suasionibus, damnatq; innoxiũ populo vberrimis lachrymis eum prosequente.

Verẽtur virtum Dei Ariani.

Secundo mulctatur exilio.

Iuliateum autem, virum quendam, eximia religione præstantẽ, cæteris omnib. grauius ingemiscentem, ipse compellauit, bonoque animo esse iussit, prophetico spiritu reditum suum, restaurata Ecclesiæ Catholicæ libertate denuncians. Quod planè ita euenit. Nam Trasamundo Rege extincto, per Hildericum successorem, longissimæ captiuitatis catena disrupta est, & integra Eccle-

Diuinitus prænoscit reditum suũ

Hildericus successor.

Trasamundi, vnitatem ecclesiæ restituit.

Ecclesiæ Catholicæ per Africam restituta libertas. Carthaginem autem reuersus, tanto cum gaudio & obsequio à fidelibus exceptus est, vt imbré improuisò de cœlo decidentem, vestimentis suis nouo tabernaculi genere, à capite eius auerteret. Insignis eius humilitas, cum eximia prudentiæ & eruditionis laude coniuncta, omnibus eum charum reddebat. Sed nunc sanctissimum eius, post tot tantorumque laborum decursum, exitum attendamus.

Ante annum ferè quàm de isto sæculo raperetur, omnibus ecclesiasticarum rerum negotijs valere iussis, ad insulam Cirtinam, paucis comitatus fratribus nauigauit, ac in breui quodam scopulo, Chilmi nomine, vbi iam monasterium fabricari mandauerat, tantis pœnitentiæ indicijs, lectioni, orationi, & ieiunijs vacauit, vt primum inchoanti similis apparêret. Sed charitatis necessitate constrictus, fratribus, absentiam viri sancti, ægrè nimium ferentibus, ad monasterium suum iterum descendit. Iamque tempus, quo fidelem seruum Dominus requirebat, instabat. Repentina igitur infirmitate corripitur, & septuaginta propè diebus ægritudine fatigatus, hoc solùm frequenter dicebat; Domine da mihi modò hic patientiam, posteà indulgentiam. Fratribus autem, discessum, patris, lachrymosis singultibus deplorantibus dixit; Ego fratres animarum vestrarum saluti prospiciens, molestus forsitan & difficilis vobis extiti; ideoq; obsecro vos, ignoscat mihi, quisquis aliquid dolet, & si debitum, seueritas nostra transgressa est, modum, orate, ne mihi hoc Dominus imputet ad peccatum. Illi contra, super genua eius cadentes, semper bonum, semper affabilem pro omnium salute, sicut decuit inuigilasse clami-

Ad extrema tendēs, quomodo se habuerit.

clamitant. Tunc imperato silentio, viduarum, pupillorum, cunctorumque indigentium memoriam recolens, tanquam bonus & fidelis, commissæ sibi pecuniæ, dispensator, singulis pro conditione distribui mandauit. Dein, iugi orationis studio in Deum eleuatus, postremo die Calendarum Ianuariarũ post peractam vesperam, beatum spiritum in manus Domini tradidit, anno episcopatus sui vigesimo quinto, vitæ autem totius sexagesimo quinto, sicut multis ante fratribus, morti proximus indicauit.

Migrat è vita sanctus antistes.

*MARTYRIVM SANCTISSIMAE VIRginis Martinæ: Ex eo quod est ex vetustis M. S. Codicibus erutum, per Reuer. P. Laurentium Surium.*

*Passa est anno Christi 228. Vrbani Papæ 2. Alexandri autem Imp. 4.*

Vide Cæs. Baron. in Notation. Martyr. Roman. & to. 2. Annal. Eccl. 1. Ianuarij.

MArtina virgo, vt generis claritudine nobilis, ita pietate in Deum clarissima, egregiam planeque admirandam Christianæ fidei ac virtutis edidit confessionem. Accusata namque à Christiani nominis hostibus, persecutoribusque acerrimis, cum ad Apollinis delubrũ deducta, nefando simulachro thura offerre cogeretur, Christi potentiæ, virtutiq; confisa: in preces diu multumque incubuit, cęleste haud dubia fide auxilium expectans, vt fugato dœmonio, summa sacerdotum impietas, perfidiaq; cunctis innotesceret. Neque eam fefellit expectatio. Precibus namq; ritè persolutis, factoq; de more crucis signo, tantus repente motus vniuersam concussit ciuitatem, vt euerso Apollinis delubro, & comminutis simulachris, bona insuper populi multitudo, cum profanis sacerdotibus eadem ruina occumberet. Ea re turbatus, pariterque commotus

Clarum genus S. Martinæ.

S. Martinæ Apollinis delubrum oratione prosternit.

Præses, virginis faciem alapis cædi, vnciſque ferreis palpebras lacerari iuſſit. Cùm verò in Chriſti confeſſione conſtanter perſiſteret, ecce viri quatuor cęleſti ſplendore fulgentes, aſtitêre protinus; qui virginem confirmantes, pœnas illatas auertebant, multoque maiore cruciatu ipſos carnifices, eam nequicquam perdere conantes: afficiebant. Præſes id quidem carnificum ſegnitie fieri exiſtimans, minaci toruoque vultu, ad ſupplicia inferenda eos vrgebat, ni facerent, eandem cum virgine perniciem minitans. Illa autem pro ſalute tortorum ſuorum Deum orante, lux cœleſtis cunctos circundedit. Qui animis Chriſti gratia repente mutatis idolorum cultum conſtanti confeſſione execrati ſunt; ſicque omnes octo numero, hortante virgine, ad martyrij palmam, datis intrepidè ceruicibus peruenerunt.

Inter tormenta ab Angelis confortatur.

Tortores ad Chriſti fidē conuertuntur: & martyrio coronantur.

Altera dein luce, ſacra virgo blandis admodū verbis, multis magniſque pollicitationibus ad Deorum ſacrificia inuitata eſt. Sed verbis, ac promiſſis irrito conatu adhibitis, ad cruciatus reditum eſt. Et primò quidem toto corpore atrociter laniato, in quatuor diſtenta palos, à duobus centurionibus diu grauiterque fuſtibus cæſa eſt. Mutati per vices ſeptem carnifices. Sed virginis conſtantia victi, præſidem vt ab inferendis ſupplicijs deſiſtere liceret, rogârunt. Ille verò flagellis eam concidi mandans, tandem Eunemij prædiuitis cuiuſdam conſilio, carceribus mancipari iuſſit; vbi noctem in laudibus & hymnis, & iucundiſſimo iubilo cum Angelis tranſegit.

Grauiſſimè cruciatur ſacra virgo.

Cum Angelis in carcere pſallit.

Mane autem facto, magno populi concurſu, ad

ad Dianæ templum, falsæ Deæ sacrificatura, vt sperabatur, deducta est. Ibi verò, simulac formato in fronte crucis signo, preces fudit, ignis è cœlo cum horrendo fragore lapsus: idolum exussit, templumque cum maxima populi strage solo æquauit. Ea clades, imperatoris animum timore perculit: qui eam Iustino cuidam commendauit.

Fanum Dianæ cũ simulachro, diuinitùs subuertitur.

Is verò cum Præfecturæ dignitate polleret, ab insito in Christianum nomen odio, animique feritate, centum & octodecim vulnera ferreis vngulis ei imposuit, ita vt toto corpore lacera, viribusque destituta, grabato ad carceres reciperetur. Inde verò ad bestias damnata, immanissimo Leoni obiecta est; qui omni posita feritate, ad eius se pedes abiecit; tyranniscque id indignissimè ferentibus, & consilia agitantibus, Eunemium, cum ad caueam reduceretur, impetu facto interemit.

118. Vulnera accipit virgo S.

Leo sæuissimus ei blãditur.

Tum verò omnia tyrannidis instrumenta in eam agitata sunt. Quæ virgo castissima, prompto hilarique animo, in tenero suo excepit corpusculo, atque victrix superauit. Cùm verò vngulis atrocissimè concisa, vix aliquid in toto corpore laniandum restaret, in pyram ingentem præcipitata est. Sed ea orante, & Christum saluatorem suum assiduò inclamante, concitato turbine flamma discussa, & populus incendio adustus, in fugam versus est. Hæc cum non diuinæ virtuti, sed maleficis artibus, à malefico sceleratoque senatu adscriberentur, capilli capitis eius, quod in ijs occultam maleficij vim latitare crederent, cute tenus abrasi sunt. Rasæ, mox omnes, tanquam omni virtute spoliatæ

Post acerbissima tormenta in ignem mittitur.

Ab eodem haud læditur.

insultârunt. Sed illa, mentis oculis, repositam sibi in cœlo coronam, contemplans, tulit patienter populi ludibria, totaque auiditate, ad Christi adspirans amplexus, demum die tertio, ad vltimum certamen educta, niueam ceruicem carnifici ferendam præbuit; sicque multis inclyta victorijs ad cœlos migrauit.

Flectitur capite.

## *MARTYRIVM S. ALMACHII MONACHI, quod Romæ spontaneus subijt. Anno Christi saluatoris 395. Siricij Papæ 11. Theodosij autem Roman. Imperat. 17. sub Alipio vrbis præfecto. Ex ijs quæ habentur apud Cæsarem Baron.*

In Notatio. Mart. Rom. & Tom. 4. Annal. Eccl.

1. Ianuarij.

ALmachius monasticæ vitæ professione, in Oriente illustris, postquam diuturna exercitatione, mirificos in omni virtutũ genere feciſſet progressus, præclarum aliquid, ad maiorem Christi gloriam, Ecclesiæq; vtilitatem, audendum existimauit. Itaque diuino afflatus spiritu, ex Oriente Romam contendit, præcipua spe, vt gladiatorios gentilium ludos, nefandaque dæmonum sacrificia aboleret. Erant Romanis Kalendæ Ianuarij celeberrimæ, quas suo more magna atque fœda superstitione colebant. Nec minori eas Christiani, sed sanctiore multò (vtpotè primitijs Redemptoris nostri sanguinis consecratas) gaudio, festiuitateque peragebant. Illi enim multiplicatis victimis, auctis superstitionibus, dapium publicarum ingluuie, nefandis cruentisque spectaculis, fœdabant potius diem, quam colebant. Nostri verò contra, summa illum sanctitate ac puritate transigere studebant. Atque vt illorum superarent impietates, & in Deum iniurias quo-

Pius Almachij zelus.

Circunciſio Chriſti.

quodammodo vindicarent, propensiori studio additis ieiunijs & Litanijs, quibusdam veluti expiationis hostijs, offensum numen placare satagebant.

Itaque Almachius Christianæ pietatis Zelo inflammatus, dum sceleratum cruentumque gladiatorum ederetur spectaculum, in stadium descendit, mutuamque inter eos dimicationem sedare, nefanda idolorum sacrificia delere, animosque omnium ad Christi cultum, veramque salutis rationem inducere nisus est. Sed crudelis necis spectatores iracundia accensi, & à dæmone, qui ex illa sanguinis effusione voluptatem capiebat, ad furorem impulsi pacis auctorem malè mulctatum ob truncârunt. Qua re cognita Imperator, eum in numerum martyrum inuictorum, à Romano Pontifice, auctoritate ecclesiastica adscribi curauit: Crudele verò illud spectaculi genus, penitus sustulit. Sicque præclarus athleta, sanguinem abstergens sanguine, à Deo impetrauit, quod Imperator leges sanciendo, prius perficere non valuit.

Trucidatur Almachius.

Inter sanctos refertur.

Gladiatorũ ludus aboletur.

## *VITA S. EVPHROSYNAE ALEXANDRINAE, ex ea quæ est à Simeone Metaphrast. fideliter conscripta. Claruit sacra virgo, sanctitate eximia, sub habitu & nomine virili, temporibus Theodosij Imperat. Archadij filij, qui floruit anno Salutis 430. & sequentibus.*

Vide Cæs. Baronij Notat. & Annotom. 5.

VIr quidam Paphnutius, in ciuitate Alexandrina, diuitijs quidem locuples, sed multò magis virtute & animi nobilitate splendidus ac præclarus, Theodosio, Archadij filio, Ro-

1. Ianuarij.

Euphrosynæ natiuitas.

manorum sceptra tenente, filiam eximia pulchritudine, precibus sancti cuiusdam senis, ex conjuge sterili à Deo obtinuit. Hanc Euphrosynen nomine, pia mater sterilitatis opprobrij impatiens, Deo deuouerat. Sed pater, matre è vita præsenti sublata, multis eius nuptias ambientibus, viro cuidam opibus, gloria & virtute, cæteris præstantiori, despondet. At illa senis illius precum, (quarum erat fructus) & benedictionis gratiam, prius expetens, quàm matrimonio iungeretur, cum patre ad illum, in sacro quodam degentem monasterio profecta est. Hic monastici status, hactenus sibi incogniti, decore, mirificè delectata, & senis venerandi pietate commota, totum suum amorem, à sponso ad Christum transferre cœpit. Domum autem reuersa, neglecto corporis cultu, lachrymis & ieiunijs animæ speciem lætificabat; torques, inaures, monilia, & aurum quod manus exornabat, suppeditatum pauperibus, ad animæ ornatum traducebatur. Pro molli veste, durum succedit cilicium. Paulò deinde pòst, ad Christi amorem fidenter sectandum, monachi cuiusdam eximiæ sanctitatis oratione confirmata, alacri sanè animo monasticum induit habitum. Patris deinde beneuolentiam, & sponsi cupiens declinare amorem, consilium capit viro dignum: nam nocte quadam, muliebrem reijciens habitum, sumit virilem, mutatoque nomine, Smaragdum se appellans, venit ad monasterium senis illius, cuius precum fuerat fructus. A quo maxima amoris & beneuolentiæ significatione recepta, traditur Agapij monachi disciplinis imbuenda.

Monastices vitæ instituto delectatur.

Mutatio de ritu excelsi.

Monasticũ habitum induit.

Mutato habitu, Smaragdum se appellat.

Interea pater cum sponso, amissam lugens filiam, equitibus in Libyam & AEgyptum, ipsamque Palæstinam demissis, maxima cõtentione requi-

quirebat: quid multa? adhibentur orationes & vota, sed Deus ne preces quidem senis, quarum virtute Euphrosyna in mundum venerat, exaudit. Consolatur igitur Paphnutium senex, Deique prouidentiæ, qui salutem patris & filię hoc recessu operatur, acquiescere monet. Moderatur ex cōsolatione senis, doloris acerbitatem pater assiduaque monachorum consuetudine, solitudinis suæ obliuiscitur, & eccè diuinæ prouidentiæ ineffabiles rationes. Fama admirandæ virtutis, nouelli monachi Smaragdi tactus, accedit ad filiam suam; non tamen agnoscit. Illa aspectu patris grauiter sauciata, obortis lachrymis faciem rigat. Ille compunctionis feruore hæc fieri existimans, eius familiaritate, ob ingenitam virtutem, mirum in modum delectatur.

Pater eam visitans, nō agnoscit.

Tandem triginta & octo annis, laudabili vitæ conuersatione, in monasterio transactis, cùm iam certaminis terminus instaret, vocato ad se patri, eius quam tanto tempore lugebat, filiam se esse enunciat, & statim corporis ergastulo soluta, Christo sponso tradidit fœliciter animam. Quo verò animo, hæc charissimæ filiæ vltima verba, excepe rit parens, quiuis facilè cogitare potest. Stupore oppressi fratres, certatim venerandas amplecti studebant reliquias; quorum vnus, altero orbatus oculo, lucem assecutus est.

Manifestat se tandem Patri. Abit è vita.

Sanatur monoculus, ad eius reliquias.

## *VITA S. ODILONIS, ABBATIS CLVniacensis, ex ea quam Reuerendus D. Petrus Damianus S.R.E. Cardinalis Ostiensis scripsit. Migrauit è corpore sub Clemente secundo, Rom. Pont. Imperante Henrico secunda, Anno à Christo Domino 1048. ætatis suæ 87.*

Vide Cæs. Baron. in Notation. Martyr. Roman.

1. Ianuarij. Clarum genus Odilonis.

BEatus Odilo, equestri ordine, Auerniæ oriundus, cùm adhuc infans, omni membrorũ vsu destitutus, ante sacram Dei genitricis ędem, à nutrice derelictus esset, manuum pedumq; quasi quodam remigio, templum ingressus est. vbi pallam altaris arripiens, omni posito languore incolumis factus, intuentium animos, ad Deo referendum gratias, prouocauit. Qui grandioris iam ætatis adolescens, apud sanctum Iulianum martyrem clericus factus, diuinæ erga se misericordiæ memor, in Cluniacensi monasterio, habitum, sanctæ religionis accepit. vbi tam insigni pietatis exemplo vitam egit, vt vix quarto ab ingressu anno, communi fratrum omnium suffragio, beato Maiolo, in regiminis præfectura succederet. Quo quidem in regimine, quanta virtute, annis quinquaginta sex versatus fuerit, clarissima, quæ passim edidit, miracula facilè demonstrabunt.

Diuinitus, à languore membrorũ curatur.

Fit monachus.

Præficitur in Abbatem cœnobij Cluniacensis.

Aliquando siquidem, dùm esset in quadam quę Bersoniacum dicitur, sui iuris villa, puero cuidã, à natiuitate cœco, salutifero crucis signo visum restituit. Alio quodam tempore, apud quoddam sui ordinis monasterium, quod vallis Aurea dicitur, degens, cùm bis aquam sibi in mensa afferri iussisset, in vinum suauissimum mutata. Fur quidam velamen mẽsæ eius, textrini operis, ter inter nundinarũ merces exposuit, sed emptor nullus inuentus est, donec tandẽ sacrilegus, diuina vltione, manuum pedumq; intolerabili dolore cõstrictus aliorũ opera, quod propria rapuerat, in ecclesia beati Maioli restitueret, & sanitatis gratiã reciperet. In itinere Ticinum versus constitutus, cum nauigium deesset, vnum è famulis spumãtes profluentium vndarum cumulos ingredi mandauit.

Puero signo crucis visũ restituit.

Aqua bis mutatur in vinum.

Fur, velamẽ mensæ eius ablatum, vẽdere nequit

Per-

Perficit ille obedientiam confidenter. Deinde vir sanctus cum omni commeantium turba, absq; vllo prorsus offendiculo, in vlteriorem aluei crepidinem subsequitur. Dum vir Domini apud monasterium beati Martini, (quod ad publicam stratã dicitur) hospitio receptus esset, ingens religiosorum fratrum cœtus ad eum affluxit: quos ille ineffabili diuini eloquij familiaritate refectos, ad conuescendum inuitauit; sed famulis extremam piscium inopiam esse conquerentibus: In nomine, inquit, illius qui nouit quinque millia hominum ex pane modico & gemino pisce reficere, vberrimam, nobis, & hospitibus nostris, piscium copiam ministrare potestis. Res mira, pauci, qui aderant, pisces mensæ illati, in manibus discumbentium crescere cœperunt; & quo magis à conuescentium turba, esca consumitur, exuberantiùs abundare; adeò vt satiatis omnibus, plurima superessent, quæ cunctis alijs oblata sufficerent.

Flumen illæsus transit cum suis.

Augmentatur pisces.

Dehinc dum egressus Roma, reuerteretur ad propria, quidam intra Taurinensem vrbem, nimium febris patiebatur ardorem. Hic furtiuè, per ministros, aquam qua vir Domini manus abluebat accepit, fideliter bibit, & sic absque mora, deposita omni prorsus febricitatione, conualuit. Iamque louini montis prærupta conscendens, obuios habuit pauperes, præ difficilis viæ lassitudine, potum æstuanti desiderio flagitantes. Pius itaque Pater, iussit vt quicquid vini, proprijs haberetur in vasis, absque vlla diffidentia præberetur egenis. Paulò post discumbunt omnes, vt capiant cibum. Et eccè vtres, qui studio fuerant piæ compassionis exhausti, vino reperiuntur, Deo scilicet debitum persoluente, repleti. Imperator aliquãdo Henricus, odoriferi nectaris Xenium, in vase

Sanatur febricitans.

Vtres vacui diuinitus replentur vino.

holouitreo, Alexandrini operis, per duos aulæ suæ capellanos, beato viro Odiloni destinauit; qui pro eo postmodùm redituri, ad Regis interim conuiuium reuertuntur. Sed dum monachi, præfatum vas sub admirationis intuitu contrectant, & de manu in manum solerter inspiciendo transponunt: fortè de manibus incautè tenentium lapsum frangitur. Quod mox vir sanctus vt accidisse cognouit, clericis, qui reliquerant, paterna pietate condoluit, & ne regij motus periculum sustinerent, mox cum fratribus, orationibus & psalmis incumbens, clementiam diuinitatis implorat, & oratione completa, nulla prorsus fracturæ vestigia, in vase deprehendit.

Vas pretiosum ruptũ, solidatur.

Religiosus quidam pago Rotonensi oriundus, obita Hierosolymis, religionis ergò, peregrinatione, dum ad patrios lares per mare Siciliense reditum adornat, furenti ventorum flatu, vnà cum multis alijs, ad Insulam seu rupem quandam, horridam illam quidem, sed incolatu sancti cuiusdã monachi desiderabilem, impellitur. Ibi dum ab eremicula omni humanitate excipiuntur, inter verba vltrò citroque habita, quærit vir sanctus de Cluniacensi cœnobio, & Abbatis Odilonis nomine, Cui cum religiosus optimè se & virum & cœnobium nosse responderet, protinùs subintulit ille; Sunt nobis vicina in Sicilia loca, ex quibus tetra flammarum furentium euomuntur incendia, in quibus animæ reproborum, diuersa luunt pro meritorum qualitate tormenta. Dæmones tamen, qui ad eorum exaggeranda supplicia, innumerabiles sunt deputati, frequenter de Cluniacensium cœtu, eorumque Abbate, quærimoniam faciunt: quòd sæpè per eos sui iuris vernaculos perdunt; quamobrem obtestor, vt sanctis fratribus illis,

Pœnarum loca in Sicilia.

lis hæc quæ tibi dixi fideliter referas, & ex nostra quoq; illis parte denuncies, vt eleemosynis & orationibus magis ac magis insistant. His ex viri Dei relatione cognitis, venerabilis Pater Odilo, generali per omnia monasteria sua decreto sanxit, vt postridiè omnium sanctorum, omnium in Christo quiescentium memoria celebretur. Si quis autem inquirit quis specialiter per B. Odilonem de pœnis vltricibus sit ereptus: beatum Benedictum octauum, Pontificem recolet. Hic enim postquam humanis rebus exemptus est, non parui temporis euoluto curriculo, germano suo Ioanni, in apostolica dignitate successori, per speciem nocturnæ visionis apparuit, obsecrans & humiliter flagitans vt quantocyus veredarium ad B. Odilonem, vnicæ pietatis virum dirigat: cuius venerabilibus meritis, à grauissimis, in quibus se constitutum affirmabat, tormentis, liberari posset. Protinùs igitur Ioannes mandatum exequitur, certioremque eum conspectæ à se visionis reddit. Præcepit itaq; venerabilis Pater, psalmodias & orationes ab omnibus publicè ac priuatim fieri, eleemosynas indigentibus erogari, sacrificium Deo mysterij salutaris offerri. Iamq; præfixi temporis terminus appropinquabat, & eccè quidam sanctæ conuersationis monachus, per soporem vidit quendam sereno aspectu, solemniq; nitore conspicuum, monasterij claustrum, magno candidatorum agmine constipatum ingredientem, & caput ad beati Odilonis genua, in Capitulo humiliter flectentem, & demisso corporis habitu gratias agentem. Fratri autem, reuerentiam beato Odiloni, à viro tantæ tamque eximiæ pulchritudinis habitam admiranti, responsum est: Illum esse Benedictum, summæ sedis episcopum, qui pijs sancti Odilonis precibus

Dies omnium animarum ab Odilone instituitur.

Benedictum 8. Pontificem à purgatorij pœnis liberat.

cibus purgatorijs ereptus pœnis, supernæ Ierusalem meruisset ingressum. In hoc igitur liquido deprehendi valet, quæ de meritis beati Odilonis, opinio iure possit haberi.

Alia diuersa eius miracula.

Porrò in monasterio, quod Paterniacum dicitur, aliquando constitutus, puerulum quendam monachum, Rodulphum nomine, struma guttu-ris tàm acriter, vt vocis claritatem ei adimeret, laborantem, signo crucis liberauit. In Iurensi monasterio, reperit puerum terribili caducæ passionis languore detentum, tantaque huius morbi vi oppressum, vt planè à mortuo nihil distaret. Hunc, ingenti misericordia motus, Missam celebraturus sacrosancto altaris sacrificio interesse, admonuit. Cui mox Eucharistiæ salutaris munus tradidit, deindè sanctificatam aquam, cum beati Maioli calice propinauit. Nec mora: languor omnis à puero protinùs abscessit, & salus optata redijt. Nobili cuidam viro, sub arbore quiescēti, corticis particula in oculum decidit, quæ lumine turbato, variarum calamitatum illi pondus inuexit. Quem vir sanctus ad se vocatum, signo crucis munitum abire iussit: promittens se salutares pro eo victimas oblaturum. Abijt, & protinùs homo suauiter obdormiuit; euigilans autem, particulam corticis, non sine lanugine quadam, ab oculo proiecit; & euestigiò omni se doloris molestia liberatum sensit. Quidam Turonensis ecclesiæ clericus, brachium pestilento contagio infectum viro Dei exhibuit; quod ille apprehendens, viuificæ crucis signaculo ita sanauit: vt nullum prorsus vestigiū deleti languoris remaneret. Miles quidam tàm acri mentis insania laborabat, vt per deuia, inconditas voces emittens, soliuagus & nudus erraret. Hunc vir Domini, paterna pietate commotus, a-

qua

qua sanctificationis aspergit, atque vt ex ea bibat, suadendo compellit. Qui non multò pòst, ad Cluniacum sanus & incolumis, cum ingenti gratiarũ actione, xenia piscium deferens, venit. Alius quoque miles omni sermonis facultate priuatus, aquam, qua beati Odilonis manus abluebantur, per ministros fideli furto subreptam, nimia deuotione hausit, & continuò perfectum loquendi vsum recepit.

Hisce & alijs multis signis & virtutibus clarus, deuexa tam ætate vir, ad vltimum, cum infestissimo animarum hoste, certamen subeundum, se cõparauit. Quinquennali autem morbo grauiter vexatus, & ab omni peccati puluere excoctus, cùm iam vitæ terminum instare præsentisceret, nihilominus decreuerat, concredita sibi monasteria diligenter perlustrare, & quantum fieri posset, ab omni scoria humanæ affectionis perpurgare. Sed Syluiniacõ in monasterio constitutus, cælesti numine afflatus, diem sui obitûs haud procul abesse dixit. Vndè omnibus terrenis abiectis cogitationibus, ad agonem se aptauit. Luctanti verò iam cum mortis doloribus, prædator animarum terribili specie se obtulit. Quem vir sanctus intrepidè compellans, tremendo iusti iudicis nomine in fugam compulit. Atque indè, animo, vultuque ad hilaritatem compositis, salutaris Eucharistiæ sacramento munitus, beatum Deo spiritum reddidit: Anno à partu virgineo 1048. à sua verò natiuitate 87. præcedenti Dominicæ Circuncisionis nocte.

Prædicit obitum suum

Diabolus ei apparet.

Abit è vita.

Eadem autem nocte, beati viri corpore in Ecclesiam delato, frater quidam, Gregorius nomine, exequiarum funebrium lassitudine prægrauatus, in ea, qua obierat cella, dormire tentauit. Et eccè necdum planè resolutus in somnum, beatum Odi-

Post mortẽ apparet cuidam fratri.

Odilonem sibi videt astantem. Ad quem mox voce promptissima, Quid, inquit, agis Domine Pater? & ille. Bene frater, & optimè Dominus enim meus Iesus, seruo suo per semetipsum dignatus est adesse, & trucem nimis atque terribilem, quæ mihi horrorem atque formidinem incutere tentauit, figuram, sua præsentia repellere. Proxima quadragesima succedente, Laurentius Amalfitanę Sedis archiepiscopus, eximia Græcarum Latinarumque litterarum scientia clarus, & quod præstantius est, summis vitæ meritis ornatus obdormiuit. Illato in ecclesiam cadauere, honestus quidam clericus, Albero nomine, in eiusdem ecclesiæ angulo, lassabunda dedit membra sopori. Cui subitò adhuc penè vigilanti beatus Odilo apparuit; quem clericus cōpellans: Domine mi, quando huc & cur aduenisti ait? Respondit S. Odilo; Ad charissimi olim amici mei, Domini Laurentij Pontificis exequias veni: quibus expletis, antequā te viderem, recedere nolui; & his dictis species loquentis euanuit. Vir itaque Domini, quia rectè vixit, fœliciter obijt: & quia vitam mirabilem duxit, iure miraculis coruscauit.

## *VITA S. EVGENDI ABBATIS, EX EA quæ à quodam eius discipulo fideliter est conscripta.*

Vide C. Bar. Not. marty. Rom. & Tomo 7. Anna.

*Claruisse reperitur vir sanctus, temporibus Chilperici regis, Clotharij filij, qui regnauit Anno Christi saluatoris 579. & sequentibus, Imperante Iustino, ac post eum Tiberio.*

1. Ianuarij. Eugendus Romani & Lupicini discipulus.

SAnctus Eugendus, beatorum Romani & Lupicini in religione discipulus, non procul à vico Isarndori oriundus, septimo ætatis suæ anno

anno monaſterio traditus, tanta vitæ puritate, tantaque rerum diuinarum aſſiduitate, in eo ad ſexageſimum annum verſatus eſt, vt pedem inde nunquam extulerit. Abbati, à quo non ſine maxima futuræ ſanctitatis opinione receptus fuerat, demortuo, ſumma fratrum omnium voluntate, volens nolens, in regimine ſuccedere cogitur. Sed paulò pòſt, diris inuidiæ ſtimulis agitati, cœpêre omnes, & monachi & laici, ſanctum Eugendum abbatem, tanquam rudem & rerum ſpiritalium expertem, prælatura indignum iudicare, deſpectuique habere. At omnipotens Deus, non ferens famulum ſuum iniqua deturpari calumnia, confeſtim ipſi dexteram ſuæ potentiæ ſignorum largitate porrexit, ita vt & infimæ & ſupremæ dignitatis homines, ingenti ſe beneficio affectos crederent, ſi vel coram cum illo ſermonem conferre, vel litterario affatu, familiaritatem viri conſequi mererentur.

Fit Abbas inuitus.

Deus illi miraculorum confert gratiam, dum à fratribus deſpicitur.

Intereà quædam non infimæ conditionis puella, dæmonio correpta, & ferreis miſerrimè vinculis conſtricta, cum nullis exorciſmis ab immundo ſpiritu liberari poſſet, ſed quod grauius eſt occulta multorum vitia manifeſta faceret, adſtantium vnus ad energuminam inquit; Quid nos alienis, imò proprijs vitijs terres immunde? Ego cunctorum ſanctorum ſcripta, in Chriſti nomine, tuis ita innectam ceruicibus, vt multitudine operantium obruaris. Cui diabolus, etiamſi mihi (inquit) Alexandrinarũ onera chartarum exarata imponas, nunquã tamen ex hoc vaſculo poteris propulſare, dũmodò mihi ſolius Eugẽdi Iurenſis monachi, ex hoc non afferas viſionem. Confeſtim igitur celeri curſu ad beatiſſimum virum tendunt, eiuſq; prouoluti pedibus rem geſtam narrant, orãt obte-

Eugendi epistola, ad dæmonem.

obtestanturque vt misericordiam Christi exhibere dignetur. Victus igitur vel ratione, vel precibus pater, breuiter cum longa oratione (vt Gregorius quondam magnus, Apolloni) scriptâ ad hunc modum, spurcissimo transmisit epistolam. Eugendus seruus Christi; In nomine Domini nostri Iesu Christi, Patris & Spiritus sancti, præcipio per scripturâ istam, spiritus gulæ, & iræ, & fornicationis, & amoris, & lunaticæ & dianaticæ, & meridianæ, & diurnæ & nocturnæ, & omnis spiritus immunde, exi ab homine qui istam scripturam secum habet: Per ipsum te adiuro, verum filium Dei viui, exi velociter, & caue, nè ampliùs introeas in eam. Amen. Orans & complicans, supplicibus tradidit deportandam. Necdum itineris medij spatia confecerant, cùm ecce furcifer ille, frendens atque eiulans, priùs ab obsessa egressus est, quàm calcarent domûs limina reuertentes.

Obsessam epistola liberat.

Materfamilias quondam Syagria, cùm salus eius à medicis in desperationem vocata esset, epistolam beati viri ori insertam, multis cum lachrymis dentibus constrinxit, moxque ab infirmitate sana surrexit. Hac famâ, viri virtutum splendore longè lateque coruscante, omnis vndique miserorum turba ad monasterium concursum fecit; quâ ille benignè complexus, liberam ab omni molestia & infirmitate dimisit; quodque maius est, vt compendio, miserorum saluti prospiceret, itinerisque difficultate subleuaret, scripta cum olei sancti quantitate mandata illis tradidit: quibus humana arte immedicabiles languores fugare possent. Nec mirùm tanè. Tanta namque mentis puritate clarebat, vt fragili impuraque adhuc carnis sarcina circundatus, apostolorum aspectu & colloquio frui meruerit.

Multi ab eo sanantur.

Nam

Nam quodam tempore, ſub arbore poſt meridiem ſolitò quieſcenti, tres ſe per ſoporem, aduẽtantes offerunt viri. Quorum admirabilem vultus habitusque ſplendorem, cum admiratione contemplans: Ecqui (inquit) vos viri venerabiles eſtis? Tum vnus, ego, ait, Petrus, aſt hic germanus meus Andreas; & iſte frater noſter eſt Paulus. Similiter, de fratrum quorundam ſuorum peregrinantium ſalute anxius, à ſancto Martino epiſcopo, conſolationem & certitudinem per colloquium accipere meruit. Prophetiæ inſuper ſpiritu clarus admodum fuit. Ex primo namque perſonarum congreſſu, meritorum inſignia dignoſcebat; vt præſciret ilicò, cui quis, vel vitio vel virtuti ſubiaceret. Infirmitate aliqua corporis vel animę correptis, quanta paternæ ſolicitudinis ſignificatione ſuccurrerit, explicatu difficilè foret. Pauperibus, adæquè vt diuitibus, oſculum conuictumque præſtitit, atq; conſeſſum. Sanctiones Patrum ſumma contentione retinere ſtuduit. Peculium omne, tàm ſibi quàm monachis ſtrictiſſimè interdixit. Et in his Patrum inſtitutis, ad ſexageſimum ætatis ſuæ annum, admirabili conſtantia perſeuerauit. Sex deindè ante obitum menſibus, graui infirmitate laborauit, & eccè die reſolutionis appropinquante, abbates Romanum ac Lupicinum féretrum ante lectum ei exhibentes manifeſta viſione contemplatur. Continuò igitur vocatos ad ſe fratres, ad religioſæ vitæ certamen, conſtanter viriliterque peragendum hortatur. Illis autem lachrymas cum frequenti ſingultu fundentibus, ſpiritum ſuauiter exhalauit.

SS. Petri, Pauli & Andreę Apoſtolorũ aſpectu & colloquio fruitur.

Claruit ſpiritu Prophetiæ.

Moritur.

# VITA DVORVM MACARIORVM

*vnius Aegyptij, alterius Alexandrini, nec non admirandi Marci monachi opera, ex ijs quæ Palladius Cappadociæ Episcopus, scripta reliquit. Floruerunt sanctitate & miraculis clari, Anno restauratæ salutis 372. sub Damaso Papa, Imperantibus Valentiniano & Valente.*

Vide C. Bar. not Martyr. Rom & Annal. Tom 4.

2. Ian. & 15. Macarius 20. annorum iuuenis desertum petit

MAcarius Aegyptius, triginta annorum iuuenis, desertum ingressus, incredibili abstinẽtia, sexaginta in eo annos exegit. Hic in desertis interioribus, quæ Scetim vocãtur, duos habebat discipulos, quorum alter ab eius latere recedebat nunquam. Hunc, Macarius futurorum cognitione diuina gratia instructus, cùm auaritiæ morbo turpitèr infectum non ignoraret, frequenter, vt salutarem morbo medicinam adhiberet, admonuit; nî faceret, Giezi ei periculum & finem denuncians. At ille post mortem viri Dei, monita contemnens, ob furti crimen, vti prædixerat Macarius, execrabili morbo percussus est.

Ecce vim artis magicæ.

Aegyptius quidam, vesano alienæ vxoris, amore ardens, cùm nullo modo ad illicitum, pudicam fœminam, concubitum perducere posset, quendã maleficum multis muneribus, vt eam in sui amorem inflammaret, allexit. Ille artis suæ incantationibus, vxorem marito, non fœminam, sed equam videri fecit. Maritus turbatus sanè hac monstruosa nouitate vici presbyteros vocat; sed illi in fœmina triduo iam alimonijs destituta, tantæ calamitatis causam indagare nequeunt. Illigatam igitur eam instar iumenti, flens ingemiscensque maritus, ad Macarij cellulam deducit, & monachis can-

cauſam aduentus aperit. Illi rem ad Macarium referunt. At Macarius(cui iam & hoc ipſum Deus notum fecerat)quid(inquit)præſtigij vanitate fallimini? Non hæc equa, ſed vos qui equorum oculos habetis,equi eſtis. Illa enim eſt fœmina, ita vt eſt creata, nec transformata in aliam naturam videtur, niſi eorum oculis qui præſtigij vanitate falluntur. Confeſtimque benedictam in eius nudum caput infundens aquam,oratione completa bruti formam oculis eorum abſtulit: hæc addens. In hanc miſera calamitatem incidit,quia à diuinorũ participatione myſteriorum,quinque ſe ſeptimanis ſegregauit. quarè hortor, vt à communione ſanctorum,ab eccleſiæ oratione diſcedat nunquã. Conſtans etiam fama eſt, eum, hæreticum quendam corporum reſurrectionem negantem doctu-rus,mortuum ad vitam reuocaſſe. Præter alia autem eximiæ ſanctitatis, quibus in vita claruit, ſigna, iuuenem quendam teterrimo dæmone laborantem,ſeptem dierum ieiunio, & inſtanti orationis vi liberatum,propriæ reddidit matri. Tandẽ verò,glorioſus hic, poſt varia, contra aerias poteſtates, ſuſcepta certamina, victor, corporis ergaſtulo ſolutus,fœliciter migrauit ad Dominum.

*Vis aquæ benedictæ.*

*Negligentia diuini cultꝰ, & ſacram. vſus punita.*

*Claruit miraculis quãplurimis.*

Illum autem Macarium, qui Alexandriæ preſbyter fuit, in locis quæ Celle nominantur, in quibus & annos nouem tranſegi,vidi; Hic ſi quid magnum à quibuſcunque ſanctis in vitæ abſtinentia fieri didiciſſet,hoc feruenter imitabatur. Audito igitur quod Tabenneſiotæ tota Quadrageſima nihil cocti cibi ſumerent; ſtatuit vt integro ſeptennio nihil guſtaret, quod igne coctum fuiſſet, ſed crudo tantum olere veſceretur: ita vt ſi quid fortè leguminis vnquam repe-

*De Macario Alexandrino, ſic dicto quòd in Eccleſia Alexãdrina preſbyterio functus ſit.*

risset, neque illo vteretur. Hoc peracto alium es cognouit, qui vna tantùm panis libra sustentar tur: huius similiter vestigijs ingrediens, tanta ci potusque parsimonia vixit, vt triennio, quatuo aut quinque tantùm panis vncias in cibum sume ret, & tantundem aquæ, adhibito vno in singulo annos olei sextario. Aduersus somnum tam ac bellum suscepit, vt diurno quidem tempore, inte lerabilibus æstûs ardoribus, nocturno verò rig do frigore corpus excitaret. Quodam tempore inter virgulta & frutices, aspidis dente (cuius mo sum continuò mors subsequitur) percussus, nihi omninò mali passus est: quin & correptam bes am, vtraque manu ore distentam, scidit me diam.

Miranda eius abstinentia, somnique parcitas.

Habebat in desertis locis diuersas cellulas, i quibus virtutum operabatur insignia: quarum a lia angustior, ita vt in ea pedes iacens extender nequiret; alia latior, ad quam, venientes ad se, ma xima charitatis significatione, suscipere solebat. Alia lucis omnis expers, in qua sacrum Quadra gesimale tempus exigere solebat. Porrò tanta hominum dæmonijs laborantium curabat cater uas, vt numerus omninò iniri non posset.

Innumeros dæmoniacos curat.

Percelebri fama virtutum Tabennensiotarum excitatus, contulit se ad Thebaidem; accedensque ad admirabilis sanctitatis & prophetico etiam spiritu clarum, Pachomium Abbatem, magna vi precum ab eo ad communem fratrum vitæ spiri tualis palestram admitti postulauit. A quo igno tus, propter vestem mutatam, ægrè tandem, in fra trum congregationem, quæ mille quadringento rum virorum erat, receptus est. Sed cùm in eam admissus, summo studio & diligentia singulorum certa-

Pachomius Abbas, mille quingentos habet monachos.

certamina obseruaret, & alios quidem quinque dierum inediam sustinentes alios verò totis noctibus stantes, laborantesque per diem inuenisset: ille abiecto quodam in angulo stans, ad quadragesimæ finem, non panem, non aquam gustabat, sed modica cauliculorum folia, Dominico die, cruda sumebat: idque magis, vt alijs manducare videretur. Interea nec verbum quidem vllum ex ore eius prodibat, sed mente assidua cum Deo versans: solum id, quod in manibus tenebat, operis, efficiebat. Qua eius vitæ austeritate, duritiaque commoti monachi, vnanimiter à Pachomio postulârunt, vt eum missum faceret; asserentes se tantam in humana carne sanctitatem, ad suorum ipsorum omnium confusionem, pudoremque diutiùs oculis sustinere non posse. Ille autem tali eius virtute audita, deprecatus est Dominum, vt quis esset, sibi reuelare dignaretur. Oratione autem expleta, arrepta eum manu, ad altare oratorij sui deduxit: ibique in oscula ruens: Tu es (inquit) ille Macarius, quem multis iam annis mira videndi cupiditate tenebar. Gratias tibi ago, qui nostris infantibus, admirabili vitæ tuæ conuersatione, omnem vanè gloriandi occasionem præripuisti. Reuertere nunc igitur, satis enim superque nos omnes ædificasti, & ora pro nobis. His ille verbis rogatus, discessit.

Mirum eius silentium.

Ad huius Macarij cellulæ fores, reperi aliquando presbyterum quendam, cuius caput adeò Cancri morbo, vt os etiam nudaret, exesum consumptumque erat. Qui licèt curationis gratia, eò se contulisset, nunquã tamen in illum vsque diem à sancto susceptus fuerat. Ego itaque misericordiam pro eo postulaui. At Macarius. Hic (inquit) cum sacerdos sit, & fornicationis scelere pollu-

Sacerdos fornicarius, cæci morbo punitus.

tus, ministeria tamen Domini violare non horruit; ob quod talis supplicij atrocitate cruciatus, curatione indignus est. Sed si oris confessione sceleris suum expiare, & deinceps à sanctorum immolatione sacrificiorum abstinere velit, medicamentum (Deo iuuante) consequi poterit. Paret iubenti ad omnia miser; nec mora; vir sanctus manuum suarum impositione, integram illi sanitatem, capillorumque ornamentum, paucis diebus restituit. Post hæc puer quidam, sæuissimi dæmonis spiritu vexatus adducitur, quem altera manu capiti, altera verò cordi admota, ita curauit, vt instar ventri tumore inflatus, aquam ex omni membrorum parte, cum maximo vocis clamore effunderet. Sancto deinde perunctum oleo, & sancta perfusum aqua, patri cum tali præcepto restituit, vt quadraginta dierum spatio, ab omni carnium & vini vsu abstineret.

Sanatur à S. Macario.

Abstinentia animæ salutaris.

Idem hic Macarius, cùm aliquando grauissimis dæmonum (qui ei cellæ tædium generare conabatur) tentationibus infestaretur, sportam duorum modiorum capacem, arena onustam, humeris suis imposuit: eoque onustus onere, in desertis locis spatiabatur. Cui Theosebius Cosmetor, genere Antiochenus, obuiam factus: Abba, inquit, quid tuos tam graui onere humeros fatigas? in me potius illud transfer. At ille respondit. Vexo vexantem me. Ocium enim iter me aliquod facere compellit.

Ocium fugiendum.

Accidit vt ego aliquando admodùm tristis, ad hunc Christi athletam Macarium venirem, dicerémque; Abba Macari, quid iubes faciam? Cogitationes enim variæ, animum meum conturbant, dicentes mihi; Proficiscere hinc, nam inerti otio te hic languêre cernis. Ille respondit; Dic, inquit, cogi-

cogitationibus tuis; propter Christum parietes cellæ istius custodio.

Tanta autem erat mansuetudine & lenitate præditus, vt, Paphnutio quodam eius discipulo referente, bellua quædam ad eum ingressa, cœcum suum ei catulum curandum obtulerit. Cui ille, benignè, sputo oris sui, lumen oculorum restituit. Cuius in se collati beneficij non immemor bestia, sequenti die, viro Dei ouis pellem exhibuit, quam postmodùm beatissimo viro Athanasio dereliquit; eandemque sancta Melania, ab eodem Athanasio accepisse se dixit. Et hæc quidem pauca, de multis ex factis vel dictis sancti Macarij.

## *VITA ADELHARDI, ABBATIS CORbeiensis, ex ea quam Paschasius Ratbertus, Sextus ei, in Gallica Corbeia, successor, scriptam reliquit. Obijt circa annum Domini 822.*

Vide Tom. 9. Annal. C. Baronij.

S Adelhardus, qui Pipinum regem & Carolum magnum arcto sanguinis gradu contingebat, inter palatij tyrocinia, omni mũdi prudentia eruditus, cùm viginti fermè esset annorum, spretis maxima animi virtute regni opibus, ad Monachorum, velut Moyses in eremo Dei fruiturus alloquijs, contubernia migrauit. vbi breui temporis spatio, rarum eximiæ humilitatis & cælestis vitæ specimen præbens, tanto ad cælestium rerum contemplationem amore inflammatus est, vt minimè dubitauerit (parentum ac cognatorum visitationes declinare cupiens) nudus & omnium egenus, relicto priori

2. Ianuarij.

Fit monachus.

monasterio per vasta & inculta eremi loca, montem Cassinum petere. Sed indè regijs nuncijs in patriam reuocatus, paulò pòst summa patris monasterij voluntate, successor eligitur: Abbasque mira omnium fratrum gratulatione, pronunciatur. Quod ille munus tam insigni prudentiæ & iustitiæ significatione administrauit, vt eius consilijs Francia, & omnia terrarum regna submissa fuerint; maximè tamen Italia, quæ ità omninò ei concredita fuit, vt & regnum, & Rex Pipinus iunior, eius potissimùm disciplinis ad statum Reipubl. religionisque cultum informaretur. quæ illi institutio, non humanam, sed diuinam profectò laudem peperit. Iustitiam omnibus, tam inuicta animi fortitudine administrabat, vt murus animi eius, aureo (vt fieri plerumque solet) pugno nunquam expugnari potuerit. Erat præterea thesaurarius pauperum, viduarum patrimonium, pater orphanorum, brachium infirmorum, & fortè superbientium flagrũ. Romæ à Leone Pontifice, tanto humanitatis exceptus est officio, quanto ante ipsum nemo. Et quanquam omnibus esset eximiè virtutibus ornatus, omniũ tamen piè & sanctè in Christo viuentium, vitam moresq; assiduò contẽplabatur, & si quid in ijs imitatione dignum inueniebat, id summo mentis studio, viua in se imagine exprimere nitebatur. Et in primis dictu mirum est, quanta contentione B. Syluestri exemplum, in pauperum inopia subleuanda, imitatus fuerit; vt semper magis mutuando pauper, quàm diues inueniretur. Frequenter autem tanta pauperibus promptitudine succurrebat, vt se, suosque ad quandam egestatem redigere videbatur. Sed tunc præcipuè maximo spiritûs gaudio exultabat: hoc sæpius repetens; Vtinam vel in modico

Fit Abbas.

Longè abest ab auaritia.

Romæ à Leone Pontifice, humanissimè exceptus est.

Aliorum virtutes æmulatur.

dico paupertatis Christi participes efficeremur. Sed nunquam eò peruenire potuit. Prœoccupabat enim eum diuina clementia ministrando. Vndè cùm die quodam, caseos omnes, magno charitatis affectu egenis distribuisset, quidam rei indignitate commotus, voce minaci dixit; Miror Pater, quidnam hæc sibi velit rei nostræ profusio: Tùm ille suaui arridens alloquio. Dominus, inquit, dabit. Et rursus alter; Tu semper vana pollicitatione nos demulces, sed non sic extemplò dabitur, quod tu temeraria mente effundis. Et eccè sermone vix confecto, duo præ foribus plaustra, quorum alterum piscibus, alterum caseis onustũ, esse nunciantur. Certè vt nihil aliud de charitatis eius erga inopes affectu dicam, tantus is erat, vt non secùs continuis lamentis aliorum casus, quã proprios deploraret. Fateor planè, nunquam me virum inuenisse, cui vberior lachrymarum gemituumque fons inesset nec mirum sanè. Ita enim animo compositus erat, vt inter mundi discrimina huc illucq; pro Ecclesiæ negotijs discurrens, nunquam regulæ instituta desereret; pro lectione vacabat fletibus, pro reliquis officijs, mentis iubilo Domino famulabatur. Semper vno erat, eodemq; vultu semper hilaris, semper mitis ac lætus inueniebatur. Impatientia nunquã eius animi fines inuasit. Longanimitate, benignitateque erat mirificè ornatus. Erat enim filius pacis, charitatisque catena, vt fraterna sibi viscera inuicem cohærerent. Nouit hoc Spoletum & Beneuentum, qui cũ hostili gladio nimis acriter in se inuicem sęuirent, ille se medium interponens, tanto eos pacis fœdere coniungit, vt positis inimicitijs, maioribus se mutuò amicitiæ signis complecterentur, quàm anteà immani odio persequuti fuerant.

Deus eius liberalitatẽ miraculo cõpensat.

S. Adelhardi virtutes.

Spoletũ, & Beneuentũ, redigit in cõcordiam.

Fuit igitur in conciliandis inimicis, infatigabili studio incensus, & pro iustitia certator eximius. Carolo namque imperatore è vita sublato, Ludoicus eius filius Augustus, in regnum successit. Cuius sub imperio, solitis prauorum insidijs veritas agitari cœpit, iustitiaque stultorum criminibus lacerari. Sed cùm Christi seruus strenuè sese impiorum conatibus opponeret, excogitauêre quomodo ceu Danielem à Regis latere amouerent; vt iustitia defensore destituta, iniquitas dominādi locum reciperet. Annosa igitur peruersorū improbitas dolo inuidiaq; accensa, sine accusatore, sine congressu, sine iudicio, omnibus eum bonis exutum, vulgique existimatione fœdatum, in exilium misit. Tulit ille hoc non modò forti inuictoque animo, sed gratias etiam Deo egit, quòd dignus inuentus esset pro veritate contumeliam pati. Fratres autem & sorores, qui eundem casum, Regis iniuria subire coacti sunt, nunc blanditijs, nūc sanctorum exemplis, ad mentis constantiam hortabatur. Is verò tantum ex hoc exilio gaudium capiebat, vt ne nimium quidē doloris indicium, toto septennio, vultum eius deformaret. Cæsaris verò iniquitatem, apud omnes passim tegere & excusare nitebatur. Interea boni omnes, quibus magnum sui desiderium relinquebat, multis lachrymis absentiam eius deplorabant: assiduisque Regis animum precibus, vt ab iniquo tantæ sanctitatis virum exilio reuocaret, fatigabant.

**Ludoicus Caroli imper. filius, eum exilio iniusto damnat.**

**Eius eximia patientia.**

Tandem iusto, admissi in virum Dei sceleris, dolore compunctus, à septenni exilio cum summo eum obsequio reuocat. Gratulantur sibi monachorum cœnobia, resultat ineffabili Clerus ecclesiarum iucunditate. Fit populi concursus vndique. Voces lætitiæ hinc indè ad cœlum vs-

**Reuocatur ab exilio.**

que

que tolluntur. Atque his fauſtis populi acclamationibus, Adelhardus longa corporis attenuatus macie, tandem ad palatium peruenit. Vbi ab omnibus, cum non vulgaribus honoris ſuſceptus indicijs, quæſitum eſt, quomodo Maieſtas Regia, pro multiplici iniuriarum genere ei ſatisfaceret. Beatus autem ſenex, proceres pudore animi talia meditantes, nihil iubet eſſe ſollicitos; mentemque Regis verecundia ſuffuſam, blandis delinitens affatibus: omnia quæ geſta eſſent, Dei iudicio geſta eſſe confirmabat. Omnes tamen ſupplices ſeſe ad eum demisêre; ipſeque Rex nihil cunctatus, publicam ex nonnullis ſuis reatibus pœnitentiam ſuſcipiens, voluit hoc humilitatis exemplo eorum oculos, qui admiſſæ in virum Dei iniquitatis ſcelere offenſi fuerant, ſanare. Rarum profectò pietatis exemplum.

Rex publicè ſuſcipit pœnitentiam.

Porrò à fratribus monaſterij cum eximijs beneuolentiæ & amoris ſignis, in priſtinum dignitatis locum reſtitutus eſt. A quo, vt ſe exueret, animoque curis ſoluto, cœleſtium rerum conſiderationi totus vacaret, ſedulò laborabat. Sed fratres id nequaquã paſſi ſunt. Dicebant enim; quantò ætate maturior, tantò ad virtutum culmina tendentibus ſalubrior eſſet. Pergit igitur vir Sanctus, ſeniles humeros oneri ſubijcere, tantaq; alacritate pœnitentiæ laboribus inſiſtere, vt iuuenile robur vehementer admirans, multis paraſangis ſe ſuperatũ doleret. Res eccleſiæ ita adminiſtrabat, vt quamuis ætate prudentiaque omnibus venerabilis eſſet, plurimùm fratrũ ſuorum cõſilio & obſequio vteretur. In primis autem admirabili quodam, omnib. in afflictione conſtitutis, benignè faciendi ſtudio ardebat. Orphanis inſigne hoſpitiũ inſti-

Orphanorũ condit hoſpitium.

inſtituit: quibus tãta pietate miniſtrabat, vt huius officij miniſtros velut medicus ſæpè inſtitueret, quo artificio cibos, quibus eorum ſanitas conſtabat, pararent. Porrò Regi, & diuitibus, ſi quando eum inuiſebant, tenuiter omnia ſuppeditabat. Cùm autem toto vitæ anniſu omnibus prodeſſe ſatageret, mille, vt ita dicam, charitatum ſemper negotijs occupatus, peruenit vſque ad Saxoniæ fines, vbi in loco quodam amœniſſimo, à Rege illi

Monaſteriũ conſtruit.

conceſſo, & multis poſteà ab eodem beneficijs aucto, inſigne admodum cœnobium erexit. Locum

Corbeia duplex, Galliæ & Saxoniæ.

verò Corbeiam, alterius de nomine, B. Pater vocauit, vt ſignum eſſet inpoſterum, à quo prius illud eſſet fundatum. Sed quis prouidam doctrinã, qua tenellos diſcipulorum ſuorum imbuebat animos explicare valeat?

Et vt nihil hic de moribus, de omni doctrina vitę, de charitate dicam, certè hoc vnum quod meritò monaſticæ vitæ fundamentum eſſe conſtituebat, ſilentio præterire non debeo. Omnibus enim quibuſcunq; præerat locis, pia ſollicitudine prouidebat, ne rerum terrenarum cupiditas ſuorum animos inuaderet. Dicebat namque, quod multi

Terrenarũ rerum contẽptus, præcipua virtus in Monacho.

non ſolùm rectores eccleſiarum, ſed etiam ipſi ibidẽm Deo degentes, qui ſæculo renunciaſſe videntur, ob id decepti eſſent, quod rebus nimijs abundarent, in tantùm, vt ſæculo denuò ſeruire cogerentur, qui mortui eſſe mundo debuerant. Quapropter frequenter repetebat; Filioli eſtote contenti paupertate Chriſti, ſine qua nemo eſt dives.

Matth. 5.

Noueritis enim, quod beati ſunt pauperes ſpiritu, quibus regnum cœlorum promittitur. Vt quid nos infelices fieri volumus turpiſſimæ cupiditatis ſerui, qui liberi eſſe in Chriſto debemus? Vt quid quaſi in Dei cauſa mundi militiam baiulamus

mus, cùm Apostolus dicat; Nemò militans Deo, 2. Timot. 2.
implicat se negotijs secularibus? Neque enim à nobis exigitur, quòd necessaria tãtùm retinemus: sed quia superflua, vt ab ipsis dicitur, possidemus; Et vndè miseri, lati in possessione esse cupimus, inde angustiamur in omni opere bono. Et ideo fratres mei, nolite, quasi pro pietatis opere, sectãdo auaritiam, possessionem æternam perdere. Estote igitur, quod vos æterna Christi vocatio esse voluit: vt paupertatẽ Christi participando, diuites esse cum eo sine fine mereamini. His quidem similibusque admonitionibus, cùm eos quotidie corroboraret, construebatur ibidem, non tàm terrestris monasterij, quàm cælestis patriæ fundamentum.

Instante vitę termino, ita fratres intermortuis vocibus compellasse fertur; Ego quidem, dilecti fratres, iam iam migraturus, de creditis mihi ouibus rationẽ reddere cogor; vos autem paulò post eodèm vocandi, de obedientia & rebellione sententiam excepturi estis. Quare attendite animis, mementote nos vni quandoque, eidemque iudicio sistendos: singuli pro se rationem reddituri. Ego, si fortè sciens aut ignorans, offendiculo vobis fui, quæso indulgete: ac votis precibusque miserum subleuate. Equidem vicissim, si quid in vobis indulgentia ex me necessarium: Christi vice lubens elaxo. His ita præmissis, se totum ad æternitatis considerationem comparauit, donec acri correptus febri iam iter sibi instare cognosceret: cùm subitò assistenti sibi Episcopo acclamat. Eccè Dominus meus IESVS Christus mihi famulo suo adesse dignatur; quare velociter sacrosanctos eius pedes deosculare. Qui, hac voce viri sancti ingenti pauore concussus, penitus quid ageret ignorabat.

Post

Moritur. Post hæc sacrosanctis corporis & sanguinis Christi refectus mysterijs, sanctam Deo animam tradidit, fratribus assiduo luctu gemitibusque funus eius prosequentibus; quod magno pietatis studio in Basilica B. Pet. Apostoli procuratum, sub polito miro artificio lapide his versibus tumulatum est.

Epitaphium eius.

*Hic iacet eximius meritis, venerabilis Abbas*
*Noster Adelhardus, dignus honore senex.*
*Regia prosapies, paradisi iure colonus,*
*Vir charitate probus, moribus atq; fide.*
*Quem dum sub tumulo recolis tu quisque viator,*
*Cerne quid es, quid eris, mors quia cuncta rapit.*
*Nàm post octauas Domini hic carne solutus:*
*Succedente die, astra petiuit ouans.*

## *MARTYRIVM SS. TRIVM FRATRVM, Argæi, Narcissi, & Marcellini, quod consummârunt Anno Redemptoris 316. Syluestri Papæ 3. Constantini Imperatoris 11. sub Licinio in Oriente Imperante. Ex Cæs. Baronio.*

Vide Tom. 3. Annal. Eccl.

2. Ianuarij. LICINIVS cum ad parandam, in Constantinum Imperat. Christianissimum, expeditionem, tota mente intentus, à prauo dæmone per oracula accepisset, nequaquam se victoria potiturum, nisi prius cunctos Christianæ fidei cultores internecione deleret, statim præconis voce & edicto, omnibus denũciauit, ne quis Christum profiteretur. Cumque omni tormentorum genere proposito, frustra Christianæ fidei professores, à pietatis studio auertere conaretur, plu-

Licinius atrocissimus Christianorum persecutor.

rimos

rimos varijs cruciatibus ad cœlos transmisit, nullaque eorum nece exsatiatus, in alios atque alios furore excanduit, Præsidesque sæuissimos, ad eandem crudelitatem dictis factisque excitauit.

Christianorum militū pietas & Constantia.

Cæterum, cum execrandum nimis Christianis militibus videretur, aduersus Christianum Imperatorem, Sanctissimæ Crucis vexillo præuio ducentem exercitum, impij Licinij castra sectari, potius quæuis supplicia in corporibus perferre, quam conscientias tanta immanitate polluere maluêre. Eademque de causa, inter alios, tres fratres milites in Ponto, Martyrij coronam adepti sunt. Quorum duo Argæus & Narcissus gladio perempti, ad coronas euolarunt.

Argæus & Narcissus capite obtruncati.

Tertius verò ætate iunior Marcellinus nomine, cum nullis minis ad sceleratam militiam, armaque contra Christianos capessenda adigi posset, ad mortem vsque cęsus, & longo carceris squalore maceratus, demum in mare mersus, glorioſam planè martyrij palmam consecutus est.

Marcellinus submersus.

*VITA S. GENOVEFAE VIRGINIS, Exea, quæ optima fide extat apud Surium. Claruit verò temporibus Valentiniani tertij, Imperatoris (qui regnauit anno Domini 429. & sequentibus) & peruenit vsque ad Clodoueum Francorum Regem, qui regnare cœpit, Anno 484.*

Vide Cæs. Baron Ann. Tom. 5. & Notation. Not. Marty. Roman. Item 6. tom. Annal.

VIrgo sanctissima Genouefa, in Nemethodorensi parochia, quæ à Lutetia Parisiourm septem ferè milliarib. abest, Seuero patre, Geron-

3. Ianuarij. Genus eius.

Gerontia matre progenita est. Pelagiana in Britannijs hæresi acriter grassante, cùm ad eam reprimendam præclarissimis ornati virtutibus: antistites Germanus Antisiodorensis & Lupus Trecasenus acciti essent, accidit, vt illis, per supradictam parochiam iter facientibus, ingens vtriusque sexus turba, benedictionem flagitans, occurreret. Inter alios verò adolescentula, parentum insistēs vestigijs, Genouefa illis obuiam fit. Quam Germanus procul intuitus: Fœlices vos (ait ad parentes) tàm venerandæ prolis genitores. Deindè postridiè antè quàm discederet, adductam ad se Genouefam, blandis verbis ad religiosæ vitæ propositum complectendum hortari cæpit. Illa se eiusmodi vitæ institutum vehementer exoptare respondit. Admiratus in tantilla ætate Dei donum & fidei exordia Pontifex, præscius futurorum eam Deo despondit, nummumque æreum casu repertam, crucis imagine signatum, eidem quasi pignus quoddam religiosi muneris donat, præcipiens vt eum perforatum suo collo appensum gestet, nec vllius deinceps metalli vel margaritarum monilibus se ornari sustineat; vti sic, contemptis mundi huius ornamentis, cœlestis gratiæ pulchritudine possit decorari. Perbreui hac ad eam habitâ admonitione, in Britannias profectus est.

Vide vitam S. Germani Episcopi Antisiodorensis quã recitat Sur. 31. Iul. to. 4.

Post aliquot deindè dies, eius mater solemni die ad templum itura, Genouefam domi residere iubet. At puella magna instantia se deuotionis studio templum adire velle clamitat. Mater iræ impotentia superat, filiæ maxillam percutit: sed non impunè. Nam repentè cęcitate percussa biennio pœnas luit. Tandem memor vaticinij Germani antistitis mater, vocatam ad se filiam orat, vt aquam è puteo miseræ matri hauriat, eamque sibi por-

Mater quia filiam à Dei laudib. auocat, cęcitate punitur.

porrigat. Paret Genouefa alacriter, matrique crucis signo integram oculorum aciem restituit. Recuperat visum.

Defunctis parentibus, cùm iam Deo manibus episcopi consecrata esset, Parisios commigrans, acri paralysis morbo correpta est: adeò vt nulla prorsus compago suis artubus hæreret; totoque triduo semianimis iacens, solis genibus subrubescentibus palpitaret. At in hac corporis afflictione constituta multa, quæ recuperata sanitate, spiritualibus quibusdam personis indicauit, in spiritu vidit.

Ea tempestate, Attila Hunnorum Rex, Galliæ prouincias immani cœperat populatione vastare; eoque res deducta erat, vt vim illius, furoremque reformidantes Parisienses, consilium diffidentiæ plenum de vrbe, cum coniugibus ac liberis fortunisque omnibus deserenda caperent. Verùm sancta Genouefa magna animi constantia, ne tantum in se dedecus admitterent, illorum coniuges hortata est, vrbemque in qua & natæ & educatæ essent, ea animi desperatione fractæ desererēt: sed potiùs contra hostiles & enses & arma, se suosq; maritos ieiunijs & orationibus munirent. Confiderent porrò præsens Dei numen illis affuturum: Lutetiamque nihil mali ab hoste passuram. Matronæ his ancillæ Dei vocibus confirmatæ, spem suā in Dei misericordia reponere constituunt. Quidam vero ciues, conuenticula, de nece illi inferenda, habere cœperunt. Interea Antisiodorensis Archidiaconus, Parisios aduenies, & populum magno concursu de certo mortis genere consultantem offendens, sic affatus est: Nolite, ô ciues, tantū facinus mente concipere. Hanc ego, sanctum Germanum venerabili voce laudare, & vitæ eius merita prædicare crebrò audiui. Eccè, quæ à memo- Parisienses Genouefæ mortē moliuntur.

rato Pontifice per me ad eam allatæ sunt eulog
perspicite. Hac salubri allocutione, nefarios
uium animos compescuit.

Virgo autem sanctissima nè Hunnorum exerc
tus, propiùs ad vrbem accederet, oratione à De
impetrauit. A quintodecimo ætatis suæ anno a
quinquagesimum vsque; bis in hebdomada, D
minica videlicet die, & quinta feria, exiguo pan
hordeacei & fabæ pulmento ieiunium dissolu
A vino, toto vitæ suæ spatio abstinuit. Pòst annu
quinquagesimum lactis & piscium vsum, sedu
rò & perparcè, admisit. Quoties ad cœlum ocu
los tollebat, lachrymas fundebat.

Eximia eius sobrietas.

Vicum Catullacensem, Dionysij sepultura ce
lebrem, summa veneratione prosecuta est. Arde
bat sancta Virgo incredibili amore huic sanctiss
mo martyri basilicam eximij operis construend
sed cùm nimia rei familiaris angustia prohiber
tur: rem cum presbyteris contulit. Illis facult
tem calcis coquendæ maximè causantibus, virg
sancta, nihil de præpotentis Dei auxilio hæsitan
eos prætereuntium sententiam auscultare iussit
Obtemperant illi protinus, egressique foras, duo
inter se subulcos colloquentes inueniunt; quor
alter porcum ob pastum fortassis euagantem sol
licitè perquirens, calcariam miræ magnitudin
fornacem in locis desertis se reperisse narrabat
alter verò aliam eiusdem generis fornacem i
sylua se inuenisse dicebat. His auditis presbyter
mirantur, & præ gaudio lachrymantes, Deo gra
tias agunt. Itaque & illis & ciuibus alacriter o
pem ferentibus, beatissimi martyris Dionysij ba
silica constructa est. Sed hic quæso Virginis sanc
ctitatem attendite.

Claret spiritu prophetiæ.

S. Dionysio basilicam construit.

Artificibus enim extrema siti laborantibus, dum

Gene

Genesius presbyter, qui insignem opem ad hanc structuram cōtulit) ad vrbem festinus excurreret, Virgo sancta ad preces cum lachrymis confugit: & vasi, quod hactenus potum laborantibus præbuerat, signum crucis imprimens, effecit, vt ad operis vsque consummationem potus non deficeret.

Impetrat potū operarijs à Deo.

In vigilijs obseruandis mira deuotione flagrabat. Solita namque erat noctem sabbathi in crastinam lucem peruigili prece transigere. Accidit verò, vt quadam vice, exacto noctis intempestæ curriculo ad basilicam properaret, & cum nimia ventorum importunitate extincto cereo, comites illius virgines in densis tenebris miserè oberrarent, Genouefa è manu virginis extinctum arripuit cereum, qui, mirabile dictu, mox accensus, tutum illis ad basilicam, iter lumine suo aperuit.

Mulier quædam calceamenta pedum eius furto abstulerat, sed mox cœcitate percussa, iusto admissi sceleris dolore stimulata rediens, illius se pedib. prostrauit. Cuius miserta virgo, signaculo crucis pristini visus incolumitatem ei reddidit. Laudini puellam quandam, nouem ferè annis paralysi dissolutam, omnibusque membrorum officijs destitutam, manu apprehensam è lecto subleuauit, & integræ sanitati restituit. Childericus Francorum rex tametsi à Christiana religione esset alienus, singulari tamen veneratione virginem prosecutus est. Hic cum aliquando duos reos capitis condemnasset, ne interuentu virginis, à supplicio eripi possent, portas occludi iussit. At virgo sancta celeritate, qua poterat maxima, ad portas festinat, & ecce confestim quasi ad quoddā iubentis imperium portæ reseratæ sunt, miseriq;

Illuminat cæcam.

Sanat paralyticam.

Reos duos à morte liberat.

Portæ diuinitus reserātus.

iamiam mactandi à mortis discrimine liberati.

Simeon stilytes Virginis sanctitatem in spiritu cognouit.

Quid hic de Simeone illo mundi huius conditore egregio, qui annis ferè quadraginta in columna extra Antiochiam constitit, referam? Is ad mirabilem virginis huius sanctitatem in spiritu optimè cognouit: nam per mercatores virginem Genouefam salutari iussit, eamque vt pro se apud Deum intercederet, rogauit. Parisijs quodam tempore, homines duodecim tam grauiter à dæmonibus vexati sunt, vt modò in aëra sublati, modò ad terram allisi, omnibus ingentem formidinem incuterent. Hos Dei famula ad S. Dionysij basilicam properare iussit. Quò subsecuta, martyris Christi freta solatio, oratione sua ita immundos spiritus profligauit, vt illorum absceſſum, oris non solùm querimoniæ, sed etiam teterrimus fœtor testarentur. Fœmina quędam, quam ab immundi spiritûs vexatione liberauerat, filium habebat vnicum, qui ludibundus præceps in puteum ruit.

Obsessi 12, liberantur.

Suscitat mortuum.

A matre verò post trium horarum spatium extractus, exanimis Genouefæ oblatus est. Illa rigidum miserata, pallio contexit; nec prius à lachrymis destitit, quam victrix vi, filium matri viuum restituerêt.

Alix cęcæ restituit visum.

A sancto Epiphaniæ die ad cœnam vsque Dominicam, excellentiùs pietatis studio incumbere volens, arctissimè sese intra cellulæ suæ penetralia concluserat. Cumque quædam mulier, quidnam ageret curiosiùs ad cellulę ostium explorare, statim se oculis captam sensit: improbi conatûs pœnas luens. Sed sancta virgo, expleto consuetudinis suæ officio, precum suarum intercessione lumen amissum reformauit.

Parisiensibus diuturno belli grassantis excidio exhaustis, & extrema inopia laborantibus, Virgo san-

sancta,tanta miserorum calamitate permota, afflictis alimoniam aliundè comparare statuit.Nauim igitur conscendit, sed aduerso superato flumine, ad arborem quandam nauigantibus adeò exitiosam,vt naufragij periculum minaretur,peruenerunt.Cumque nautæ inter se, quid factu optimum esset,consultarent illa ad solita orationis præsidia confugiente,nautæ nullo ferè securium ictu,arborem radicitus euellunt. Ad vrbem tandem,quò tendebat, cœpto pergens itinere,deuenit.Iamque sanctitatis fama,eam anteceſſerat. Eccè enim tribunus quidam Passius nomine, vix vrbem ingressam,precibus multis ad vxorem paralytici humoris pondere tam miserè oppressam, vt corpore velut præmortuo,anima tantùm, quodam hospitij iure in illa demoraretur, perduxit. Virgo Genouefa,quæ tota omnibus benignè faciendi studio mirabiliter incensa erat, signo crucis illi benedixit,& integrum membrorum omnium vsum restituit.

Prospicit Parisiensib. de annona in extrema necessitate.

Secundò curat paralyticam.

His in ea vrbe, non sine singulari Dei gratia, virtutibus perpetratis,cum nauibus vario ciborũ genere,ex animi sententia onustis Parisios redire maturauit; sed vi turbinis, naues inter rupes & arbores impulsæ,omnem salutis spem auferunt. Hic sublatis in cœlum manibus Genouefa, naues à præsenti submersionis periculo liberat,& prospero deindè cursu Lutetiam deducit, ciuesque dira confectos fame, alimentorum copia ad pristinum corporum statum & robur, reducit.

Longum nimis foret omnes,quas surdis, mutis obsessis,& varijs corporis animique languoribus oppressis,miserationes exhibuit,recensere. Vnũ hoc tantùm, ex quo, quàm insigni miraculorum

Varia eius fuére miracula.

virtute virgo Genouefa claruerit, facilè intelli
poteſt, referam. Puerulus quidam Meroneus no
mine à natiuitate cęcus, ſurdus & claudus, ad ſa
ctam Virginem obtinendæ ſalutis cauſa Pariſio
à parentibus eſt allatus: qui ab ea benedicti ole
vnctione delibutus, & cruce ſignatus, integra
adeptus ſanitatem cum parentibus domum ſer
cepit. Similiter dœmoniacus quidam impetra
dæ ſanitatis cauſa à parentibus ad eam miſſus
rat. Illa ſacro eum oleo curare nititur, ſed cùm
pixidem oleo vacuam, & Epiſcopum qui oleum
ſacraret, abſentem cerneret: ardentibus precibu
à Domino & oleum, & eiuſdem olei vnctio
dœmoniaco ſanitatem impetrauit. Ego verò (ſi
quit auctor) poſt * tricenos, ab obitu eius anno
quo tempore ad eius conſcribendam vitam an
mum appuli, in imo ampullæ oleum, quod ea o
rante, creuerat, vidi. Tandem annos ampliùs o
ctoginta fœlici emenſa curſu Virgo Genouefa
peregrina mundo, venerabilis populo, deuot
Chriſto, diem clauſit extremum, tertio Nonas Ia
nuarij. Cuius venerabile corpus requieſcit i
Conuentu Apoſtolorum Petri & Pauli, in mon
Pariſijs.

* alias tercenos.

Migrat è vita.

*MARTYRIVM S. ANTERI, PONTI*
*ficis Romani, ex Cæſare Baronio. Paſſus eſt anno*
*Domini Natalis 238. Maximini*
*Imperatoris 2.*

Vide Tom. 2. Annal. Eccl.

3. Ianuarij. Patria eius.

Martyrum certamina

ANterus Patre Romulo, è Græcia oriundus
vir pietate clarus, S. Pontiano, in Sardinię
Inſula, martyrio coronato in dignitat
Pontificia ſuccedere meruit. Qui ſummo ſtudio
atqu

atque diligentia res gestas martyrum, eorumque præclara certamina, perpetuis litterarum monumentis, mandari curauit. Indignum namque statuebat, vna cum vita, benè agentium memoriam aboleri, è qua tantus, tamque eximius, ad omnem posteritatem dimanat fructus. Igitur cum sedulò in id opus incumberet, martyrumque certamina, à contemptu & obliuione, dictis factisque vindicaret, ad eandem martyrij gloriam, mense vixdum in Pontificatu exacto, peruenire meruit. Maximinus namque Imperator, qui præcipua in Christianos crudelitate sæuiebat, Romæ, per Vitalianum, Prætorio, & Sabinum vrbi præfectos, eum comprehendi, vitaque fragili hac & caduca spoliari iussit. sedulò describi curat.

Vnicam vir sanctus, Decembri mense, ordinationem fecit, in qua Antistitem vnum, in Ciuitate Fundis Campaniæ consecrauit. Successorem verò habuit Fabianum, sanctitate & eruditione inclytum, atque postremò Martyrij corona similiter decoratum. Ordinationes eius. Succedit eius Fabianus.

*MARTYRIVM SS. CYRINI, PRIMI, & Theogenis, quod exegêre, sub Licinio Anno à Partu virgineo trecentesimo decimosexto. Syluestri Romani Pontificis tertio. Constantini Imperator. vndecimo. Ex eo quod habetur apud Baron.* Vide Cæs. Baro. Tom. 3. Ann. Eccl.

CVM Licinius Orientalium Imperator, omnes bellicæ artis machinas, in Constantini perniciem expediret, cunctosq; sub signis suis 3. Ianuarij.

Cizicum primaria ciuitas in Helleſponto.

Chriſtianos, ad nefanda idolorum ſacrificia compelleret, in Cizico primaria Helleſponti ciuitate, Cyrinus, Primus, atque Theogenes militari gloria illuſtres, ſed Chriſtiana militia illuſtriores, quod arma aduerſus Chriſti fideles ſumere recuſarent, præclarum martyrij certamen magna virtutis conſtantia peregerunt. Et quidem Cyrinus atque Primus, quibus excarnificati ſupplicijs, ex mortalitatis ergaſtulo migrârunt, litterarum monumentis proditum non eſt. Theogenis verò certamen, inuictumque animi robur fertur fuiſſe huiuſmodi.

Ignoratur genus martyrij Cirini & Primi militum.

Certamen Theogenis militis.

A Patre verò Chriſtiano, cum ad omnem iuſtitiæ, pietatisque rationem optimè eſſet inſtitutus, alijs ſimiliter, egregia vitæ, morumque probitate, prælucebat. Vnde à ſceleratis commilitonibus accuſatus, atque ad Legionem, quæ Sera Traiana dicebatur, perductus, cum intrepidus Chriſtianæ fidei profeſſionem ederet, mox atrociſſimis eſt fatigatus ſupplicijs. In quatuor namque palos diſtentus, à Centurionibus octodecim, fuſtibus eſt diutiſſime cæſus. Deinde in carcerem miſſus, clauiſque quatuor in neruo confixus, magna virtutis conſtantia, atrox ſupplicij genus ſuperauit. Nec deſeruit inuocantem ſe Chriſtus Dominus, qui decertantem viriliter, viſitare, vireſque ad certam victoriæ ſpem conferre dignatus eſt. Fertur concentus vocum ſuauiſſimus, ad ipſas cuſtodum aures dimanaſſe, animoſque omnium ad fidem vehementer inflammaſſe.

Legio, Sera Traiana appellata.

Atrociſſimè cruciatur.

A Chriſto Domino, in tertormenta, viſitatur & confortatur.

Porrò Theogenes eductus è carcere, Tribuni ſui ſententia, in mare præcipitatus, præclaram martyrij coronam, cum magna fortitudinis, & ſpiritualis conſolationis teſtificatione, adeptus eſt.

Mergitur in mare.

est. Lux namque cælitus eum circumdedit, quæ carnificum oculos tanta claritate perstrinxit, vt obducta caligine palpitarent, agnitaque perfidia martyris auxilium supplices implorarent. Qui salutaribus vndis per Christianos expiati, nono post die, & pristina oculorum luce, & nouo S. Spiritûs gaudio donati sunt. Corpus verò martyris, vndarum impulsu ad littus iactatum, magno Christianorum gaudio iuxta muros ciuitatis, in villa Adamanti nomine: sepultum est.

Miraculum.

Carnifices, ad Christiã conuersi, Baptizãtur. Locus sepulturæ S. Theogenis mart.

## PRAECLARVM CERTAMEN S. PETRI *Aulani, ab Anastasio S. R. E. Bibliothecario, latinitati donatum, Consummatum verò sub Maximiano Imperat. qui regnauit Anno Christi Saluatoris 301. & sequentibus. Sunt autem hæc eius Passionis acta, planè germana.*

vide Cæs. Bar. in not. Rom. Mart. Item Tom. 2. Annal.

PEtrus, qui & Balsamus dictus est, à finibus Eleutheropolitanæ ciuitatis oriundus, tempore persecutionis comprehensus, Seuero præsidi oblatus est. A quo de nomine, genere & officio percunctatus respondit, paterno se nomine Balsamum, baptismatis verò gratia Petrum appellari: genere Christianum; cuius officium cum nulla sæculi huius dignitate comparari possit. Tum Præses. Parentesne tibi sunt? Respondit Petrus; Christus me omnia, cùm pro eius nominis confessione certandum est, denegare docuit. Ad quæ Præses: Nosti, inquit, inuictissimorum præceptum Imperatorum, quo vel dijs tibi sacrificandum, vel diris supplicijs & cruciatibus morien-

5. Ianuarij.

dum est? Imo, inquit martyr, noui ego summi & omnipotentis Dei & regis mei præceptum, quo, sceleratis falsorum deorum cultoribus acerbissimum, in omni sæculorum æternitate supplicium, subeundum est. Ad quæ blanda leniq́ue voce Præses subintulit; Præbe mihi te dicto audientem, ô Petre, tuiq́ue miserere: & dijs sacrifica. Cui excelso animo martyr respondit; Præclarè mei misertus fuero, si nec dijs sacrificauero, & pro Christi gloria in veritatis confessione occubuero; quare rumpe moras & tuorum mandata Imperatorum exequere. Tunc Præses suspendi eum iubet, suspēsumq́ue, quo animo affectus esset, interrogat; Cui Petrus, Iube adhiberi vngulas, ego enim in Christi confessione perseuero.

Præclara martyris vox.

Torquetur igitur fortiter Dei martyr, sed cùm nulla omninò doloris significatione data, voce iucunda psalleret; vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, Præses iracundiæ facibus vehementer inflāmatus, alios accedere carnifices iussit. Turba verò crudeli spectaculo, propter ingentem sanguinis vim ex omni corporis parte in terram defluentem, ad misericordiam excitata: clamare cœpit. Miserere tui ô homo, dijsque, vt te ab his pœnis eripias, sacrifica. Ad quæ constanti inuictoq́ue animo martyr; Hæ pœnæ nullæ sunt, nec aliquem mihi grauioris doloris sensum incutiūt; sed si à veri Dei confessione, ad impium inanium deorum cultum defecero, tum demùm in veras horribilesq́ue pœnas, nullo vnquam temporis spatio finiendas, incidam. Tum rursus ad Christi martyrem conuersus Præses ait; Petre, nisi pœnitentia ductus dijs sacrificaueris, ego te morti, sententia condemnatum, tradam. Et hoc est, inquit mar-

Psallit in tormentis. Psalm. 26.

Constantia eius.

martyr, quod tota mentis auiditate expecto. Tunc Præses hanc in eum sententiam tulit. Petrum, inuictissimorum principum contemptorem, propter legem Dei sui cruci affigi præcipio. Sic venerabilis Christi athleta, fœlici agone apud Aulonam ciuitatem, tertio Nonas Ianuarij, sub Maximiano Imperatore finem suum compleuit.

Cruci affigitur.

## *INSIGNE MARTYRIVM S. GORDII Militis, ex eo quod est, à S. Basilio magno, oratione Panegyrica conscriptum. Quod spontaneus subijt, anno Incarnati verbi 304. sub Galerio Maximiano, in Oriente solo post Diocletianum regnante, anno eius Imperij 1.*

Vide Cæs. Baro. Tom. 2. Annal.

SAnctus Gordius ciuis Cęsarienſis, egregia militiæ laude præcellens, cunctis inter ordines militibus præstantior habitus, centurionis dignitate eminuit. Cùm autem impius, qui tũc imperitabat tyrannus, virus suæ feritatis in Christianum nomen effunderet, totaque vrbe, ne quis Christum adoraret, crudeli mortis proposito edicto prędonis tuba sanaret, & idola interim adorãda, lignea lapideaq; hominũ simulachra, pro vero numine colẽda proponerentur, totaq; ciuitas, rei nouitate attonita, tumultuaretur, & miserabili mulierũ & puerorũ eiulatu cõpleretur, insontesque Christiani indignis modis ad cædẽ raperentur, Pater filiũ, filius patrẽ accusaret, frater aduersus fratrẽ insaniret, seruꝰ domino insultaret, adeoque diabolicis artib. hominum animi affectu tenerẽtur, vt veluti in tenebris agentes, sese minimè cognoscerent, generosus Centurio Gordius, ardẽtiss-

9. Ianuarij.

Galerius Maximianus.

Dira persecutio Christianorum.

Spontaneũ eligit exilium.

tissimo Christi amore inflammatus, nè inter vana idola cum magno pietatis suæ periculo vitam duceret abiecto militiæ balteo spontè sibi exilium delegit: relictisque honoribus, relictis omnis generis facultatibus, seruis, propinquis, amicis, voluptatibus, & rebus alijs, quas cæteri magno studio parare solent, ad vasta deserta, & hominibus inuia loca contendit: vbi sedula meditatione, quàm sit fallax & inanis vita humana, ac somnij phantasmatis æquiparanda intentus, in supernæ illius vocationis amorẽ mirabiliter exarsit; ac veluti fortis athleta sese ieiunijs, orationibus, studijs demum diuinæ eruditionis probè exercitatum & ad certamen instructum animaduertens, hunc maxime diem obseruauit, in quo frequens ciuitas, visendo equestri spectaculo erat intenta; quod hoc in loco ea tempestate in Martis, seu potiùs furentis bellorum dæmonis honorem celebrabatur. Populus omnis ex edito spectabat, nec vllus deerat; non Iudæus, non Gentilis, non item Christianorum multitudo, quæ negligenter viuebat, & cum vanitatis concilio commixta sedebat, non declinans conuentus malignantium, sed & ipsa tùm equorum cursum, & aurigarum agilitatem spectabat. Plenum erat stadium, & omnis iàm turba consederat, equestre certamen videre intenta.

Gordius spontè in certamen prodit. Rom. 10.

Tunc magnanimus ac fortis heros, per montis cliuum in theatrum properans, non populum horruit, non quàm hostilibus se manibus traderet pensitauit: sed corde intrepido & animo excelso in eminentiori theatri parte stans, ingenti voce exclamauit illud Apostoli: Eccè inuentus sum ab ijs qui me non quærunt: his qui me non interrogabant, palàm apparui. Quibus sanè verbis se in

se in eum veniſſe locum ſignificauit, minimè coactum: ſed vltrò ſe ad certamen exhibuiſſe. Saluatoris exemplum ſecutum, qui cum per atram noctem, minime videretur, ſe Iudæis manifeſtauit. Omnium igitur oculos ſtatim in ſe conuertit. Erat enim aſpectu horridus, & quòd montana diu incoluerat, ſqualenti capillo, barba promiſſa, veſte obſita, corpore toto aridus, pera præcinctus, baculo innixus. Quę ſanè omnia horrorem quendam, vulgo aſpicienti incutiebant: ſimul & eum illuſtrem magnoperè reddebant. Vbi autem, quis eſſet, cognitus fuit, gentilium ſimul & Chriſtianorum clamor eſt ortus; his quidem ob gaudium ſui commilitonis exultantibus: illis verò, qui repugnant veritati, iudicis animum ad eius cædem accendentibus. Habitus eius.

Igitur clamor atque tumultus omnia complebat, equos, currus, aurigas iam deſpiciebant. Fruſtrà rotarum ſtridor aërem verberabat, nullus, aliud quàm Gordiũ videre malebat: nullus quam Gordium verba ſonantem audire ſtudebat. Totum denique theatrum murmure, more venti per aëra ſonantis, perſtrepebat, & equorum curſum ſuperabat. Vbi verò per præconem ſilentium imperatum, conticuêre buccinæ, ſopitæ fiſtulæ, varia muſicorum inſtrumenta ſiluêrunt, ſolus aſpiciebatur Gordius, ſolus audiebatur. Hinc ad Præſidis tribunal, qui tùm in eodem loco ſedebat, certamenque inſtituebat, confeſtim adductus, & ab eo quiſnam, aut cuiâs eſſet interrogatus, & patriam & generis & dignitatis locum, quem tenuerat: præterea cauſam fugæ, ac reditûs pariter enarrauit. Sistitur tribunali.

Reuerſus ſum, inquit, palàm oſtendens, quod tua edicta nihil omninò curo: ſed Ieſum Chriſtum ſpem meam, meumque præſidium profiteor. Præclara vox martyris, & animi magnitudo.

teor cumque acceperim te reliquos homines crudelitate superare, hoc sanè tempus, explèdo meo voto maximè idoneum sumpsi.

Dira ei minatur præses.

His sanè verbis, velut ignis ira præsidis accensa, & quicquid in eo furoris erat, in hunc subitò conuertens: Præstò sint, inquit, lictores, flagella, plumbatæ, corpus rotis scindatur, in equulio suspendatur, omne tormentorum genus excogitetur. Feroces adsint ferę, igni tradatur, gladio feriatur, in altum barathrum deijciatur. Ad hæc martyr; Damnum me facere profectò videor, si sæpiùs varijsque modis exstingui, variaque pro Christo pati supplicia nequeo. Quem vt in se confirmaret animum, in cœlum oculos tollens, sacra psalmorum carmina decãtabat. Dominus mihi adiutor non timebo quid faciat mihi homo. Et rursus: Non timebo mala quoniã tu mecum es & alia istis germana. Tantumq; abfuit, vt intentatas horreret pœnas, vt eas vltrò in se prouocaret, supplicijque moras vehementer increparet. Quid, inquit, tardatis? Quid statis? Corripite corpus, membra frustratim cędãtur Nolite mihi beatam spem inuidere. Quantò enim plus mihi tormentorum accesserit, tantò plus referam prẹmiorum. Res enim in hac vita aduersæ, nobis apud Deum perpetuam pariunt voluptatem. Si vulnera mille ac cicatrices patimur, in resurrectione splendido induemur amictu. Pro contumelia atque ignominia, palmas coronasque assequemur. Pro vinculis & carcere, per ampla paradysi spatia læti vagabimur. Pro accusatione demùm atque iniqua condemnatione, gloriam ex Deo & angelis referemus. Minæ vestræ semina mihi sunt diuina: vndè immortalitatem, perpetuaque gaudia metam.

Contemnit præsidis minas.

Aduersitatis emolumentum.

Cùm

Cum verò seueritate, vir beatus à fidei constantia auerti non posset, alia dum via, præses est aggressus. Illecebris & omni lenitate contaminare conatus est: cùm præsertim diabolus hac vti soleat arte, vt timidos metu perterreat, fortes leniat, atque palpet. Quod imitatus præses, vbi illum rebus terribilibus non flexit, dolis circumuenire quærebat. Quamobrem magna se daturum spondebat, locum inter milites illustrem, facultates, opes, quidquid denique animus cuperet. At ille nec sic quidem victus, præsidis insaniam ridebat: qui compensare dignum aliquid, æternis sedibus existimaret.

Quem supplicijs non potuit, blanditijs subuertere conatur.

Impius ille tunc, laxatis iræ habenis, ensem vagina nudauit, lictorem contra astare iussit, & manu & lingua nefanda, ad viri damnationem se accinxit. Ad tribunal omnis theatri multitudo conuenit; reliquus verò populus, qui adhuc in vrbe fuerat prorumpens ad hoc nouum properauit spectaculum, quod & angeli & homines verebantur, dæmones verò perhorrebant. Quid plura? Concurrentibus eò cunctis, vrbs penè vacua facta est, fluminis instar, tota incolarum multitudine extra vrbem ad locum martyrij confluente. In tanto itaque ciuitatis concursu, beatum Gordium, alteram vitam iàm iàm per mortem corporis, spectantem atque tenentem, necessariorum amicorumque turba circumsistebat, amplectebantur, oscula dabant; demùm flentes adhortabantur, ne sese in ardentes flammas conijceret: ne florem perderet iuuentutis, aut æthereas auras, solisq; dulce iubar relinqueret. Nonnulli quandò à fide eum auertere omninò non poterant Christum tantum corde si cuperet retinere, ore negare suadebant. Non enim

Improbum & stultum consilium.

enim Deum verba, sed loquentis animum inspicere.

At ille tanquàm cautes immota maris, exagitantibus fluctibus, nulla vi, nulloque verborum impulsu quassatus, in cœpto proposito inexorabilis permansit. Cumque mentis acie hucusque circumcursantem diabolum, & eius impulsu ac arte hinc lachrymas oriri, inde vim eloquentiæ suadendique copiam subministrari animaduerteret, illud Domini verbum flentibus ait: Nolite flere super me, sed flete super Dei inimicos, qui in Christianos hostili animo grassantur. Ipsos, inquam, flete, qui ignem nobis parant: sibimet gehennæ incendia, iramque in die iræ thesaurizantes. Meum solicitare aut emollire animum desinite. Ego enim pro nomine Domini Iesu Christi, mille pericula milleque mortes, si opus foret, adire sum paratus. Alijs verò qui Christum ore negare adhortabantur, respondit; lingua quidem, quam Christi gratia retineo, adduci non possum, vt suum neget auctorem. Corde namque credimus ad iustitiam, ore verò confitemur ad salutem. Negem ego Deum meum, in cuius cultu sum educatus? Nonne cælum, sol & astra omnia, lumen mihi clauderent suum? Credam profectò, humum quam pedibus tero, mihi ruituram. Nolite errare, Deus nequaquam irrideri potest. Ex ore nostro nos iudicat. Ex nostris, inquam, verbis nos seruat & damnat. Nonne tremendam Domini sententiam audistis: Qui me negabit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cælis est? Mihi consulitis vt Deum nôsse dissimulem? Quamobrem? vt vitam porrogem, mortem differam? dies adijciam? At supernæ vitæ longæuos perdam annos: An vt corporis cruciatus effugiam?

Rom. 10.

Galat. 6. Luc. 19. Matth. 12. Matth. 10.

fugiam? At sic non videbo bona iustorum. Nam iri perditum dedita opera, & fraude ac dolo sæuas tartari pœnas mercari, manifesta insania est. Vobis igitur consulo, si malè sapitis: sapientiam ac veritatem discite. Si verò dissimulatis, temporiq; obsequimini: vos hortor rogoque, relicto mendacio vera loquimini, dicite quoniam Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Nam hanc vocem emittet lingua quando in nomine Iesu omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Omnes profectò morti sumus obnoxij, sed non omnes inclytam martyrij palmam sortiuntur. Non igitur naturalem vitæ cursum præstolemur, mundana funera, supremas nostrorum lachrymas despiciamus: cælestem gloriam, violenta immaturaq; morte præueniamus. Velociter ex hac vita quæ potiùs est interitus, longus dicenda, breui quidem labore ad vitam veram commigremus. Quid miseri supremum ætatis finem, inutilem, sterilem, infructuosum, stultum, vanum, hominibus pariter & brutis communem exspectatis? Quicunque enim nati sunt, aut senio tabescunt, aut ægritudine corporis resoluuntur, aut violento, improuisoque casu aliquo concidunt. Sit pro necessitate voluntas. Quanquàm etiamsi sempiterna essent terrena ista, nihilominùs sic quoque pro cælestibus commutanda essent. Verùm quoniam fluxæ fragilesque sunt, & illorũ comparatione magnoperè indignæ, quis furor in his inuigilare, & illorum studio spem illam beatam credentibus repositam negligere?

Philipp. 2.

Exhortatio ad martyriũ

Hæc vbi dixit Christi miles, crucis se signo communiuit, & animi magna constantia, vultu intrepido, colore nusquam mutato, ad supplicium hilaris contendit, vbi tantam cordis præ se ferebat

Cruels signo se munit.

rebat alacritatem, vt non lictorum, sed angelo
rum se manibus cõmittere videretur: qui subin
post interitum, sublimem eum in cœlum defer
rent. Ad hæc tantus illius populi clamor ac tu
multus est factus, vt vel tonante cælo nunquam t
milis sit audit⁹. Hoc igitur huius pręclari martyr
certamẽ fuit. Hoc hodierna dies spectaculũ vide
quod procul dubio tale est, vt nec temporis di
turnitas vnquam abolere, nec longę consuetud
nis fastidium tollere, nec aliud quippiam quam
uis magnum exsuperare valeat.

## *VITA S. RIGOBERTI, RHEMORV*

*Archiepiscopi, ex ea quæ est apud Surium fide digna*

*Excessit ex humanis, circa annum salutis 793.*

*Ponitur verò vigesimus octauus eius sedis episcopus.*

Vide C. Bar. Not. in martyr. Rom. Item Tom. 9. Annal.

4. Ianuarij. Genus eius.

RIGOBERTVS spectabili prosapia, in r
gione quã Ribiariorum vocant, patre Con
stantino, matre Franca ortus, à primis ann
tis initijs, totum se cælestium disciplinarum stu
dijs mancipauit; eosque in virtutum omnium e
xercitatione progressus fecit: vt omnium iudici
pontificia dignitate dignissimus haberetur. Hu

Episcopus factus vt se gesserit.

igitur honori, & ætate & eruditione maturus, d
uino magis quàm humano fauore, Reolo magn
rum virtutum viro, & vt quidam aiunt, sanguin
ei propinquitate coniuncto, in pontificatu succe
sit. Quem tanta virtutis opinione statim admi
strauit, vt non minùs à malis quàm bonis omn
bus diligeretur. Bonos enim ità in pietatis studi
salutaribus admonitionibus fouebat, vt pœn
eis, si caderent, acriter minaretur; Lapsos autem
paterna cura & studio à prauitate ad virtutem r
uoc

uocabat, & ne desperatione fracti, ad meliorem se frugem recipere tardarent, benignè admodum consolabatur.

Cùm plæraque præcedentium Patrum studio & vigore instituta, collapsa essent vir sanctus sua industria in pristinum statum restituit. Nam canonica clericos religione contineri voluit, & pro numero illorum, qui tunc erant, ad victum pertinentia eis suppeditauit: vt diuino cultui & liberiùs & instantiùs vacare possent. Ante enim illius Pontificatum, non dabatur eis panis, vt vocant, canonicus; nec erant, vt sunt hodie, canonici; quin etiam loca quędam cum eorum habitatoribus eis contulit, qui eorum vsibus necessarijs perpetuò inseruirent. Et ipse quidem, primus inter Rhemorum Episcopos fertur commune eis instituisse ærarium, quod generatim omnibus eorum vsibus perenniter applicaretur.

Canonicos instituit.

Quodam tempore vir sanctus de Clumisiaco villa episcopatus sui veniens, adijt Pipinum Maiorem domûs, quem plerique Magistrum equitum vocant: patrem Caroli Martelli; præmissis quibusdam eulogijs ad illum à venatione redeuntẽ, quas quidem crebrò mittere consueuerat. Morabatur tum temporis Pipinus in pagi cuiusdam loco, cuius vocabulum est Gremaca cortis. Venientem itaque Rigobertum conspicatus his verbis liberaliter compellauit; Rigoberte pete à me quicquid volueris, nec voto frustraberis tuo. Cui Rigobertus: Da, inquit, mihi exiguam hanc mansiunculam, & sufficit mihi. Imò, inquit, Pipinus & hanc, & quantum tibi in circuitu eius vendicare voles. Itaque sicut olim Clodoueus Rex beato Remigio, ita ille sancto Rigoberto tantum

Pipini in S. Rigobertũ liberalitas.

largitus est agri, quantum, dùm ipse dormiret, an bulando circuire posset. Ferunt autem terram il lam, quam à Pipino ad ecclesiæ illius vtilitate receperat, & æstate & hyeme lætiores segetes gramina, cæteris locis adiacentibus exhibere. Ad diturq; omnem locum illum, postquam Rigober to cessit, à tempestate & grandinis sæuitia ita fui se immunem, vt nunquam graue aliquod damn ab eis acceperit.

**Carolus Martellus, à Rigoberto baptizatus.**

Pipinus autem præter hæc dona, tam insig virum sanctum amore prosequebatur, vt filiu suum Carolum, (qui propter animi ferocitate Martellus est appellatus) aquis salutaribus exp andum, & de sacro fonte suscipiendum mitteret Pro quo beneficio, non pares vir sanctus gratia ab eo recepit. Nam vt mortuo Pipino grauis con tentio inter Carolum & Ramanfredum eius fili os de principatu obtinendo exorta fuit; & Remo rum vrbem, per insidias, ficta pietatis specie C rolus occupare vellet, Rigobertus constanter in gressum ei negauit. Qua sancti viri constantia, C rolus vehementer offensus minas ei intentauit victoria potiretur, non impunè id episcopum la turum.

**Carolus Rigobertum è Sede sua depellit.**

Non multò post duodecimo Calend. Augusti Carolus pro imperij dignitate cõflixit cum Chil perico rege, & Ramanfredo, quem Chilperic maiorem domûs vel Magistrum equitum creaue rat; & quidem pro voto victoria potitus, Rigober tum dignitate nudatum exilio mulctauit; quo vir sanctus summa quadam animi æquitate pati enter tulit..

**Moratur Rigobertus in chorte Gremaca.**

Porrò Rigobertus in chorte Gremaca exilium tulit; vbi assiduis vigilijs, precibus, eleemosyni cæterisque pietatis operibus vitam transegit: cre

bro

broque sanctorum loca, qui pro Christi confessione & gloria multis defuncti periculis occubuerant, inuisendo, se non modo consolabatur, verùm etiam ad multò grauiora pro ecclesiæ libertate perferenda accendebatur: adeò vt ardenter martyrij palmam expetijsse dicatur. His alijsque virtutum actionibus clarus, migrauit ad patriam claritatis æternæ, pridiè nonas Ianua. Anno Dominicę incarnatio. plùs minus septigentesimo septuagesimo tertio: Indictione octaua; estque honorificè sepulturæ mandatus in ecclesia sancti Petri, quam ipse à fundamentis extruxerat. Claruit autem post obitum multis miraculis, sed hominũ incuria non sunt literis mandata. Erat apud eius loci presbyterum, puer quidem scholasticus, qui dissolutis moribus irreuerenter super eius tumulum subsiliẽs, mox acri pedis dolore cruciari cæpit: ex quo claudus affectus, nusquam illo pede ingredi potuit. Quo viso presbyter & eius loci indigenæ cancellos ibi appositos, ne quis temerè accedens, similia pateretur.

Moritur.

Miracula post obitũ.

In illa autem basilica nocturnis horis tantæ suauitatis voces sunt auditæ, vt non nisi angelicæ putarentur. Lux quoque medijs noctibus tantæ claritatis illic emicuit, vt solis splendorẽ vicisse videretur; quæ etiam immẽso iubare suo sacerdotis cuiusdam illic habitantis domicilium adeò penetrauit, vt ingenti timore & tremore perculsus, diuinam bonitatem in sanctis suis ita mirabilem collaudaret. Porrò Hincmarus, qui ab illo quintus fuit Rhemorum Episcopus, decimooctauo Kalend. Iulij transtulit sacras eius reliquias ad monasterium S. Theodorici, vbi multa sunt patrata miracula, quæ studio breuitatis præterimus.

Eius translatio.

Vide Notat. C. Baron. in mart. Rom.

*VITA S. GREGORII, LINGONIENSIS Episcopi, (ex Gregorio Turonensi in vita patr. c. 7.) qui tribus reperitur interfuisse Galliarum Conciliis, Epaunensi, Aruernensi, necnon etiam tertio Aurelianensi; sed huic per Legatos tantùm. Numeraturq; decimusextus Lingonensis sedis antistes. Desijt vero ab humanis postquam sedisset annos 32. Incarnati verbi Anno 541. Pontificatûs Vigilij 2. Imperij Iustiniani 15. Regnante Theodoberto, Francorum rege.*

Item Annal. Tom. 7.

4. Ianuarii. Clarum genus eius.

SANCTVS Gregorius, excelsa senatorij ordinis dignitate valdè clarus, & litterarum apprimè eruditus, quadraginta annis mirabili prudentiæ, iustitiæque opinione, Augustodunensis ciuitatis comitatum administrauit. Coniugem habuit eiusdem ordinis senatorij dignitate, Armentariam nomine, in primis nobilem; quæ communi mortis debito, priuatus, ad episcopalem Lingonicæ vrbis sedem, populi suffragio vocatus est. Quam tanta vitæ puritate, tantoque virtutum omnium splendore, in medijs mundi curis regendam suscepit, vt nihil planè mentis eius puritas, & candor morum, ab eremitica puritate distare videretur. Habebat hic sanctus pro more, vt noctis medio consurgens, deuotas Deo laudes, ostio templi diuinitùs ad eius ingressum reserato, offerret; & quòd dictu mirum est, cùm solus esset, suauesonantes psallentium voces exaudiebantur. Non dubium quin sancti, quorum reliquiæ eodem in loco reconditæ erant, communes Domino laudes reddebant.

Post mortẽ vxoris ad ẽpiscopatum vocatur.

Præclarum eximiæ sanctitatis signum.

Crucisigno dæmonia. eos liberat.

Sanctissimo manuum suarum contactu, plurimos à Dæmoniaca potestate eripuit: crucisque signo

signo, omnes quotquot accurrebant à Dæmone obsessos, facilè liberabat. Armentariam neptem suam, quartana febri laborantem, & à medicis derelictam, orationis instãtia restituit incolumem. Febricitantem curat.

Nulla porrò corporis ægritudine, aut diuturno languore vexatus prius, subitò, in itinere constitutus, in febrim incidit. Qua paulatim carnis compago soluta, liberam sanctissimæ animæ ad suum creatorem præbuit facultatem. Facies eius candore niueo, futuræ resurrectionis gloriam præsentabat. Funus verò multorum lachrymis procuratum, ad Diuionense castrum delatum est; sed cum pondere baiuli aggrauati in terram deponerent, vt resumptis viribus ad Basilicam beati Ioannis deferrent: eccè vincti carceris, defuncti corporis opes, sublato clamore implorare cœperunt; ô, virorum beatissime, miserere nostri, & quos viuens durissimæ captiuitatis vinculis non absoluisti: vel iam cælesti ornatus gloria dissolue. Ad has miserorum voces baiuli reposito feretro, virtutem beati antistitis præstolabantur. His ergò exspectantibus, subitò reseratis carceris ostijs, confractisque catenis, omnes pariter dissoluti, ad beati corpus peruenerunt. Vnde miraculi magnitudine stupefactus Iudex, omnes, benignè, iudicio absolutos, libertate donauit. Tradit spiritum. Magnũ miraculũ, pro inuocatione sanctorũ.

Corpus eius humo, de more, coopertum, longo post tempore, omnis corruptionis expers inuentum est. Quod Tetricus, sancti viri successos, sanctitatisque opinione venerabilis, ex angustijs eruit, atque in aliud monumentum, tanto præsule dignum, transtulit: nec non sacro altari honorauit. Vbi frequens populi confluxus, vim miraculorum cum gaudio expertus, Deum in sancto eius laudare nunquam destitit. Miracula.

Vide Cæſ. Baro. in Not. mart. Rom.

## VITA B. APOLLINARIS VIRGINIS, Anthemij viri religioſiſſimi, qui ſub Arcadio Imp. geſſit conſulatum, filiæ.

Item Tom. 6. Annal.

*Habitus eſt autem hic Anthemius, velut Imperator, dum defuncto Arcadio, pro Theodoſio impubere adminiſtrauit imperium. Claruit autem ſacra virgo, circa annum Domini 408.*

5. Ianuarij.

ANTHEMIVS pietatis & religionis laude inſignis, duas habuit filias; quarum altera turpiſſimæ cupiditatis ab immundo vexata ſpiritu, mancipium: altera, cui nomen Apollinaris, maximarum virtutum ornamentis exculta fuit. Quæ diuini amoris facibus inflammata, ad monaſticæ vitę perfectionem aſpirabat. Elucebat in ea admirabile virtutis ſpecimẽ, nec aliud mente pertractabat, quam vt mundi huius expedita compedibus, Chriſto ſe totam conſecraret. Sed cum parentes, eximia alioquin pietate, ęgrè à cõplexu tam amabilis filiæ auelli poſſent, illa attamen importunis tandem obtinuit precibus, vt loca ſacra perluſtraret: ſuoque deſiderio, vel hoc ſaltem modo, ſatisfaceret. Itaque parentum conſenſu, alto ſe mari commiſit: caterua ſeruorum, ancillarumq; ſtipata. Et quidem Aſcalonem paucis diebus delata conſpectu ſanctorum locorum tam eximio pietatis ſtudio exarſit, vt opibus, quas ſecum detulerat, in ſeruos ancillasq; diſtributis, nuda ad Chriſti ſeruitutem tranſuolare gauderet. Cum autem veniſſet Alexandriam, dimiſſis ibidem miniſtris omnibus, integra libertate exultantibus, ſolo ſponſo Chriſto comitata, inde ad S. Menam, aliaque loca ſanctitate conſpicua contendit; quæ magna animi veneratione ac gaudio obiuit.

Viſitat loca ſancta.

iuit. Peruenit deinde ad fontem quendam, qui in hodiernum vsque diem Apollinaris dicitur; vbi reiectis continuò regalis magnificentiæ vestibus, duro se monasticæ vitæ habitu induit. Et fusa, cum lachrymis ad Deũ pro constantia, oratione cælestem in terris vitam, palma ei, quæ ad vitæ sustentationem necessaria sunt, suppeditante, ibidẽ auspicata est. Incredibili autem vitæ austeritate, aduersus hostem decertabat; adeò vt pellis eius testudinis duritiem induerit, facies verò longis ieiunijs: ita erat exhausta: vt cadaueris magis, quàm hominis speciem referret.

Fons Apollinaris.

Monasticũ habitum sumit.

Omnipotens autem & misericors Deus, qui sua bonitate hominum generi semper consulit, non passus est tam præclarum sanctitatis lumen diutius abscondi, quarè, è tenebris, sancto Macario alijsque eremi cultoribus aggregauit. Et ne virtutis cursus propter sexum impediretur, admonita in somnis diuinitus, Dorothei nomen assumpsit. Et sic præclaris admodùm virtutũ miraculorumque operibus vitam transegit.

Mutato nomine ad Macarium proficiscitur.

Interea soror eius assiduo impuri Dæmonis instinctu agitata, solitudinem clamare cœpit, hostis enim virtutum inuidia concitatus, sexum eius prodere nitebatur. Consul igitur diuturna filiæ suæ miseria motus, ex procerum omnium consilio eam in solitudinem dimisit. Et mox sanctus Macarius de aduentu eius, totoque negotio diuinitus certior factus, eam excepit: exceptamq; Dorotheo curandam tradidit. Qui primo quidem magno humilitatis studio reluctans, auctoritate tandem Macarij compulsus, eam in tuguriolum suum introduxit, moxque in suauissimos sororis sue amplexus ruẽs: Soror, inquit, chariſſima soror & statim vox mærore doloreq; nimio est præclusa.

Soror eius à Dæmonio vexatur.

Impurum autem Dæmonis os, ne ſanctam proderet, eius quidem virtute obſtructum eſt; ſed miſeris interim eam modis torſit. Tunc Dorotheus protenſis in cœlum, cùm fletu gemitibuſque manibus, pro ſalute ſororis Dei miſericordiam implorauit; & mox voce maxima Dæmon: ô ô hac victus virtute egredior. Sublatam igitur ſororem Dorotheus, patribus tradidit; qui gaudio incredibili exultantes, peracta Deo pro ſua clementia gratiarum actione, eam Conſuli miſerunt. Sed conceptum ex filiæ ſalute Conſulis gaudium Diaboli malitia mòx fuit alia ægritudine contaminatum. Poſt paucos namque dies, eccè tibi Conſulis filia vterum ferre videtur. Conſul qua tunc mente, quo animo fuerit quis enarrare valeat? Et mòx tanti ſceleris examine facto, monachi libidine contaminatam, falſo Dæmonis inſtinctu cognoſcit. Frendens itaque gemenſque, milites euocat, mandatque, vt flamma ferroque monachorum habitacula ſubuertant, vel certè monachum ſtupri reum ad ſe adducant. Parent illi dicto citius Imperatoris mandato, & furibundis ſimiles, altum monachorum ſilentium clamoribus turbant; quibus Dorotheus ſe medium offerens: Ego inquit ſum, in me conuertite ferrum. Nec mora, Dorotheum duris conſtrictum vinculis, milites ad Imperatorem trahunt. Qui ſumma manſuetudine eius prouolutus pedibus. Quæſo te, inquit, ô Imperator, ne, quæ tibi dicturus ſum ad aures admittere dedigneris. Eccè ego ſum qui filię tuę Dei miſericordia, ſanitatē reſtitui, nec eſt vlla impuritatis labe cōtaminata, & quare immēſos diuinæ bonitatis diuitias diutius vobis abſcōdo? Ecce ego ego, inq̄, sū filia veſtra Apollinaris. Quo dicto, pater attonito ſimilis corruit, & ſpiritu nimio gaudio

**Apollinaris ſororem ſuā à Dæmonio liberat.**

**Apollinaris vincta ad Imperatorem trahitur.**

**Fatetur ſe eſſe filiā eius.**

dio intercluſo, ingentem lachrymarũ vim fudit. Reſũptis demũ viribus, alterã filiã adduxit: atq;. Noſtine ô filia, hunc virũ? Et illa, hic eſt q̃ me ſuis precibus malo dęmone liberauit. Et ſtatim facie in terrã ꝓſtrata, ab vteri ſui opprobrio liberari poſtulauit. Quã illa magno charitatis affectu humò pia dextera erectã, precib. integrę ſanitati reſtituit. Miraculo ſtupefacti omnes prę gaudio vim lachrymarũ fuderũt: eius ſanctitatẽ multũ venerãtes. Nè verò qua cõtagionis labe inter mũdanas delitias polluereturApollinaris, parẽtib. nequicq̃ eã retinere volẽtib⁹, cęleſtis vitę habitacula repetiuit in Scetim. Ibidẽ aũt à fratrib⁹ cũ sũma exultatione excepta, paucos poſt dies leni correpta morbo, ad æterna cęleſtis patriæ gaudia migrauit. Tũc corpore de more ad lauãdũ à fratrib⁹ nudato ineffabilis Dei miſericordia fęmineo in ſexu reuelata eſt. Quarè mox & precib. & hymnis & laudib⁹ diuinâ bonitatẽ in cęlũ extollẽtes, ſacras S. Virginis reliqas in antro Abbatis Macarij depoſuere. Abit è vita.

*VITA B. SIMEONIS STYLITAE SENIORIS, ſummè admirabilis ex ea quã Theodoretus: Epiſcopus Cyrenſis ſcriptã reliquit. Claruit autem in felicibus primordijs ſuis Anno 378. ſub Damaſo Papa Gratian. & Valentin. Impp. Temporibus Meletij Antiocheni antiſtitis. Obijt verò anno eiuſdem Domini noſtri 460. Leonis magni, Imp. 4. Leonis autem Roma. Pontif. 21.* Vide Cæſ. Baron. Ann. Tom. 4 8. Itẽ An. Tom. 6.

5. Ianuarij.

QVamuis quidẽ omnes ferè homines, huius maximi orbiq; terrarũ vniuerſo plurimũ admirãdi, viri Dei actionũ, teſtes extent fideles, quoniã tamẽ ſuprà humanã naturã sũt, omnẽq; fidẽ excedũt: illarũ narrationẽ aggredi haud immeritò ſanè quis planè ꝓtimeſcat. Conſueuere enim

enim plerique, ea quę de alijs dicuntur ſua metiri natura, quęque ſibi facilia factu putant, æquo animo accipere: ſupra verò ea, veluti ficta, falſa, fabuloſa, & ab omni prorſus veritate remota, certò ducere. Sed quoniam id illis tantum, qui rerum diuinarum imperiti ſunt, accidit, periti verò, pijque homines multi ſunt, quij quidem Spiritus S. gratia ſuadente, tantum aberit vt non credant, vt etiam maximam fidem præſtent; acta eius omnia fideliter quidem, attamẽ breuiter percurremus.

Simeonis patria

Eſt oppidum quoddam intra noſtros, Cilicumque fines, ſitũ quod Incolæ Siſan appellãt. Hinc oriundus Simeon paſcebat ouium greges, mundo ignotus, & breue quoddã temporis ſpatium, propter vim niuis de cælo decidentem, nactus, quo, ouibus: ſub tecto relictis, Deo vacare poſſet, templum adijt, vbi Euangelica voce, quę flentes lugẽtesque Beatos, ridentes verò miſeros eſſe prædicabat eruditus: protinus relicto mundo, in monaſterium, tutiſſimum innocentię portum, ſe recepit. Ibidem biennio, omni virtutum genere diligenter exercitatus, Teledam profectus eſt. Hic ſe

Fit monachus.

Heliodorus hic trium annorum puer monaſterium petijt.

ſe Heliodoro, viro ſanè egregio, & à teneris cęleſtibus diſciplinis imbuto (qui celeberrimo cuidam ſapientiæ domicilio præerat, clariſſimis diſciplinis excolendum tradidit. Apud quem, decem commoratus annos, hebdomodarum media carnem macerabat, tantaque auſteritate in ſe deſæuiebat, vt fratres, qui erant octogiata numero, abitum eius vehementer vrgerent. Ab hac igitur palęſtra dimiſſus, per montis ſolitudines vagabundus aliquandiu, foſſam tandem reperit, quam ſuæ habitationis locum elegit.

Sed poſt quinque dierum decurſum, fratres tanti athletæ abſentiam lugentes, multo labore &

re & ſtudio inuentum, de foſſa ad monaſterium reuocarunt, tranſactiſque paucis admodum apud illos diebus, Telauiſum miſerunt; vbi foribus anguſtæ domûs firmiter obſtructis, totos quadraginta dies, celeſtium rerum meditationi acriter intentus, ieiunus perſtitit. Et hac quidèm vitæ auſteritate, octo & viginti annis continuis, ſtrenuè ſeſe exercuit.

Ieiunat ſanctus totos 40. dies.

Poſt hæc, quoniam ad ſummum virtutis apicem tendebat; ſtationem in columna inſtituit: domiciliumque in ea, cuius menſura vix duos continebat cubitos, conſtruxit. Columna autem primùm ſex, mòx duodecim, deinde viginti, poſtremò ſex & triginta cubitorum longitudinis erat. In hac, vitam cęleſtium poteſtatum in carne æmulatus, ſe à rebus terrenis abſtrahere laborauit, vim naturæ adferre, res in ſublimi poſitas perſequi, & inter cælum & res terreſtres quaſi medius interiectus, cum Deo colloqui, eum paritèr cum angelis, laudibus extollere, & tùm preces pro hominibus è terra in cælum ſubleuans, Deo offerre, tùm miſericordiã Dei, de cælo in terram deferens, hominibus impertiri.

Columnã inſtituit.

Et quo faciliùs omnem, rebellionem compeſceret, ipſum etiam corpus, ne ſtationem deſereret, vinculis conſtrinxit. Catena namque ferrea viginti cubitorum longitudinis, pedem dextrum ligauit, vt aſſiduò cælum contemplari cogeretur, quam tamen oratione Meletij antiſtitis Antiocheni, confringi libenter paſſus eſt. Præclarè namque monebat, ſuperuacaneum eſſe ferrum ei, corpus, mentis vincula optimè cohiberepoterãt.

Catena ſe ligat.

Meletius Epiſcopus Antiochenus.

Interea fama tam eximiæ ſanctitatis longè lateque vagante, maximus, ex omni terrarum parte, populi ad eum concurſus factus eſt: quibus veritatis

Simeon multis adfert verum lumen.

tatis viam ex columna, tanquam è cathedra cùm verbis tùm rebus ipsis demõstrabat. Et præter alios plurimos, quos & mẽtis & corporis ægritudine liberauit, infinitũ Ismaelitarũ numerũ in densis impietatis tenebris miserè errantem ad clarissimam pietatis lucẽ traduxit. Sed ne singula commemorãdo tędium generem, libet vnũ è multis in medium proferre. Venit aliquando Saracenorum quidam tribunus, opem cuidam ex suis, cuius mẽbra in itinere soluta erant, à sancto Simeone petiturus. Quẽ vir Dei ad se adduci cùm iussisset, hortatur, vt relicta maiorum suorum, omni scelere contaminata superstitione, puram Christi Iesu fidem, sincero animo amplectatur. Et paulò post, si credis, inquit, surgito; & sublatum humeris tuis tribunum, ad tentorium defertoꝛ qui subiẽs onus, confestim illum, virum sanè maximè corpulentũ abstulit, quo iussus erat. Et quidẽ prę cęteris eiꝰ animi dotibꝰ, patiẽtia potissimũ admirãda videtur, nocte enim ac die erecto ad sidera vultu stãs, mẽtis aciẽ, diuinis assiduò rebꝰ intẽdebat: tantaq; in eo constantia perseuerabat, vt pedum eius alter, contracto vlcere, sanie assiduò scatere videretur. Tam præclara autem rerum gestarum, miraculorumque gloria splendens, tantùm abfuit, vt aliquo inanis gloriæ tumore inflaretur: quin potius hominum se omnium postremum infimumque iudicaret. Nec enim is erat, quem populi plausus transuersũ, à recta viuendi via quoquo modo deducere possent: sed q; vitæ cõsilia ad exactissimam prudentiæ normam dirigebat. Præter modestiam autem, tanta morum suauitate, humanitateque præditus erat, vt vel ad abiectissimi hominis voluntatem, promptum alacremque se exhiberet. Nec erat sanè diuino doctrinæ

Curat paralysi dissolutum.

Eximia eius patientia.

Humilitas eius.

Constãtia.

Modestia & humilitas.

ctrinæ munere destitutus; quo factum est, vt bis in dies singulos hominum mentes ad terrenarum rerum contemptum, cælestiumque amorem excitaret: nemoque non verborum venustate, spiritualique scientia refectus ab eo recederet. Iudicia verò quanta prudentia, quantaque æquitate exercuerit, quis enarrare sufficiat? His rebus, post horã nonã, operã dabat. Circa solis occasum, rursum ad diuina se colloquia recipiebat. Nec interim ecclesiarum curam negligebat. Sed modò Græcorum impietatem expugnabat: modo Iudæorum debellabat audaciam; interdùm instructas hæreticorum acies fundebat fugabatque; nunc de negotijs regem certiorem faciebat: nunc magistratus, ad constituta pietatis fundamenta acriter tuenda, hortabatur.

Doctrina eius.

Exercet iudicia & lites dirimit.

Hic est Simeones iste, qui in terra angelus, in carne cælestis Ierusalem ciuis fuit: & peregrinam hanc viuendi viam: hominibusque planè incognitã instituit. Cũ verò sancti eremi incolæ, misso ad eũ nũcio, suscitarentur, quid noua hæc & inusitata vitæ ratio sibi vellet, & quamobrem trita viuendi via, & sanctorum pressa vestigijs, relicta, aliam quandam peregrinam, & hominibus omninò ignotam sequeretur, eumque hortarentur, vt ex suo domicilio descenderet, viamque electorum patrum instaret, alacri promptoque animo descendere paratus, mòx pedem protulit: patrum hortationi obsecuturus. Sed patres, qui ex obedientia nùm Deo duce, in eam viam ingressus esset, colligere volebant, prompto eius ad obediendum animo egregiè cognito, bono eum animo iubent esse: Nil dubitaret, stationem illam à Deo institutã esse, quare rem strenuè gereret

Simeonis prompta obedientia.

gereret, susceptumque arduum certamen, cui sempiterna nominis sui gloria ad exitum perduceret.

Obiurgat Theodosium Imperatorem.

Cùm autem tanta animi humilitate, se suaque omnia patrum voluntati submitteret, contra tamen tanta animi fortitudine, constantiaq; aduersus iniquum Imperatoris Theodosij edictum (quo Antiochenis Iudæis, iam antea ablatam per Christianos synagogam restituendam mandabat) pugnauit, vt grauissimis eum verbis increpitum, edictum reuocare coegerit. Ipseq; Imperator, infimis aëreum illum martyrem precibus obtestatus est, vt sibi benedictionem impartiri dignaretur.

Theodosius ab eo benedictionem petit.

Fuit & tanta illius vitæ austeritas, tantaque in aduersis constantia, vt multi eum mortali carne circundatum dubitarēt. Contra solis ardores, hyberna frigora, & vehementissimos ventorum insultus, in sua columna perstitit inexpugnabilis.

Moritur vir Dei.

Cum autem deuexa ætate suo ergastulo solueretur, fertur corpus eius, eadem in columna constitisse erectum: nulla membrorum parte humum contingens.

Fuit autem sacrum funus Antiochiæ curatum, Leone tum Imperium gerente, & Martyrio, Antiochiæ episcoparum administrante. Post multum autem temporis, capilli capitis eius integri inuenti sunt. Frontis item cuticula, quanquam in rugas crotracta, mansit incorrupta. Dentes etiam fidelium manibus euulsi, figura sua indicarunt, qualis diuinus ille Simeones fuerit.

Miracula.

Repetitur vixisse 112. annis.

Quod verò ad eius ætatem longęuam pertinet, ipsum vltrà centesimum annum ætatem propagasse, inde facile colligi potest, quod iam columnam ascenderat, viuente Meletio, episcopo Antiocheno; qui cum suam visitaret Diœcesim, eccle-

sias

sias erigens: & Syriæ quoque monachos sibi subditos inuiseret, inter alios & hunc inuenit, Anno videlicet salutis 378. à quo tempore, vsque in obitus sui (qui fuit Anno 460.) diem, numerare licet annos 82. Cum verò inuiseretur à Meletio, haud putatur minorem fuisse, annis 30. Qua ratione, eũ antè 12. annũ nõ obdormisse, planè dignoscitur.

Translatio reliquiarũ eius.

Venerandũ verò eius corpus, postea Cõstantinopolim translatum fuit: ita eodem præcipiente Leone Imp. maximè pio, qui (& dignè quidem) in eius honorem, nobilem ibidem erexit ecclesiam.

Ecclesia in eius honorem Constantinopoli cõstructa.

Est & templum in montis iugo. Mandria ab indigenis dicto, polito lapide insigne, porticibus quatuor pulchrè illustratum, huic sancto sacrum. In cuius medio, atrium est sub dio summa industria elaboratum, in quo sita est columna illa quadraginta cubitorum, in qua vitam cælestem ille terrestris corporeusque Angelus transegit. Ad lævam columnæ, ipse equidem (scribit Euagrius) cum tota agricolarum, circa columnam incedentium, multitudine, vidi stellam inusitata magnitudine, discurrentem, iubarque fundentem: neq; quidem semel, bisue aut ter, sed sæpius: eandemq; crebrò euanescentem, & exim prouiso apparentem denuò: quæ solum in sanctissimi viri istius die festo cernitur. Sunt qui memorant, ac miraculo sanè tùm propter fidem eorum, qui idipsum narrant, tùm propter alia, quæ ipsi sumus conspicati, credendum est: veram personæ illius effigiem huc illucque volitantem se vidisse: barba dimissa & capite, vt solet tiara operto.

Est in Syria Templum S Simeonis in monte Mandria dicto.

Nota miri quiddã de stella.

Item de visione effigei eius.

## MARTYRIVM S. THELESPHORI Papæ quo coronatus est Anno Christi Saluat. 154. sub Antonino Pio Imp. Anno eius Imperij 15. Antè scriptũ à Iustino Apologiam, & promulgatum pro Christianis edictum. Ex eo quod extat apud Cæsar. Baron.

Tom. 2. An. eccles.

THeleſphorus natione Græcus, eximia vitæ ſanctimonia clarus, poſt dura eremi certamina, ex Anachoreta, sũmus in terra Chriſti vicarius factus eſt: Succeſſit Sixto I. Pontifici propagandæ ornandæq; eccleſiæ vigilantiſſimus. Qui quadrageſimale ieiunium Apoſtolica inſtitutione in eccleſia introductum & exemplo & doctrina confirmauit, rituq́ ſanctiſſimo cũ ab omnibus tum præcipuè à Clero obſeruandum decreuit. Sanxit præterea, vt in natali Chriſti ſaluatoris tres Miſſæ celebrarentur. Nam antè quidem, Sacroſanctum Miſſæ officium, non niſi poſt horæ tertiæ decurſum peragere, in eccleſia ſtatutum erat. Præcepit etiã hic vir diuinus, vt in Miſſarum ſolemnijs diebus celebrioribus Hymnus angelicus diceretur. Denique præter alia, quibus Eccleſiam decorauit, egregię pietatis ornamenta ordinationes quatuor, per menſem decembrem ritè peregit. In quibus Presbyteros duodecim, Diaconos octo, & Epiſcopos per diuerſa loca tredecim conſecrauit. Sicque & vitæ ſanctimonia & bonorum operum gloria, clariſſimus, poſt plurimos, annis vndecim, menſibus nouem, & diebus tribus, exantlatos labores, felici cruore aſperſus, ad cæleſtem patriam, magno bonorum omnium gemitũ, migrauit. Corpus eius in Vaticano iuxta Principis Apoſtolorum conditum eſt.

5 Ianuarij. Ex Eremita fit ſummus Pontifex.

Ab Apoſtolis quadrageſimale ieiunium inſtitutũ fuiſſe præclarè docet. Caſ. Barõ. Ann. Tom. 1.

Hæc accipienda ſunt (teſte C. Bar. Ann Tom. 2.) de his quæ frequẽtiori vſu in eccleſia ſeruabantur, cũ alioqui multis conſtet exemplis in ſacris vigilijs noctu ſacrificiũ offerri cõſueuiſſe.

Ordinationes eius.

Genus martyrij eius ignoratur.

VITA

## VITA S. EDVARDI REGIS, EX EA quam Alredius anglus, Abbas in Rhieualle, Cisterciensis Ordinis conscripsit. Obijt verò Anno restauratæ salutis 1066.

Vide Notat. C. Baron. in mart. Rom.

CVM Rex Ethelredus ex filia comitis Thoreti, filium suscepisset Edmundum, ex Regina autem Emma, Alfredum, Beatus Eduardus intra materna viscera conclusus, diuina prouidentia vtrique præfertur. Nam futurorum omnium præscius Deus, prioris vitam breuissimam, alterius mortem immaturam prospiciens: in puerum necdùm natum vniuersorum vota cõuertit. Paulò namque post sancti Eduardi natiuitatem, Canuto Danorum rege in Angliam crudeliter irruente, maxima insulæ pars cruentis cædibus vastata est: belloque turpiter ciuili fædata, per summum scelus, Edmundo inuictissimo rege, cum filijs & fratre eius Alfredo peremptis, ad Canutum defecit. Matre autem æmuli nuptijs tradita, solus Eduardus omni humano destitutus auxilio, remansit. Qui excellenti admodum pietate, totus à Deo pendebat, assiduisque precibus diuinam misericordiam contra impiorum conatus implorabat. Et nunc, inquit, Domine Deus, Si me in amissum patris mei regnum restituere dignaris; Te quidem omni tempore, castissimo prosequar amore: principem verò Apostolorum regni mei patronum eligam, eiusque sacratissimas reliquias in vrbe Roma visitaturum promitto.

5. Ianuarij.

Eduardus necdum natus, eligitur in regem.

Canutus matrē eius duxerat vxorem.

Votum S. Eduardi.

Interea Canuto, cùm liberis vniuersis, humanis rebus exempto, Angli, Danico iugo liberati, faustis acclamationibus Eduardum regem constituunt.

Canuto mortuo, in regnum Eduardus restituitur.

unt. Cuius pietatem, statim ipso regni initio, diuina clementia non mediocri fauore prosequuta est. Reges enim & Principes pro tanta rerum mutatione, admiratione perculsi, certatim cum eo fœdus inire, amicitias iungere, pacem cóponere. Ipse verò diuinis maximarum virtutum ornamétis excultus, regni statum fœliciſſimè administrabat: & præter alias insignes admodum animi dotes, erat in eo admirabilis rerum terrenarum, diuitiarumque contemptus. Nam relicta, quodam die, per summam cubicularij negligentiam, theca regij Thesauri aperta, fur quidam ingens auri pondus abstulit, quod, rege inspectante, facinus terauit. Cumque sacra auri fame satiari nullo modo posset, tertiò pedem intulit. Tùm Rex: Importunè nimis, ô homo, agis, sufficiat auri pondus ablatũ, & securitati tuę fuga cõsule, ne superueniens Hugolinus (hoc cubicularij nomen erat) auro argentoque exutum, vinculis coerceat. Ille vix pedem extulerat, cùm Hugolinus rediens, relicto auri pondere minimè inuento, anguſtiam cordis, mentisque furorem, suspirijs, & clamoribus testatur. Cui Rex: tace, inquit, fortè is qui cœpit, duro necessitatis telo saucius, fecit; quare sibi habebat, nobis quod remansit, abundè sufficit.

Nota insignem pecuniæ contemtum, & clementiam tãti regis.

Proceres autem de regno firmamento sollicíti, regis animum ad suscipienda matrimonij vincula solicitabãt. At ille quãuis ægrè, assiduis tamé procerũ vocibus impulsus, Goduuini filiã, insigni quidem pudicitia, sed patris ex fraude & astutia compositi virginem, vxorem sibi desponder. Quæ ab ipsis incunabulis castitatis amore flagrans, libenter cum casto sponso, virginitatis perpetuæ votum suscepit.

Inuitus ducit vxorem

Cum sponsa virginitatem vouet.

Et quia peregrinationis voto obstrictus tenebatur

batur,regni ſtatu iam ſtabilito, & legibus matrimonij ritè concluſis,proceribus in vnum vocatis conſilium habuit,quo modo,quo ordine,ſine aliquo conſtitutæ pacis detrimento, longinquam peregrinationem perageret. At proceres multis primo rationibus,deinde precibus ab itinere reuocant:ſuadentque,ne regnum diuina clementia egregiè ſtabilitum, in apertum periculum adducat.Horum igitur & precibus fletibuſque victus, rem per literas cum Leone Pontifice communicat.Qui protinus datis ad eum cum Pontificia poteſtate litteris, ab omni voti periculo liberat, mandatque vt ampliſſimas itineris expenſas, in neceſſarios pauperum vſus piè conuertat: & vt electum regni patronum Apoſtolorum principē propicium habeat, addit vt cœnobium regia magnificentia dignum,optimiſque cæleſtis vitæ diſciplinis ornatum.conſtituat.

Leo Pontifex, votum eius diſpenſat.

His litteris Pontificis, cæleſte oraculum concurrit.Erat enim in Anglia vir quidam, ſubterraneo ſpecu multis annis incluſus, diuinarumque rerum contemplatione inſignis.Huic Apoſtolus Petrus in noctis viſione aſſiſtens,prædictum Pontificis mandatum, piamq; voti commutationem longa orationis ſerie confirmauit: mandauitque vt exceptam calamo orationem regi tranſmittat.Paret dicto velocius pius ſenex,& audita omnia regi dirigit. Eadem autem hora lecto Papæ reſcripto,beati ſenis recitantur apices. Tunc læto Rex à lacrimis animo,pecuniam peregrinationi deſtinatam pauperibus diſtribuit: & inſigni opere monaſterium, in occidentali parte Londoniæ, vt iuſſus erat ab Apoſtolo,ædificauit.

Viſio cuiuſdam Solitarij.

Conſtruit monaſteriū in honor. B. Petri Apoſt.

Cùm in palatio iuxta eccleſiam B. Petri Rex aliquando moraretur,ſuperuenit vir quidam mirabilis.

rabilis, Hybernicus genere, pedis vtriusq; prius-
tus officio: Nerui enim in poplite contracti, ad
posteriores corporis partes crura retorserant, ta-
li natibus inhæserant, immersiq́ue carnibus pedis
articuli à lumbis eius, & dorsum corpus omne
peruerterant. Porrectis ad terram manibus &
scamnis suppositis repebat, & factus sibimetipsi
grauis, trahebat se post se, hic viso regis cubicula-
rio ait; Hugoline non me respicies, nec miserebe-
ris nec te mouebit mea tanta calamitas? & ille:
Quid me vis facere? Cui pauper: Sexies, inquit, A-
postolorum limina repens (vt cernis) visitaui, &
sanitatem necdum promerui. Quam tamen apo-
stolorum princeps mihi non negauit, sed distuli,
socium in hoc miraculo habere volens Eduardi
quem sibi nouit in omnibus esse deuotum. Ab
ipso enim Apostolo in mandatis accepi, regem a-
ire, vt me suo sacro subuectum dorso, ad eccle-
am eius, quæ palatio vicina est, perferat; recepta-
rum, si id fecerit, membrorum meorum integram
sanitatem. Hæc vbi nũciata sunt regi, gratias egit
Deo; & citatus mox æger accessit. Rex verò, vt spi-
ritalis illi asinus fortis accubans in terminis, sup-
posuit humeros suos ad portandum. Pendet de
humero tanti principis, plenus sordibus pauper,
squalidis manibus, brachijsque squamosis regium
illud pectus, collumque complectitur. Interea ea
assistentibus ridebant nonnulli, alij à paupere re-
gem delusum iocabantur: alij simplicitatem iusti,
fatuitatem iudicabant. Cum itaque Rex paulu-
lùm processisset, subitò nerui extenduntur, ri-
gantur ossa, carnes marcidæ recalescunt, emer-
gunt à carne articuli, pedes à natibus soluuntur.
Distendit homo crura, poplite iam flexibili, & sa-
nie cum sanguine profluente, vestis regia ornatur
potius

Insigne admodum miraculum.

Nota tanti regis humilitatem.

potius, quam fœdatur. Iam tunc satis esse clamant omnes, sanatum languidum: onus ob sordes vlcerum deponendum. Ille verò memor præcepti quod susceperat, Syrenarum cantus obturata aure pertransijt: ingressusque ecclesiam, ante sanctum altare holocaustum quod detulerat, Deo ac beato Petro resignauit, incolumenque dimisit. Suscepto autem à rege itineris viatico, acturus gratias Deo, & sancto Petro, Romam profectus est

In monasterio autem B. Petri ante altare sanctæ Trinitatis, Missarum solennijs sanctus Rex, vice quadam cum Comite Leofrico assistebat. Et eccè, speciosus ille præ filijs hominum Christus Iesus in ara consistens, oculis vtriusque visibiliter corporalis apparuit: sacraque dextera super Regem extensa, signum sanctæ Crucis eum benedicendo depinxit. At Rex, dimisso capite, diuinæ maiestatis adorabat præsentiam. Comes verò quid in animo Regis ageretur, ignorans, volensq; Regem tantæ visionis esse participem, cœpit velle ad ipsum vsque procedere. Verùm Rex quid in mente Comitis voluebatur intelligens. Sta, inquid, Leofrice, sta: quod vides, video & ego. Post Missam verò dixit Rex ad Comitem; Per eius, quẽ vidimus maiestatem, mi Leofrice, te obtestor, ne quoadusque vixerimus, sermo iste proferatur in publicum: ne vel nos in perniciem nostram, ob fauorem vulgi pulset elatio, vel fidem deroget dictis, infidelium æmulatio.

Hunc Leofricum, quẽdam multorum cœnobiorum fundatorẽ prædicant.

Detestatur vanam gloriam.

Sub faucibus mulieri cuidam, quasi glandes succreuerant, quæ totam faciem, deformi fœdantes, putrefactis sub cute humor guinem in saniem verterant, indè nati dorem teterrimum exhalabant. Ii

in somnis Regis adire palatium, eiusque de inanibus sperare remedium; quibus si lota, si tacta, si signata foret, meritis eius reciperet sanitatem. Cum autem venisset ad Regem, & oraculum exposuisset, ille nec sordes cauit, nec fœtorem exhorruit: sed loca tumentia manibus contrectans, & aqua lauans, signum sanctæ Crucis impressit. Et subitò rupta cute, cum sanie vermes ebullierunt, recedit tumor, & dolor omnis abcessit.

Multi cœci sanantur, aqua, qua Rex se lauerat.

Cœcus quidam docetur oraculo, lumen amissum sancti regis meritis se adepturum, si lympha qua manus abuleret, ipse faciem perfudisset. Cique id cubiculario, & ille Regi retulisset, obstupuit ill plurimum indignatus; illusum phantasmatibus hominem, nihil tale de peccatore sperandum; Apostolicæ id esse virtutis, nec fidem somnijs adhibendã asseruit. Aqua manus lauit, & ad ecclesiam processit. Cubicularius autem cœco receptam in pelui aquam tradidit, qua oculos & faciem lauans, visum confestim recipere meruit.

Ciuis quidam Lincolnienſis cœcitate perculsus, ad palatium Regis veniens, aqua lotionis manuum eius faciem & oculos lauit: & mox tenebris diuturnis optata lux successit.

Quidam cœcus Regem adire, & visum ab eo percipere monitus, cubiculario, & ille rem Regi pandit. Cui Rex. Veniat inquit. Quis ego sum qui contrister, & non potius exultem, si meis manibus, licet indignis promissum beneficium homini illi pietas diuina contulerit? Vocatus est autem

Rege tactus, & signatus, & inter manus e-

ab oculo sanguis vbertim effluxit, pu-

, tumorem palpebrarum depo-

vice duo cœci, cũ vnò monoculo

aqu

aqua lotionis manuum ſancti perfuſi, viſum percipere meruerunt.

Amor S. Eduardi, erga S. Ioannem Apoſtolum.

Sanctus Eduardus, nulli petenti in nomine ſancti Ioannis Euangeliſtæ denegabat; Hunc enim poſt Apoſtolorum principem arctiùs diligebat. Contigit autem quendam peregrinum, abſente eo, qui Regi ab eleemoſynis erat importunè in nomine S. Ioannis, Regis liberalitatem implorare. Cui Rex eximij pretij annulum, cùm aliud ad manus haberet nihil, dedit. Poſt hæc accidit, duos magnæ pietatis Anglicos Hieroſolymam proficiſci, qui viarum ignari, deuia quæque ſpectati, noctis tenebris inuoluti ſunt. Cumque quid conſilij captare, quove ſe vertere deberent, ignorarēt, adfuit illis, præter omnem ſpem veneranda quadam grauitate ſenex, qui hoſpitio exceptos menſaque lautiſſimè refectos, manè in viam dimiſit: & ait; Viri fratres: Optimè de itineris veſtri proſperitate confidite. Ego enim Chriſti Apoſtolus Ioannes, qui regem veſtrum ob meritum caſtitatis, ſumma dilectione complector, dux veſter ero. Quare agite, annulum hunc, quem in peregrino habitu ab ipſo rege recepi, eidem reſtituite: illicq; obitûs ſui diem inſtare denunciate. His dictis diſparuit, & illi patrijs incolumes liminibus reſtituti, Regi cuncta ex ordine panderunt.

Anglorum eladem, in ſpiritu præuidet.

Qui graui iam infirmitate detentus, biduò ferè exanimis, iacebat quo tempore multa ſanè, eleuato in Deum ſpiritu, futura cognouit: quæ moribundis vocibus, ad gentis correptionem emendationemque differuit. Sed cùm alij ſalutaribus monitis aures occluderent, alij denſiſſimis peccatorum tenebris miſerè occœcati, tanquam ſomniū ſenis & hominis parùm ſani cerebri illuderent, Cæteri verò, quibus mens ſanior erat, ingenti la-

chrymarum vi futuram patriæ cladem deplo-
rent: ille tota mente ad cælestis patriæ quiem
aspirans, transitum suum propalari iussit, ne mo-
tis suæ agnitione prolata, orationis quoque suf-
gia differrerentur. Sicque & dierum & bonorum
operum plenus, migrauit ad Dominum, Ann
Domini, millesimo sexagesimo sexto: cùm re
nasset annis viginti tribus, mensibus sex, & dieb
viginti septem, pridie Nonas Ianuarias: cum qu
tota pariter Anglorum fœlicitas ruit, perijt li
bertas, vigor omnis interijt.

Obitus eius.

Ab obitu, multis clarus miraculis fuit. Corpo
eius humo erutum, trigesimo tertio à sepultur
anno, non modò integrum & incorruptum, sed
mnibus iuncturis suis flexibile repertũ est. Quo
que maximè auget miraculum, vestes ab omni fo
tore & putredine alieniſſimæ, in sarcophago in
uentæ. Vnde ingenti motus admiratione antist
Roffensis, piæ deuotionis accensus desiderio, ca
pillum sibi euellere cogitauit. Sed ille firmius hæ
rens, sanctam illius volũtatem illusit. Fertur mu
lier quædam, festiuam illius solennitatem annua
cum seruilibus contemptim operibus prophana
ret: paralysis morbo miserè percussa fuisse; qua
facti pœnitens, vt in conspectum S. corporis per-
ducta fuit: sanitatem recepit.

Miracula post mortẽ.

Vide C. Bar. Not. in mar-tyr. Rom. Item Tom. 2. Annal.

## *MARTYRIVM S. MACRAE VIRGINIS, quod præclarè consummauit Anno Salutis 303. in persecutione Diocletiani.*

6. Ianuarij.

RICTIVS Varus Præses, Diocletiano impe-
rij sceptra moderante, ciuitatem Augustã-
nam ingressus, Macram virginem, libera
voce

voce incredulis Christi fidem annunciantem cō-
perit. Cui Præses, cùm minis tùm blanditijs dijs
immolare persuadere conatus, vt virginis pectus
Christi amore vehementer incensum, summum
impietatis scelus, constanti animi pietate respue-
re animaduertit, præcipiti furore succensus, post
plagas multiplices, & ignis incendium fœliciter
superatum, crudeli mente mamillas ei abscindi,
deinde carceris squalori, omni lucis beneficio de-
stituti, mancipari: & extrema rerum omnium in-
opia vexari iussit. Sed misericors Dominus, qui
humano destitutis solatio, diuina plerumque o-
pe adesse solet, noctis intempestæ silentio, carce-
ris tenebras admirabili lucis splendore fugauit.
& eccè, venerāda admodùm canitie senex coràm
astitit, & diuina quadam suauitate verborum, cer-
tamen leniens, ad firmissimam spem salutis eam
excitauit. Ego enim (inquit) integram corpori tuo
sanitatem restituturus adsum. Cui Virgo; Absit vt
propter vile hoc corpusculum, clarissimam iusti-
tiæ coronam, omnibus pro Christi gloria virili-
decertantibus constitutam, negligam; Verùm ta-
men clementissimus Deus, potens est vtriusque
hominis sanitatem, ad inimicorum nostrorum
confusionem, maioremque nominis sui gloriam
mihi præstare. His dictis, summa animi venerati-
one corpore in terram prostrato, ardentes Chri-
sto lachrymas fudit: & oratione completa, clarif
simo Dei beneficio, corporis integritatem conse-
quuta est.

Altero autem die, vt Præses eam tribunali suo
oblatam, forma & viribus integerrimam vidit,
Quis tibi hoc, inquit, sanitatis & pulchritudinis
beneficium contulit? Tum Virgo toto ad hila-
ritatem vultu composito: Notum tibi sit, ait,

Incredulis Christi fidē annunciat.

Post varia supplicia in carcerem detruditur.

In carcere cælitus visitatur.

Sanitatem corporis, multis supplicijs affecti, diuinitus cōsequitur.

Tribunali sistitur.

ô Præ-

ô Præſes, me hæc ipſa, quæ vides, ſola Chriſti Ie
creatoris mei benignitate & potentia, conſeq
tam eſſe. Et Præſes; Adhuc Chriſtum auribus me
ingerere pergis? Ego te nouis ſupplicijs, ab iſti
confeſſione nominis, ſtatim reuocabo. Cui Virg
Perge, inquit, ſic enim me voti mei compotem fi
cies. Tum Præſes, acutiſſimas teſtas, cum rutilan
prunarum ardore parari, & in ijs tenerrimum v
ginis corpus volutari iuſſit. At ſuæ virtutis obl
tus ignis, non potuit caſtum virginei corporis h
bitaculum inflammare: ſed toto in Deum ſpirit
abſorpta, placidè ad Dominum migrauit.

Conſtantia eius.

*VITA S. MELANII CONFESSORIS*
*& Rodonenſis Epiſcopi, qui floruit temporibus Clod*
*uei Francorum regis, circa annum Domini 507. in*
*terfuitq; Concilio primo Aurelianenſi. Ex ea, quæ*
*in antiquis M.S. Codicibus, Cui per omnia conſen*
*Petrus de Natalibus. Fuêre autem & duo alij*
*eiuſdem nominis Epiſcopi, vnus qui-*
*dem Veromandenſis, alter*
*verò Rhotomagen-*
*ſis.*

Vide Cæſ. Baro. in Notat. martyrol. Roma. Item Tom. 6. Annal.

6. Iauuarij. Patria eius.

MELANIVS Rodonenſis Antiſtes, Vene
tenſi villa, cui Plautio nomen, oriundus
inter cætera virtutum inſignia, maxim
aduerſus dæmones potentia viguit. Vndè freque
tes ad eum, maligno is obſeſſi ſpiritibus confluebat
quos ille mira facilitate curabat. Excubabat pro
ſubditorum ſalute, in oratorio ſuo Plautio iugi
ter, aſſiduisque à Deo precibus & lachrymis, co
tra dæmonum inſidias, opem implorabat. Accidit
verò die quodam, vt quidam obſeſſus, rabie deſpe
rationis adactus, laqueo vitã abrumperet. Quod
ſimul

Claret miraculis.

Sollicitudo & charitas in ſubditos.

simulac ad aures viri sancti lamentabili multorũ clamore percrebuit, ille hominem miseratus, tota mente ad orationem conuersus, defunctum nõ modò suscitauit, sed diuina ope, dæmonio etiam expiatum, ad sanctioris vitæ institutum induxit.

Mortuum dæmoniacũ suscitat & liberat.

Tandem post multa virtutum insignia, mente iugiter cælo intentus, è præsenti sæculo, ad beatã immortalitatem migrauit. Cùm verò sacræ eius reliquiæ ad tumulum deferrent: viri duodecim in turri quadam vinculis constricti, implorato eius auxilio, scissa per medium turri, soluti & incolumes exierunt, gaudioque incredibili exultantes, sacrum funus comitati sunt.

Moritur vir sanctus.

Captiui 12. liberantur intercessione eius.

## *VITA S. ANDREAE CORSINI, EPISCOPI Fesulani, Ordinis Carmelitarum. ex ea quæ est apud Surium, fide dignissimum. Obijt sacer Antistes Anno Domini 1373. ætatis suæ 71. Postquam sedisset annis 12.*

Vide Annotat. Ioannis Molanij in martyr. Osuardi.

ANDREAS Corsinus, Florentiæ ex Corsinorum nobili familia, patre Nicolao, matre verò Peregrina, natus fuit. Quibus cum nihil antiquius sancta religione esset, primogenitum suum perpetuo D. Virginis seruitio consecrare vouerunt. Lõgo enim sterilitatis opprobrio laborãtes, singulari Virginis beneficio, Andream hunc conceperant. Mox igitur optimis litterarum & morum disciplinis imbutum, parentes incredibili amore prosequebantur: & eximiam, cùm ex venustã corporis specie, tùm ex præclaris eius virtutum actionibus, voluptatem capiebant. Sed postquam transmissis puerilibus annis, cupiditati habenas laxare cœpit, vsque adeò, vt omni spe melioris

6. Ianuarij. Genus eius

Votum parentum S. Andreæ.

Adolescentia eius pessima

oris frugis amissa, maximis scelerum omnium ci
cinoribus contaminaretur, parentes sempiter
ignominiæ maculam, toti familiæ, ex eius mor
metuebant. Quare vocatum ad se Andream, ratio
nibus primùm, dein obiurgationibus, ad melio
frugem reuocare contenderunt. Sed mente in sce
leribus obfirmata, salutaria eorum monita con
tempsit. Tum genitrix mentis eius pertinacia gra
uiter offensa, in hæc verba prorupit: Profectò ina

Mater eum increpat.

somnium meum hactenus inani formidine con
ceptum, veritate ipsa confirmari video. Ego enim
te, fili mi, pro homine, lupum vtero gestare visi
sum. Et quid aliud statuere possum, quàm lupinu
præditum moribus, sub humana forma latentem
consimilem gerere animum?

Andreas se colligit & resipiscit.

Hac voce perculsus Andreas, secum tacitus an
teactæ vitæ scelera animo prudenti & modesto
recogitare cœpit: & Carmelitarum Ecclesiam in
gressus, ante virginis aram multis lachrymis pre
catus est, vt lupinis omninò moribus depositis, a
gninam innocentiam indueret. peractoque lon
go orationis studio, rectà ad Hieronymum Melio
ratum, virum insigni prudentiæ & pietatis laude
præstantem, Tusciæ prouinciæ generalem Præpo
situm contendit, petijtque summa animi humili

Carmelitarum amplectitur institutum.

tate in militiam religionis admitti. Ille ingenu
um adolescentem, summo loco natum, multisque
educatum delicijs vehementer miratus, pa
rentes eius per nuncium de proposito filij certio
res facit; qui gaudio incredibili repleti, celeri
gradu aduolantes, Andreæ mentem confirmant
susceptique voti officia persoluunt. Tum Prior,
vt certius aliquod firmitatis eius experimentum
caperet, vilissimæ conditionis seruitia ei deman
dauit, quæ omnia tam libenti animo perficiebat,

vt mi-

vt mirum sit eius & obedientiam & humilitatem referre.

Accidit, vt cæteris prandentibus, Andreæ custodia ianuę mandaretur. Diabolus tantæ humilitati inuidens, adolescentem subuertere conatus, prædiuitis viri formam accepit, & comitatu ingenti antè monasterij portam assistens, sibi fores reserari iussit. Andreas hominis importunitatem miratus, quid sibi vellet, interrogauit. Cui ille inquit; Nonne me nosti? Ex cognatione enim tua natus sum; qui cùm audirem te religionem subijsse, iniquo animo ferens huc accessi, vt ex tam turpi vitæ conditione, ad pristinas delicias reuocarem. Itaque iam citò aperi, vt mecum domum pariter reuertaris. Iam tibi virginem insigni nobilitate, ingenti dote desponsauit pater. Cui Andreas, Nec vos cognosco, nec nostro quidem sanguine nati estis: qui me quæritis à tam salubri officio reuocare. Parentes enim antè, quàm natus essem, huc me genuerunt; vbi humilitatem amplexus, obedientiam sponsam accepi. Ita hostis ille ianua pulsus atque deiectus constantia puerili, tantum facinus frustrà suscepit.

Diabolus eã insidias struit.

Exacto autem probationis (vt vocant) anno, cum summa fratrum omnium gratulatione, solẽnia religionis vota suscepit. Tum ardentiori pietatis studio, cunctis suis cupiditatibus bellum inaulit. Cibi ac potus mirè parcus, altero quoque die solo pane & aqua carnem domabat. Obedientiam tanta animi alacritate amplexabatur, vt vel solo seruitutis nomine, religioni se consecrasse videretur. Nullam temporis partem otio dabat; solitudinem mira auiditate appetebat. Iniuriarum erat patientissimus; adeò vt religionis perfectionem, in tolerandis iniu-

Professionẽ facit.

riijs

rijs constituere videretur. Mittebatur, vt moris e
mendicātibus, per ciuiū domos pro eleemosyn
accipiendiscumq́; à suis honorū & diuitiarū gl
ria elatis, repulsam pateretur, multis sæpè lud
brijs onustus domum redibat; quę tanta vultus h
laritate perferebat, vt nulla re magis quàm iniu
rijs gauderet.

Irridetur à suis.

Ea tempestate Ioannes quidam Corsinus, Lu
po, morbo grauissimo laborabat, qui vt dolori
magnitudinem leuaret, omni ludorum genere
nocteq́ue dieq́ue se exercebat. Huius calamita
tem miseratus Andreas: Ioannes, inquit, si mei
consilijs acquiescis, ego te ab hostinm tuorum in
sidijs liberatum, pristinæ sanitati restituam. Ille
recuperandę sanitatis desiderio inflammatus, nos
inuitus se facturum, quidquid imperaret, pollici
tus est. Cui Andreas; Est in primus opus, vt pessi
ma hac ludorum consuetudine relicta, octo die
rum ieiunijs precibusq́ue Virginem Mariam fle
ctere nitaris. Ioannes simplicitate verborum mo
tus, mira deuotione iussa perfecit, & meritis eius
solitam valetudinem est consequutus.

Curat hominem morbidum.

Erat eodem tempore vir nobilis, cuius filia
quam vnicam habebat, morbo hecticę febris lan
guens, nulla poterat medicorum arte curari
Hæc cùm prodigia, quæ per virum Dei in dies fie
bant, perciperet, confidenti animo sanitatem spe
rauit, si modò ciborum, qui per manus viri sancti
administrati essent, particeps fieri posset. Auditæ
filiæ confidentia pater, summis precibus virum
sanctum ad puellam adduxit; quæ instanti eius o
ratione, optatam protinùs est salutem consecuta.
Iamque in palęstra pietatis probè exercitatus, lit
terarum disciplinis imbuendus Parisios est desti
natus; vbi triennio haud contemnendam multis

Puellam febri liberat.

labo

laboribus obtinuit eruditionem. Rediturus verò ad suos, cùm per Diuionem patruum Cardinalem visitaturus, iter faceret: hominem vtroque orbatum lumine in limine templi illustrauit. A suis omni cum honore & gaudio exceptus, paulò pòst ad Florentini monasterij gubernacula admotus est; quæ tánta vitæ sanctimonia tractauit, vt præter alia miracula, Carmelitam Pisanum quendam, Venturam nomine, ab hydropis morbo curauerit.

Fit Prior.

Hydropicũ curat.

Rogatus à quodam familiari, cui puer natus erat, vt sacro eum fonte expiaret, paruit ille quidé, sed ingenti lachrymarum imbre puerum deplorabat. Patri autem tantarum lachrymarum causam quærenti respondit; Hic puer sibi, totiq́ue familiæ excidio natus est. Pater verò huiusmodi præsagio neglecto, viri Dei verba contempsit. Sed eorum veritatem adulti iám pueri scelera facinoraq́ue, comprobárunt. Cùm multis namque, facta in Rempub. coniuratione, in iudicium vocatus est, & cognatis quidem ab omni Reipub. administratione abdicatis: ille tanti sceleris pœnas soluit.

Claret prophetiæ spiritu.

Non longè pòst Fesulanus antistes communi omnium suffragio electus est. at ille ne tantæ dignitatis gradum subire cogeretur, tertio ab vrbe milliari apud Carthusienses latitauit. Canonici autem, illo nusquam comparente, de renouanda electione cõsilium captáre. Dumq́ue nutantia corda miserabiliter fluctuant, Spiritus sanctus per os infantis locutus est dicens: Elegit Deus Andreã in sacerdotem sibi. Qua re stupore omnes repleti, electione rata confirmataque, Andream inuitum è latebris eruerunt. Antè verò quàm ad eum dignitatis gradum raperetur, fama est, puerum,

Creatur Episcopus Fesulanus.

illi, tota mente in cæleſtibus verſanti, candida
ſte aſtitiſſe, hortatumque fuiſſe, vt conſtanti, &
lacri animo diuinæ voluntatis pareret decreto.

Virtutes eiꝰ eximiæ in Epiſcopatu.

Suſcepta igitur anno ætatis ſuæ 58. epiſcopa
dignitate, tanta virtutũ omnium excellentia, cl
riſſimas prioris vitæ ſuæ actiones ſuperauit, vt fi
cilè appareret, quanti ſupremam illam anima
curam faceret. Quid de eius commiſeratione
pauperes, quid de pietate eius in populum reſ
ram? Nõ modò affectos egeſtate videre, ſed ne a
dire quidem ſine lachrymis poterat. Nemo egen
tium vnquã ab eo ſine eleemoſyna receſſit. Qui
etiam cùm annonæ ſumma penuria eſſet, & egen
tium plurimi ad eum confluerent, ille cùm in
diſtributis omnibus, nihil quod erogaret, habe
ret: iuſſit miniſtros arcam diligentius ſcrutar
His autem ne micam quidem ſupereſſe reſpóde
tibus: Quin imò, inquit, confidite, & in pœnum
uertentes panes adferte. Parent illi, & inuentu
non ſine ingenti admiratione, in magno numer
panes Epiſcopo deferunt: quos ille pari alacrita
pauperibus diſtribuit.

Diuinitùs augentur panes.

Conſueuerat vir Dei, qualibet quinta feria, a
memoriam Dominicæ humilitatis, pauperibu
pedes lauare. Accidit vt ex mendicis quidam, ſum
ma contentione huic officio reſiſteret. Cauſan
autem ab Epiſcopo interrogatus reſpondit: Cru
ra ſua morbo in putredinem verſa eſſe. Cui epi
copus: Confide, inquit, fili, & aqua in peluim in
fuſa, crura lauit, lota omni corruptionis vulner
liberauit.

Sanat mendici crura putrefacta.

Et his quidem, alijsque præclaræ pietatis op
ribus, ad ſeptuageſimum primum annum perue
niens, in nocte Natiuitatis Domini, inter Miſſar
ſolennia, obitús ſui diem, manifeſta viſione e

B. Virgo illi obitum ſuũ denunciat.

Virg

Virgine glorioſa intellexit. Anno igitur ętatis ſuę 71. Epiſcopatus 12. ab incarnatione Domini anno 1373. octauo Idus Ianuarij, anima eius ſanctiſſima beatis ſpiritibus ſociata eſt. Cuius egreſſum mirabilis ſuauitatis odor comitabatur, lux circumfuſa aſtantium oculos perſtringebat: ſacri corporis contactus, varios languores pellebat. Miracula poſt obitũ.

Anno autem incarnationis Dominicæ 1440. Eugenio 4. Pontifice Maximo, Philippus Maria Mediolanenſium Dux, Eccleſiæ, Florentinisque bellum intulit. Iamque multis circùm oppidis crudelem in modum deuaſtatis, vltimum penè exitium Florentinis & Cardinalibus, qui cum Eugenio sũmo Pontifice Florentiæ erant, imminebat. cùm neq; mens neq; ratio quibus validiſſimis hoſtiũ viribus reſiſterent, ſuppeteret. Erat ciuiũ animis ingens iniectus metus. Omnes trepidare, feſtinare, armis diffidere, & ſuo quiſque metu pericula metiri. cùm tota ferè ciuitas Andreæ Corſini miraculis excitata, ſingulari deuotionis ſtudio ad Eccleſiam Carmelitarum conflueret: & inter cæteros, adoleſcens quidam multis decorus virtutibus aduenit. Cui tota mente diuinis rebus intento, beatus Antiſtes apparuit, mandans ei ne tardaret Præfectis ſua verba referre. Scito, inquit, quod Deus Iſrael qui manu potenti, Pharaonis exercitum confregit, clariſſimam vobis de aduerſarijs omnibus victoriam largietur. Adoleſcens etſi viſione numinis vehementer exterritus, audita præfectis nunciare non diſtulit. Illi de pietate & ope antiſtitis confiſi militem colligunt: & parua manu, hoſtis exercitum bellicis rebus inſtructiſſimum, in effuſam fugam compellunt.

Philippus Maria vexat Florẽtinos.

Andreas adoleſcenti cuidam in templo apparet, & victoriã prædicit.

Florentini cædunt Mediolanenſes

Hoc tam fœlici belli euentu, ciuitas à præſenti

Festum S. Andreæ instituitur Florentiæ.

internecionis periculo erepta, ingentes Deo gr
tias agere, antistitis sanctitatem virtutemque la
dare, manus in cælum tollere, vota nuncupare.
omnibus modis apud summum Pont. Eugenium
instare, vt Andreæ, in Diuorum numerum relat
cæleſtes honores decernat. Eugenius tametsi
antè satis superque, insignem viri sanctitatem
pertam haberet, rumoribus tamen nouis perm
tus, nihil vltrà differendum ratus, eximijs pri
sancti viri virtutibus egregia oratione explicat
libens Florentinis annuit, & in cœlitum numer
collocatum, pia voce inuocauit.

## DE EPIPHANIA DOMINI: EX E.
### *Friderico Nauſæo Antiſt. Viennenſi.*

6. Ianuarij.

QVANTA ſit ſolennitas huius diei vel
primis festi, in ipsius quo appellatur nom
ne patescit. Siquidem eius nomen est Ep
phania Domini, id est, Apparitio Domini nost
saluatoris; vndè & hic appellari cœpit, haud qu
ab vna apparitione tantum, sed trina. Quandoq
dem vt à maioribus nostris, qui nos præceſſer
accepimus, hodie tres aguntur Domini appari
nes, vna quidē die, sed non vno tantùm tēpore
ctę, quibus mūdo huic, Christus Dei Maximi filiu
idemq; vnic⁹ noster apud illū mediator appar
verusq; Deus innotuit, & quidē valdè mirabiliter

Triplex Christi Apparitio.

1. Apparitio Tertullian⁹ lib. adu. Iudæos. Theophylactus in Matthæum 2. S. Leo ſer. 1. § 5. de Epiphan. & latius C. Baro. Tom. 1. Ann.

Hodie namq; paruulus Rex noster, paucis à n
tiuitate, vtpotè 13. diebus transactis, stella declar
te, primitijs gentium apparuit, tribus quippè M
gis, ijsdemq; Regibus. Qui ab Oriente venient
Bethlehem, procidentes adorauerunt eū, & ape
tis thesauris, iuxta Prophetæ oraculum, ei mune
obtulerunt, Aurum Thus & Myrrham. Non vt
casu, sed in magno mysterio, & testimonio fid
hæ

hæc & talia munera offerunt. Quid enim aliud significabant, q̃ Christum esse verè sapientem regẽ ipso auro, quod regem decet. Deum aũt notabant Thure, quod in Dei sacrificiũ olim ponebatur, & nunc eodẽ ille veneratur. Myrrha hominẽ arguebant; qua quidẽ homines condiuntur mortui; quũ & Christ⁹ puerulus moriturus esset pro salute hominum. Rectè igitur tres illi Magi, ijdemq̃; reges procidentes adorârunt eum, & munera offerẽtes, ipsum Deũ esse & hominẽ, eundemq̃; Regem cõfessi sunt. Sed quis illos hodie non pectore obstupescens appellet? Vndè vobis hoc, ô viri Alienigenæ? Vndè vobis tanta fides, quantã non inuenio in Israel? Latro in cruce dicens; Domine cùm veneris in regnũ tuum, memento mei: Christum Regem, Centurio illum Dei filiũ & hominẽ simul cognouit, ingens post mortẽ illius; Verè Dei filius erat iste. Nec quidẽ adeò mirũ, quoniã tunc antea Christus miracula multa fecerat, à multis prædicatus, à multis adoratus fuerat. Vos verò Magi alienigenæ, de longinquo venientes, nullo adhuc edocti miraculo prociditis & adoratis, munera offertis, quibus illum planè regẽ, Deum, & hominẽ confitemini. Quid igitur ô Magi, quid facitis? Lactentẽ puerũ adoratis in tugiriolo, in præsepio positũ, in vilibus pannis? Si Deũ adoratis, ergo illius, secundum Prophetã, sedes in cælo. Quid eum vos quæritis in vili stabulo, in matris gremio? Quid aurũ offertis? ergo rex est ille puerulus? Et vbi aula regia, vbi thronus, vbi curia regalis, & aulicorũ frequentia? Nunquid aula est stabulum, Thronus præsepe, Curiæ frequentia Ioseph & Maria? Quæ vtiq; nõ diademate fuerat coronata, nec in aureo lecto recumbens, quæ vix vnã habuit, non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentũ nuditatis tunicã;

Psal. 71. Esaiæ 60.

Perfecta fides in Magis.

Lucæ 23. Matth. 27. Marci 15

Psal. 10. 102.

qualẽ habere potuit carpentarij vxor peregrè ci
ſtituta. O mira,ô ſtupenda fides. Nonnè timẽdũ
erat,ne ſcandalizarentur viri iſti,& illuſos ſe cre
derent,cum tanta indigna viderent? Quandoqui
dẽ à Regia ciuitate,vbi regem quærendum conie
ctabantur,ad Bethlehem villam paruulã dirigu
tur.Ingrediuntur ſtabulum,non caſtrũ excelſum
inueniunt paruulũ inuolutũ pannis, non vel ſeri
cis vel aureis veſtibus; tantum tamen abeſt vt illi
ſordeat ſtabulũ, vt pannis offendantur,vt ſcanda
lizentur lactentis infantia,vt etiã procidentes pu
erulum venerentur muneribus vt verum Regem
adorantq; vt verum Deum.Nonne inſipientes hi
die facti ſunt viri ſapientes, vt adorent paruulum
deſpicabilẽ, tam ſua ætate, quã paupertate ſuor
Vtiq; facti ſunt inſipientes mundo,vt fierent ſapi
entes Deo,quos prædocuit ſpiritus,quod prædi
1.Cor.3. uit deindè Apoſtolus;Qui vult ſapiens eſſe,inqui
ens,ſtultus fiat,vt fiat ſapiens.Quandoquidẽ mun
dus in ſapientia ſua Deũ cognoſcere non potera
Placuit .n. Deo per ſtultitiã ſaluos facere credẽ
tes.Quis aũt hodie,talem eſſe puerulũ docuit ma
gos? Haud dubiè, qui illos adduxit, ipſe & inſtru
xit,& q̃ per ſtellã foris admonuit, ipſe in occulto
cordis edocuit.Sanè quia illi Regem cæleſtem,no
terrenum quærebant,etſi nihil regale videbant in
eo,tamen ſolius ſtellæ teſtimonio contẽti, gaude
bãt oculi eorũ contemptibilẽ puerum adſpicere
quia ſpiritus in cordibus eorũ terribilem eũ mi
ſtrabat. Vnde procidentes adorauerũt eũ; Videntes
hominem agnoſcunt Deũ.O vera fides,eademqu
mirabilis. Atq; vtinã ea omnibus ſit fides, & Deu
aliquorũ fidẽ adaugeat,quã vtiq; augebit,vbi cur
magis ab Oriente nõ modò ſtellã ſequẽtes, ſed
ſolem iuſtitiæ requirentes,ad Bethlehem.i.in co
noſtrum

nostrũ deuotione syncera venerimus, ibiq; coram Iesu D.N. ꝓcidentes obtulerimus; 1. Aurum, i. eius nomine abiecerimus huius mundi substantiã, contenti quibus tegimur & nutrimur; 2. Thus, ꝙ offerimus, vbi orationes ex corde, quasi incensũ redolens in conspectu Dei deuotè effuderimus; 3 Myrrham, quando carnis vitia per abstinentiã mortificauerimus. Quicunq; enim sunt Christi, inquit Apost, carnem suã cum vitijs & cõcupiscentijs crucifixerunt. Hæc. n. nostra oblatio, hodie designata est in mysterio per Magos. Hodie quoq;, quũ iã triginta fermè in dispensatione carnis egisset annos, qui secundum diuinitatem idem ipse est, & anni eius non deficiunt, inter populares turbas abscondit[a], ad Iordanem baptizandus aduenit, sed testimonio Dei Patris innotuit, cũ de eodẽ D. N. Iesu Christo ad omnes dicere audit[a] fuit, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè cõplacui, ipsum audite.

1. Timoth. 6. Psalm. 140. Galat. 5. Secunda apparitio. Psalm. 101. Matth. 3.

Hodie pariter cũ discipulis suis ad nuptias vocatus, deficiente vino, admirabili signo suæ potentię aquas in vinum mutauit in Chana Galileæ. Tertia Apparitio. Iohan. 2.

*VITA B. ERMENOLDI, PRIMI ABBATIS Monasterij S. Georgij in Brunfeningen. ex ea quæ iussu VValdrici 16. Abbatis eiusdẽ Monasterij scripta est. Obyt autem vir sanctus, Anno à partu Virginis 1121. Electionis verò eius 7. vt patet infrà.*

BERMENOLDVS in Sueuia claris natalibus ortus, cùm parentes præter expectationem diuinitùs sibi filium concessum viderent, fuit ab ijsdem, in Hirsaugiensi monasterio, diuino obsequio mancipatus. Cùm autem & indole præclara, & magno ingenio præditus esset, non minores in virtutum omniũ exercitatione, q̃ in artiũ maximarum disciplinis progressus fecit; adeò 6. Ianuarij. Patria & genus eius.

adeò vt viuam quandam virtutis & sanctitatis imaginem, quam in Hirsaugiæ Abbate, Vvilhelmo viro omnibus naturæ & gratiæ dotibus ornatissimo cernebat, in se exprimeret. Quæ illum omnibus in Christo fratribus, tam charum atque amabilem reddidit, vt eorum, & summa Henrici Imperatoris eius nominis V. voluntate *Laurishamensis Abbas creatus sit: quam prouinciam tam ingenij dexteritate & morum sanctitate administrauit: vt gregem illum & numero & merito amplificatum, tandem diuina planè virtute florentem conspexerit.

Fit Abbas. * Lorsacensis.

Erat autem beato viro frater, & generis nobilitate & diuitijs pollens; qui cùm aliquando cum alijs ad Imperatorem veniisset, atque Henricus Imperator subridens illi dixisset, Fratrem tuum regali Abbatiæ Præfectum, ad summum honoris culmen proueximus, quid tu huic maiestatis nostræ munificentiæ rependes? ille responsum humanitatis & gratiarum actionis plenum reddidit, paulòque pòst, vt grati animi significationem vberius erga Imperatorem declararet, munus haud cõtemnenda ei obtulit. Ermenoldus autem vbi id intellexit, statim, ne vel leuissima simoniacæ labis in ipso nota hæreret, se ea dignitate abdicauit, & ad suum VVilhelmum Hirsaugiensis monasterij Abbatem, cum turma discipulorum ampliùs quadraginta, qui se ab eius complexu auelli non patiebantur, profectus est. Fuit eius aduentus omnibus valdè gratus, tantisque honorum & beneuolentiæ indicijs celebratus, vt existimarent se non hominem sed angelum recepisse.

Detestatur Symoniam Ermenoldus.

Ea tempestate, Otho Babenbergensis Episcopus, diuino instinctu Brunfeningense monasterium recens fundauerat; cui cùm virum idoneũ ar-

Monasteriũ Brunfenin. genſe à quo conditũ sit.

denti

denti desiderio expeteret præficiendum, præclara Ermenoldi fama cõmotus, eum accersijt, eiusque regimini fidenter commisit. Suscepit vir sanctus pari animi alacritate & confidentia, ijsque virtutum ornamentis locum decorauit, vt omnium præconio mirè celebraretur. Fuit autem cùm alijs virtutibus admirandus, tùm rerum humanarum, & honorum contemptu adeò præcellens, vt cùm Imperator Henricus iustis de causis, à Romano Pontifice anathemate plexus esset, vir sanctus tanquàm fidelium communione indignum, aditu eum monasterij prohibuit; neque vllis minis vel terroribus adduci potuit, vt quicquam de hac animi magnitudine remitteret, supplicemue se Imperatori exhiberet; sed iustitiæ zelo præclarè accensus; quod sui erat officij, egregiè præstitit.

Fit Abbas Brunfenin-gensis.

Constantia eius.

Inter alias autem virtutes, quibus ornatus erat, præcipua illi cura pauperum & peregrinorum erat, quibus adeò se benignum, & humanum præbuit, vt inopes vsu & consuetudine adducti, tam securè & fidenter ab eo opem poscerent, vt non tam beneficium petere, quàm debitum reposcere viderẽtur, perindè ac si ab œconomo suo, res quibus opus habebant, exigerent. Vt autem eius liberalitas omnibus innotesceret, dira fames totam oppressit Bauariam, ita vt non pauci inedia confecti interirent. Confluebant verò omnes ad B. Ermenoldum, isque iussit frumentum è granarijs depromptum in pauperes distribui; nec prius cessatum est, quam compertum esset nihil monasterio relictum esse. Cumque ministri nec tantillũ quidem superesse dicerent, ille de Dei benignitate nihil hæsitans: totum se ad deprecandum Dominum contulit, & eccè, altera luce adest vir quidam prædives & nobilis, qui de sua substantia

Benignitas eius in pauperes.

Dominum honorans, abundè fratrum supplen
inopiam. Solebat, vir sanctus, commisso sibi g
gi, vt verus pater & pastor, inuigilare: neque d
mittebat vnquam, vt suorum mores laxiore dis
plina defluerẽt. Delinquentes autem etsi in spir
tu lenitatis corriperet, improbi tamen quidã, v
dentes sibi suis voluptatibus interdictum esse,
cerbissimo odio illius inflammati, eò amenti
progressi sunt, vt necem ei ad certum diẽ mach
narentur. Huius rei certior factus tantum affuit
timore mortis perterritus se subduxerit, vt eum
vltro se in eorũ, qui iam culteris ad scelus perp
trandũ armati stabant, conspectũ dederit. Sed a
cidit vt illi, admirãda vultus eius grauitate & o
imio splendore perculsi, pedes manusq; retra
rint, & à nefario scelere se continuerint.

Mortis eõ-
temptus.

Vbi autem tempus à Deo definitum adfuit, qu
sancta anima corporis contubernio soluenda
rat, rursus filij nequam, & tanto patre indigni
eius mortem conspirarũt. Vnus ex ijs furore am
alios insignis, (quem Aaron appellabant) fub
armatus locum, qui viro sancto necessario tra
eundus erat, obsedit: & tanta vi in caput illius
lisit, vt mox humi stratus, cum extremo spiritu c
certaret. Inde verò aliorum manibus sublatus a
quamdiu sine vllo vitæ iudicio iacuit. Paulò ver
pòst ad se reuersus, cõiectis in discipulos oculi
hilari eos sermone affatus est. Discipulis verò
binam fuisset sciscitantibus, respondit: ad thro
num Dei se raptum fuisse, bonaq́ue verba & pro
missiones consolationis plenas illic accepisse
puta quòd nunquam diuinus cultus eo in loco d
futurus esset. Et ne quid dubitationis apud se d
his promissis relinquerẽt, addidit se die crastin

A quodam
suo subdito
grauissimè
læditur.

sub Missarum solennijs quando hymnus Angelicus decantaretur, spiritum Deo redditurum. Dixit: & vera eum dixisse, res ista postridiè declarauit. Nam in sacra Epiphania, hora illa qua dixerat, corporis ergastulo solutus: ad æternam gloriam fæliciter migrauit. Erat tum annus Christi 1121. septimus autem electionis eius, qua creatus est Abbas Brunfeningensis.

Prædicit obitum suum.

Moritur.

Post obitum, quidam ex nostris in vindemijs in Austriam missus, monasterium quoddam ingressus, à monacho quodam benignè exceptus fuit; vbi post multos vltrò citroque sermones habitos, monachus ille quæsiuit, fuisset ne quandoque apud nos Abbas Ermenoldus nomine. Fratre autem respondente fuisse, & quidem primum monasterij nostri Abbatem ille subiunxit. Tametsi nulla mihi eius nominis notitia fuit, tamē nuper cōperi maximi eum apud Deum meriti esse. Cùm enim ad vitæ vsq; desperationem fluxu sanguinis laborarem, multosq; sanctos frustra inuocarem somnus mihi obrepsit. Et eccè videbar mihi ad Christi tribunal rapi, & acerbissimas peccatorū meorum pœnas luere. Cùmq; alij atq; alij, pro meritorum diuersitate, vel æternis deputarētur supplicijs, vel ad cælestia beatorū gaudia transmitterētur, vidi Benedictini quendā ordinis monachū ob vitā in monasterio negligentius actā, grauissimis subijci quæstionibus: vt iam iam in tartara relegandus putaretur. Cumque nihil, quod pro sui excusatione adferret, haberet, vir quidam eximia sanctitate clarus, ardentes pro eius liberatione preces fudit; asserens quòd vel eo solo nomine misericordia dignus esset, quod stabilem semper eodem in loco pedem fixisset & obedientiæ iugo colla subdidisset. His sancti illius precibus

Visio eiusdā monachi à fluxu sanguinis curati.

cibus placatus iudex, reum absoluit. Tum eg
sancti illius desiderio vehementer captus, mea
illum pro infirmitatis meæ, qua tenebar, remedi
deprecandum composui. Cumque eum esse Er
menoldum Brunfeningensem Abbatem didici
sem, ilicò me ad Missam de Confessore celebran
dam erexi, sacrisque indutus vestibus, quamui
virium sæpè imbecillitate præpeditus, sacrum
peregi: eoque peracto, prorsus me incolumen
sensi.

**Miracula ad sepulchrum eius.**

Inter alios contigit aliquandò, cæcum ad se
pulchrum eius illuminari. Aderant complures
eius miraculi inspectores & testes, qui vno ore
homini illi, Deum, & S. Ermenoldum, pro tanto
beneficio laudanti, gratulabantur. Eccè autem
quidam, malo dæmone impellente, hominem il
lum contumeliosis increpitans verbis, impostor
& mendacem appellare cœpit. Moxque insolen
tior factus, confecto è funiculis flagello, ter beati
viri sepulchrum verberauit: & sacrilego ore, Er
menoldo, vt quiesceret, imperauit. Vix verbi

**Diuina vltio in blasphemum.**

blasphemiarũ & furoris plena finierat; cũ dere
penrè faciẽ intollerabili accendi ardore Impius
sensit, quo tormento penè exanimatus, dura cer
uice nihilominus cubile suum petijt. Sequebatur
famulus: qui blasphemiarum eius minimè igna
rus, hortari eum cœpit, vt vera cordis contritio
ne & integra confessione: commissum scelus ex
piaret. At ille spreto salutari consilio, à frigida a
qua remedium quæsiuit; sed minimè inuenit. Re
uersus verò ad lectum, corde in scelere plane ob
durato, horribili lepra percutitur; separatur ab
hominibus: nec tamen reatum confitetur. Acci
dit indè vt die quodam mensæ accumbens, minis
trum cibos adferentem præstolaretur. Minister
autem

autem solito nonnihil tardius rediens, hominem facie in ardentes prunas collapsum, extinctum reperit. Nec dubium, quin eo supplicio, debitas scelerum suorum pœnas luit. Sunt & alia præclara sanè sācti huius miracula, quæ nos breuitatis studio prætermittimus.

*ILLVSTRE MARTYRIVM S. LVCIANI, Antiochenæ ecclesiæ Presbyteri, quod constanter exegit Nicomediæ, sub Galerio Maximiano, in Oriente Imperante, Anno Domini 311. Eusebij Romani Pontif. 3. Constantini verò Imperatoris 6. Ex eo quod est apud Simeon Metaphrasten.*

Cæsar Baro. Tom. 3. An. Ecclesiast.

7. Ianuarij.

LVcianus, Samosata, ciuitate Syriæ, parentibus honesto loco natis oriundus, puer duodecim annorum, vtroque parente orbatus, ad Macarium, qui Edessam habitabat, diuitijs suis in pauperes distributis, confugit. Apud quem breui temporis spatio, sacrorum librorum intelligentiam consequutus, & lauacro regenerationis expiatus, ad monasticam vitam declinauit. Vbi ardenti pietatis studio, arduum virtutum omniū culmen sibi proponens, carnem antè omnia, frequenti inedia spiritui subiugabat. Crebrò suspirijs & precibus, diuinam sibi gratiam concilians. Diuinarum autem rerum meditationi adeò erat intentus vt lassata vigilijs & labore exhausta membra, quietem non prius caperent, quam somno necessario victa natura succumberet. Et ne quo vnquam vanitatis puluere mens obduceretur, cauebat inprimis, ne quid præter diuinos sermones lingua sonaret.

Patria & genus eius.

Distributis in pauperes substātijs, fit monachus.

Studet in virtutibus proficere.

Et hæc quidem puerilibus annis. Postquam verò ætate maturior in Ecclesia Antiochena sacerdo-

Antiochiæ iam presbyter, ludum literarium instituit.

cerdotio initiatus est, ludum literarium, cand
datorum frequentia celeberrimum, instituit
quicquid ibidem merebatur, alacriter in paup
rum vsus expendit. Et quia hebraicarum liter
rum erat peritissimus, videbatque sacros codic
hominum sceleratissimorum veneno infecto

Emẽdat sacros libros purgatq; ab errore.

multisque erroribus, non sine graui Catholicæ f
dei detrimẽto, imbutos; assiduo eos labore & stu
dio ad pristinã, primamq; puritatem reuocauit.

Maximiani odium summum in Christianos

Eadem tempestate, Maximianus, plusquam c
nino in Christianos flagrabat odio, ea maxim
cura sollicitus, vt tam sacro nomine internecio
ne ablato, idolorum cultus ad astra tolleretur
Sed huic impietati dictis pariter ac factis, tum

Insidiatur Luciano.

temporis S. Lucianus obsistebat. Cuius fama tyra
nus ille commotus, nullum non confestim mo
uit lapidem, vt tam egregium athletam à Christ
auulsum, ad suæ impietatis partes traduceret. De

Lucianus fugit.

sudabat multorum industria, vt illa ecclesiæ co
lumna prosterneretur. Sed vir diuinus, eccles
periculum in suo capite versari animaduertens,
relicta confestim ciuitate: ad agrum confugit tẽ
pestatis transitum, ibidem latitãdo, expectaturus.

Proditur à Pancratio Sabelliano.

Sed adfuit tandem Pancratius quidam Antioche
nus, Sabellij veneno infectus, qui acerrimis inui
diæ stimulis in sanctum concitatus, eum Maximi
ani satellitibus prodidit: Nicomediamque ab
ducendum curauit. Cum autem Lucianus, dũ du
ceretur venisset in Cappadociã, ibidem, milites

Lucianus Cappadociæ, 40. milites Apostatas ad fidem reducit.

quadraginta suppliciorũ timore fractos à cõstan
tia fidei ad impiũ simulachrorum cultũ, defecisse
inuenit. Quos statim oratione, grauitatis & pieta
tis plena, ab impietate ad fidei cõfessionẽ reuoca
uit. Qui grauissimo, omnes admissi sceleris dolo
re perculsi, inuicta animi constantia, contractam

impi-

impietatis & ignominię maculâ deleuerũt. Et his quidẽ præclaris, in tranſitu itineris pietatis operibus Lucianus Nicomediâ delatus eſt: vbi rurſus alios atq; alios à Chriſti cõfeſſione in impietatis barathrũ lapſos erexit, confirmauitq;. Erat enim in vultu eius mirabilis quidã ſplendor, ita vt clariſſimum pietatis, virtutumq; omnium ſpecimen quod ex facie elucebat, omniũ animos incredibiliter ad ſe alliceret. Hinc ipſe tyrannus, ne tanta ſermonis eius ſuauitate, vultuſq; ſplendore; vis impietatis frãgeretur, cõgreſsũ formidabat; adeò vt non niſi interiecto velo, & intermedio ſermonis miniſtro, verba eius exciperet. Imperator ergo, tam eximia viri virtute cõmotus, primò multis blãditijs & promiſſis martyrẽ delinire ſtudu-it. Conſiderabat enim ſingulari eius prudẽtia, imperiũ nullo negotio feliciſſimè poſſe adminiſtrari. Sed cũ munerib⁹ & promiſſis reiectis contemtiſq; reſpondiſſet nè vniuerſum quidem mundũ, cum pietate in Deum conferendum eſſe: vehemẽter excandeſcens Tyrannus, continuò varijs eum tormentis ſubiecit. Et nunc quidem in cippo, manibus pedibusq; ad quatuor foramina crudeliter extenſis, coxẽdices violenter è ſuis mouebant articulis, nunc graues teſtarum aculeos eius dorſo ſubſternebant. Poſtremò probris & contumelijs ad ſacietatẽ affectũ extrema cibi potuſq; inedia vexabant: niſi impuris Deorũ victimis famem pellere maluiſſet. Sed Chriſti martyr diuinis nũquam epulis deſtitutus, impuras victimas reſpuebat, adeò vt totos 14. dies inter tormenta ieiunus perſtiterit, nec tamen ſolita pietatis & adhortationis officia, quibus pro Chriſti nomine carceri incluſos confirmabat, vnquam intermiſerit.

Item alios Nicomediæ.

Reuerentia vultus eius.

Maximianus aggreditur Martyrẽ blanditijs.

Diris afficiturcruciatibus Lucianus.

diebus 14. permanet ieiunus.

Interea, Chriſtianis toto terrarum orbe celeberri-

berrimus Theophaniorum appropinquat di
cum discipulorum eius plurimi ex Antiochia,
alijs alijsque locis confluentes, magistrum c
cumsistunt, quos ille nimia tristitia absorptos,
uicta animi virtute consolatus est. Sed quis ho
spectaculo à lachrymis temperare queat? Sed
bat martyr in fædo horridoque carcere, omnibu
penè membris suppliciorum atrocitate fract
& extremâ iam inedia confectus; sed inuictu
animi sui virtutem vrgenti spiritu testabatu
Aderant discipuli luctu lachrymisque miserab
liter deformati. Impij verò & tempus & loca
mnia lynceis plusquam seruabant oculis: ne
minimo solatio pondus calamitatis & inedi
martyris releuaretur. Affligebat postremò disc
pulorum animos vel maximè, quod diuinoru
communio mysteriorum negata omninò vide
retur.

Dies festus Theophaniorum.

Nec enim vel viam vel modum inueniebant
quo sacram in carcerem mensam inferrent. Tu
Lucianus, illis secretò consultantibus ait: Bono a
nimo estote: Mensa quidem ex lignis lapidibus
compacta, sacris mysterijs nobis deest: sed er
vobis hoc meum pectus Deo, vt confido, nequa
quam ingrata mensa. Templum autem sanctum
vos mihi eritis. His dictis erecti animi, & Dei p
culdubiò prouidentia custodes remissiores fact
& diuina mysteria in sacro martyris pectore, c
summo gaudio & exultatione peracta. Deinde
postquam multa eaque valdè præclara, de pieta
te in Deum, de constantia, de æternitate dixisset
& discipulorum animos facibus diuini amoris
inflammasset, sacraque mysteria corporis & san
guinis Domini discipulis impertitus esset, absen
tibusq; per sacras Diaconorum manus transmi
sisset

fisset, ter prius constanti voce, coram sceleratis, Tyranni ministris Christianum se esse, confessus: beatum Deo spiritum tradidit. Sunt qui affirmẽt, spirantem adhuc in profundum maris proiectum fuisse,

Reddit Domino spiritum.

Maximianus enim vt memoriam tam præclari certaminis deleret, corpus eius immanis lapide ponderis, in ima maris deprimi iussit. Sed qui martyris gloria sempiternis inuoluere, tenebris nitebatur, is ante omnes æternitati eam consecrauit. Nam corpus cum maris fluctibus, multis diebus decertans delphini fuit exceptum dorso. Depranumque in Bithyniam deuectum, insito quoddam belluæ affectu erga miseros mortales: quæ tyranni crudelitatem naturali sua benignitate arguere visa est. Tenet verò fama eandem belluam, deposito in terram sacro pignore ilico expirasse.

Corpus eius in mari diu positũ Delphini obsequio ad terram defertur.

Discipuli verò incredibili exultantes gaudio, multa veneratione id exceperunt: exceptumque post lachrymas, amplexus & oscula, honesto, quantum tempus & inimicorum insidiæ permittebant tumulo condiderunr. At Helena maximis pietatis ornamentis cultissima, à Hierosolymitana visitatione, & hunc pietatis locum perlustrãs, illustri eximij martyris prouocata certamine amplissimis mœnibus celebrem reddidit: conuocatisque vndequaque habitatoribus ciuitatem minimè ignobilem condidit, martyrisque gloriam, insigni admirandi operis templo clarius ad sempiternã memoriam illustrauit. Locus autem, ad quem corpus delphini obsequio deportatum fuerat, Imperialibus munificentijs auctus. Helenopolis appellatus est.

Helena cõdit martyri ciuitatem & templum.

Helenopolis.

Cæterum vir diuinus inclyta martyrij corona

glorioſus, licet in vita diſcipulorum multitud
ne, eorumque cum eruditione, tum pietate clar
admodum extiterit eam tamen fælicitatem ab
bitu ſartam tectam diu conſeruare non potu
Nam ad vnum ferè omnes (vna Pelagiana Ant
ochena excepta, quæ eum ſectata, præclaru
pro fide certamen ſubijt) procella perſecutio
ingruēte, ſuæ pietatis ac fidei fecêre naufragiu
qua immanitate ſceleris, reddita eccleſiæ pace,
iam polluti mansêre. Nam Arianæ perfidiæ mo
dicus adhærentes, impietatis ſuæ venena per
tam conati ſunt ſpargere eccleſiam, Luciano
ctore, quaſi hæreſeos ſuæ magiſtro gloriantes
ſeque Collucianiſtas palam appellantes. Quo
iam nomine, ipſe Arius perfidiæ ſuæ aſſeclas,
epiſtolis ſuis nuncupabat. Quæ res, primis ill
exordijs Catholicorum plurimos prouocauit,
in innocentem martyrem: & ſinceræ fidei colu
nam declamarent, eumque palam hæreſeos
guerent. Sed purus & omni ex parte integer
dei ipſius ſplendor ſuſpicionem hanc diluit
etiam in ipſis aduerſariorum actis veraciter
cet. Siquidem Antiochiæ cum ijdem Conſtan
Imp. tempore conuenirent, vt Conſubſtantia
tatis nomen abolerent, Luciani martyris fidei
didêre profeſſionem; in qua communis filij cu
patre ſubſtantia, potentia, gloria, imago, & o
nia demum alia inſunt, quæ Orthodoxæ eccleſi
filij profitentur. Solū Conſubſtantialitatis verb
quia ibidem nō reperiebatur expreſſum, temera
rio auſu è Nicæno ſymbolo tollere conati ſun
Sed nulla potuit in Luciano eſſe culpa, eam o
mittendo voci quam ſcimus ad eludēdos omne
Arianorum cauillos à Sacroſ. Nicæna Synhod
primum fuiſſe ſapientiæ appoſitam. Accedit po-

Diſcipuli S. Luciani omnes apoſtatæ.

ſtrem

strémò irrefragabile ad defensionem S. Luciani, testimonium: qui eum sanctum, magnum, religiosumque martyrem fidenter appellat.

## VITA S. GVDILAE VIRGINIS, APVD Brabantos celeberrimæ. Ex ea quam Surius habet ex vetusto manuscripto Codice. Vixit circa annum domini 670.

Vide Ioannem Molanum in indic Sancto. Belgij.

SIGIBERTI regis temporibus, fuit comes quidam vitæ innocentia & morum probitate insignis, VVitgerus; cui coniunx erat cum stirpis claritate illustris (erat namque maioris domûs inclyta Pipini sorore progenita) tum virtutum omnium meritis præstantissima nomine Amelberga. Hi cum indefesso studio diuinam mentem attenderent, nihilque magis sibi præponerent: quam quo modo se totos ad illius imitationem accommodarent: egregios sanctissimosque laborum suorum fructus à Deo cõsequi meruerunt. Nam præter Emebertum Cameracensem præsulem, virum multis virtutibus ornatum duas insuper filias Reinildim & Pharaildim, vitę sanctitate & morum integritate præclaras habuerunt. Postremò his accessit, non sine præuio Angeli monitu, egregium sanctitatis decus Gudila, quæ ijsdem temporibus, quibus S. Gertrudis clarissimis virtutum, miraculorumque fulgebat operibus, in lucem ædita, ab eadem de sacro fonte leuata est. Huius S. virginis neptes fuêre sanctæ Aldegundis & VValdetrudis candidissimis bonorum operum floribus ornatissimæ.

8. Ianuarij. Genus S. Gudilæ.

S. Gertrudis eam de sacro fonte suscepit.

Mox vero vt S. Gudila ex ephebis excessit, sacræ virginitatis voto flagrantissima, intra monasterij claustra mẽtem ad cælestis patriæ desideria

erigere: & corpore quidē in terris cōstituta cęp[illegible] assidua rerum diuinarum contemplatione, men[illegible]te in cælestibus versari. Cumque S. Certrudis quæ eam Christo genuerat, huius vitę cursum fa[illegible]lici agone consummasset, virgo Gudula tantæ cognatæ solamini destituta, diuinis sapientiæ monitis & consilijs iam probè instructa, parentum repedauit limina, non quidem eamente, vt solutis obedientiæ vinculis potestas liberius viuendi esset: sed vt eximijs pijssimorum parentum exemplis, clariorem sanctitatis formam in se conciperet.

In monasterio instituitur.

Nàm cùm in villa quadam Morzella vocabulo, duobus ferè milliaribus à parentum ædibus distante, oratorium Saluatori nostro sacrum esset, magno pietatis studio die noctuque hoc frequentare, tantisque maximorum operum exercitijs incumbere, vt Diabolus ingentem inuidiæ flammam ex ijs conciperet, nam cum tempore quodam ad consuetum pietatis officium accensa lumine cum pedissequa tenderet, Dæmon vt eam à cæpto itinere reuocaret, fraude sua lumen extinxit, & viæ ignaras in graue offensionis periculum adduxit. Tum virgo, vt Diabolicæ fraudi perturbaret laqueos ad clypeum confugit orationis: nec prius à votis precibusque cessauit, quam lumen exstinctum cælitus rediret. Cæptum ergo lęta nudis plantis carpebat iter, iamque oratorium ingressa, nouo mentis ardore pro tam claro beneficio diuinæ bonitati gratias agebat, precesque in multam lucem protrahens, expletis tandem missarum solennijs domum remeabat. Ecce autem mulier lōgo mœrore & diuturna calamitate contabescens, obuiam prodit. Gestabat hæc filium nouem annorum à primo natiuitatis suæ di[illegible]

Patitur infestationes Dæmonis.

Curat puerum valdè morbidum.

die, infinitis miserijs obnoxium. Nam omni mẽbrorum omnium officio destitutus, non cælum. sed terram, brutorum instar, spectare cogebatur. Votis spiracula obstructa verba negabant, manus chiragra, contusæ, cibum ori ministrare recusabant; nihilque erat in puero, quod non languore affectum, matrem miseris modis cruciaret. Hanc Gudula venientem aspiciens, non sine magno lachrymarum imbre excepit, & puerum ambabus suauiter complexa vlnis, fusis precibus Deo commendauit: cum repente vocis membrorumque laxatis retinaculis, puer ad integrum sanitatis officium excitatur. Mirabatur S. Gudula virtutem Dei per se ostensam: gaudebat pia mater de misericordia Dei per virginem exhibita.

Est & aliud, quod clarius Dei erga Virginem amorem testatur. Erat quodam die Virgo diuinis sola rebus vehementer intenta, cum inopinato quędam mulier extrema leprędeformitate misera ostium cellulæ pulsans, magnis vocibus opem implorat Virginis. Excitata protinus gemitibus & eiulatibus Gudula accurrit visaq; muliere putredine penè consumpta, ô Domine inquit, vbi sunt misericordiæ tuæ viscera? Et precibus ardenti pietate de more persolutis, sacro manuũ suarũ contactu, omnem lepræ deformitatem deterfit. Sanat leprosam.

Et his quidem alijsq; quamplurimis quæ sanctitatem eius declarant, quamuis in vita miraculis claruerit, multo tamen, clariora, postquam in cælis coronata est: meritorum suorum indicia dedit. Nec mirum sanè; tanto namq; cælestis patriæ desiderio flagrabat, vt non prius Deum se hominesque vere diligere existimaret, quam huius mortalitatis ergastulo soluta, ad Dei conspectum admitteretur. Itaque corporis soluta vin-

culis, vt beatæ æternitatis Christi gratia participeps euasit, quanquam in vita admodum benefica in pauperum inopia subleuanda fuisset; multo maiora charitatis officia de cœlis in terram trimisit. Nam mox vt sanctissimum eius corpusculum in villa Ham dicta, terræ conditum est, arbor, quam dicunt populum, hyemali tempore frondes reparare, propagines formare, & clarissimum sanctæ virgini sanctitatis testimonium palam exhibere visa est. Cumque fama virginis nouis virtutum multarũ claresceret miraculis, placuit fidelibus de loco sepulchri leuatam in locum honori eius magis congruum transferre. Et quidem Niuellense cœnobium, cum sacris reliquijs ex omnium consilio delectum esset, iamque operibus manus admouerent, factum est vt nullis viribus corpus leuari posset. Illis autem hæsitantibus & cum stupore consilia agitantibus, respondit quidam, & ætate & prudentia cæteris proiectior, non alium virginem quietis & honoris locum expetere, quam eum vbi assiduis lachrymis & precibus Dei gratiam, & gloriam consequuta erat.

Obdormit in Christo.

Arbor hyeme ad eius tumulum viret mirabiliter.

Huic consilio & mentes fidelium, & virginis corpus cessit protinus. Deportatum est ergo cum ingenti totius populi gaudio & hymnis, ad Saluatoris templum in Morzella constitutum. Et ecce surdus quidam pro infirmitatis suæ remedio corpori sacro appropinquãs, repentinam sanitatem consequitur, sed exiguum planè est si cum altera quod sequitur conferatur.

Translatio corporis eius.

Miracula ad sepulchrum eius.

Erat regis cuiusdam transmarini filia membrorum omnium languore à primo ortus sui die miserè oppressa. Hæc in somnis à muliere quadam spectabili forma & vultu decoro edocta de Gu-

De cuiusdã regis filia.

dila

dilæ virginis tumulo, ſanitatem ſibi ſperare videbatur. Hæc patri matrique cum ingenti gaudio & ſpe ſalutis narrabat, ſed cum neque viãm, neque locum tumuli cognoſceret, continuo ſe lamentis dabat: donec tertia dein nocte, certiſſimã & loci & nominis cognitionem accepit. Manè igitur cum electa militum manu naui impoſita, tranſmiſſo fæliciter mari ad tumulum peruenit. Vbiã ſacris virginibus Deo ibidem famulantibus, excepta & orationis inſtantia per triduum ſota tandem ſoſpitatem, quam oraculo accepturam ſe didicerat promeruit. Sicque membrorum officio roborata, atque incredibili gaudio excitata, Chriſti fidem, ritibus paganorum relictis, amplexata eſt. Sed & parentes eius, præſenti miraculo excitati, cum multis proceribus, & plurimis regni ſui ſubditis, alacres ad ſanctæ virginis venere cœnobium, cunctique luſtralibus admoti aquis, veterem hominem ibidem depoſuere.

Recipit ſanitatem, & fit Chriſtiana cum parentibus & multis alijs.

Sed vnum inter multa quod maxime virginis gloriam illuſtrem reddit, ſilentio prætereundum non eſt. Altera die qua virginis corpus in Morzellam translatum eſſe diximus, arbor illa, quæ prius ſacrarum reliquiarum cuſtos fidiſſima, obſequio ſuo virginem honorarat: ne quidem in trãſlatione earum virginem deſeruit. Nam eadem arbor (dictu mirum) ſacra virginis membra ſubſecuta, ac eodem ex loco mirificè eradicata & cõuenienter tranſplãtata, coram prædicti oratorij foribus viriditate ſua puritatẽ virginis teſtata eſt. Huius tam ſtupendæ rei fama cõmotus Carolus, qui ex Imperij gloria quod tũc magno animo adminiſtrabat, Magnus dictus eſt, locum adijt & miraculi veritate ſine fuco cognita, ad ſtudium re-

Stupendum diuinitus arboris tranſlatæ miraculum.

religionis ardentius excitatus, nouum ſacrarum virginum monaſterium ibidem erexit: vt animi ſui in virginem, pietatem & obſeruantiam muneribus & donis declararet.

Propter miraculum Carolus Magnus nouũ ei conſtruit monaſterium.

Poſt hæc cum die quodam, vt fieri ſolet, venationis gratia ſyluas & nemora perageret, & quendam miræ magnitudinis vrſum acrius inſequeretur, fera beſtia cum nullum effugij locum, campis vndique latè patentibus, ſibi relictum videret, ac mortem iam iam capiendus crebris differret flexibus. Præpropero curſu, recta ad Monzellam tetendit, & magna vi in eccleſiam irrumpens deflexa ceruice, aduẽtantium lambere veſtigia vario corporis motu omnibus applaudere cæpit multiſque ſignis oſtendere, ſe famulæ Dei patrocinio defenſatum.

Vrſus mortis periculũ virginis protectione euadit.

Quæ res vt regi nunciata, magnam admirationem, ita vrſo vitam attulit: qui reliquum deinceps vitę curriculum, ſumma cum manſuetudine ad virginum voluntatem ibidem exegit.

Vt autem inſigni erga pios pietate flagrabat virgo, ita impios auerſabatur: menteſque in ſcelere obduratas acerbo odio proſequebatur, cuius rei exemplum quod in ſupradicta villa Ham contigit, attexere non grauabor. Virgo Gudula vterat nobilitatis & diuitiarum gloria admodum clara, ita parentum ſtudio, magno ſumptuum ſplendore, ſepulchrum eius adornatum fuit. Horum cupiditate latro quidam accenſus, tertia ab obitu eius nocte ſepulchrum acceſſit, totusque mortifero auaritiæ veneno ebrius, aurum & argentum, cuius magna vis erat, deprædatus eſt: & ſacrilegis onuſtus ſpolijs domum rediit, & filiam armillis, quas ſacræ virginis brachijs detraxerat, exornauit, ſed ſacrilegij immanitatem diuina

breui

breui vltio subsequuta est. Nulla enim familiæ eius persona exstitit, quæ non insigni aliqua deformitate & langu ore membrorum, tanti sceleris pœnas luerit.

Itaque post multa eaque præclara à virgine ostensa miracula, cum Christianorum impietas, indies magis magisque, non sine graui diuini numinis offensione, vires sumeret, iusto Dei iudicio sanctuaria eorum tradita sunt Barbaris in derisum: & incolarum substantiæ, latronibus in prædam. Qua tempestate beatæ Gudilæ corpus à Morzellensi cœnobio, in locum, qui Capræmons dicitur, delatum est. Cumque Danorum impietas longè lateque omnia popularetur, ipsum etiam cœnobiũ flammis absumptum solo adæquarunt, rebusque omnibus, quæ pretij alicuius erant ablatis, Pagani receſſerunt. Tum rursus Morzellense cœnobium, quanquam sua ruina turpiter deformatum, sacris tamen Gudilæ reliquijs exornatum est, donec Ottonis secundi Imperatoris tempore, Carolus Lotharij Regis Francorum, frater, sacrum S. Gudilæ corpus, Bruxellas in templum Gangerici debito cum honore intulit. S. Gudila Bruxellas transfertur.

Hic autem, cùm suis ipse oculis Virginis corpus curiosius inspicere vellet, temeritate nimia præceps thecam aperuit, sed (dictu mirum) mox horrenda, tenebrarum caligo, diurni luminis adspectum ademit, nebulaque templo circumfusa cunctos à temeritatd reuocauit. Saniori verò interim innitens præfatus princeps consilio, se vnà cum aliquanta fidelium plebe, in carnis ac spiritus contritione coarctauit triduo, vt quod faciendum incauta persuaserat temeritas, summa, quæ omnia vicit, impetraret humilitas. Iamque tertia illuxit dies, memoratusque dux ad loculum

S. Virginis cum ſacerdotibus ac thymiamate a
ceſſit, aperuit, & quod deſiderabat vidit; inuoca
que diuina maieſtate thecam recluſit: ac ſuo m
niuit ſigillo. Locum quoque donis ac munerib
exornauit: collata parte villæ, quæ Molenbec
dicitur, cum ſex familijs, ad diuina officia ritè
iugiter celebranda. Quieuit autem eo in loco, a
tempora vſque Baldrici Comitis, nepotis Caro
ducis.

Munificētia Caroli Ducis Lotharingiæ.

Anno verò ſaluatoris noſtri 1047. dedicatu
eſt Bruxellis D. Michaeli templum, opere & ſtr
ctura viſendum. Quam functionem Gerardus a
tiſtes Cameracenſis cum laude obibat: Lamber
verò, qui & Baldricus comes, opinione prudenti
& pietatis omnibus charus, eodem die ſacru
corpus ex eccleſia S. Gaugerici, adiuuante epiſco
po & clero, in D. Michaelis honorificè tranſtuli
Neque ea animi deuotione contentus, ſumma u
xoris ſuæ Odę voluntate & animi gaudio, certu
clericorum numerum ibidem conſtituit; qui am
pla decimarum & aliarum rerum munificenti
perpetuò dotati, diuinas laudes ſtudiosè con
celebrant: & ſalutis auctorem in ſan
ctę Gudilę virtutibus atque mi
raculis ſine fine exal
tant.

Item Baldrici Comitis.

VITA

*VITA B. SEVERINI ABBATIS, NORICORUM Apostoli. quam Eugipius Abbas eius contemporaneus ad Paschasium Diaconum scripsit. Obijt Anno Odoacri Regis Italiæ 7. Zenonis Imperatoris 9. Simplicij Romani Pontif. 15. Christi verò Saluatoris 487.*

Vide C. Bar. Tom. 6. An.

EA tempestate, qua Hunnorum Rex Attila defunctus est, res vtriusque Pannoniæ, per summum scelus filiorum eius, qui de corona acriter inter se dimicabant, in extremum discrimen adductæ sunt. Quo tempore Seuerinus cùm doctrinæ tum sanctitatis gloria clarus, ex Orientali plaga in viciniam Norici Ripēsis & Pannionorum veniens, habitationis suæ locum Casturis elegit. Vbi sanctissimis diuinarum rerum studijs incumbens, cùm manifestam iustitiæ diuinæ vindictam, sceleribus eorum imminere præuideret, cœpit assiduis cohortationibus omnes ad pietatis studium ardentiùs colendum excitare: aliter structam illis hostium insidijs pestem denuncians. Sed cùm animi contumaces, & in scelere obdurati, salutaria monita à se repellerent, sacrasque famuli Dei voces ad aures admittere recusarent, ipse hora imminentis excidij eis prodita, proximum, quod Comagenis appellatur, oppidum declinauit, Barbarorum præsidio præclarè munitum.

8. Ianuarij.

Seuerinus venit in Pannoniam.

Itaque vir diuinus à Barbaris admissus, antè omnia ecclesiam ingressus est: votis precibusque offensum numen placaturus. Nam & barbari ipsi vltima salutis desperatione fracti, ægrè arma

arma ſuſtinebant; quos Seuerinus ad pietatis
iuſtitiæ arma contra furentem hoſtium impetu
capeſſenda hortatus eſt. At illi animis miſerè fl
ctuabundi, ſalutaria viri Dei monita contemn
bant, conſiliaque vanitatis plena ad exitium vi
dum humano more ſedulò captabant; cùm ec
deuexa quidam ætate vir, qui Dei famulum C
ſturis ſingulari humanitatis officio proſecut
fuerat, Comagduin aduolat, miſerabili luctu fa
bituque ciuitatis ſuæ excidium denuncians. Qu
nuncio cunctis multò magis trepidantibus, fes
ſubintulit; hanc calamitatem nobis noſtra pe
rit rebellio, qua conciues noſtri ſalutaria viri ſa
cti cuiuſdam monita & vaticinia ſpreuêre. Cu
que profundis ſuſpirijs & lamentis ruinam p
puli ſui proſequeretur, ad S. Seuerinum, in eccl
ſia precibus intentum, barbarorum ductu perru
nit. Ibi verò pedibus illius præ gaudio proſtratu
gratias agere cœpit, quod à communi exitij pe
precibus ipſius liberatus eſſet. Deindè ad ci
conuerſus, monuit omnes graui oratione, ne fi
li mentis duritie, diuini viri monita contemne
do, eandem ſibi peſtem machinarentur.

Territi his ciues, pariterque ad ſpem excita
ſupplices ſe ad Seuerini pedes demisêre: obnix
doceri poſtulantes, quibus demùm operibus diu
nę iuſtitiæ ſeueritatem, & imminentis excidij pe
riculum euadere poſſent. Quibus ille indicto ie
iunio triduano, vt oris confeſſione contracta ſce
lera expiarent, & lamentis gemitibusque ſeſe pu
ctarent, mandauit. Paruerunt magna animi ala
critate; & eccè veſpertino tertij diei ſacrificio ad
uentãte, horribilis terræmotus hoſtiũ animos in
exterruit, vt vniuerſis quæ in caſtris erant relictis
ſalutẽ turpi fuga quærerent, & noctis errore co
fu

fusi, mutuis se gladijs miserrimè conciderent. Taliergò aduersarijs internecione consumptis, diuino plebs seruata præsidio per sanctum virum, armis didicit pugnare cælestibus.

Fabianis vrbs est, quæ nunc Vienę Austriæ dicitur.

Eodem tempore ciuitatem, Fabianis nomine, cùm sæua fames opprimeret, nec incolæ aliud sibi in malis remedium præter Seuerinum inuenirent, missis deprecatoribus ad se allexerunt. Qui diuino monitu ad eos pergere iussus, denunciauit protinùs grauissimum iniquitatis pondus tam diræ famis cladem attulisse: quare dignis pœnitentiæ operibus sarcinam impietatis abijcerent: & sic demùm diuinæ clementiæ opem præstò sibi futuram non dubitarent: Incumbunt illi strenuè pœnitentiæ laboribus: & ecce diuina reuelatione Seuerinus viduam quandam nomine Procùlam fruges plurimas occultasse cognouit; quam durissimis, de turpissimo auaritiæ scelere, verbis increpitam in medium adduxit: facileque diuini iudicij rigore proposito, collectam frumenti vim, ciuibus extrema inopia exhaustis, distribuere persuasit. Nec multò post naues de partibus Rhetiarum quamplurimis onustæ mercibus, præter omnem spem & exspectationem in littore Danubij apparuerunt. nam & densa fluminis glacies, Dei imperio ad preces Seuerini soluta est, & furibundæ hyemis vndæ non sine ingenti omnium admiratione placidum nauibus portum concessere.

Viennenses fame laborantes releuantur.

Irruptio Barbarorum.

Per idem tempus cùm prædones Barbari hostili incursu omnia in ciuitatis circuitu popularentur, ciuiú plurimi miserabili valdè luctu oppleti, Seuerini opem implorarunt. Qui Mamertinum tribunum, posteà episcopali dignitate admirandum paucis nulla militari arte instructis, armatas hostium phalanges inuadere iubet. Tribunus quã-

uis

uis in peſtem ruere videbatur, diuini tamen vi oratione egregiè confirmatus, in hoſtes fidens perrexit: & nullo certamine in effuſam fugã co pulit. Arma deindè & ſpolia, nimio timore rel cta collegit, vinctos verò non paucos, vt iuſſu rat, ad Dei ſeruum adduxit; quos ille vinculis be nignè abſolutos, & cibo potuque refectos ad ſuo cum tali mandato remiſit: ne prædandi cupidi te allecti pedem eo deinceps inferre auderen nî mallent horrendo cæleſtis vindictæ iudicio puniri.

**Rugiorum Rex conſulit S. Seuerinum.**

Flacitheus Rugiorum Rex, cùm Gotthorum e inferiori Pannonia vehementer ſibi infenſorum multitudine terreretur, nec ſanum vllum in ſum mis periculis conſilium reperiret, S. Seuerinum tanquam cæleſte oraculum, certiſſima ſalutis ſp conſuluit. Nec eum ſanè cõcepta de viro Dei ſpe fefellit. Poſt multa enim egregia pietatis monita, quibus eum ab omni fraude & inſidijs proximo ſuo ſtruendis reuocabat, hortabatur ne pacem minimorum vnquam expetere erubeſceret, neve de ſuis conſiſus viribus, hoſtium potentiam con temnendam exiſtimaret: ſed omnem regij muneris adminiſtrandi rationem, ex diuini numinis te more peteret. Accidit interea, vt ingens Barbaro rum turba latrocinijs dedita, quoſdam ex Rugi in captiuitatem abducerent, & Regi ipſi in loca admodum opportunis inſidias ſtruerent. Cumque Rex collecta militum manu de hoſtibus vindictam expetere ſtatuiſſet, Seuerinus futuri periculi ignarum, vt inſidias præcaueret admonuit: atque ita Regem, diuino ſpiritu edoctus, ab imminenti clade eripuit.

Erat quidam Maurus nomine, monaſterij, cui B. Seuerinus præerat, ædituus, pretio B. viri de ma-

nu Bar-

nu Barbarorum redemptus. Huic die quadam Seuerinus, nè pede extra mœnia elato captiuitatis se periculo exponeret, præcepit. At ille neglecto B. viri consilio, temerario cuiusdam hominis persuasu impulsus, in secũdo à ciuitate Fabianis miliario, ad colligenda poma egressus, mox à Barbaris vinculis constrictus, Danubium transuectus est. Eadem hora vir Dei sacris lectionibus intentus, clauso repentè codice, Maurum, ait, citò requirite. Quo nusquam reperto, ipse quantocyùs fluẽtalistri prætermeans, latrones properanter insequutus est. Cuius venerandi vultũs conspectu adeò rubore suffusi sunt, vt captiuos ad vnum, omnes ipsi insuper viro Dei supplices redderent.

Prædicit cuidam suum periculum.

Habebant vicina Castelli Cocullis loca ingentem vim locustarum frugibus valdè infestam; ita vt plagæ atrocitate magnam sibi calamitatem impendere cuncti timerent. Malo itaque oppressi ad Seuerinum supplices confugiunt, orationum illius suffragia, certissimum malorum omnium remedium, petituri. Quibus ille, An, inquit, nescitis quid Dominus, qui his vos flagellis erudire conatur, à vobis requirat? Vos sanctissimo illius cultu posthabito, quando sacris insistendum precibus & concionibus foret, sola industriæ vestræ praua confidentia subnixi, rebus vestris prospicere vultis; dumque pia & simplici diuinorum & Ecclesiæ præceptorum obedientia, mala cuncta propulsare, & florentissimo rerum omnium successu affluere possetis, nescio qua consilij temeritate, inanes labores cum calamitoso rerum vestrarum exitu suscipere malitis. quare si & imminentem cladem auertere, & diuinæ clementiæ fauorẽ vobis conciliare vultis, sanctorum vestigijs insistite, ieiu-

Contra mala à Deo immissa quid agendum, docuerit.

ieiunijs & lamentis mentes scelere pollutas purgare, curas anxias & sollicitudines inanes nihil postponite, & æternæ animarum vestrarum saluti cum ardenti pietatis studio incumbite. sic demum à cunctis malis liberati: statum rerum vestrarum omnibus bonis mirificè affluétem possidebitis. His piæ adhortationis stimulis concitati, ieiunijs, precibus & eleemosynis ad diuinam misericordiam implorandam se composuère. Omnibus ergò pietatis operibus acriter intentus pauper quidam à cœpto pietatis opere resiliens ad agrum, qui exiguus admodum inter alios erat recta contendit, & toto die anxius impendentem locustarum nubem, quâ potuit, industriâ extrusuit, moxque ecclesiam communicaturus intrauit. Sed segetem eius exiguam, multis vicinorum circundatam frugibus, locustarum densitas deuastauit. Quibus eâ nocte ab illis finibus diuino imperio exterminatis, probatum est, quantum valeat fidelis oratio. Manè quippè sancti operis temerator atque contemptor, rursus ad agrum suum matutinè securus egrediens, eum locustarum pernicie funditùs inuenit abrasum; & omnium circumquaque sationes integras vehementer admirans: fructu lamétatione delicti sui grauitatem agnouit. His occasione abrepta, homo Dei docebat cunctos quâ prudenter rebus suis veræ pietatis studio consulerent.

Seuerinus captiuorum & inopum, Patronus præcipuus.

Captiuorum & egenorum tantam, ingenitâ sibi pietate, curam habebat, vt omnes penè per vniuersa oppida vel castella pauperes, ipsius industria pascerentur. quibus tanta animi lætitia ministrabat, vt tunc se crederet suauissimis epulis refectum, bonisque omnibus abundare, quando videbat egentium corpora sustentari; & cum hoc

dom

domadarum sæpè continuatis ieiunijs minimè frangeretur, tamen esurie miserorum grauissimè se credebat afflictum.

Interea fama virtutum eius longè lateque dispersa, Paulinus magno eum videndi studio tenebatur. Peruenit tandem ad beatum virum, à quo summis non vulgaris beneuolentiæ indicijs susceptus: mox audiuit; Festina Venerabilis presbyter, quia citò obluctantem episcopalis dignitas exornabit. Cuius prædictionem veritas statim subsequuta est. Nam ciues Tigurinæ, quæ metropolis est Norici, coegerunt eundem presbyterum summi sacerdotij suscipere principatum.

Prædicit Paulino, quod futurus sit Episcopus.

Post hæc leprosus quidam Mediolanensis territorij, præclara sanctitatis eius fama excitatus, sanitatis remedia suppliciter imploraturus aduenit: quem monachis suis, indicto ieiunio commẽdans, omni lepræ deformitate mundatum à se dimisit.

Mundat leprosum.

Cùm autem alios multos varijs languoribus & calamitatibus oppressos liberaret, Bonosus S. Seuerini monachus, oculorum imbecillitate plurimum prægrauatus, medelam sibi præstari eius orationibus poscebat, dicens; Aduentitios & externos salutaris gratiæ sentire præsidia, sibi verò nullam opem aliquatenus exhiberi. Cui vir Dei: Fili mi, non tibi expedit ab hac oculorum molestia liberari, & aciem corporei luminis habere perspicuam, quin potiùs ora vt obtutus vegetetur interior. Quid enim? An non magis grata & iucunda, lux illa interna esse debet, qua per amplissima cęli spatia mente vagaris, quam corporeum hoc lumen, quod tibi cum brutis commune est, & ea tantùm quæ ante pedes sunt cernere vales?

Quibusdam sanitas pernicioſa.

Erant in loco Barotro, tres monasterij sui mo-

Tres superbos monachos castigat.

nachi,tanto superbiæ veneno infecti, vt vix vl
medicamentis ad integritatem mentis reuoc
possent. Hos sanctus Dei, cum manifestè in se
piternum exitium ruere animaduerteret,duri
mis flagellis erudiendos suscepit.Nam fusis cu
ardenti lachrymarum vi, ad Dominum pr
cibus,dæmoni illos vexandos cruciandosque p
misit.Vix enim oratione expleta, vno omnes m
mento à dæmone correpti, cõtumaciam anim
fastum, miserrimo eiulatu confessi sunt, quos b
tim benignè susceptos, per quadraginta dies d
ris pœnitentiæ laboribus mancipauit.Quibus
tè expletis, magna orationis virtute dæmon
vincula soluit,& corporis animique sanitat
illis restituit.

Obitus sui diem prædicit.

Post multa autem eximia sanè alia pietatis
pera,quorum singula hic attexere operis instit
ti ratio non postulat,cùm obitus sui diem ante b
ennium,quam migraret fratribus reuelasset,
liaque plurima prophetico spiritu pronunci
set; omnes ad cælestis patriæ amorem indefe
studio sectandum hortatus est: & sic demùm s
to Idus Ianuarias placidè in domino obdorm

Moritur.

uit.

Sacrum illius corpus, multo post tempor
sarcophago barba & capillis integrum inue
tum:summa veneratione indè in Italiam transl
ctum est. Nam Odoacer commisso prælio cu
Friderico, Feletpæi regis filio, vt Rugos stra
expugnauitque incolas residuos Italiam coler
voluit.qui tanti viri corpus, vt tutissimum per
grinationis suæ ducem elegerunt. Ipso autem i

Miracula ad locum eius.

itinere cum ad montem Feletem peruenisse
mutus quidam firmissima salutis spe de bea
viri sanctitate concepta ad loculos fidenter a
cess

cessit & protinus lingua vinculo suo soluta laudes altissimo dixit. Inter hæc Barbaria illustris fœmina, quæ mira erga beatum Severinum devotione flagrabat, vt primum de corpore eius in Italiam adducto certior facta est, non destitit importunis literis Marcianum presbyterum sollicitare, vt cum sacro totius congregationis suæ cœtu, beati corpus in mausoleum suum, in castello Lucullano à se cõstructum inferre dignaretur; Vbi insigni celebritate per manum Victoris Episcopi collocatæ reliquiæ beati viri, locum multis miraculis admodum clarum reddiderunt. Monasterium autem eodem in loco constructum & sanctissimis eius meritis consecratum hactenus perseverat; cuius intercessione multi è dæmonum potestate erepti & corporis & animæ sanitatem consequuti sunt, & consequuntur.

Monasteriũ S Severini post obitũ eius constructum.

## VITA SANCTI LAVRENTII, PATRIarchæ Venetiarum. *Ex ea quam Bernardus Iustinianus Orator nepos ipsius copiosè conscripsit. Claruit Anno Domini 1410*

Vide Io. Molani annotationes in martyr. Vsuardi.

LAVRENTIVS Venetiarum protopatriarcha nobilissima cum primis familia quam fama antiquis Venetorum celebrata monumẽtis, à Iustiniani posteris defluxisse tenet, patre Bernardo de Iustiniano: matre verò Quirina natus est. Illum ipso ætatis flore in medio honorum omnium decursu amisit; hæc anno ætatis quarto supra vigesimum viduata viro, & quinque liberorum genetrix, reliquam ætatem duxit cælibem: assiduis votis precibusque Deo sociata. Quin & deliciarum omnium deinceps ignara cilicio & ænea carnem domauit catena-

8. Ianuarij.

Genus S. Laurentij Familia Iustiniana.

Nota sanctitatẽ nobilis matronæ.

vt interim taceam ieiunia & vigilias, quibus
&tabilem viridis iuuentæ formam penitus de
uit. In pauperes & egenos mirè benefica; non
ſtitit ſuam ſobolem ad idem miſericordiæ op
& verbo inſtruere & exemplo. Hac igitur
præclara ſtirpe in lucem prodijt noſter hic La
rentius ſub finem belli Genuenſis; die ipſo, quo
niuerſa ciuitas, pro inſigni ad Clodiam victo
ſupplicationibus, & omni genere lętitiæ red
dabat. In ipſa protinùs ætate primæua, venuſtat
morum declarauit ſingularem. Nihil illo
ſuauius, nihil decentius. Cum maioribus nam
benter eſſe: cum æqualibus facilis: minores a
plecti.

Cæterùm excellenti videbatur animi magni
dine, & ad ſummas res ſemper intenta. Nihil
ludicri delectabat, vt ſolet cæteros iuuenes: ſed
magnas res diuina ſapientia rapiebat, ita vt
quando Quirina mater metuens, ne aliorſum
rumperet ille ardor animi, & mũdi honores
plecteretur pluſquam par eſſet: quin tu, inq
hanc mi fili inſaniam, mittis? Infernum ſapit
ſuperbia. Cui ſubridens Laurentius, veluti per
cum, Noli timere, ait, mater: magnum me Dei
uum adhuc videbis.

Annum erat natus vndeuigeſimum, eius ſci
cet ætatis, in qua carnis illecebræ ancipitem fa
re ſolent humanæ vitæ viam. Dominus autem
ſus manum ei adhibere volens, apparuit illi, ſe
ipſe in eo libello, qui faſciculus amoris inſcri
tur, meminit. Ipſius verba ſubiiciemus; Eram
ſtri ſimilis, quærens æſtuanti deſiderio pacem
rebus extrinſecis, nec inueniebam. Tandem q
dam virgo ſole ſplendidior mihi apparuit, cu
no

nomen ignorabam. Hæc propiùs accedens, venusto vultu, placidoque affatu: O iuuenis, inquit, dilecte, cur effundis cor tuum, & pacem sectando per multa variaris? Quod quæris, penes me est; quod concupiscis tibi polliceor: si tamen in sponsam me habere volueris. Quum verò nomen ipsius, & genus, & dignitatem scire peroptarem, se ait sapientiam Dei esse, quę propter hominum reformationem, humanam formam susçepit. Assensi igitur, & dato pacis osculo læta discessit. Christus illi apparet.

Hac igitur visione perculsus, rem detulit ad Marianum Quirinæ matris consobrinum; qui fuit tam vita quam doctrina sanctissimus. Is quanquã magnum aliquid portenderet, & ardentem iuuenem ad omnem altissimæ vitæ rationem intelligeret; perspicere tamen penitiùs illius animum, & corporis firmitatem experiri maluit. de vestitu nihil mutauit, nè cultus sordidior proderet animi propositum; sed matri nimium amanti secretum esse non potuit. Quæ quum præter suspiciones alias, ligna quædam rudia semper lectum sternere, superque his cubitare filium deprehendisset, (vt est matrum natura mollior) metuens ne filius non satis difficultates religionis intelligeret, induxit in animum tentare illius propositum, & nuptias apparare. Id cùm animaduertisset filius, & fratres cum matre coniurare perspiceret, fugã maturauit: atque ad Marinum auunculum se contulit in religionem Canonicorum collegiatorũ, qui S. Georgij in Alga nuncupantur. Dicebat autem initio conuersionis proposuisse animo, hinc omnia bona fortunæ, nobilitatem, magistratus, honores, vxorem, liberos, pecuniam, & omnis præterea generis voluptates; illinc inedias, vigilias, æstus, algorem, seruitutem; edisse deindè Nota stratum S adolescentis.

Obserua prudentiam in capessendo statu religioso.

quasi iudicē inter ista, & ab sese ita exegisse. Co
sidera nunc etiam atque etiam Laurenti, qui
gas; putasnè hæc perferre poteris, aut illa co
temnere? Tum sese ad domini crucem conu
tisse; Tu es Domine spes mea: ibi posuisti cer
simum refugium tuum. Sic cōfirmatus animo,
licta matre fratribusque, calcatis præterea
bus & honoribus, & florentis ætatis illecebris,
cœlestem militiam profectus est.

Exercitia corporalia ad pietatē.

Primum igitur sibi certamen instituit c
corporeis illecebris, cuius viam breuissimam
dicauit, si nihil illis molle concederet, sed b
sum gereret quasi cum hoste capitali. Nihil di
de cibi parcitate incredibili, nihil de sitis tole
tia, nihil de vigilijs; tantum eximiam eius pati
tiam proponam, quæ tanta fuit, vt omnibus
turæ necessitatibus euictis, in plagis verberib
que, quæ sibi dura in manu inferebat, vehemen
exultaret. Incidit initio religionis in morbū fil
larum. His omne collum repletum est. Despe
bant medici de iuuenis salute. Vnum remedi
dabant, si setis equinis per transuersum collu
sæpè deductis corrupti humores educerentur,
urerentur deinde ferro candenti. Verum tim
bant ne dolorem ferre non posset. At Laurent
vultu, quo semper erat æquali, Quid dubita
ait, fratres? Secet & vrat medicus vt libet. Tra
ctus itaque, & sectus & adustus est. Vbi illud a
miratione dignum, quod præter vnam vocem
su semel emissam, ne minimum quidem gem
tum edere deinceps auditus sit.

Spiritalia eius exercitia.

Hæc de corporis attritione & quidem pauca
multis: sed veniamus ad animum, vbi plus ne
tij

tij videtur. Humilitatem, quam ipse cæterarum virtutum reginam appellabat, tanto studio sectabatur, vt nihil nisi de peccatis suis loqui, sua detestari, contemni ac despici cuperet. Opes & honores contemnere non tantæ virtutis esse existimabat, quam contemptum appetere. Paupertatem tanquam sponsam charissimam amplectebatur. Erat illius constantia, (quod rarò solet accidere) mira simul humanitate & veneratione condita. Sermone fuit suaui, breui, & pondere pleno. Fuit illi præcipuus in adolescentia socius, tam genere, quam diuitijs clarus. Is fortè aberat, & in Oriente negotia gerebat, quando Laurentius Dominum sesum sequutus est. Hoc cum accepisset iuuenis, ignarus quid esset animus diuino spiritu afflatus, quantaq; virtute polleret sacrosancta religio, ad monasterium cũ citharędis & armato iuuenum globo aduolauit, scelerate, spe, vt socium ad vomitum prouocaret: aut certè reluctantibus fratribus armata manu, indè educeret. Sed vt in conspectum illius venit ita, animo repente mutatus est, vt moribus Laurentij, vitæque illius consuetudine, nihil iucundius, nihil sibi gratius videretur. Interim Laurentius blando animum illius sermone demulcens effecit, vt iam rerum terrenarum nauseabundus sola cælestia apud cogitationes suas pertractaret factũq; est, vt qui laqueos amico tendere venerat, ipse in casses salutares incideret. Quidã verò religiosę vitę socius importunis dęmonis tentationibus victus ad relicta in sęculo vitę oblectamẽta redire decreuerat: prius tamẽ Laurẽtij Cõsilium exploraturus, decedenti verò Laurẽtius decoctũ aqua lauri ramusculũ in horto plantandum tradidit; cũ præcepto, vt siquidem reuiresceret, stabili mente in suscepto religionis

gionis propoſito perſiſteret. Deſixit ille hu
aridum bacillum, qui paulò pòſt pulchrè fro
deſcens: aridam pietate fratris iſtius mentem
darguere viſus eſt. Vndè abiectis inſtabilitatis
gitationibus; nouo feruore ſacra arma religio
reſumpſit.

Claret prophetiæ ſpiritu.

Porrò Laurentius zelo animarum flagranti
mus, ea erat mentis in Deum puritate, vt prop
tiæ ſpiritu clariſſimus miro omnium concur
celebraretur. Fama virtutum minimè obſcur
cum ad aliorum, tum ad Eugenij Romani Pon
ficis peruenit aures. Qui ilicò animum indu
ampliſſimæ Venetorum Reipubl. tam eximia p
tate & prudentia virum, pontificali infula dec
ratum præficere. At ille ciuſmodi honorum
dignitatum fugibundus, in abditis aliquam
locis delituit; binaque vice dictis factisque re
ſtendo, ſatis ſuperque declarauit, quanto amo
humilem monaſticæ vitæ conditionem, iſtis h
norum titulis præferret. Sed patrum ſenten
adactus, & ipſius Eugenij ſecundis litteris impu
ſus, pontificatum inijt, ætatis ſuæ anno quinqu
geſimo. Inijt, inquam, nulla pompa, comitatu m
niſtrorum nullo; nam toto pontificatus tempo
re, quod trium & viginti annorum fuit, quinq
famulis contentus fuit; quanquam grandis fa
miliæ cura, vehementer ſe premi dicere ſolo
bat; Chriſti pauperes videlicet intelligens: quo
rum illi aſſidua ſub pectore ſollicitudo vig
bat.

Fugit Epiſcopatum.

Fit Epiſcopus inuitus.

Cura pauperum.

Inter cætera autem Dei dona, haud minimũ fu
illud quod ſui ſemper ſimiles, alios quoſcumq
ad ſe accedentes vera lætitia exhilaratos dimitte
ret: ac nulli omnino occaſione querularum reli
cta, omnibus ſatisfaceret. Hinc mali æquè ac bon
faci

facinoroſi ac modeſti, ſummo eum ſtudio colebant. Erat totus corporis habitus tanta modeſtia ac ſuauitate compoſitus, vt omniũ animos in ſui amorem raperet; Initiò Pontificatus decretum æ-diderat de mulierum ornatu, vxorijs maritis vehementer ingratum. Vnde Dux ipſe Venetiarum, libertati ſeculari metuẽs, indignabũdus eũ accerſijt, verbiſque durioribus increpitum compeſcere voluit. At Laurentius pro inſita grauitate ac manſuetudine, tale reſponſum dedit, vt Dux lachrymis infuſus ad aſtantes diceret; Angelus non homo locutus eſt. Fungere Pater tuo officio. Vicit ille multorum malitiam, extinxitque inuidiam; cuius ſanè expers non fuit. Inter alios fuit quidam præſul haud infimæ auctoritatis, qui varijs eum quotidie onerabat calumnijs. Vtque diutinæ inuidiæ ſuæ fructu tandem potiretur, conuentum indixit virorum ſanè doctrina & dignitate præſtantium, ſpecioſo quidem nomine, vt quæſtiones Theologicæ de more ventilarentur, re autem vera, vt decretum Laurentij de ſumptu & ornatu mulierum ſubuerteret; ac virum ſanctum omnium odijs inuolueret. Et quidem illo in conuentu, multis innocentem contumelijs inceſſit, perſtrinxitque acerbè; vt Laurentius placidiſſimo animo omnia accipiens, ardentibus charitatis Chriſtianæ iaculis eum rurſus petebat; illũ interdum ſubiungens: Dominus Ieſus, cuius negocium agitur, ipſe aderit honori ſuo:

Humanitas & modeſtia eius.

Manſuetudo & patientia eius.

Hinc euenit, vt quo magis æmulorum præmeretur inuidia, tanto bonorum omnium fauore ſublimius extolleretur. Nicolaus quintus Pontifex Romanus ſola virtutum fama commotus, Venetis eum Patriarcham dedit. Defuncto ſiqui-

dem Gradensi patriarchatum à Grado, nobi
quondam vrbe Venetias transtulit: idque nec o
gnita nec postulata Senatus voluntate quippe q
non minus ciuitatem de facto, quam homine
exornare cuperet.

Sententiæ eius memorabiles.

Sed quia mores & actiones illius hactenus ali
qua ex parte prosecuti sumus, subijciemus etiam
de dictis aliqua memoratu digna. Dicebat. In mo
nacho cælestis patriæ desiderium, nullius rei co
piditate retardari debere. Eorum autem propos
ta, qui nomina sua religioni darent, acri admod
iudicio esse pẽsanda, ne dùm ineptus susciptu
ab eo aptus corrumpatur. Rigiditatem monastic
vitæ in copioso numero diu saluam consisten
non posse, Raram siquidem esse perfectionem
Paupertatis donum, quantum esset neminẽ nosse
nisi qui secreto cubiculo & contemplatione de
lectaretur. Consultò Deo gratiam religionis ho
minibus occultasse; Nam si cognosceretur illius
fœlicitas; omnes ad eam concurrerent. Neminem
benè scire quid esset humilitas: In nullo enim
tam falli homines, quam in vera humilitate co
gnoscenda. Veram scientiam esse scire hæc deo
Deum esse omnia, & se nihil. Sæpe monebat, nus
quam amittendam de Deo fiduciam. Illam esse, q
qua animæ vita consisteret. Diuitem dicebat non
posse saluari, nisi per eleemosynã. Tanto facilius
esse munus Imperatoris aut Ducis, quam Episco
pi: quanto difficilius esset quæ non videas regere,
quam quæ videas.

Cum de rectoribus ciuitatum secularibus lo
queretur, quasi illorum laboribus condolens,
non sine clementia Dei fieri putabat, vt virtutis
comes esset gloria, & quasi laborum, curarumque
delinimentum aliquod. Tantisper autem gloriæ

cupi-

cupiditate ignoſcendum, dum virtutem velut ancilla ſequeretur, non autem quaſi domina præcederet. Orationes eius apud diuinam clementiam magnum ſanè pondus habuerunt; cuius rei certiſſimum exemplum proferam:

Orationum eius efficacia.

Eſt propè Corcyram locus aſper & incultus, vbi vir eremita triginta & amplius annos, vitæ abſtinentia, & orationibus: & quod primum ferebatur, prophetiæ ſpiritu inſignis agebat. Gerebat fortè Corcyræ negotium vir Venetus, tam genere quam moribus præſtans flagrante bello, quod cum Philippo Mediolani Duce gerebatur, & afflictiores viderentur eſſe res Venetæ, adijt virum Dei rogauitque, nunquid Veneta Reſpublica, vt ferebatur, deplorata eſſet. Ad quem Eremita; Commotus eſt furor Domini inquit, contra vos, qui verbum Domini proiecistis, Et niſi Pontificis veſtri lachrymæ interpellarent pro vobis, iam dudum quaſi Sodoma periſſetis.

Tale de Laurentio têſtimonium retulit eremita in medijs Corcyræ rupibus & ſpeluncis. Cui non ſolum Laurentius, ſed omnes ferè mortales incogniti erant & inauditi.

Agebat annum quartum ſupra ſeptuageſimum corpore quidem imbecillo & tenui, ſenſibus autem integris & merè vigentibus. Ingraueſcens ſiquidem ætas, inediæ, vigiliæ, algoriſque ab ipſa adoleſcentia ſuſceptis incommodis, totum corpus attriuerat. Cumque iam iam æternæ vitæ iter capeſſere videretur, ſermonem habuit de mortis vtilitate ac cæleſti vita mira quodam ſenſu ac grauitate verborum. Erat ei chariſſimus in Chriſto filius, Marcellus nomine, clarus genere

nere, ſed vita clarior; vir bonus & iuſtus. Laurentium autem tanto amore complectebatur, vt negaret ſibi quicquam in vita ſine illo iucundum futurum, Cui Laurentius: Marcelle, inquit, nihil eſt quod de meo diſceſſu crucieris. Ego quidem pręcedo, tu verò hoc paſchate meis in cœlo fruoris amplexibus. Hoc verbo lętior Marcellus q̃ triſtios factus, initio quadrageſimæ acri febre correptus, in paſchate, vt prædixerat, ad ſepulturam elatus eſt, Dilectiſſimo autem filio ſuo Hieronymo grauiter laboranti, ſalutem & prædixit & reddidit. Nam cum omni medicorum ſpe deſtitutus pro mortuo haberetur, mater autem & ſorores, vnicam adhuc ſanitatis ſpem in ſancti viri orationibus conſtitutam haberent, iuſſit vir Dei eas nihil ſolicitas eſſe: ſe namque à Deo ſalutem filio impetraſſe.

Prædicit obitum Marcelli.

Alia prophetia.

Cùm autem Laurentius longiori corporis infirmitate oppreſſus iter ſibi inſtare manifeſto intelligeret, multa verborum ſuauitate omnibus ſempiternam ſalutem imprecatus, inter dulciſſimas Angelorũ voces, ſpiritum Deo tradidit. Tùm ingens populi multitudo confluxit miro ſanè antiſtitis ſui viſendi ſtudio; ſtatimque lis inter canonicos & fratres S. Georgij oborta, quinam tãti viri reliquijs fruerentur. Hi cum ex præcepto patris ſui repeterent, quod mandauerat de loco ſepulturæ, illi ſacros canones afferrent, vt prælati in proprijs eccleſijs ſepelirentur, neque ſemper defunctorum ordinationibus parendum, ex Marcelli Pontificis exemplo probarent; corpus in eccleſiæ ſacrario reponitur litis euentum exſpectaturum. Et eccè ad omnem de viri meritis & ſanctitate dubitanti occaſionem tollendam, ſuo ita

Reddit ſpiritum.

Inſigne miraculum.

vigo-

vigore diebus 67. integrum & incorruptum permansit vt biduo post, rubescentibus genis viuus per membra sanguis conspiceretur. Tùm verò & admiratio, & stupor & clamores. Itaque litigantium alij instantius sacrum pignus efflagitant, alij diligentiorem custodiam adhibent. Sed tota ciuitas tantę rei miraculo mota, dare operam voluit, ne eiusmodi ornamento, vel primi, scilicet, vel sanctissimi patriarchæ reliquijs, patriarchalis ecclesia spoliaretur. Quæ autem miracula deinceps acciderint, quæque accidant quotidie ad eius sepulchrum, cum omnem scribendi facultatē multitudine & præstantia superent, ea non aggredisatiùs esse existimaui.

Celeberrima miracula ad Sepulchrum eius.

*MARTYRIVM S. MARCIANAE VIRginis quod subijt in Cæsaria Mauritaniæ, Anno domini 302. Marcelli papæ 6. Dioclet. & Maxi. Imp. 19. Ex vetustis M. S. Codicibus quibus respondent Tertullianus in Apologetico in gentiles Petrus de Natal. & Vincent. in Specul.*

Vide C. Bas. Not. in martyr. Rom. Item Tom. 2. Annal.

BEATA Virgo Marciana, & generis dignitate & corporis specie inprimis inclyta, facibus æternę gloriæ mirabiliter incēsa, spreta mundi huius pompa, contemptisque diuitijs, vt plurimū solitaria, de virtutis pulchritudine & Christi regno philosophabatur. Cū vero die quodem Cæsareensem ingressa vrbem, Dianæ simulachrum omni populo venerandum contempla, ret propositum: zelo diuini cultus inflammata statuam deiecit, & virili quodam ausu pedibus contriuit. Accurrit ilico plebs insana Deæ suæ superstitione ebria, obuijs, quæ sors dabat, armis instructa

9. Ianuarij.

Conterit Dianæ Idolum.

Prostituitur Lenonibus.

structa eamq; crudeliter cædentes, semianimem ad prætorij atrium protraxerat. Ibi verò Iudæ dæmonis propugnator miserrimus, lenonibus e prostituendam exhibet. Illa quidem Christi potentiæ confisa, exultans ad Lupanar processit. Interea ingruentibus noctis tenebris gladiator i eam irruit, sed diuina virtute repulsus, concepti animo scelus pudibundus detestatus est. Secúdi dein & tertio alijs violanda est tradita, sed diuino fulta præsidio, castissima semper intacta permansit.

Manet intacta diuina ope.

Obijcitur Leoni qui ei blanditur

Quo quidem miraculo Præsidis impietas, non modo non concidit, sed nouo quoque scelere cumulata, virginem ferocissimo Leoni obiecit. At fera impijs dæmonum cultoribus humanior, virginis plagas lingere, & collo caudaque blandiente obsequium exhibere non destitit. Quare populo stupente & libertatem virgini immenso clamore postulante, Iudæus quidam Burdarius nomine, princeps Synagogæ, vna cũ filijs, Iudici suggessit, vt taurum in virginem demitteret. Iudex Marcianæ interitum exoptans, non modo taurum sed & Leopardum immani feritate produxit, qui vno impetu sanctissimæ virginis animam excussit. Verum haud impune impio Iudæo consilium hoc cecidit. Nam domus eius cum incolis vniuersis cælesti igne conflagrauit, posterisque hoc diuini iudicij monumentum reliquit, quod nullis artibus vel sumptibus exusta domus restaurari potuit.

Iudæus Archisynagogus impijssimus.

MARTY-

## MARTYRIVM S. IVLIANI AC SOCIORUM, & vita Basilissæ virginis, coniugis eius, ex Metaphraste. Coronati autem sunt Anno domini 311. Eusebij 3. sub Maximino in Oriente regnante. Anno (iuxta Eusebium) persecutionis decimo, per Diocletianum excitatæ.

Vide Cæs. Baro in Not. tat. marty. Rom. Tom. 3. An.

BEATVS Iulianus, claris admodum natalibus ortus, vnicum idque chariſſimum parentum ſuorum pignus, cùm eſſet maximarum artium diſciplinis optimè inſtitutus, & præſtantis ingenij eruditione, aditum ſibi ad omnes mundi honores aperuiſſet, diuino impulſus ſpiritu facilè mundi ludibria, pro nihilo reputauit: & veſtigijs ſanctorum aſſiduò inſiſtens, veros honores, veraſque voluptates aſſecutus eſt.

9. Ianuarij.

Genus Iuliani.

Erat ei frequens ad ſanctorum limina excurſus, dumque attentius ibidem preces funderet, ſumma ſibi ope ſemper enitendum putabat, vt aliqua virtutum earum; quibus illi ſancti in vita præcipuè claruerant, exempla in ſe exprimeret. Hoc tam inſigni pietatis ſtudio parentes eius vehemẽtèr delectati, conſilium inierunt, vt filium ſuum iuſtis & ſanctis matrimonij legibus aſtringerent, ne eximius ille & planè diuinus ſpiritus, quem corpore incluſum gerebat, illius tantum ætate contineretur, ſed eum in aliquem corporis ſui filium transfunderet, quamuis enim non ſemper filij præclaram parentum indolem imitentur, magnam tamen in Dei bonitate ſpem repoſitam habebant, vt patris pietate præditus naſceretur, quem perpetuo diuino cultui conſecrare decreuerant.

Sanctorum ſepulchra viſitat.

Aſſi-

Virginitatē suā septem dierum precibus Deo cōmendat.

Assiduis itaque monitis parentum victus Iul-
nus, parentibus tale responsum dedit; Se quid
optimorum parentum consilium absque ingr
animi scelere aspernari non posse, hoc tamen
num orare & obsecrare, vt septem dierum spa
um cum Deo communicandi concedere dig
rentur, ac tum demum quod diuina bonitas ins
rare videbitur, prompto alacriq́ue animo se
cturum. Annuerunt faciles huic petitioni, & il
quidem postquam multis virginitatem suam pr
cibus Deo commendauerat, septima tandem n
cte instante, Dominus ipse præsens adfuit, & m
ta verborum suauitate seruum suum consolat
Nihil, inquit, dubita castam coniugem assume
Ego enim vos diuino munere ab omni carnis p
tatis corona in cælis donabo. Pergite modo & c
tulantia immunes seruabo, & clarissima virgi
lestis virtutis exemplo, ad similem virtutis gl
riam plurimos excitate.

Virgo ei desponsatur.

Hac Dei virtute mirificè confortatus adole
cens, prodijt è cubiculo, & vultus sui hilarita
parentes ab omni tristitia ad gaudium inuita
Tùm ait: Agite parētes optimi, Consilium ves
Dei nutu comprobatum, toto animo amplecto
Hoc responso incredibili gaudio elati, virgine
cum moribus & generis nobilitate insignem, ti
diuitijs præstantem, parentibus suis vnicam, Ba
lissam nomine maxima celebritate, cum incred
bili cognatorum omnium gaudio, iuueni desp
derūt. Cumq; omnia canticis & tripudijs pers
narent, nihilque non esset, quod animos eorum
ad imtēperantiæ illecebras prouocaret, Iulian
tacito corde victoriam libidinis à Domino im
plorabat. Et Thalamum animo securo ingress
virginem casto admodum amore amplexatus es

Assiduo pro virginitate conser. uāda Deum orat.

pen

assiduisque Deum precibus inuocans, tanta repentè suauissimi odoris fragrantia thalami locũ impleuit, vt virginis animus ab omni carnis voluptate subitò auersus, nihil præter cælestes delicias appeteret. Tùm conuersa ad Iulianum, mi sponse, inquit, suauissime, Nescio planè quænam odoris suauitas, quam ego præter omnem temporis rationem hic percipio, me penitùs ab omni libidine auocat. Cui Iulianus: hic odor non temporis, sed Christi castitatem amantis opus est; qui ab impuro carnis amore ad castissimum sui amorem hac odoris suauitate nos inuitat. quare si mecum, ô Basilissa, carnis cupiditate compressa, illi tota mente seruire velis; tale tertò præmium cõsequemur, quale nõ dicò verbis exprimi, sed nulla mentis cogitatione comprehendi potest. Ad hæc Basilissa: Certè mi Iuliane, etsi nihil aliud foret, q̃ præsentis voluptatis oblatio, ea sola nos omnẽ carnis voluptatẽ facilè repudiare compellit.

Basilissa puritati corporis libenter consentit.

Iulianus hoc proposito sponsæ suæ, incredibili gaudio perfusus, statim corpore in terram prostrato, diuinæ bonitati immensas gratias egit; quẽ simili humilitatis officiò, Basilissa protinus imitata præ gaudio lachrymas continere non potuit. Tandem noua Christi præsentia mentes eorum ad constantiam egregiè confirmatę, consilium inter se inierunt, quomodo grati animi significationem pro tam præclaro beneficio, Christo declararent. Post multa consilia visum est, nihil Deo gratius esse, nihilque à se præclarius ad sempiternam gloriam suscipi posse, quàm vt sua ipsorum salute, iam quodammodo stabilita, animarum pretioso Christi sanguine redemptarum cruam susciperent. Nec segniter rẽ aggrediuntur, sed partibus vnicuique suis distributis: hic viros, illa

Orat Sanctus in solo prostratus.

Animarum saluti incũbunt.

mulieres & virgines, incenſo pietatis ſtudio virtutis amorem & Chriſti fidem adducit. Tan autem dexteritate in hoc officio verſati ſunt, Iulianus decem monachorum millia Chriſto ſi ſignis militantia haberet: nec minori virginu numero Baſiliſſa illuſtris eſſet. Hos autem omn ſacris monaſteriorum ſeptis, quæ ſuis ſumptib ædificauerant, incluſos habebant.

Iulianus Abbas compluriũ monachorum.

Interea hiſce temporibus perſecutionis furo vehementer creſcebat, adeò vt Chriſtianorum nemo tuto loco conſiſteret, cuius rei gratia ſanc nus & Baſiliſſa cum ſacro ſuorum cœtu noctes eſq́ue ardentiori pietatis ſtudio incumbebant Baſiliſſa verò in ſomnis à Deo de coniugis ſ martyrio admonita, eum ad certamen forti & i uicto animo ſubeundum admonuit; mulroq magis de commiſſo ſibi grege ſollicita, aſſidu Deum pro earum in fide conſtantia precata e Cumq́ue inſigni oratione cum lachrymis omn ad virtutis ſtudium ardentiùs ſectandum horta fuiſſet, locus ille in quo conſiſtebant, intremu & mox columnam igneo fulgore cum crucis ſ gno his verbis inſignitam aſpexit: Baſiliſſa perg vt cæpiſti. Sacer ille virginum chorus tuæ pietat commiſſus oculis meis gratiſſimus eſt: nec aliq earum mentem ſcelere oppreſſam gerit; quar viriliter agite, ego vos perpetuo immortalitat munere donabo. Hac viſione Baſiliſſa incredi bili gaudio elata, cum ſe totam diuinarum re rum contemplationi tradidiſſet leni morbo oppreſſa ad Deum migrauit. Quam meritò Bea tus Iulianus ſepulchri honore proſecutus eſt ſacrisque vigilijs memoriam eius aſſiduò re coluit, & ipſe denique tam excellenti pietatis virtutumq́ue omnium ſplendore effulſit,

Baſiliſſa valdè ſollicita eſt pro ſuis virginibus.

S. Baſiliſſę obitus.

vt Mar

vt Martianus, præses audita viri fama, haud mediocriter incandesceret. Assessorem autem suum destinauit, cum electa procerum manu, vt eum ad Imperatorum obedientiam, cultumq; hortentur deorum. Aduenit Assessor, quia verò Iulianus propter natalium suorum claritatem summo ab omnibus honore colebatur, prima fronte multum ei detulit: verbisque honorificis Martiani mandatum exposuit. Erat tunc cum Iuliano haud exigua sacerdotum & diaconorum turba, qui mortis terrore impauidi tyranni minas minimè formidabant. Itaque cælestis agonotheta sua suorumque voce Assessori respondit: Christianorum mentes à vera fide & Christi cultu, ad dæmonum cultum neutiquam deficere consueuisse. Interrogante autè Assessore, num episcopi & clerus, quos sibi aggregauerat, eius disciplina imbuerentur: respondit martyr; non discipulos eos, sed patres esse: quorum opera Deo geniti essent. His dictis, Assessor, visa viri constantia, Martiano cuncta ex ordine retulit, qui præcipiti furore, adunatam sanctorum multitudinē, solo Iuliano carceri reseruato, subiectis ignibus cremari iussit. Factum vt imperatum: & omnibus flammarum voracitate absorptis, Iulianus ad celebre certamen, carceri mancipatus. Nec diu quieuerat, inquieta mente tyrannus. Altera luce è tenebris & squalore ad iudicium iniquitatis, agonotheta cum produceretur, ciuitas omnis in populum effusa, mira densitate eum insecuta fuit.

**Socij Iuliani viui cōburuntur.**

Ardebant enim omnes incredibili amore viri cuius beneuolentiam multis signis testatam habebant. Tunc Præses latentem sub pectore irā, vultu seuero, & voci terribili expromere orsus, Itanē, inquit, tu Iuliane, Deorū nostrorū contem-

**Iulianus tribunali sistitur.**

ptor, magicis tuis artibus plebem in sceleris
communionem pertrahere non vereris? Iulian
nihil omninò adhæc. Tùm rursus Martianus: V
deo te sceleribus tuis oppressum, responsum re
dere non posse. At Iulianus vultu toto ad grau
tem & lętitiam composito, Ego, inquit, sceleribu
nullis affinis sum, nec vllum cum impietate co
mercium habeo, ideoq́;, nec te, qui totus ex fra
de & mendacio compositus es, responso nos
dignum iudico. Ego sanctissimas summi & sem
piterni regis leges obseruo, vt illi placeam q
mihi vitā hāc largitus est, & ab æterna morte
morte liberauit; nec iniquā hominū & Impera
rum offensionem pertimesco; ne in iustissima
grauissimamque Dei mei offensionem incida
Tu spreta contemptaq́ue æterni regis lege, fla
tium flagitio cumulas, & ne in leuissimam mo
turi hominis inuidiam incurras: in sempiterna
æterni Dei offensionem miser incurrere non v
reris. Tu suppliciū, quod ad tempus est, extim
cis, supplicium verò impijs & sceleratis in o
ni sæculorum æternitate constitutum: miseran
mentis cæcitate percussus negligis, Ego vt sem
ternas illas pœnas euadam: nullum in hac v
supplicium recuso. Quid, inquit Martianus, tu
miserum, tu cæcum, tu sceleratum appellas? C
tè, inquit Iulianus, & cæcum & miserum & ext
ma seruitute oppressum, quamdiu Christi gra
veritatis lumen assecutus non es, nec in liberta
restitutus, appellabo.

Egregium S. martyris responsum.

Martianus hortatur carnifices ad inferenda supplicia.

Martianus hac martyris voce vehemen
excandescēs exclamauit; Agite satellites mei, ag
te, & Christicolam hunc omni suppliciorum g
nere excarnificate, & illam vocis libertatem i
stibus & flagris compescite. Nec mora adsunt
tor

tores; cumque geminatis ictibus martyris constantiam fatigare conarentur, vnus ex præsidis familiaribus altero oculo priuatus est. Hoc spectaculo præses grauiter commotus, frendens gemensq; beatum Iulianum & sceleſtum magum, altero quoq; verbo appellabat. Cui Iulianus; Depone paulisper animi feritatem ô Martiane, & placidè, quæ propono accipito. Vides hunc miserum scelere suo alterũ lumen amisisse; nunc igitur, si ea est deorum tuorum quam prædicas virtus, iube Pontifices & Sacerdotes nefandorum deorum precibus suis lumen amissum restituere. Cùm verò manifesto cognoueris, deorum tuorũ virtutem nullam esse, ego virtute Domini mei Iesu Christi efficiam, quod illi minimè præstare possunt.

Hac conditionis æquitate conuictus Præses, vota fieri, & preces surdis lapidibus multiplicari iussit. Sed cum simulachra, Iuliani vero Deo supplicantis virtutem sustinere non possent, in puluerẽ redacta sunt: & dæmones suam ipsorum miseriã horrendis clamoribus testati; Quomodo inquiunt, nos sempiternis tenebris inclusi, lumen quod non habemus, cœco præstare possumus; Pontifices quãuis hac deorũ ruina grauiter perculsi, Præsidi tamen eam nunciare ausi non fuêre; sed vbi ex Iuliano rẽ totã intellexit, furore conabuit, & conuersus ad Iulianũ: Tu quidẽ, ô sceleste, inquit, magicis tuis artibus deorũ nostrorũ patientiam irritasti, qui pro sua in te clementia, pœnas tãto scelere condignas irrogare differunt: vt ad saniorẽ aliquando te mentem reducant. Nunc Christi tui virtutem ostende, & oculum quemadmodum promisisti, amico nostro restitue. Sed vt omnem vim fraudis dissoluam, & magicarum

Simulachra corruunt vt orationis S. Iuliani: & dæmones confitentur veritatem.

artium virtutem extinguam, lotio te perfundi iu-
beo. Fac, inquit Iulianus, quod libet, nunquam e-
nim Dei omnipotentis virtutem superare pote-
ris. Hæc vbi dixit, lotio totum eius corpus perfu-
sum est; quod statim teterrimo fœtore amissu-
suauissimum balsami odorem spirauit; & mo-
Iulianus sanctissimo crucis signo, extinctum lu-
men restituit. Martianus verò tanta virtute nihil
motus, nouo furore excandescere, supplicia reno-
uare, carnificum tarditatē increpare; denique il-
lum ipsum qui à beato Iuliano cum corporis lu-
mine, lucem animæ, ac donum Christianæ fidei
acceperat, gladio interimere: Iulianū verò grau-
catenarum pondere oneratum, sub præcon-
voce per omnes plateas deducere iubet.

Fœtor lotij in gratissimum mutatur odorē.

Intereà Præsidis filius, qui puer adhuc litte-
imcumbebat, vidit fortè S. martyrem hoc con-
meliarum genere illusum incedere; qui mox c-
ingenti admiratione ad condiscipulos, quid, eg-
inquit video? Ecce reum illum Christianum à mi-
litibus quidem illusum, à circumfusa candidato-
rum multitudine mirabili gloria fulgentem. Co-
ronaq́ue auro & lapidibus preciosis intertexta
venerandum caput eius ornatum, & omnipoten-
tis Dei dextera protectum cerno. quarè certum
mihi deliberatumq́ue est, ad eius pariter confes-
sionem accedere. quid enim est in hac vita bonū
quid mihi opes, quid falsi huius mundi honores
conferent? His dictis, puer quanta potuit celeri-
tate per mediam tortorum turbam, ad Iulianum
cucurrit; & magno animi ardore pedibus eius
prostratus, & sacra eius vulnera exosculatus: Te
inquit, ô pater mi, te desidero, te amplector, te
verum genitorem meum agnosco. Et satellitibus
ite inquit, & hæc parentibus meis, quæ vidisti
nuncia-

Filius Præsidis mirabili spectaculo ad Christum cōuertitur.

nunciate. Dicite me alijs in terris patrem, præter Iulianum, neminem agnoscere. Fit ingens in populo murmur & concursus; donec fama ad aures patris matrisque peruenit. Ibi continuò planctus & lachrymæ cum lugubri eiulatu, & voces irarũ in Iulianum & minarum plenæ.

Iulianus carceri mancipatur cũ filio Præsidis.

Nec mora. vocatur vterque in conspectum Præsidis; qui nullis omninò, vel blanditijs vel minis à Christi confessione auocandos cum cerneret, iussit eos in tetrum squalidumque carcerem detrudi, sed Christus, qui militibus suis nusquam deerat, tenebras in lucem clarissimam, & graueolentiam carceris in suauissimum odorem conuertit. Tum satellites, qui numero viginti erant, ab horrenda mentis caligine ad lucem conuersi, pedibus se Iuliani prostrauerunt, & scelerum suorum veniam petentes, Christo omnia dederunt. Hinc noua Iuliano & Celso puero lætitia. Præsidi verò maior indignatio orta est.

Viginti milites Christo credunt.

Iulianus autem vt nouellos Christi tyrones sacrosancto lauacro expiaret, & contra tyranni rabiem inuictos redderet, intenso orationis studio laborabat; Nec defuit nouo martyris orationi miraculo benignus & clemens Dominus.

Septem filiorum, nobilissimi viri eximia pietas.

Erat eadem in ciuitate Antiochiæ vir religionis Christianæ sanctitate admodum insignis, qui propter generis claritatem, quod ex Carini Imperatoris familia trahebat, à Diocletiano & Maximiano ante tempus persecutionis benignè admodum habitus, Christi sacris libere operam dabat. Huic raræ fidei ac singularis pudicitiæ fœmina, quinto partus stipẽdio familiã fũdauerat, q̃ patris exẽplo in studio pietatis eximiæ exercita ta, Dei bonitatẽ assiduis laudibus concelebrabat.

Ab obitu verò pij genitoris, insigni eruditione
pietate presbyterum sibi assciuit, cuius ductu
vllo errore, æternæ vitæ viam ambulare posse
huic igitur familię, pro consuetudine diuinar
rerum contemplationi, nocte quadam, intem
hospitator apparuit, mandãs vt Celsum puer
& milites viginti in carcere catechumenos, sac
baptismate abluendos curarẽt. Illi mandato ob
cres, ad carceris fores contenderunt, quibus ap
li ministerio protinus apertis, in mutuos amp
xus ruentes, vna omnes voce in Dei laudes pro
pêrunt. Hæc vt vario ad Martianum rumore ven
re: ipse vix mentis compos furibundus ad Imp
ratorem cucurrit, crudelitatis suæ auxilium i
ploraturus. Ille nefandis huiusmodi auxiliis e
peditus, consilium dedit, vt singulorum corpo
vasis inclusa, pice bitumine, & sulphure exure
Non defuit sataníco officio Præses, sed altera d
sanctis suo tribunali oblatis, nouum hoc & ina
ditum supplicij genus proposuit, nĩ ilico à fid
professione resilirent: mentemque mutarent.
Iulianus tyranno respondens: Mens, inquit, nos
summo Imperatori Christo bonorum omniu
communione & indissolubili amoris vincu
Eximia cõ- sociata est, nec potest vllis minis vel supplici
stantia eius. constantia dimoueri.

Hæc vbi dicuntur, corpus exanime fortè sepul
turæ mandandum defertur, quod Præses nulla
mente, nulla ratione reduci iussit, & ego inqui
ad martyres, multa de Christi vestri virtute, qu
mortuos ad vitã reuocauit, audiui. Nunc igitur
qua fides dictis adhibenda, magistri vestri virtu
tẽ, de qua tãtoperè gloriamini, ostẽdite. Cui Iul
anus: Dic mihi ô homo, extrema cœcitate mise
quid

quidnam gratissimum lucidissimumque hoc solis iubar homini oculorum lippitudine laboranti contulerit? At Martianus, Mitte, inquit, inania verba, & factis virtutem declara. Tum Iulianus, quamuis infidelitas tua hoc minimè mereatur, tamen quia tempus hoc postulare videtur, Christi Domini mei virtutem manifestabo. & statim defixis in cælum oculis, cùm summa spiritûs attentione horæ vnius spatio orauit, & oratione expleta, Tibi dico, conuersus ad corpus, ait terra arida, in eius nomine qui quatriduanum suscitauit, surge. Qui ad martyris vocem protinus surgens, ingenti clamore & luctu, omnibus sceleratorum hominum supplicia narrare cœpit. Hunc Martianus, ne conferta hominum turba rei magnitudine stupefacta ad arma concurreret, carceri similiter mancipari iussit; quem Iulianus à perfidiæ scelere baptismi gratia expiatum, fidelium cœtui aggregauit.

Suscitat mortuum S. Iulianus.

Cum baptizat.

Altera dein luce, horrenda supplicia, triginta nimirùm vasa & vnum pice & sulphure plena per ordinem collocantur; Ad quæ martyres læto admodum vultu, Deo psallentes properabant. Quæ res animos omnium, qui aderant, ad misericordiam & lachrymas ciebat. Quanto enim alacriores eos cernebant, tantò eo supplicio minus dignos iudicabant. Celsi verò pater & mater, conscissis vestibus, & vultu lachrymis miserabiliter oppleto, orare & obsecrare, vt ab horrendo mortis supplicio se eriperet. quibus tanta animi magnitudine Celsus respondit, vt facilè appareret, eum nulla pro Christi nomine suppliciа exhorrere. Victi igitur filij sui constantia parentes, cum horrendo eiulatu domum accelerarunt, ne triste spectaculum crudelibus oculis aspicere cogerentur.

Iulianus & Celsus, cum alijs 29. igni traduntur: sed minimè læduntur.

Igitur assessor Præsidis, cui hoc munus demandatum erat, depositis in sulphure & pice martyribus, ingentem vim ignis subministrari iussit. flamma triginta cubitis excelsior, horrendoq; fumi caligo ita martyres inuoluit, vt eos omnium conspectui præriperet; donec igne planè consumpto, sacra eorum corpora nouam pulchritudinis speciem exhiberent. Clamor tunc & ingens exorta lætitia; multique ad Præsidis ædes, filij salutem gratulaturi conuolârunt. Accurrere ilicò parentes, & nouo decore filij sanè stupefacti, nouidem oris auctorem attendere noluerunt: magicis omnia artibus, scelerata planè mente asscribentes. Victus verò paterno amore Martianus: Fili mi, quit, miserere, quæso, matris tuæ, quæ acerbissimi tui dolore cruciatur: & te & illam à crudeli mortis periculo libera. Libens ego, respondit Celsus, eius miserebor, & ab omni mortis angustia liberabo, si eius mihi copiam, omnibus exclusis feceris, quò liberius sermonem cum ea serere queam. Concessit alacriter Præses: & mater ad martyrum in custodiam admissa; quam sancti maximo charitatis officio excipientes, Deo commendarunt. Celsi mater ad Christum conuertitur.

multis cum ardenti pietate precibus pro salute eius fusis, ad clarissimum veritatis, fideique lumen traxerunt; omnibusque quæ ad animi expiationem pertinebant, eximio religionis studio peractis victam contra supplicium pœnarumque omnium timorem reddiderunt. Qua re plenus amentiæ & furoris Præses, 20. milites, qui cum Iuliano fidei certamen sustinebant, gladio feriri, septem verò fratres ignis supplicio tradi præcepit; Iulianum autem cum Antonio presbytero, & Celsum cum matre in templum Iouis ingredi. vbi multis verborum lenocinijs, ad sacrificium falso scelera-

20. milites & 7. fratres perimũtur.

ratoque numini offerendum, eos inducere conatus est. Sancti minimè recusarunt, Deo suo æterno & vero sacrificaturi templum ingredi. Præses autem errore deceptus, maximo sumptuum apparatu sacrificia parabat. Tunc sancti fixis in terram genibus, signo se crucis munierunt, & quæ potissimum numina adorari vellet, Præsidem interrogarunt. Omnia, inquit, quæ hic oculis tuis miro fulgore subiecta vides pari honore prosequere; sunt enim & gloria & potestate æquales. Fiet, inquit Iulianus, vt mandasti. Vix glorioſus agonotheta orationem, quam omnipotenti Deo fundebat, compleuerat; cum subitò simulachra cuncta collisa, & delubrum horribili fragore collapsum, mille sacerdotes, qui impijs sacris intenti erant, cum ingenti Paganorum turba oppressit, & loco ipso à deuorante flamma vastato, hoc est, inquit, Iulianus, sacrificiũ ô Præses, quod dijs vestris Christi fideles immolare soleant. Ingemuit Martianus, omnique suppliciorum genere excogitato, præcepit ministris, vt manuum & pedum digitos, licinijs oleo madẽtibus colligẽt, ignemque supponant; sed nequissimis conatibus in nihilum recidentibus, Iuliano & Celso cutem capillis auelli, Antonio verò presbytero, & Anastasio, qui resuscitatus fuerat, oculos vncis ferreis crudelem in modum effodi iussit. Marionillam autem, matrem pueri, quam Dominus crudelibus imparem tormentis nouerat, ita ab omni supplicio præseruauit, vt quoties crudeles in eam manus carnifices mittere tentarẽt, mẽbrorũ omniũ languore & dolore oppressi desisterẽt. Alios autẽ Dominus præsenti sanitatis beneficio affectos, nouo insuper corporum decore illustrauit.

Templum corruit funditus, cum simulachris dæmonum.

Iuliani & Celsi Antonijitem & Anastasij cruciatus.

Mari onilla mater Celsi diuina virtute à pœnis præseruatur.

Quid faceret postremò sceleratus Prçses? Videbat omnes impietatis conatus, inuicta marty-

rum constantia frangi: & tamen ardebat incre
bili vindictæ cupiditate. Tandem illi in mente
venit, certamen cum feris instituere, vt sic alio
do victi martyres, ferarum morsibus interire
at feræ summa mansuetudine sanctorum pe
lingebant. Frendens igitur gemensq; Martia
Heu me miserum, inquit, viuus, videnſque pere
gladio hos perimite, & me longa miseria libe
te. Tunc sancti martyres immensas omnipote
Gladio consummantur. Deo gratias pro certamine fœliciter peracto
gentes, gladio consummati sunt.

Mox verò cælum & terra, vindictam de mar
rum sanguine expetere visa sunt; nam & terræ
uitatis pars ingenti terræ motu quassata, & vni
sa idola contrita, & non minima infidelium
Diuina vindicta in Martianum præsidem. ba fulgure deleta est; ipseque Martianus cæl
igne miserabiliter percussus, horrendoque v
mium fœtore consumptus expirauit.

Præclarum fuit hoc martyrum certamen q
diuina bonitas cùm in vita tum post mortem
men ea mors dicenda, honore non vulgari pre
Decē leprosi sanantur. cuta est. Postquam enim magno sacerdotum
dio, sacra martyrum corpora sub sacro altari
lamine condita sunt, decem homines extremi
præ fœditate miserabiles, baptismi gratia ad
tyrum templum peruenerunt, vbi eorum mer
præter omnem expectationem, perfectam cum
nimæ salute corporum sanitatem cōsequuti su
Varia miracula ad eorū sepulchra. Nec hoc tantùm beneficium leprosi experti,
& cœci innumerabiles, & à dæmone obsessi
varijs languoribus oppressi, martyrum open
in calamitate, cum certissimo sanita-
tis beneficio consequuti
sunt.

VIT

# VITA S. PAVLI THEBAEI, PRIMI

*Eremitæ, ex ea quam D. Hieronymus 1. Tomo Epistolarum, diserte admodum, copioseq; conscripsit.*

*Cæpit deserta incolere, Anno Domini 253. ipso Decij Imper. persecutionis exordio, ætatis suæ 23. Excessit autem è corpore, Anno Saluatoris 343. Constantij, Constantini filij Imp. anno septimo inchoato; ætatis verò suæ, centesimo, tertiodecimo.*

Vide C. Bar. Tom. 2. & 3. Annal.

10. Ianuarij.

INTER multos sæpè dubitatum est, à quo potissimum monachorum, eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altius repetentes, à beato Elia & Ioanne sumpsêre principium; quorum & Elias plus nobis videtur fuisse quam monachus, & Ioânes antè prophetare cœpisse q̃ natus est. Alij autem, in quam opinionem vulgus omne consentit, asserunt Antonium huius propositi fuisse caput; quod ex parte verum est. Non enim tam ipse antè omnes fuit, quam ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas verò & Macarius discipuli Antonij, quorum superior magistri corpus sepeliuit, etiam nunc affirmãt, Paulum quendam Thebæum, principem istius rei fuisse, quod non tam nomine quàm opinione nos quoque comprobamus. igitur quia de Antonio, tã Græco, quàm Romano stylo diligenter traditum est, pauca de Pauli principio & fine scribenda sunt. Quomodò autem in media ætate vixerit, & quas Satanæ pertulerit insidias, nulli hominum compertum habetur. Sub Decio & Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ & Cyprianus Carthagine fœlici cruore damnati sunt, multas apud Aegyptum & Thebaidam ecclesias sæua tempestas popu-

Monachorũ institutum antiquissimum.

populata est, vbi tunc Christianis erat, pro Ch
sti nomine gladio percuti. Verùm hostis calli
tarda ad mortem supplicia conquirens, anim
cupiebat iugulare, non corpora; & vt ipse, qui
eo passus est, Cyprianus ait, volentibus mori, n
permittebatur occidi. Cuius vt crudelitas ocu
fiat, duo, memoriæ caussa, exempla subijciem

**Exẽpla duo atrocissimæ persecutionis.**

Perseuerantem igitur in fide martyrem, & inu
eculeos laminasque victorem, iussit melle perl
gi, & sub ardentissimo sole, ligatis manibus p
tergum resupinari; scilicet vt muscarum acul
cederet, qui ignitas sartagines antè superasset.
lium iuuenili ætate florentem, in amœnissim
hortos præcepit abduci, ibique inter lilia cand
tia, & rubentes rosas, cùm leni iuxta murmur
quarum serperet riuus, & molli sibilo arbor
folia ventus perstringeret, superextructum pl
mis lectum resupinari, & ne se indè posset eu
tere blandis serico nexibus irretitum relinq
Quò cum recedentibus cunctis, [redacted]
[redacted]
[redacted]
[

gyptiacis apprimè erudirus, manſueti animi, Deũ valdè amans; & cùm perſecutionis procella detonaret, in villam remotiorem & ſecretiorem ſeceſſit. Verùm quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames? Sororis maritus, cœpit prodere velle, quem celare debuerat. Non illum vxoris lachrymæ, non communio ſanguinis, non ſpectans cuncta ex alto Deus, ab ſcelere reuocauit. Ad hæc inſtabat crudelitas, quæ pietatem videbatur imitari. Quod vbi prudentiſſimus adoleſcens intellexit, ad montium deſerta confugiens, dum perſecutionis finem præſtolaretur, neceſſitatem in voluntatem vertit, ac paulatim progrediens, rurſusque ſubſiſtens, atque hoc idem ſæpius faciens, tandèm reperit ſaxeum montem: ad cuius radicem haud procul, erat grandis ſpelunca quæ lapide claudebatur. Quo remoto (vt eſt cupiditas hominum occulta cognoſcere) auidiùs explorans, animaduertit intus grande veſtibulum, quod aperto deſuper cælo, patulis diffuſa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidiſſimum oſtendens, cuius riuum tantùmmodò foràs erumpentem, ſtatim modico foramine, eadem quæ genuerat, aquas terra ſorbebat. Erant præterea per exæſum mõtem haud pauca habitacula, in quibus ſcabræ iam incudes, & mallei quibus pecuniæ olim ſignatæ viſebantur. Hunc locum ferunt AEgyptiorum literæ, furtiuæ monetæ officinam fuiſſe, ea tempeſtate, qua Cleopatræ iunctus eſt Antonius. Igitur adamato, quaſi quod à Deo ſibi offerretur, habitaculo, omnẽ ibidem in orationibus & ſolicitudine duxit ætatẽ, cibũ & veſtimẽtũ ei palma præbebat. Quod ne cui impoſſibile videatur Ieſum teſtor, & ſanctos angelos eius, in ea eremi parte, q̃ iuxta Syriã Saracenis iũgitur, vidiſſe me monachos, de q̃bus vnus p̃ 30. annos clau-

Affinis vult Paulum prodere.

clausus, hordeaceo pane & lutulenta aqua v
Alter in cisterna veteri, quam gētili sermone
cubam vocant, quinque caricis per singulos
sustentabatur. Hæc igitur incredibilia esse
buntur his, qui non crediderint, quia omnia p
bilia sunt credentibus.

Sed vt ad id redeam vndè digressus sum, cu
centum tredecim annos beatus Paulus vitam
lestem ageret in terris, & nonagenarius in alti
litudine Antonius moraretur, vt ipse asseret
lebat, hæc in mentem eius cogitatio incidit, m
lum vltra se perfectum monachum in eremo
sedisse. At illi per nōctem quiescenti reuela
est, esse alium vlterius, multo se meliorem, ad
visendum deberet proficisci. Ilicò erumpen
ce, venerabilis senex infirmos artus baculo re
te sustentatis, cēpit ire velle, quò nesciebat. Et
media dies, coquente desuper sole, feruebat
tamen à cepto itinere abducebatur, dicens; Cu
in Deum meum, quod seruum suum, quem
promisit, ostendet. Nec plura his, conspicit ho
nem equo mixtum cui opinio poetarum Hip
centauro vocabulum indidit. Quo viso, salu
impressione signi armat frontem, &, Heus, tu
quit, quanam in parte hic seruus Dei habitat
ille Barbarum nescio quid infrendens, & fra
potiùs verba quàm proloquens, inter horren
ora, senis blandum quæsiuit alloquium, & de
ræ protensione manûs, cupitum indicat iter. &
patentes campos volucri transmittens fuga, o
culis miran is euanuit. Verùm hæc vtrum di
lus ad terrendum eum simulauerit, an, vt sole
remus monstrosorum animalium ferax, illa q
que gignat bestiam, incertum habemus.

Stupens itaque Antonius, & de eo quod vi

Antonius nocturna visione monitus, inquirit Paulum.

Monstrum.

Signo Crucis armat frontem.

rat secum voluens, vlterius progreditur. Nec mora, inter saxosam conuallem, haud grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus aspersa, cuius extrema pars corporis, in caprarum pedes definebat. Infractusque & hoc Antonius spectaculo, scutum fidei & loricam spei vt bonus præliator arripuit; nihilominus memoratum animal, palmarum fructus eidem ad viaticum quasi pacis obsides, afferebat. Quo cognito gradum pressit Antonius, & quisnam esset interrogans, hoc ab eo responsum accepit; Mortalis ego sum, & vnus ex accolis eremi; quos vario delusa errore gentilitas, faunos, Satyrosque & Incubos vocans colit. Legatione fungor gregis mei, precamur vt pro nobis communem Deum deprecetis, quem pro salute mundi venisse cognouimus: & in vniuersam terram exijt sonus eius. Talia eo loquente, longæuus viator vbertim faciem lachrymis rigabat, quas magnitudo lætitiæ indicos cordis effuderat. Gaudebat quippe de Christi gloria, & de interitu Satanæ: simulque admirans quod eius posset intelligere sermonem, & baculo humum percutiens, aiebat; Væ tibi Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris. Væ tibi ciuitas meretrix, in quam totius orbis dæmonia confluxere. Quid nunc dictura es? Bestiæ Christū loquitur, & tu pro Deo portenta veneraris. Nec dum verba compleuerat, & quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc ne cuiquā ob incredulitatem scrupulū moueat sub Imp. Constantino, vniuerso mundo teste, defenditur. Nam Alexandriam eiusmodi homo viuus perductus, magnō populo spectaculū p̄buit; & postea cadauer exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso Antiochiā, vt ab Imp. videretur allatū est.

Monstrum aliud.

Sed vt propositum persequar, Antonius cu
regionem pergebat, ferarum tantùm vestigia
tuens, & eremi latam vastitatem, quid ag
quo verteret gradum, nesciebat. Iam al
effluxerat dies. Restabat vnum, vt desert
Christo non posse confideret. Pernox secu
in oratione exegit tenebras, & dubia adhuc
ce procul intuetur lupam, sitis ardoribus ad
lantem, ad radicem montis irrepere. Quam
quutus oculis, & iuxta speluncam, cùm fera ab
set, accedens, intrò cœpit aspicere, nihil cur
tate proficiente, tenebris arcentibus visum. V
suspenso gradu, & anhelitu temperato, call
explorator ingressus, ac paulatim progred
sæpiusque subsistens, sonum aure captabat. I
dem per cœcæ noctis horrorem procul lume
tuitus, dum auidius properat, offenso in lapid
pede, strepitum concitauit; post cuius sonitu
Paulus ostium, quod patebat, occludens, ferat
firmauit. Tunc verò Antonius præ foribus co
ens, vsq; ad sextam, & eo amplius horam, ad
precabatur, dicens; Qui sim, vnde vel cur ven
nôsti. Scio me non mereri conspectum tuum
men nisi videro, non recedam; Qui bestias rec
hominem cur repellis? Quæsiui & inueni, pu
vt aperiatur. Quod si non impetro, hic moria
te postes tuos: certè sepelies vel meum cadau

S. paulus in spelunca degit.

*Talia perstabat memorans, fixusq; manebat.*
*Ad quem, responsum paucis ita reddidit heros.*

Admittit Antonium Paulus.

Nemo sic petit, vt minetur; nemo cum lachr
iniuriam vel calumniam facit. & miraris si
recipiam cum moriturus aduenerís? Sic arri
Paulus, patefecit ingressum. Quo aperto, du
mutuos miscentur amplexus, proprijs se sal

tuere nominibus; gratiæ Domino in commune referuntur. & post sanctum osculum residens Paulus cum Antonio, ita exorsus est;

En quem tanto labore quæsisti, putridis senectute membris operit inculta canities. En vides hominem, puluerem mox futurum. Verùm quia charitas omnia sustinet, narra mihi, quæso, quomodo se habeat humanum genus; an in antiquis vrbibus noua tecta consurgant, quo mundus regatur imperio, an superstint aliqui, qui dęmonum errore raptantur. Inter has sermocinationes suspiciunt alitem coruum, in ramo arboris consedisse; qui indè leniter subuolans, integrum panem ante miratium ora deposuit, Post cuius discessum, Eia, inquit, Paulus, Dominus nobis prandium misit, verè pius, verè misericors. Sexaginta iã anni sunt, quod accipio dimidij semper panis fragmentum; verùm ad aduentum tuum, militibus suis Christus duplicauit annonam. Igitur, Domino gratiarum actione celebrata, super vitrei marginem fontis vterque consedit. Hic verò, quis frangeret panem oborta contentio, penè diem duxit in vesperum; Paulus more cogebat hospitij, Antonius iure reuerentiæ ætatis. Tandem consilium fuit, vt apprehenso è regione pane, dum ad se quisque nititur, pars cuique sua remaneret in manibus. Dehinc paululum aquæ in fonte, prono ore libauerunt, & immolantes Deo sacrificium laudis, noctem transigere vigilijs. Cumque iam esset terræ redditus dies, beatus Paulus ad Antonium sic loquutus est. Olim te frater in istis regionibus habitare sciebam, olim te conseruum mihi promiserat Deus; sed quia iam dormitionis meæ tempus aduenit, & quod semper cupiebam dissolui, & esse cum Chri

Coruus pãnem adferẽ Paulo.

Philip. 1.

sto peracto cursu, superest mihi corona iusti-
2. Tim. 4. tu missus es à Domino, qui humo corpusculi
meum tegas, imò terræ terram reddas.

His Antonius auditis flens & gemens, nec se-
sereret, atque vt comitem talis itineris accipe-
precabatur. Et ille: Non debes, inquit, quærere
tua sunt, sed quæ aliena. Expedit quidem tibi
cina carnis abiecta, agnum sequi: sed & cæteris
pedit fratribus, vt tuo adhuc instituantur exem-
plo. Quamobrem quæso perge, nisi molestum
Obserua vt per spiritum didicerit absentia. & pallium quod tibi Athanasius Episcopus de-
ad inuoluendum corpusculum meum dele-
Hoc autem beatus Paulus rogauit, non quod n
noperè curaret, vtrum tectum putresceret c
uer an nudum, (quippè qui tanto temporis spa
contextis palmarum folijs vestiebatur) sed vt
recedentis mœror suæ mortis leuaretur. Stupe-
ctus ergò Antonius quòd de Athanasio & pal
eius audierat, quasi Christum in Paulo videns
in pectore eius Deum venerans, vltrà respon-
nihil ausus est; sed cum silentio lachrymans, et
culatis eius oculis manibusque, ad monaste-
quod posteà à Saracenis occupatum est, regre-
batur. Neque verò gressus sequebantur animi
sed quamuis corpus inane ieiunijs, senilesq
anni fregerant, tamen animo vincebat ætatē. T
dèm fatigatus & anhelus, ad habitaculum suum
fecto itinere peruenit. Cui cùm duo discipuli
ei longo iam tempore ministrare consueuer
occurrissent, dicentes; Vbi tam diu moratus es
ter? respondit: Væ mihi peccatori, qui falsi mo
chi nomen fero. Vidi Eliam, vidi Ioannem in
serto, & verè vidi Paulū in paradiso; & sic ore
presso, & manu verberans pectus ex cellula p
um protulit; rogantibusque discipulis vt plen
q

quidnam rei esset exponeret, ait; Tempus tacendi & tempus loquēdi. Tunc egressus foràs, & nè modicum quidem cibi sumens, per viam qua venerat, regressus est, illum sitiens, illum videre desiderans, illum oculis ac mente contemplans. Timebat enim, quod euenit, ne se absente, Christo debitum spiritum redderet.

Anima eius in cæles ꝓficiscitur.

Cumque iam dies alia illuxisset, & trium horarum spatio viam remeasset, vidit inter angelorū cateruas, inter Prophetarum & Apostolorum choros, niueo Paulum candore fulgentem, in sublime conscendere. & statim in faciem suam procidens, sabulum capiti superiaciebat, ploransque & eiulans, aiebat; Cur me Paule dimittis? Cur insalutatus abis? Tam tardè notus, tam citò recedis? Referebat postea B. Antonius tanta se velocitate, quod reliquum erat viæ concurrisse, vt instar auis peruolasset; nec immeritò. Nam introgressus

En vt corp' exanime, Deum flexis genibus veneratur.

speluncam, vidit genibus complicatis, erecta cervice, extensisque in altum manibus, corpus exanime. Ac primùm, & ipse viuere eum credens, pariter orabat. Postquam verò nulla, vt solebat, precantis suspiria audiuit, in flebile oscŭlum ruens, intellexit, quod etiam cadauer sancti, Deum, cui omnia viuunt, officioso gestu precabatur. Igitur obuoluto & prolato foras corpore, hymnos quoque & psalmos de Christiana traditione decantans, contristabatur Antonius, quòd sarculum, quo terram foderet, non haberet; fluctuansque vario mentis æstu, & secum multa reputans, dicebat; Si ad monasterium reuertar, tridui iter est; si hic maneam, nihil vltra proficiam. Moriar ergò, vt dignum est, & iuxta bellatorem tuum Christe ruens, extremum halitum fundam.

Talia eo, animo voluente, ecce duo leones, ex

interioris eremi parte currentes, volantibus
colla iubis ferebantur; quibus aspectis, primò
horruit. Rursusque ad Deum referens mentem
quasi columbas videret, mansit intrepidus. Et
quidem directo cursu, ad cadauer beati senis
stiterunt, adulantibusque caudis, circa eius pe
accubuêre, fremitu ingenti rugientes, prorsus
intelligeret eos plangere quomodo poterant.

Duo leones Paulo sepulchrum fodiunt.

indè haud procul cœperunt humum pedibus
pere, arenamque certatim egerentes, vnius hom
nis capacem locum foderunt; ac statim quasi m
cedem pro opere postulantes, cum motu auri
ceruice deiecta, ad Antonium perrexerût, ma
eius pedesque lingentes. At ille animaduer
benedictionem eos à se precari; nec mora, in l
dationem Christi effusus, quòd muta quoque a
malia Deum esse sentirent, ait: Domine, fine
ius nutu, nec folium arboris defluit, nec vnus p
serum ad terram cadit, da illis, sicut tu scis, &
nu annuens eis: vt abirent imperauit. Cumque
recessissent, sancti corporis oneri, seniles cu
uit humeros, & deposito eo in fossam, defo
humum congregans, tumulum ex more com
fuit.

Postquam autem alia dies illuxit, ne quid pi
hæres ex intestati bonis non possideret, tunic
eius sibi vendicauit, quam in sportarum modu
de palmæ folijs ipse sibi contexuerat; ac sic ad m
nasterium reuersus: discipulis cuncta ex ord
ne replicauit; diebusque solennibus
Paschę & Pentecostes: Pau-
li tunica vestitus
est.

*VITA S. MARCIANI PRESBYTERI, Oeconomi Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ex ea quam edidit Metaphrastes. Claruit autem eximia vitæ sanctitate & miraculorum gloria: Anno Domini 459. & sequentibus. Sub Leone Rom. Pont. & Leone Imp. Fuit & alius Marcianus Nouatianus, qui vixit temporibus Valentis Imp. cuius etiam filias erudiuit: Anno Domini 366. & sequentibus. Vixit & Anno Christi 370. alius insuper Marcianus in Syria, apud Cyrum ciuitatem, professione monachus, meritis clarissimus. cuius res gestas scripsit Theodoretus lib. Sanct. Pat. C. 3.*

Vide C. Bar. Tom. 6. An.

Item Annal. Tom. 4. & Not Mart. Rom.

EGREGIVS planè vir Marcianus, veteri Roma oriundus, parentes habuit & opibus & generis nobilitate admodum præstantes; qui, vt erant eximia in Deum religione ac pietate, ita quoque filium suum, nullis non & pietatis & eruditionis ornamentis excoluerunt. Quibus fœlici morte ad vitam translatis, ipse cum religionis, tum artium maximarum studiosissimus, Constantinopolim se recepit: pectus veris & minimè perituris opibus locupletaturus. Ibi verò vt sedem paruo temporis spatio fixit, ipsa ipsius vitæ probitas & oris facundia, nomen ei, cùm apud omnes, tùm apud Patriarcham peperit. Qui vbi adolescentis & prudentiam & ingenitam pietatem penitiùs introspexit, sacerdotij dignitate illicò decorauit; quam ille tanta tamque admiranda virtutis opinione administrauit, vt communi omnium suffragio ad Cathedralis ecclesiæ œconomiam volens nolens traheretur. Hisce tam difficilibus, primo iuuentutis flore,

10. Ianuarij. Patria & genus Martiani clarum.

Initiatur ptesbyteratu.

Fit Oeconomus Ecclesiæ Constantin.

pignoratus officijs, ſumma diligentia, ne quid
fenderet, antè omnia cauit. Et quia luculen
triuſque parentis facultatibus mirificè ditatus
cilè ad vitæ luxum & inanem ſplendorem c
multis alijs ſe impelli poſſe cernebat: nihil
tuit vtilius, nihil ſalutarius, quam pauperes &
genos ampliſſimarum opum cohæredes effic
Nec ipſam modò temporalem calamitoſorum
nopiam larga manu ſubleuauit: ſed multò mag
languidas diutina diuini verbi fame animas c
ſti pabulo fouit confirmauitque. Igitur ità egen
rum inopiam curabat, vt tamen animarum cur
ſtudioſiùs attenderet. Flagrabat tam ardenti
crarum ſcripturarum amore, vt die noctéque
intabeſcens, earum nihil ignoraret. Hinc non
lùm contra hoſtiles impetus ipſe præclarè mun
tus erat, ſed & alios ſuauiſſimo virtutum ſuarum
odore: ad ſui imitationem mirabiliter allicieba

Liberalitas in pauperes

Eccleſias reſtaurat, & nouas ædificat.

Inerat ei maxima quædam ædium ſacrarum cu
ità vt ſuis facultatibus & collapſas reſtauraret,
nouas ſumptuoſo ornatu excitaret; & nuſquam
non, egregiam animi ſui pietatem teſtatam reli
queret.

Nota inſig. nem liberalitatem in pauperem.

Accidit quandoque, pauperem à beato viro in
fimis precibus aliquod ſuæ inopiæ ſubſidium p
ſtulare, qui cùm nihil omninò quod tribueret a
manus haberet, ne miſerum omni ſolatio deſtitu
tum à ſe dimitteret; coniectis primùm in omnem
partem oculis, ne quis animaduerteret, veſtem
qua indutus erat, ſibi detraxit: & nudum magn
charitatis affectu contexit. Quod factum vt ocu
los omnium celaret, ſacris veſtibus ſui corpori
nuditatem operuit. Sed cùm ad rem diuinam
ordine celebrandam accederet, multi ſtudioſi
hominem intuiti, ſub ſacris veſtibus, aliam aur
&

& mirabili gemmarum splendore micantem cóspexerunt. Quo spectaculo non pauci inuidiæ stimulis concitati, rem ad Patriarcham detulerunt; indignum clamitantes sacerdotem Dei, regio vestium splendore ornatum esse. Sacro igitur, magna sanctitate peracto, Patriarcha Martianum accersit, & acriter reprehendens mandauit, vt vestem auro & gemmis intertextam, quam occultè sub alijs vestibus deferre visus esset, deponeret. Mirabatur vehementer Martianus, animi dubius quid hæc Patriarchæ oratio vellet; & vultu in terram defixo, stupenti similis, ad eius se pedes prouolut: obortis lachrymis negans, se vllum vestium ornatum habere, eorumque qui hoc asserebant oculos delusos esse. Adhæc Patriarcha, absurdum & ab omni ratione alienum esse dicebat, si proprijs oculis fidem non haberet. Idem namque se vidisse confirmabat. Nec mora, manu propria penulam cum veste sacerdotali relaxans, vt pretiosam sub sacris vestibus latentem exploraret, virum Dei nudum omninò conspicatus est. Vndè stupore perculsus, cœpit maximo honore prosequi: quem supplicio dignum existimabat. Miracula in vest. eius.

Mox itaque fama occultæ sanctitatis, cum summa admiratione, ad Pontificum & Imperatorum aures deuenit. Omnes igitur illum suspicere, & venerari, magnoque studio ad diuinos eius sermones confluere. Accidit interim res, quæ perfectam omnibus, de eximia sanctitate opinionem attulit. Factum est enim vt terribile incendium subitò ciuitatem inuaderet, & omnes ædes miserabiliter absumeret; ipsumque templum, quod sanctus Martianus Anastasiæ martyri ædificarat, inflammaret: vnusquisque ergò cùm proprijs clamitatibus neglectis, ad templi flammam extin-

guendam conuolasset, lugubres in cælum voc
Precibus incendium auertit. tollebat. Martianus autem opi diuinæ egreg
confisus, culmen templi conscendit, flammaq
vorigera circundatus, precibus cum ardenti
chrymarum vi profusis, impetum ignis repre
& insignem fabricam à præsenti ruina præser
uit.

Hoc eodem in templo mulier quædam e
periori porticu in terram delapsa, sibi & fœt
quem in vtero gestabat, mortem: cæteris aute
ingentem cum lugubri eiulatu luctum affereb
ita vt vniuersi clamoribus excitati, ad triste sp
ctaculum concurrerent. Adfuit tunc fortè & ip
Insigne miraculum. Martianus, qui magna pietate motus, ad lach
mas & preces cum populo vniuerso se conuert
sublatisque in cælum manibus, præter omnium
opinionem mulierem ad vitam reuocauit.

Fuit cùm propter alias virtutes, tùm propt
assiduum studium, quod in sacrarum ædium str
cturis posuit, celeberrimus. Sed vt stellarum
splendor quamuis eximius, solis tamen fulgo
obscuratur, ita præcedentes viri virtutes licet
nè admirabiles & præclaræ sint; illustrioribu
tamen, quæ sequuntur, quadam obscuritate
uoluuntur. Diximus quam tenera charitat
flamma pauperum tum corpora, tum animas
periretque fomento pię consuetudinis paulatim
exæstuans, totum hominem fœliciſſimis ardor
Præclara eius charitatis opera. bus adussit. Erat ei familiare intempestæ noctis
lentio vicos circuire platearum, vt silentio fur
niore distenta benignitatis vbera in pauperes l
xaret. Vt verò monetam suis vsibus conuenien
tem ad manus semper haberet, aurifabri domu
prouecta nocte frequentabat, qui noctis tenebr
& m

& maligno candelæ lumine ad lucri occasionem vsus iniqua trutina aureos ponderabat. Martianus verò scelus & fraudem dissimulans, paulatim hominem in sui admirationem attraxit; adeò vt magno desiderio caperetur cognoscendi, quidnam vir Dei minuta ista pecunia ageret. Dedit igitur cuidam è pueris in mandatis, vt vestigijs eius callidè insisteret. Sequutus puer studiosè virum Dei, & summa diligentia, quidnam agat, explorans postquam plurimos varijs miserijs afflictos præsenti pecunia subleuasset, vidit eum ad mortuum quendam in cauponis cuiusdam domuncula iacentem, ingredi, cadauer, magno charitatis studio abluere & post lachrymas & oscula vestibus indutum decenter in lecto componere. His visis puer exhorruit, & concito gradu, quæ viderat suo magistro renunciauit. Obstupuit ille tanta viri pietate, & graui admissi in virum Dei sceleris dolore perculsus, veniam cum lachrymis flagitauit. Quem Martianus benigne è amplexatus, nequaquam se abeo iniuria affectum agnouit, nec vnquam hominem tanquam improbum est auersatus, quin etiam maximo deinceps beneuolentiæ studio eum prosecutus est.

Admirãdus eius animarũ zelus.

Nec mirum sanè, cum nihil in vita antiquius, nihil sanctius fuerit, omnibus benignè faciendi studio. Tanto enim pereuntium animarum zelo accensus erat, vt vel sceleratissimorũ hominum familiaritatem cum aperto propriæ famæ periculo, minimè subterfugeret. Huius rei vnum ex multis in medium proferã: Solebat mulieres, quę quęstum corpore suo faciebant, pecunijs onustus accedere, & omni grauitate deposita, vultu, loco & tempore opportuno, simulatè assumpto, eas in sui familiaritatem allicere, quas post multa dein verba

Summa eius diligẽtia & industria in meretricibus conuertendis.

verba vltrò citroque habita, ab impuro carnis more ad Christi amorem pelliciebat, repugnantes autem & salutaria monita petulanter coercentes, cùm præsenti pecunia, tũ multis promissis, vt biduo triduove saltem diuinis rebus interderet: rogauit. Post hęc nullis opibus: nullis supplicibus parcebat, vt attentas sacris sermonibus aures præberent, & intimis sensibus, quæ de diuino iudicio, de igne sempiterno, sceleratis & impijs in omni æternitate constituto, & de cœlestis vitæ præmijs & gaudio sempiterno differebat, concludere vellent. Partim ergo muneribus & promissis, partim assiduis monitis & precibus, plurimas ab impuritate vitę, ad studium pietatis & honestatis transferebat; quarum aliæ salutari gehennæ metu perculsæ, acerbissimis lachrymis se dedebant; aliæ cœlestis vitæ præmio inuitatę, diligitia præclaris actionibus diluebant; aliæ sempiternæ dignitatis & honestatis amore inflammatæ, vt omnes incontinentiæ motus facilius oppriment, & Christo sanctissimo vinculo copularentur: sacris se ædibus libenter includebant.

Moritur.

His studijs, his rebus; nocte dieque erat intentus Martianus, cum ætate iam confectus, sanctus Deo spiritum traderet, cuius nomen & in vita & in morte non modo apud bonos & probos, sed etiam apud improbos, cum admiratione non mediocri in honore fuit, multosque præclararum eius gestarum fama excitauit: vt ex variis orbis terrarum partibus, supplices in rebus afflictis opem petituri, ad eius sepulchrũ confluerent: quorum nemo diuino non donatus munere absceſsit

VIT

*VITAS. THEODOSII COENOBIARche, ex ea quæ est apud Surium ex Metaphraste, omni acceptatione dignissima. Floruit præcipuè Anno restauratæ salutis 511. & seq. Symmacho Romanam sedem administrante, Anastasio autem Imperij sceptra tenente peruenit verò vsq; ad Annum Domini 536. De alio eiusdem nominis, professionis, & regionis, hæretico Eutychiano, qui vixit sub Martiano Augusto, consule C. Baronium vt in margine.*

Vide Tom. 6. Ann. C. Baron a. 511. Item Tō. 7. Item eundē Tom. 6. an. 451. & 452.

BEATVS Theodosius ex vico, quem Magarissum nominant, situm in regione Cappadocum, oriundus (qui antea propter ignobilitatem obscurus, postea propter eximias & planè admirandas virtutes, omnibus cognitus) patrem habuit Proæresium: matrem autem Eulogiam; qui filij sui virtute excitata, monasticam vitam amplexa dicitur. His ortus parentibus religionis & pietatis laude ornatissimis, optimis etiam ab ijs disciplinis eruditus fuit. Cumque assiduo philosophandi studio teneretur, & rara quadam morū probitate, & ingenij splendore omnium animos ad se inuitaret, statim hoc ei munus demandatū fuit; vt sacros populo codices legeret. Ardebat tunc incredibili quadam, loca sancta visendi, cupiditate; cumque crebrius inter legendum locus ille ei occurreret, quo Deus Abrahæ præcipiebat, vt relicta terra & cognatione sua ignotas regiones peteret, confestim acriter inflāmatus patriam reliquit, seque varijs longinquę peregrinationis difficultatibus obijcere minimè dubitauit, vt præsens, loca illa, in quibus humani generis

11. Ianuarij. Patria & parentes Theodosij.

Mater eius facta monacha.

Lectoris fungitur officio.

humani generis redemptor, nos suo sanguine sempiterna morte liberauit, contemplaretur.

Symeonem stylitem inuisit.

Vt autem Antiochiam venit, statuit Symeonem illum toto orbe celeberrimum inuisere, vt precibus, eius & benedictione munitus, iter suum ne vlla difficultate conficeret. Verum appropinquantem ad columnam, Symeon proprio hominem nomine compellauit: & obuentura spiritu prophetico prædixit. Theodosius verò Symeonem complexans, plenùs spe bona capessiuit iter. Deo duce ad sanctam lætabundus ciuitatem peruenit. Præerat tunc ei ciuitati Archipræsul Iuuenalis, à quo peramanter exceptus, loca sacra summa animi veneratione obiuit. Indè inuocato assiduis precibus & lachrymis Numine, cœpit apud

Deliberat secum de certo vitæ genere eligendo.

cogitationes suas reuoluere, quodnam vitæ genus potissimum eligeret, idne quod ab omni familiari hominum consuetudine remotum est, an potiùs quod cum propriæ salutis cura, officium etiam charitatis erga proximos coniunctum habet. Cæterum in abditam se solitudinē recipere, & quietem agere, id nequaquam tutum esse iudicauit ei qui nondum callidi serpentis insidias perspectas haberet. Si enim ex ijs qui in mundo militant, quemo, inquit, est tàm inuicta audacia & tam infigis stultitia, vt, nisi sit planè rudis & in re militari omninò inexercitatus, à linea in medios statim hostes irruat, quomodo ego cui manus non sunt exercitæ ad prælium, nec digiti ad bellum, nec superna sum accinctus potentia, idque cum sit conflictus longè periculosior, aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi principes tenebrarum huius sæculi, aduersus spiritalia nequitiæ, possem in acie consistere? Restat igitur vt me

Ephes. 6.

vt me ad sanctos patres & longo rerum vsu exercitatos conferam, quò eorum disciplinis institutus: inimicorum impetum sustinere valeam.

Hæc prudenti secum deliberatione habita, Longino cuidam beato seni, doctrina & pietate facilè principi, se in disciplinam tradidit: cuius ab ore dùm totus penderet, tam excellentem breui temporis spatio virtutum omnium perfectionem adeptus est: vt Longinus minimè dubitauerit, eum templo cuidam Deiparæ sacro præficere. Hoc autem contigit ad hunc modum. Erat in finibus Bethleem pia quædam matrona, quam Icelian vocabant; hæc omnes suas facultates, quæ erant ampliſſimæ in fabricam templi huius contulerat, vt quod ætatis reliquum erat, in eo degeret. Quia verò, qui rem diuinam faceret non habebat, Longinum adijt, eumque, vt Theodosium templi huius rectorem constitueret, multis precibus rogauit. Itaque templo Præpositus, cœpit insigni sanctitatis fama omnibus innotescere, eaque de causa diuinis quodammodo honoribus affici; quos ille, non secus quam sempiternos animæ suæ hostes, perhorrescens, fugam inijt, & in excelsi cuiusdam montis speluncam, quæ etiam hucusq; sacris eius reliquijs diues esse fertur, peruenit. Fama est, hanc speluncam eandem esse quã tres Magi sua mansione celebrem reddiderunt, quando Bethleem ab oriente venientes, per aliã viam domum redire diuinitùs moniti sunt.

Longino se in disciplinam tradit.

Præficitur templo.

Fugit in speluncam.

Hoc igitur in loco constitutus Theodosius, tota mente de diuina pulchritudine cogitabat; adeò vt noctes & dies in precib. cõsumeret & præ diuini amoris dulcedine, assiduo lachrymarum imbre maderet. De cibi potusue tẽperãtia superfluum

fluum foret aliquid dicere, cuius refectio di
Cibus eius lorum ossa, aqua macerata, lautum illi sple
dum frequenter nutrimentum præbuerunt. I
petuis triginta annis, panis nihil gustauit pe
tus. Labores maiori alacritate, quam alij vol
tates, amplectebatur; corporis verò delicias n
Quidam se illi adiungunt. quã animæ nobilitate indignas, repudiabat. I
indolis præstantia & mirifico virtutum splen
re, non pauci virtutis amatores excitati, ad e
ventitarunt, quos ille benignè susceptos, exa
pietatis studio fouit, & ad cælestis vitæ disci
præclarè erudiuit. Et quia virtutum omniũ
damentum, in assidua mortis cõmentatione
esse non ignorabat, dignum sanè relatu, quid
Mortis memoria vera philosophia. egit. Discipulos quippè suos blandis ad se
vocabat, ijsque multa luculenter admodum,
mortis vtilitate differebat, deindè sarcophag
aptare iubebat. Illis verò alacri mente præc
obedientiæ exequentibus, Theodosius prop
co spiritu sic eos affabatur. Sepulchrum qui
est paratum, sed quis vestrum eius encænia c
brabit? (solebat enim inter alia quoque rem
nosse, austeritatem tristitiamque gratia moc
ta soluere.) Quidam autem Basilius, digno
sacerdos, virtutis autem studio, Theodosio, q
psum spiritualiter genuerat, æqualis, verba
in ventum à viro sancto minimè prolata scie
sermonem eius excepit & prõpto alacriq; ani
respõdit; Equidẽ ô pater huius sepulchri pri
celebrabo encænia. Et protinus flexis genibus
Obsetua hic vsũ antiquũ tertianarũ &c. pro defunctis. nedic, inquit, pater, & voti hui⁹ me cõpotẽ fac
Nec mora. Theodosius data benedictione, om
quæ lex vult fieri mortuis, tertianas inquam,
nouenas & consequenter etiam quadragenas,
ri mandauit. Quibus per ordinem ritè per
Basilius

Basilius neque febre correptus, nec capitis dolore vexatus, neque vlla omnino morbi molestia fatigatus, tanquam molli quodam & suaui somno sopitus, excessit ad Dominum. His perfectis quadragesimo ab obitu eius die, visus est in canticis vespertinis, cum reliquis fratribus, diuinas laudes psallere. Et quidem cum solus Theodosius corporeis eum oculis cerneret, Aetius autem quidam, vir insignis & strenuus cælestis vitæ æmulator, vocem eius audiret, petijt is à Theodosio vt hanc videndi facultatem à Domino sibi impetraret. Altera igitur nocte, Basilius cum rursus adesset, Theodosius eum Aetio ostendit; qui gaudio incredibili perfusus, contineri non potuit, quin in amplexus & oscula ruere vellet. Sed Basilius non modò apprehendi non potuit, sed aëri simili euanuit, cum dixisset alijs audientibus; Salui estote ô patres & fratres, salui estote: me autem de cætero non videbitis amplius. Hoc fuit primum virtutis testimonium Theodosij. Secundum autem priori nullo modo est inferius.

Mira res.

Die illo, qui Christo ab inferis resurgenti sacer est, cùm neque panis, neque vinum illis esset, quibus sacram communionem peragerent, vel corpora, longa quadragesimalis ieiunij inedia exhausta, reficerẽt, discipuli eius inter se mussitãtes, magistrum summæ negligentię arguêre, quod quæ ad tanti festi solemnitatem necessaria erant, non curasset. Ille verò audito murmure, bono eos animo esse iussit, tantum precibus incumberent, & sacram de more mensam pararent. Nam qui olim (dicebat) tot Israelis millia aluit in solitudine, & ingentem hominum multitudinem paucis admodum panibus ad satietatem pauit; hic ipse nostri quoque curam gerens: abundè quę

Fiducia eius in Deum.

necessaria sunt, suppeditabit Hæc cum dix & discipulorum animos ad salutarem confi tiam excitasset, accidit ea die, præter expecta nem omnium, vt par mulorum sarcina ve rum alimentorum onustum, ad eos venire Theodosij promissum cumulatè expleret. Deu set hæc Dei prouidentia, omnem diffidentiæ c sam discipulis adimere, sed mox alia famis cessitate vrgente, in eandem prolapsi sunt. E vir quidam opulentus, qui egregio pietis studio ductus assiduè benignè faciendi disci nam excolebat; & inopiam Christo famulan um, suis facultatibus sustentabat. Hunc Theodosij discipuli percepissent, ægrè ad dum passi sunt, sese propter solitudinem, homini isti incogniti erant, à tantorum pa patione bonorum excluſos esse Theodosium tur adeunt, & extremam iterum rerum omn inopiam, in qua versabantur exponunt; orant obsecrant, vt se suamque necessitatem, hos isti opulento & benignitatis laude præstanti nuet, nè tandèm grauiore paupertatis op pressi; deserta loca, & cum ijs religiosæ vitæ tutum, relinquere cogerentur. Quibus Theo sius rursus, qua prius, constantia respondit, S hementer turpem animorum abiectionem sceleratam diffidentiam admirari, quod mali sese hominibus quam Deo supplices exhibe Qui implet omnem animam esurientem, & escam in tempore oportuno, & pullis coruor cibum præparat. Quare, inquit; excelso ani estote, & discite toti, qui vos vni Deo to consecrastis, ex Deo pendere. Vix hæc effa erat, & ecce homo quidam, animal ante se onustum agebat; quod cum iter per viam

Ab inspera- to alimenta afferuntur S Theodo. Go.

Præclara eius spes in Deũ animi- que magni- tudo.

nasterij, cui Theodosius præerat, haberet, substitit, nec vllis plagis ab homine, vt iter institutum perficeret, impelli potuit. Quo viso, homo ille stupore oppressus, laxato freno liberum ei iter quo impetus ferret, concessit. Tum recta ad Theodosij monasterium contendit. Subsequitur homo, & cognita ibidem, quæ fratres premebat, inopia, larga eis manu subuenit. Quo beneficio fratrum animi erecti, nec deinceps ad humanam opem, sed Dei misericordiam respexerunt.

Nota miram Dei prouidentiam.

Interea cùm splendor virtutum omnium ex ea spelunca, in qua Theodosius cum suis latitabat, longè sese lateque diffunderet, numerus discipulorum adeò excreuit, vt loci illius angustiæ omnes capere non possent. Quæ res Theodosio ingentem curam iniecit. Considerabat enim, si amplissimis monasterium terminis dilataret quietis & silentij bonum dissipatum iri. Si autem neglecto animarum fructu, sibi soli viuere pergeret diuini numinis iram pertimescebat. Hac animi fluctuatione aliquamdiu iactatus, cum quid optimum factu esset, discernere non posset, ad diuinã mentem consilia sua reuocare statuit. Tandem cùm nihil Deo gratius esse intelligeret, quam virtute & exemplo, animas Christi sanguine redemptas ad cælestis disciplinæ normam erudire, thuribulum mortuis carbonibus plenum in manus sumpsit, impositoq; thure, eremum vastã obiuit, Deum pura mente deprecans: vt locu ampliori monasterio fundando aptũ ostenderet. Cum autẽ plurima deserti loca inãbulasset, nullumq; è thuribulo signum accepisset, ad speluncã suã redire maturauit; & eccè, spelunce iã propinquior factus, ignis è mortuis subitò carbonib. cũ suauis-

Augentur indies discipuli fama virtutum eius excitati.

Thuribulo Dei voluntatem exquirit.

Monasteriũ ciuitatis instar extruit.

sima odoris fragrantia erupit. Nec mora in
continuò in eo loco fundamentis, monaste-
um, vel vt melius dicam, præclarum virtu-
habitaculum constructum fuit, quod deindè c
& studio Theodosij in eam excreuit amplitu-
nem, vt non modo virtutum splendore, sed
rum omnium commoditate, ciuitatem aliqu
populo frequentem & officinis celebrem vin
ret; eoq́ue magis, quod hic communi fraterni
omnia citra laborem præbeantur, & ab exter
quæ nos sæpè transuersos agunt curis liberãt. I
verò habitationum varietas & diuersitas, ea
in re præclaram quamuis ciuitatem superab
quod certò hic ordine locoq́ue & animæ & c
pora curantur, & omnibus cùm egenis tum pe
grinis, sua habitacula designata sint; tanta ch
tate, vt nemini omninò aditus præcluderetu

Benignitas eius in pauperes.

Cæterum Theodosius pauperum & mise
rum curam assiduò gerebat, tanta fide tanta
charitate, vt sanguinem ablueret; vulnera m
daret, labra admoueret labris eorum, quo
caro mutila alijs horrorem præbebat; & ita
blandè & sapienter, vt calamitatem mode
ferrent, consolabatur. Porrò tantum erat in

Eximia charitas in monasterio.

monasterio, tamq́ue excellens charitatis stu
um, vt si singula oratione describerentur, omn
planè admirationẽ superarent. Nullus despic
batur, nullus indignus habebatur cõmiseratio
Alijs vestes, alijs pecuniæ, alijs res aliæ tribueb
tur: nemini verò alimenta negabantur. Atq; m

Vno die plus quam 100 mensæ parantur.

minerunt quidem, qui ad hæc ministrabãt; se
die plusquam centum mensas parasse. Et
manus quidem misericordiæ fons erat hu
modi, & tam abundè scaturiens, Dei autem fo
qualis? Num dubitare quis poterit, quin mu
atq

atque adeò infinitis partibus superabat.

Fames. Dies festus Palmarum.

Fames valida vniuersam regionem inuaserat omnesque exæquo adeò affligebat, vt spes nulla pellendæ reliqua, videretur. Intereà adfuit dies ille, qui fausta populi acclamatione, & palmis virentibus Christo sacer est, quo pauperum & agrestium multitudo, aliàs quidem capta festi occasione de more, tunc verò fame cogente ad monasterium venerunt. Peractis sacris, cum ingens hominum multitudo, dira confecta fame ad mensam confluueret, ministri qui huic officio deputati erant, multitudine deterriti, panis portionem ad libram vocandam censuerunt; & ne aduentantium multitudo vniuersa absumeret: fores occluserunt. Accidit interim vt Theodosius accederet, qui cum vim iannis à multitudine afferri cerneret, gratum omnibus introitum præbuit, omnesque summa benignitate cibo potuq; reficiendos curauit.

Ingens numerus pauperum pascitur.

Ministri igitur cùm non semel Theodosij virtutem experti essent, quamuis apud se taciti facultates monasterij in dubium vocarent, ingredi tamen volentes admiserunt: & imperantis moti auctoritate, benignè, quidquid alimenti in domo erat, ministrarunt.

Præclarum miraculum.

Quid ergo ô Deus admirabilium? crescebat singulis momentis hominum multitudo, nec tamen alimenta decrescebant. Stupebant ministri, nam quò plura ipsi larga manu pauperibus erogabant, eò se plura habere videbant. Similem omnino Dei munificentiam in festo quodam virgini Deiparæ sacro experti sunt; in quo cùm summa panis penuria laborarent, & magnus ille Theodosius consuetæ benignitatis gratiam omnibus præberi iussisset, omnipotens

Deus ita alimentorum copiam auxit, vt n
modò abundè quo sese reficerent pauperes, hil
rent, sed etiam plurima, sublata mensa, dom
asportarent.

Esec diuinitùs augetur.

Porrò quia hoc vnum sibi vel maximè cura
rat, sedulaque mente noctes diesque agita
quomodo charitatis opera erga proximum ex
ceret, tres alias domos extruxit. Vnam quid
ijs, qui solo pietatis studio ducti, se totos à mu
do segregauerant, attribuit; in qua corporu
firmitate oppressi, valetudinem commodè re
re possent.

Tria Valetudinaria extruit.

Deinde duas ijs permisit qui nulla sanctæ
vitæ obligatione obstricti, in mũdo versabant
quibus hac ratione omnia summa benevolen
significatione suppeditabat, vt simul cum cor
ris sanitate sempiternam animæ salutem co
sequerentur. Et ita quidem hæc ordinata erat
vniuscuiusque personæ & conditionis & digni
tis ratio haberetur. Prudentèr enim considera
pro ingeniorum varietate, varia quoque spiri
lis vitæ alimonia præbenda esse.

In suorum autèm animis disciplina imbu
dis, mirum quanta sit vsus industria, quanta d
teritate. Cùm enim ab omnibus otium, tanqu
certissimam vitæ spiritualis pestem profliga
ita tamen singulis labores imponebat, vt pro
uscuiusque ingenij & virium præstantia, eos
augeret vel minueret. Dignitatis vel diuitiar
nulla omnino ratio habebatur; nam quam
multi egregio natalium splendore illustres in
ius disciplina versarentur, omnia tamen som
orum instar, vt Christi gratiam consequeren
despiciebant. Multi etiam qui in medijs mũdi
moribus humanæ sapientiæ laude præstantiss
fuer

Insignis ejus prudentia, in discipulis instruendis.

fuerant: ita eius disciplinis informabãtur, vt tum demùm se veram sapientiam adeptos putarent, cùm eã, quæ est propter Christum, stultitiam tota mente totisque viribus amplexati essent. Satagebat enim vel maximè Theodosius, vt omnes, qui se eius in disciplinam tradiderant; ad veras & solidas virtutes pertingerent. Parum enim esse existimabat, ad suauem quendam sensum pietatis (quo imperiti homines omnia metiuntur) peruenire, sed operam dabat, vt etiam in discretione spirituum exercitati, ad aliorum salutem scienter possent incumbere. Hinc multi ex ipsius disciplina Pastores, multi Episcopi prodierunt, qui omnibus in locis impressa sanctitatis suæ vestigia reliquerunt.

Multi ex Theodosij disciplina Episcopi prodierunt.

Porrò discipulos suos comitate magis & ratione, quam austeritate, in omni disciplinæ officio continebat; Quòd si verò alicuius delictũ increpationem exigebat, ita verborum & vultûs austeritatem temperabat, vt semper beneuolentiam & charitatem suorum erga se aleret conseruaretq; cauebatque diligentissimè, nè vnquam vel minima inuidiæ vel discordiarũ scintilla in monasterio fomentum caperet. Sacros codices assiduò & sibi, & suis patentes esse voluit, nec passus est vnquam, vel tempus, vel morbum, vel senium, vel aliquid eorum quæ accidere solent, diuinorum lectionem interrumpere. Ad quam si dies non sufficeret illius lucem lucerna supplebat in nocte.

Inuidiam & discordiam summo sẽper studio è monasterio profligauit.

Erat eo tempore * Imperator, qui primo quidem præclarum religionis & virtutum de se specimen præbere visus, paulò post Acephalorum pollutus errore, cunctos, qui Christi

* Hic fuit Anastasius.

Imperator Acephalorũ hæresi infectus, Theodosium oppugnat.

Ecclesiæ cum auctoritate præerant, in errorem suum pertrahere conatus est. Alios itaque minis & exilijs, alios promissis & muneribus aggressus est, Postremò quoque Theodosium, quem religionis virtutum omnium gloria antestare sciebat, minis mirisque machinis à fidei constantia subuertere tentauit. Et quidam mira calliditate eum sibi deuincire cogitabat. Aureum triginta librarum munus ei transmisit, asserens se compertum habere, fratres graui rerum omnium inopia laborare; quare vellet grato transmissum munus, animo suscipere; eoque fratrum necessitatibus benignè consulere. Theodosius, cuius non ignoraret, quorsum Imperatoris liberalitas spectaret, tamen ne videretur offensionis licuius præbere occasionem, munus quidem amisit: ita tamen vt duplici aduersarium damno afficeret. Nam postquam Imperator, Leonem iam in pedicis habere existimaret, misit ad eos qui erroris cõfessionem ab eo postularent. Ille verò Theodosius tempus adesse ratus, quo vel insigni victoria, vniuersam Acephalorum perfidiam profligaret, vel certè præclaro certamine, sanguinis sui effusione, Christi Iesu verá fidem & Ecclesiam Dei consignaret: literas ad Imperatorem in hanc sententiam dedit; Cum hæc duo proposita nobis sint, ô Imperator, vel turpiter & illiberaliter viuere, consentiendo Achephalis, vel pulchra morte, recta patrum dogmata sequendo acquirere: scito mortẽ nobis hac vita esse charioré. Tantum enim abest, vt hæc noua summæ impietatis dogmata sequamur, vt non modo ad extremum vitæ spiritũ præcedẽtes patrũ leges retinebimus, sed eos etiã qui mente scelerata sanctissimis eorum doctrinis refragari audent anathemati subii-

Auri triginta libras ei mittit.

Constantia eius aduersus Imperatorem.

Litteræ eius ad Imperatorem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ciemus; sed nec vllum ex Acephalis ordinatum, pervim suscipiemus. Absit vt tantum impietatis crimen committamus; quin potiùs, vt vos pro patria, ita & nos pro vera & syncera fide lubenter animas profundemus; etiamsi sancta ipsa loca igne cremanda sint; & crudele spectaculum moribundis oculis haurire cogamur. Quid enim opus est solo nomine, quando ipsa sacra reuerà afficiuntur contumelia? Nos igitur nequaquam admittemus aliquid sentire; tantùm abest dicere, quòd à sanctis & œcumenicis concilijs discrepat. Aduersus hæc & ignis accendatur, & ensis acuatur, & mors quoque acerba nobis adferatur; imò verò si fieri potest, pro vna innumerabiles; nos verò nunquam tanto scelere nos astringemus: vt patres nostros, eorum placita abrogando, probro afficiamus. Testes sint eorum sudores, quos pro fidei constantia susceperunt; testes eorum certamina cum multa sanguinis effusione: quæ nobis cum sempiterna nominis memoria reliquerunt; testes postremò eorum libri, multiplici eruditione & pietate referti: quæ omnia apud nos firma & immobilia, & apud posteros rata manebunt.

En quã constanter, vir sanctus, Cõciliorũ decretis, censuerit inhęrendum.

Hac epistola, Imperatoris statim perfidia expugnata fuit; & viri sancti prudentiam pariterque constantiam admiratus, vt sempiternum nominis sui dedecus, quod vehementer extimescebat, euitaret, mutata ratione literas ad eum dedit: quibus & se purgare, & speciosam pietatis causam suis dictis factisque obtendere nitebatur. Sed ea tamẽ, vera vel simulata pietas, diuturna non fuit; nam vt asinum confricantem auertere difficile est, ita animum non vero pietatis studio imbutum, in pietatis officio diu continere impossibile. Rursus ergo aduersus purissimæ religionis defensores edi-

Imperator literis apud Theodosiũ excusare se nititur.

cta ædere, rursus omnem impietatis suæ molem mouere. Sed Theodosius, qui tota mente ad martyrij palmam aspirabat, non segniùs se oppositum Contemptis enim Imperatoris scriptis & decretis, minisque horribilibus, Dei templum ingressus suggestum conscendit, manuque silentium

Ecce quanta sit quatuor Conciliorũ generalium auctoritas.

dicens: Si quis, inquit, quatuor Synodos non tanquanti euangelia esse existimat, sit anathema. His dictis, cùm omnes sua constantia in admirationem adduxisset, gradum per medium eorum fecit, & recta ad vicos & ciuitates alias tetendit, cunctos sua grauitate & oratione ad constantiam veræ fidei, ad vltimum vsque spiritum retinendũ adhortans. Nec his contentus, discipulos suos aliosque disciplinæ suæ sectatores, tanquam

Discipulos suos, ex solitudine ad populum in fidei constãtia retinendum euocat

exercitus è solitudine eduxit, eosque in varias regionis partes distribuens, vt populum ad veræ dei professionem constanter retinendam hortarentur, dimisit. Ipse autem primus ante alios venerandos canos, & promptum animi studium ostendens, nutantes stabiliebat, stabiles confirmabat, socordiores excitabat, promptis & ad certandum cum aduersarijs paratis, animi fortitudinem maiorem addebat; aduersarios autem animo adeò magno & generoso exterrebat: vt omnes congressum eius vehementer formidarent.

Damnatur exilio ab Imper.

Hæc cùm Imperatorem ad iram furoremque prouocarent, perpetuo eum exilio damnauit: sed Christus Iesus, pro cuius ille gloria decertabat; seruum quidem suum Theodosium ab iniquo exilij pœna eripuit: Imperatorem verò miseranda valdè interitu oppressit. Tunc subitò Ecclesiæ tranquillitas, quę magno eius furore vehementer turbata fuerat, reddita fuit, & Theodosij virtus om-

Restituitur. Mors Imperatoris.

nium

nium prædicatione in cælum sublata: & ipse cum multis alijs, qui præclarè pro fidei & Ecclesiæ libertate decertauerant, ab exilio in pristinum dignitatis gradum restituti.

Sed omissis reliquis, libet ea quæ vir sanctus cum admiranda opinione virtutis gessit, prosequi. Cùm quotannis in veneranda viuificæ Crucis exaltatione, sacer omnium ordinum cœtus, de more congregaretur, circa locum qui dicitur Hieratheon, adfuit quodam tempore & ipse cum sua societate Theodosius. Quædam autem mulier, cuius mamillam cancer morbus miserabiliter inuaserat, cùm eidem sanctæ Crucis solennitati interesset, & ex Isidoro viro religiosissimo intellexisset Theodosij præsentiam, ilicò in spem recuperandæ salutis, si eius vel conspectu, vel contactu frui posset, veniens accurrit. & mamillam sensim aperiens, Isidori adiuta auxilio, cuculli contactu sanitatem suffurata est. Simul enim atque pannũ attigit, dolor omnis recessit. At ille, qui fidei virtutem in muliere iam perceperat, protinùs conuersus, timorem, qui eam inuaserat, blandis admodùm verbis soluit. Isidorus autem (qui oculos quoque suos aspectu miraculi pascere cupiebat) cùm mamillam curiosiùs contemplatus fuisset, & omnipotentis Dei bonitatem in seruo suo Theodosio clariùs cognouisset, vix mentis compos in diuinas laudes prorupit, factumque ad omnium notitiam diuulgauit. Insigne miraculum.

Postquam tyranni illius, vt antè diximus, morte, Ecclesijs omnibus & monasterijs summa pax & tranquillitas restituta fuisset, Theodosius quodã tempore Bethleem orationis gratia, pergens, indeque reuertens, ad Marcianum diuertit. Cùm autem post oscula, atq; mutuas salutationes, & sermonem

Marciani magna inopia.

monem spiritalem vltrò citroque habitum, ne pus eos & fames ad mensam inuitaret, Marcian qui extrema frumenti inopia laborabat, lente aqua coctum apponi iussit, suamque inopia quo minùs panis poneretur, modestis admodu verbis indicauit. Accidit interim, vt Theodosi tãtam Marciani inopiam admirans, defixis in ba bam eius oculis, granum frumenti in eam, nesci casu quo, decidisse cerneret. Quod hilari, & cau dextera illinc tollens, Ecce, inquit, frumentum, quomodo vos frumento egere dicitis? Hoc cu lepidè & iucundè à Theodosio dictum factumq fuisset, Marcianus tacitus secum multa cogita supinis granum manibus accepit, & illud is ho reo, tanquam vberem indè messem futuram rep fuit. Sed longè hoc granum eius expectation & multorum etiam fidem, vti non dubito super

Eximiũ miraculum.

uit. Nam vt altera luce horreum ingressus es dit emota penè mente, horreum fructibus red dans. Marcianus stupore planè oppressus, abim que nunc huc nunc diuidens illuc, Theodosi confestim per vnum è suis discipulis ad eam mirabilis spectaculi societatem aduocauit, fuit protinùs vocatus Theodosius, & horreu magnam frumenti copiam foras etiam effluen inuenit. Laudant illi igitur Dei bonitatem, no tamen minus præsentem potentiam, quàm illa qua olim in deserto Christus quinque panib copiosam hominum multitudinem pauit, adm rantur.

Matth. 14. & 15.

Matronę ditissimę & religiosissimæ filius, mirè eruatus.

Mulier quædam Alexandrina, opum & diuitia rum existimatione princeps, vnicum habebat fil um, quem tempore quodam cum æqualibus lud bundum, in puteum decidisse cognouerat; & e tremo mortis periculo inuolutum, viri cuiusda

auxilio summa sanctitate præditi, non sine ingenti omnium admiratione, euasisse. Cùm enim vicini puerum (quem iam certo certiùs extinctum existimabant) è putei profundo extracturi accurrissent, atque in imum descendissent, inuenerunt (dictu profectò mirum) puerũ siccis vestibus, aquis ipsis tanquam firmissimo solo insidentem. Tandem cùm eum funibus extractum in terram collocassent, ingens hominum multitudo ad miraculi spectaculum confluens, auidè totius rei euentum cognoscere voluit. Tum puer quendam sibi astitisse monachum tali habitu, amictu & forma retulit, cuius ope è mortis ipsius faucibus ereptus fuisset. His pia mater auditis excitata, ad suum pertinere officium existimauit, hominem illum per vasta eremi loca inquirere, vt aliquam ei grati animi significationem ostenderet. vt verò suo comitata filio ad Theodosij monasteriũ venit, puer protinùs patrem agnouit, & magnis clamoribus illum sui conseruatorem appellauit. Mater increbili perfusa gaudio, ad sancta eius se genua prouoluit, & poplites ambabus prensans manibus, calidas in eos lachrymas effudit; & Theodosium non solum filij sui seruatorem, sed & vitæ suæ auctorem meritò vocauit.

Puer agnoscit Theodosium, à quo fuerat seruatus.

Huic autem miraculo aliud simile cognouimus. Mulier quædã singulis annis miseranda valdè abortione, cum extremo vitæ periculo conflictabatur. Hæc cùm nullum suæ calamitati remedium relictum cerneret, fidenter ad magnum illũ Theodosium perrexit, & lachrymis magis quàm verbis calamitatis suæ rationem exposuit; atque tandèm enixè à viro sancto contendit, vt data benedictione, primum quem paritura esset infantẽ, Theodosium appellari permitteret. Annuit vir san-

Mulier post crebros abortus, saluã edit prolẽ.

sanctus,& mulier non vt prius ingenti cum do re,sed cum gaudio puerum cum vultu formos tũ moribus admodùm insignẽ peperit; quia do ętate Theodosij quoq; disciplinã sectatus,in co vita,sancti viri officio functus fuisse perhibet

**Bruchos & locustas ne noceant, + coercet.**

Cum bruchus aliquando & locusta terram pularentur, atq; omnes agrorum fructus non m nùs quàm hostes deuastarent,Theodosius miser mæ gentis clamores & lachrymas miseratus,qu uis iam extremæ senectutis vinculis constrict gradum facere nequiret, salutem tamẽ propri communi postponens, discipulorum se manib ad locum, in quo calamitas illa sæuiebat, defer iussit. Cumque supplicibus in cælum manib misericordiam diuinam imploraſſet, tande bruchos & locustas conuersus, Parcite, inquit, bori & agriculturæ pauperum; hoc enim vol communis quoque Dominus præcipit. Hæc dixisset, examen illud manſit quidem in regio illa, sed veluti fœdere cum agris inito, fructib damnum omninò nullum intulit.

**Rursus suos fratres ad confidentiã in Deũ hortatur.**

Cùm fratribus aliquando opus esset vestim tis, & vir sanctus, tunc temporis summa pecun inopia laborans, eorum necessitatibus occurre non posset,hortatus est eos vt præsens necessit onus patienter ferrent. At illi, molestiam illic hibere perrexerunt: Tum sanctus. Quid, inqu turpis hæc corporis solicitudo vos angit? Spe vestram in vno Deo figite, cuius vos seruitio co secraſtis:& ille abundè necessitatibus nostris p uidebit.Altera die prẽter expectationem promi sa effectum sunt consecuta. Adfuit enim vir quid incertum vnde veniens, qui centum aureos fili fronte eis dono dedit;qui statim ad vsum vestim torum fratribus seruiẽrunt.

Cùm

Cùm quodam tempore magnus hic Theodosius, cum Iuliano viro multis philosophiæ disciplinis egregiè ornato, & pastoralis officij, Ecclesiæ eius, quæ est in Bostra, laude præclaro, ad Bostrenorum ciuitatem iter haberet, mulier quædã genere nobilis, sed vitijs nobilior intemperantis linguæ petulantia in virum Dei inuecta planum eum & impostorem vocitauit: & ecce mox pœnas iusto Dei iudicio, subitaneo mortis supplicio, luit. Indè verò digressi, ad Apostolorum templum quod est propinquum, profecti sunt. Monachi aũt quidam ex monasterio propinquorũ, morbo Seueri infecti, visis sanctis illis, ligno quo fratres ad Ecclesiam vocari solent, antè horam consuetam pulsârunt, & ad synaxim eos conuocarunt. At Theodosius, cùm intellectis insidijs, zelo repleretur, extremum illis excidium à Barbaris futurum interminatus est: lapidemque à lapide diuellendũ prædixit. Cuius minas paulò pòst effectus consequutus est. Nam Agarenorum quædam multitudo, nocturna incursione, monasterium coniecto igne inflammârunt; & quosdã ferro trucidârunt, quosdam in miseram seruitutem captiuos abduxerunt, locumq; vniuersum, acerbum omnium oculis spectaculum, reliquerunt. Et hæc quidẽ narratio aperte est disciplinæ & castigationis, altera autem, quæ sequitur planè est gratiæ & vtilitatis. Dux Romani exercitûs (quem Comitem Orientis de more vocabant) nomine Cericus, vir militaris gloriæ laude præclarus, cùm incursionem contra Persas faciendam suscepisset, & multa de magni Theodosij sanctitate auditione percepisset, cœpit ardenti desiderio eum prius visitandi flagrare, quàm copias suas in hostes duceret. Adijt igitur beatum virum, & postquàm multa, quæ cùm ad

**Mulier atrocis conuicij in sanctum, diras pœnas luit.**

**Cericus dux Romani exercitûs Theodosium visitat.**

ad animæ, tum ad corporis salutem spectare
cum summa quadam animi sui voluptate hau
set, tanto in virum sanctum amore exarsit, vt, ad
pto eius cilicio, quo magnus ille Theodosius
nem domabat, diceret, se aliorum omnium arm
rum loco, hoc vno, hostium gladios & cuspid
excepturum. Quo quidem indutus, in Christi
mine, quod sibi Theodosij precibus propitium
re confidebat, ita in hostes inuasit, vt paruo cer
mine eos fuderit fugauerit q.: & præclaram vi
riam, cum maiori nominis sui gloria, domum
portârit. Quam quidem victoriam non propr
sed Theodosij virtuti cum insigni gratiarum a
one acceptam retulit. Dicebat enim; illo ipso
pore, quo manus cum hoste conferebamus, o
nia densis tenebris inuoluebantur, omnesque
latores densa caligine circumfusi, cerni non p
terant; ego autem te mihi ducem, & manum
has nunc illas prælij partes sequendas esse, sig
cantem habere videbar; donec horribili tim
inimicis iniecto, turpi sibi fuga salute quæren
Neque in hoc solùm prælio, sed in multis alij
terrarum & maris periculis adesse, plurimos
ab imminenti mortis periculo eripuisse Theo
sium compertum est.

En quanti cilicij sancti viri fiat.

Nota quòd adhuc in corpore positus appareat alijs.

Iam verò quam admirandus in futurorum p
scientia extiterit, operæ pretium est videre. Q
dam die præter consuetudinem fratres omn
consueto signo, ad orationis studium & sacram
naxin vocati sunt. Cumque alacri omnes anim
sola obedientiæ virtute admoniti conuenisse
rogabant, quidnam esset, quod eos ante consu
orationis horam conuocasset? Tum ille, qui pu
simo intellectûs sui lumine futura contempla
tur, omnes ad ardentissimum pietatis & orat

Claret spiritu prophetiæ.

nis studium hortatus est: multisque cum lachrymis impendentem diuini iudicij furorem aduersus Orientem, eis annunciauit. Sexto autem ab eo quo hæc prædixerat, die auditum est, Antiochiam ingenti terræ motu corruisse, & vniuersa ciuitatis ornamenta, in puluerem & fauillas redacta. Antiochia corruit.

Sed præter alias virtutes, quibus in omni vita ornatissimus fuit, nulla eximia eius humilitate admirabilior videtur. Orta quandoque fuit inter duos ex fratribus, grauis admodum discordia, ita vt nullis planè rationibus inimicitiæ componi possent. Theodosius igitur, cùm neque disciplinæ seueritate, neque vllo verborum fulmine, conceptum animis odium expugnare posset, supplex se ad eorum pedes demisit, & vt sese à tam tetra pestecurandos præberent, enixè rogauit; nec priùs è puluere terræ vir summa auctoritate præditus surgere voluit, quàm eos ab errore & præsenti exitio ad vitam reuocaret. Eximia humilitas.

Fuit autem inuicta planè patientia, in omni & animi & corporis ægritudine: Ita vt ingenij illius magnitudo, cunctis admirationi esset. Cum verò effæta iam senectute, ad Brauium euocandus esset, acutissimo morbi telo confixus, tanti s fuit agitatus doloribus, vt omnes ad lachrymas & misericordiam prouocaret; cùm quidam vir grandæuus, pater, inquit, quin te ad Deum tota mente precandum componis, vt morbi sæuitia, se remittat? Cui ille, Missos quæso facito sermones istos; nam cùm huiusmodi cogitationes animum sæpe subijssent meum, arbitratus sum has maligni esse insidias. Quid enim? Cùm & nomen & gloriam ex bonorum operum fructu hactenus consequuti simus, nullas omninò aduersitates de manu Domini suscipiemus? Quid si mihi id, quod diuiti Eius inuicta patientia.

Lucæ 16.

isti à Domino, meritò obijciatur? Recepisti bo
in vita tua. His auditis senex conticuit, & di
viri virtutem magis admiratus est.

Porrò majora adhuc fortitudinis, & patien
signa dedit, cum nihil vnquam de diuinarum
rum studio in tanta morbi sæuitia remiserit. In

Ne somnus quidē orationes eius impedire potuit.

ne somnus quidem eius cum Deo colloquium
terrumpere potuit. Nam etsi illius oculus so
num sæpè gustauit, flexus ab ea, quæ omnia vin
natura: labra tamen eius faciebant quod con
uerat. Multa etiā in extremo illo vitę certam
fratrib. futura prędixit. omnesq; ad cōstantiā

Obitus eius

uinis sanè sermonib. hortatus est. Postremo
tēpus adesse cerneret, quo corporeis vinculis
uēdus erat, eiectis omnib. tres solos Episcopos
cersijt, ijsq; post triduum, suū instare excessū
pertè dixit, quo sanè triduo lucūlenter multa
cælestis patriæ gaudio cū ijs disseruit; Deinde
latis in cælū manib. ita excessit è corpore, vt
la extrema vitę perfunctione, insitę virtutis &
ctitatis insignē significationem daret; cuius
tem, Deus præclaro statim miraculo honora

Dæmoniacus ad eius corpus ex animę liberatur.

Vir quidā nomine Stephanus, genere Alexa
nus, longo tēpore, maligno vexatus dæmone,
recuperādæ salutis ad extremū Theodosij spiri
lecto eius adhæserat. Sed cū virū sanctū corpo
solutū vinculis, migrasse animaduerteret, de
ratione recuperandæ salutis fractus miserā
valdè eiulatus ædere, crines genasque vellere,
ctus ferire, prostratoq; in terrā corpore, frōte
lum miserè pulsare, aliaq; plurima desperatio
signa ostendere. Cumq; nullum inueniret in
mitate refugium, inuisam voluit abrūpere vi

His miser cogitationibus stimulatus, ambo
spiritu se in lectū Theodosij abiecit, sacrasq;

dicùs amplectens reliquias. maluit cum ijs sepeliri, quam grauem diutius lucem aspicere. Quid interim dæmon qui hominẽ grauiter quassabat, contactũ reliquiarũ ferre non sustinens, hominẽ valdè miserabiliter discerpsit, & apertis indicijs sibi migrãdum esse declarauit. Nec mora. virtute reliquiarum superatus, hominem quem crudeli diu tyrannide oppresserat, protinus deseruit.

Interea, cũ pretiosa Theodosij morte præclarũ hoc miraculũ lõngè latèq; deuulgatũ fuit. Vndè ex varijs orbis partibus plurimi accurrẽtes atq; ex sacrarum conspectu reliquiarũ incredibilem voluptatẽ hauriẽtes, enixè operã dedêre, vt earũ cõtactu fruerẽtur, tãto earũ desiderio accẽsi vt planè in frusta discerpsissẽt, domũq; singuli singulas partes asportassẽt; nisi ab episcopis vigilatũ, & eorum studio atque diligentia maturè in monumentum illatæ fuissent. Fuit autem inter reliquos antistites, qui viro sancto iusta persoluerunt magnus ille Petrus, qui summa cum auctoritate & eximia sanctitatis laude Apostolicã sedẽ Hierosolymis administrabat; qui cum in vita, tum in morte Theodosij, magnũ illius desideriũ habuit.

Petrus Episcopus Hierosolymorum.

*MARTYRIVM S. SALVII ENGOLISmensis Episcopi, qui Anno Domini 801. Caroli verò Magni 1. crudeliter occisus est. Alij hũc Saluinũ appellant, & Sigebert. in Chron. Saluum pro Saluio dicit. Porrò confundunt nonnulli huius acta cũ Saluij Episcopi Albigensis, qui sub Chilperico Francorum rege, doctrina claruit & sanctitate de quo Gregorius Turon. hist. lib. 5. cap. 44.*

Vide Cæs. Baro. in Notat. marty. Rom. & Tom. 9. Ann.

SAluius Antistes, diuini verbi præco eximius, cũ longè latèq; salutarẽ Christi doctrinam

11. Ianuarij.

Accipitur humaniter à Valentianis.

ſpargeret, multoſq́ue à flagitijs ad meliorem fi-
gem adduceret, fortè & Valentianas dela-
eſt. Fuit ibi continuo perbenignè acceptus, & b-
nignius à Genardo quodam viro pernobilitat-
ra hoſpitij inuitatus. Nec recuſauit vir diuin-
immò hoſpitis ſui candore ac pietate induc-
familiarius ibidem agere, comemq́ue ſe va-
prębere. Cum verò die quodam inter multa p-
tatis verba, ſermonemq́ue ſuauiſſimum de re-
diuinis vltrò citroq́ue habitum, Genardus ſ-
ſuppellectilem eius, qua in diuino miniſterio
conſueuerat, ſibi attentius contemplandam e-
beri poſtularet. Vviingardus eius filius adole-
auri argentiq́ue cupedine ſuperatus mox ne-
ſecum conſilia agitare cepit, qua via, modo
cupito illo theſauro potiretur. Hærebat in
viſceribus ſcelerata auaritię peſtis, & nocte d-
ſtimulabat animum, ne prædam è manibus e-
labi pateretur. Nullũ facinus quantũuis detes-
dum turpe viſum, dummodo compos voti fie-

Interficitur vir ſanctus inhumaniter cũ ſocio

Igitur ſacri auri fame tabeſcẽs accitis in cõ-
nionẽ ſceleris, idoneis comitib. ſanctiſſimũ A-
ſtitẽ cũ Superio eius ſocio, noctis beneficio a-
tus trucidat, ablatiſq́ue theſauris, corpora in-
bulo iumentorũ latentèr recõdit. Sed diuina
nitas famuli ſui corpus, quod pro luce veri-
longè latèq; propaganda, multos exantlaue-
labores fœde, in tenebris putreſcere nõ eſt pa-

Corpora eorum diuino miraculo manifeſtantur.

Nam omni nocte lux coruſca, duarũ lampa-
inſtar, ſuper humata apparens corpora, & bo-
gentes edendo mugitus manifeſtè ſacra pig-
prodidère. Quin & Carolus Imp. diuino in-
cto permotus, omni diligentia Antiſtitẽ req-
& ad S. Vedaſtũ deportari mãdauit. Itaq; S. co-
ra inuẽta, & curui impoſita, bobus libera gra-
di-

di facultate permissa, ad S. Martiani ecclesiã apud Valetianas perducta sunt, ibidẽq; honorificè cõdita. Impijs verò interfectorib. præmia mortis acerbissimæ, & ignominia plenæ persoluta sunt.

Sepelitur eũ socio apud Valetianas.

*ILLVSTRE MARTYRIVM S. ARCHADII, ex eo quod D Leno Episcopus Veronensis, luculenter oratione (sermone 4.) conscripsit. Extat apud Surium. Est autem hic alius, ab illo Archadio, qui sub Genserico rege, in persecutione VVandalica in Africa cum sociis passa est.*

Vide Cæs. Baro. in Notat. martyr. Rom. Item de illis Tom. 5 An. Anno dom mini 437.

DVM B. Archadij martyris gesta, fratres charissimi, cælestis triumphi honore sublimia, fidei annalibus recensenda mandamus in agone immortalis laudis. Christianus sẽper ardor animatur: fit geminum de religiositate commercium, cùm ad cæleste præmium populus accenditur: & de martyris meritis non siletur. Sed quis illustris martyrij palmiferam tot trophæis coronam, competẽti valeat sermone disserere, cum in spiritali palæstra multiplex luceat sui numerositate victoria, cum in vno corpore tot martyria videantur esse, quot membra? Armauerat diabolus satellites suos in Dei populum, Veterano odio desertor antiquus, & totam familiam Christi impastæ feritatis grassatione turbabat. Indixerat in homine, Deo bellum, & infaustę superstitionis busto, in nefas conscium toto mundo funereum fecerat rogum. Scatebat per tecta culminum, publicum scelus, nec fuerat locus, in quo non erat pro religione sacrilegium. Cogebatur Christi populus varijs superstitionibus interesse, atq; in cultus nefandi ritus, nunc aut libamina

12. Ianuarij.

libamina inceſta profundere, aut ornatas ſe
victimas trahere, aut grauia nidorib. thura fu
dere, aut inter fumidos ignes, palléti aruina
neſto ſanguine prolitare, vt illicita adminiſtra
one miniſterij Chriſtianis métib. Deus poſſet
pelli. Sed dum bellũ duri certaminis geritur,
familia domini cælo ſpectante probatur. Arch
dius beatiſſimus martyr huius inopinati nou
horrore perculſus, paululũ diſtulit pugnã i
bitus ad coronã. Nam poſtq; turbari vrbẽ fune
cõuentione cognouit, ac ſingulos quoſq; ad fu
bre illud ſpectaculũ trahi, cõtemptis vniuerſi
is facultatib. amputatis radicib. ſeculi, delitesc
ſeceſſionis ſe cõmendauit vmbraculo. Vtrumq;
Chriſtiano explicans voto, vt & nõ lógius vide
tur à prælio, & ſecedendo Euangelicæ iuſſioni
nimaretur exemplo. Ecce itaq; in eius hoſpitiu
velut in hoſtilẽ prædã, graſſantiũ ſatellitũ ir
manus, ſperans occupatione feſtina, Dei famu
poſſe deprehendi. Quem beati propinquus m
tyris, qui in eius fortè degebat habitaculo,
ſentem eſſe aſſiduis vocibus inclamabat. Hi
verò profitentem, ad nefandam cuſtodiam m
cipes rapuerunt Quem oblatum ſibi iubet cru
liſſimus rector, acri obſeruatione detineri. Ad
turæ gloriæ teſtimonium, tale beatus Archadi
debiti martyrij quodãmodo ſequeſtraueratp
gnus, in quo nec Chriſtum relinqueret, nec pr
pinquum. Statim itaque beatiſſimus martyr, le
tere non paſſus eſt, ſe vltrò offerens iudici m
ram ſuam voluntariæ oblationis præiudicijs
cuſauit. Cui cum prouinciæ rector, priſtinæ
fugæ veniam ſub pactione promitteret, ſi ſe
ſerò nefandis ſuperſtitionibus immiſcuiſſet, ra
libus in eum ſanctiſſimus martyr vocibus exil

Archadius primo latitat Matth. 10.

S. Archadij egregia cõſtantia.

Quid (inquit) vaniſſime omnium iudicum? putaſne aut de lucis iſtius incongruis vſuris, aut de properæ mortis ſubitis damnis, familiam Dei poſſe terreri, cum ſciamus Apoſtolica fide eſſe perſpicuum, Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum? Excogita quibus potes ſuppliciis tormenta grauiora, maioribus te furoris ſtimulis accende, cuiuſuis cruciatus exerce molem, nos à Deo non poteris ſeperare. Philip. 1.

Statim igitur crudeliſſimus rector viperei veneni felle commotus, iubet noua & inuſitata animaduerſione pœnarũ nec vſuali in reos lege, carnificũ manus in martyris membra ſæuire, Vilue runt vngulæ, inutiles ictus viſi ſunt plumbatarũ, ſtetit cõtemptus eculeus, crebri fuſtium imbres, maiores pœnæ contemplatione neglecti ſunt. Atrociſſimi eius cruciatus.

Excogitatur nouum ſtupendumque ſupplicium, quo ſe in homine vincere crederet Deum. Iubet ſanctiſſimum martyrem furoris ſui conſcijs tradi, quibus nihil aliud imperat mandatorum, niſi vt non præpropero diſceſſu martyris, ſpiritus migraret ad cælum, Expectet inquit, mortem ſuam, per membra diſtentus proprij corporis laniationem viuum cadauer aſpiciat. Incidantur (ait) ab articulis manus, à cruribus pedes. O inſane hominum, fraudauit te furor tuus. Adhuc erat in victima Domini, quod poſſit offerre. Amputandam linguam neſciſti, quæ in colluctatione martyrij prior ſolet Domino confiteri. Ductus eſt tandem beatus Archadius, ad exoptatum iuſtis orationibus locum. Et intuens cælum, ſtetit Deo ſpectãte ſecurus. Parauerat extẽſa futuris ictib. colla, nudauerat gladijs venientibus iugulũ, putauerat ſe feralem iudicis amentiã citę mortis ſorte ſatiare, dum, ſubitò iubetur manus extẽdere Nota immanitatẽ ſæui iudicis.

ac super cespitem nudus proiectus in faciem marty
dum extrema nudare; Ecce inter ipsa suppli tyr re
vacare non sinitur, sed orationis instar per car dictu
ficis tormenta meditatur.

Erexerat securim percussor insanus, & signu PRA
oculis vulneribus lineã, ferales ictus assidua co tyran
templatione vibrabat. Hæserant confessionis fle
glutino, intrepidæ martyris manus, nec saliere
digiti futuræ mortis exitio palpitabant. Tanta
it in martyris deuotione Constantia, vt omni
pore paratus veniret ad gloriam. Mox itaque
uotum vulneribus corpus carnifex vidit, ilar
cadentis securis ictu neruorum connexa dis
uit, & cunctas compage discussa iuncturas corp
ris rupit; exilierunt sectæ manus, & redeunte
se venarum meatu, paululum stupore fugitur
rursus in se riuos sanguinis, ruens vnda cruo
effudit. De hinc poplitibus surisque porrecti
germana coniunctione naturæ, gladio sæui lan
nis plantarum limes inciditur, & obsequio pe
corpus martyris viduatur.

Numerent martyria, qui possunt numera
supplicia; & in vno corpore quantum diabol
publicatus est furere, tantum cognoscatur Do
nus triumphasse. Sed durat inter hæc martyr
spiritus, & morarum numerositate seruatus p
stat viuus parte corporis sui iam sepultus; rem
ratur in luce detentus, cuius membris, iam plen
est tumulus.

O dignus glorioſi exitus finis. Ascensurus
titudinem cœli, corporis sui impedimenta p
2. Mach 7. mittit, & exequias funeris sui ipse præcedit. O
1. Mach. 6 hæc est comparanda confessio? Machabæorũ
genda est numero, Eleazari est adæquanda prop
sito, comparanda consilio. Archadius beatissim
mar

martyr adhuc demoratur in seculo, & iam martyr recitatur in cælo: Vt sit nomen Domini benedictum, qui regnat in secula seculorum. Amen.

## PRAECLARVM CERTAMEN SS. MARtyrum Hermyli & Stratonici: ex eo quod Metaphrastes scriptum reliquit. Consummati putantur sub Licinio, circa annum Domini 316. Constantini Imp. 11. quo atrocissimam in Christianos persecutionem excitauit idem Licinius.

Vide C. Bar. Tom. 3. Annal. Marty. Rom.

LICINIVS imperio potitus, miseranda scelerate religionis superstitione conflictans, vt regnum fœliciter administraret, totis in eam rem viribus incumbebat, vt Christianorum nomine ad internecionē deleto, dijs suis honorem omnem deferret. Hinc cùm multi Christianorum odio acriter inflammati, gratiam Imperatoris captarent, omnes veræ religionis pietatisque cultores ad necem inquisierunt. Quidam verò scelere antè alios insignis, Hermylum orationis studio intentum comprehendit; eumq; vinculis constrictum, ad Imperatorem pertraxit. Imperator sublimi in tribunali residens, vt Hermylum alacri & confidenti animo gradum inferre vidit: Dic mihi, inquit, an te Christianum esse confiteris? Imò verò, inquit Hermylus, non solùm Christianum, sed & peculiarem Christi seruum me profiteor, vtpotè qui sacris initiatus, diaconus illius sum. Imperator autem, ne parum vrbanus aut ingeniosus videretur: Ergò te (inquit) dijs diaconum, hoc est ministrum, exhibe. Martyr autem promptum eius responsum in risum vertens: Videris, inquit, mihi, ô Imperator surdus, aut certè

15. Ianuarij.

Hermylus comprehēditur.

Irridet tyrannum.

ſtultum agere. Dixi enim me Deo viuenti, qui
manis oculis cerni non poteſt, non autem
& lapidibus, è quibus dij tui humana induſtri
bricati ſunt, conſecratum eſſe. Non tulit Impe
tor dicendi libertatem; ſed ſtatim æneis qu
dam ad inferendum ſupplicium inſtrumenti
crum eius os contundi iuſſit. Quo martyr affe
ſupplicio, tantùm abfuit vt animum in pede
miſerit, quin animo vultuque elato ignauiam
ranno exprobrauit; vtpote qui ira victus, ſup
cium intuliſſet. Deindè maiori libertate vſu
quidem mihi, inquit, plagas infers, ſed vide ne
leris furore induratus, in ſempiterna ſupplic
liquando incidas. Certè puſilli & abiecti an
es, qui non ratione, ſed ſupplicio me vincere
naris.

Traditur in carcerem.

Imperator rubore ſuffuſus, martyrem in v
cula detrudi iuſſit, & carceris ſqualore macer

Conſolatur ab Angelo.

in quo totum triduum ita exegit, vt nunquam
geli conſolatione deſtitutus fuerit: ſed eius
ratus virtute, ad certamen cum tyranno ine
ſe parauit.

Tertio autem die fęliciter exacto, Licinius
tribunali martyrem ſiſti iuſſit, & quid in de
rationem adduxiſſet, protinus quæſiuit; Cui
tyr, pro eius, qui illum armauerat, dignitate
ſpondens: Ego, inquit, meam tibi anteà ſente
aperui, à qua vel latum vnguem recedere, ſed

Conſtantia eius.

ſupplicio dignum æterno eſſe ſtatuo. Eſt enim
hi Deus in cælis, cui & me totum conſecrau
& contra tyrannidis tuæ furorem certum am
expecto. Itane inquit Imperator, Deus tuus
manibus meis eripiet? & ſtatim ſex miniſtros
ci vultu, crudelitatem ſpirantes, martyrē pro

Cæditur virgis.

nere, virgisq; ſine intermiſſione cędere iuſſit.

tyr autem quasi nihil ei cum carne commercij foret, placida atque tranquilla mente orationem faciebat, nihilque aliud quàm inuictam à Deo constantiam ad extremum vitæ spiritum postulabat. Finita oratione, vox protinùs de cælo dilapsa Amen, Amen, inquit, Hermyle; post tres dies omni corporis molestia liberatus: sempiternam cælestis vitæ coronam percipies. Hac voce ministri grauissimo timore in terram prostrati, nè quidem oculos attollere ausi fuêre. Quin & Imperator ipse ingenti oppressus formidine, quidnam sibi vox illa vellet cogitabat, non tamen veritatis lucem cæca errorum caligine inuolutus perspexit; sed mox vbi nonnihil à repentino illo timore se refecit, martyrem in obscurum & omni lucis solatio destitutum carcerem detrusit; vbi rursus Angelica confirmatus visitatione, tertium diem incredibili desiderio expectabat. Sequenti die iterũ tribunali Imperatoris oblatus fuit; qui venienti ad se Hermylo: An adhuc, inquit, nobis opus erit tormentis, ad tantam cordis tui duritiem expugnandam? Nec te quicquam tenebræ, nec carceris squalores ad Dijs sacrificandum mouere potuerunt? Et quomodo, inquit per contumeliam Imperator, tenebricosus ille carcer placet? Martyr autem: Mihi quidem, inquit, tetrum illud & tenebricosum domicilium magnam lucem conciliauit. Fac deinceps quod velis, & exequere ea quæ statueris. His mentis furore exæstuans Licinius, iussit eum resupinatum, virgis figura triangulis, in ventre verberari. Erat hoc graue tormentum, & corporibus humanis minimè tolerandum. Anguli enim virgarum, non secùs ac quidam enses, carnes dilacerabant. Sed athletæ virtus tunc vel maximè eniţuit. Nam vt tota mente in Christi pro nobis

Vox cœlitus missa eum consolatur.

Ab Angelo secundo cõfortatur.

Crudele martyris supplicium.

cruci-

nobis crucifixi imagine fuit conuersus, Dom
dicebat, ad adiuuandum me festina. Imperato
tem tam egregiam athletæ pro pietate const
non ferens, suæque potentiæ eam existimau
contemptui, ventrem eius aquilarum vorac
perfodi, eiusque oculis propria intestina ob
Psalm. 83. iussit. Propter quę martyr exclamauit. Cor me
& caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Stratonicus custos carcecis Christianus.

His multò magis irritatus Imperator, rurs
tenebricoso carceri includi mandauit. Strato
cus autem, cui carceris custodia demandatu
& intimis animæ medullis Christianam pietat
inclusam gerebat, cùm videret Hermylum m
tisque pro Christi nomine supplicijs affectu
vulneribus concisum, contineri non potuit, q
dolore amici superatus, fluēta lachrymarum
vim profunderet. Quod cùm ex commilito
quidam attentiùs contemplaretur; ratus, id q
res erat, eũ cũ Christiana pietate societatem
se, protinùs Imperatorem adijt, eumque de C
stiano nomine accusauit. Imperator sine mor
minem adduci iussit. Qui nihil cunctatus, in
dibili alacritate accurrit, & voce libera vult
intrepido, se vnum verum & æternum Deum
ius infinita potestate omnia comprehendan
Virgis cædi- adorare confessus est. Ad hæc Imperator, virgis
tur. crudelissimè cædi mandauit, donec spiritus an
stijs intercluſus deficeret. Martyr autem fixis in
cum oculis intuens, vt sibi à Christo constantia
impetraret, enixè rogabat; quam præclarè ob
nuit, adeò vt Licinius eius superatus fortitud
statim eum submoueri iusserit, & in tetrum
cerem detrudi: ne grauiore, ex eius constantia
A Christo flagitiorum veniam postulat. decore notaretur, Stratonicus verò à Christo
rum atq; iterum & peccatorum veniam supp

flagitauit, & ne se in medio certaminis cursu desereret, multis cum lachrymis postulauit. Cui protinus vox talis reddita fertur: Cursum consummastis, fidem seruastis. De cætero reposita est vobis corona iustitiæ, quam cras reddet vobis iustus iudex. 2. Timoth. 4

Admiranda martyris fortitudo.

Mane facto, Hermylus Licinio oblatus', Vellet ne dijs sacrificare quæsitus est. Cui martyr, eadem quæ prius: vre, inquit, seca, puni, & quicquid deinquetuo insederit animo, exequere. Ego enim nunquam corporis mortem, sed animæ semper expaui. Imperator vehementissimo mentis furore exagitatus iussit eum in ligno suspensum virgis lacerari, & sacras carnes crudelissimè secari. Sed cum nec hisce quicquam tormentis martyr moueretur, & immissa cælitus consolatione magis magisque roboraretur, Imperator diuturni pertæsus certaminis, iussit, Hermylo Istro fluuio demerso, Stratonicum ad carcerem reduci; vt quouis astu & fraude, perfidiæ nexibus implicaretur. Sed cùm ille ab amici complexu se auellendum negaret, ambo protinùs ad fluuium protracti sunt: & vno pariter reti inuoluti, in profundum demersi. Exceperunt hoc mortis genus martyres tanta alacritate & lætitia, vt liquidò appareret, nõ eos ad supplicium & mortem, sed epulas cælestes properare. Tertio autem à sacro fælicis consummationis die, corpora à pijs quibusdam viris & religione præstantibus visa, summo cum honore, & sacris hymnis & cantibus in locum quendam, octodecim à ciuitate Singedone stadijs distantem, illata sunt; ad laudem Domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & spiritusancto, honor, gloria, & adoratio in secula seculorum, Amen.

Merguntur in fluuium martyres.

Corpora eorum, cum hymnis & cantibus sepeliuntur.

VITA

# VITA S. HILARII PICTAVORUM Episcopi, ex ea quæ est apud R. P. Surium per Venatum Presbyterum, multis tamen ex Annal. Eccl. Cæs. Baronij ritè superadditis. Obijt Anno à partu virgineo 369. Valentin. & Valentis Impp. 6. Damasi Pontificis Romani 3.

Ex Tom. 5. & 4.

13. Ianuarij. Patria & genus eius.

HILARIVS Pictauiensis Antistes, Aquitaniæ regionis partibus oriundus, apud Gallicanas familias nobilitatis lámpade obscurus, immò & animi generositate præcellens excellens, quasi refulgens inter astra Lucifer processit. Cuius à cunabulis tanta protinus eluctus, vt minimè obscurè, magnâ sibi Christi Ecclesia, ab eo, & opé & sanctitaté promitteret. Ergo

Ducit vxorẽ.

ætate matura, cõiugem sacro matrimonij vinculo sibi copulauit, è qua filiâ suscepit, rei familiaris quæ mundi huius sunt ita intentus, vt tamen venerabiles animos sanctiorib⁹ disciplinis assiduè formaret, & Christi simul Ecclesiâ cùm verbo exéplo, in Laicali proposito, occulta quadã Dei gratia erudiret. Nã cũ cætera offẽsionis pericula Catholicæ religionis hostes diligenter vitabat, abhorrebatq; adeò vt ne saluratione quidẽ dignaretur. Fulgebat hæc tanta synceræ fidei puritas in omniũ oculis, vt ipsi etiã sacerdotes vitæ exemplũ, ab eo sumere cogerentur. Natura lenis, placidus, facundo ore, populũ ad Catholicæ fidei puritatem, simulq; constantiam hortabatur, & adquidẽ infernaliũ terrore suppliciorũ à sceleribus terrebat, alios verò regni cælestis promissione ad altiora virtutum certamina inuitabat oés verò commune ad Christi amorẽ suauissimo fidei affectu alliciebat. Hęc aliaq; clarissima sanè virtutum

Vitæ eius sanctimonia in statu coniugali. Auersatur hæreticos.

exempla, non modò amabilem populo eum reddebant, sed adeò simul spectabilem, vt communibus suffragijs ad Pontificiam dignitatem, volentē nolentēq; eueherent. Igitur vir sanctissimus iam olim nutu diuino, mysterijs deputatus, sacris est altaribus admotus. Qui Pontificali ornatus infula, mox ad Christi Ecclesiā longè lateq; propagādam & omni virtutum splendore ornandā, multò ardentius adiecit animum. Neq; enim circumiectas lustrare Gallias contentus, exteras etiā nationes & regiones, doctrinæ meritorumque gratia percurrere, ac pullulantes perfidorum hominum opiniones, dictis factisque opprimere.

Eligitur in Episcopum.

Vagabatur excitata Constantij Imperatoris tēpore Ariana perfidia, toxico flore multos alliciēs, & plurimos blando veneno miserabiliter inficiens. Eam vir sanctissimus timore nudus, fideique vestitus feruore, vt opprimeret, per medias hæreticorum acies, hostiles in fremitus, sese miscere non dubitauit, postpositoque mortis periculo, ne religioni præiudicium fieret, acerrimè decertauit. Præcipui fidei hostes Valens & Vrsatius, Pseudoepiscopi, qui praua crudelitate Christi Ecclesiam turbare insistebant, cum viri sanctissimi eruditionem admiranda eloquentia pollentem vehementer formidarent, eamq; planè insuperabilem intelligerent, apud Imperatorem omnibus modis institēre & impetrauēre, vt eum exilio cōdemnaret. Itaque in Phrygiam Asiæ regionem relegatus commigrauit, de suo quidem securus exilio, at plurimum de Christi sollicitus Ecclesia.

Acriter resistit Arianis.

Valēs & Vrsatius Pseudoepiscopi Ariani insidiantur Hilario.

Mittitur in exilium.

Cæterū cum toto orbe Arianæ hæresis puersitas grassaretur, Oriētales Episcopi, edicto Imp. apud Seleuciam Isauriæ oppidum conuenerunt, vt dissidentes de veritate fidei partes coniungerent, vel perti-

Synodus Seleuciana.

pertinaci contentione, in scelerato dogmate
sistentes à corpore Ecclesiæ segregarent. At
pariter è Phrygia Hilarius, qui in Synodo m
fauore exceptus, singulari prudentiæ & pie
significatione, scelerata dogmata refutauit, li
busque ex animi sententia oppressis, nouisq
cretis in scripta redactis, ipse per se legatio
pud Imperatorem functus est, ne qua ten
contra sancta & inuiolata religionis dogm
respiraret damnata perfidia.

Ibidem Arianam perfidiam expugnat.

Porrò longum nimis foret disserere, qu
in Ariminensi Synodo, fraus hæretica serpe
astu subrepserit. Vndè graui dolore Christi
ta perculsus, diabolicam perfidiam apud
num subdolè prævaluisse, ac indè simili po
tis fuco, ad Orientales partes serpere, trab
bellis Imperatori oblatis, summis infimis q
cibus contendit, vt in eius conspectu, dispu
contra hæreticos daretur potestas. At Vale
Vrsatius, conscientiæ reatu perterriti, sollic
Imperatoris animum iam magna ex parte
uum, vt ipsum Dei virum ad Gallias redire
pelleret; specioso prætextu, quod ipso præ
factiosos homines exurgere, nouisque reb
dere dicerent. Quo obtentu ad Gallias redi
pulsus, existimabat se grauiore quam antea
damnatum; quod disceptationis termino non
secuto, perturbationem Ecclesiæ illic relin
ret. O beatum Pontificem qui in summo discr
ne, inimico etiam sibi iudice, adijt tribunal in
rij, sine timore tormenti. Verè totis viscerib
ligebat Christi regnum, qui non formidabat
principatu Constantium. Nam qui, se apert
ties pro Domino ingerebat periculo, quid
quam martyrij palmam sitiebat? Sed defuit

Arianidetrectant disputationê cũ Hilario.

Hilarij mens ac desiderio martyr-

cu

cussor, diuino proculdubiò nutu, pro multorum correctione seruato. Nam totum penè mundum graui tetroque errore confusum, factis sæpè in Gallia Synodis, per virum sanctum ad viam veritatis adductum, constans multorum est opinio.

Hæreses, sedulò, eiusolertia profligatæ.

Itaque viro sancto ad propria reuertenti, B. Martinus, æquè meritorum gratia clarus, qui ab eodem S. Hilario Exorcista postea est constitutus, cognito aduentu eius, Romam festinanter occurrit. Quem præterijsse cognoscens, ad vsque Gallias est prosecutus. Neque enim Martinus, qui adhuc Cathecumenus Christum chlamyde sua tectum videre meruit, illi deuotus occurreret, nisi per omnia mysterijs plenum in eo spiritum præuidisset. Porrò circa Gallinariam insulam vt peruenit, vicinorum relatione, ingentia ibidem serpentium sine numero volumina peruagari cognouit, quorum pestilenti contagione, omnibus ad eam accessus intercludebatur. Quo audito vir sanctus in insulam descendit, soloque adspectu teterrimam illam pestem in fugam conuertit. Fixoque dein in terram baculo, ne metam transilirent, occulta virtutis potentia inhibuit.

S. Martinus occurrit S. Hilario.

Profligat serpentes ex Insula Gallinaria.

De exilio autem iam regressum, Pictaui incredibili fauore ac plausu excepere eęque letitiæ voces ab omnibus datæ sunt, vt cuncti ab exilio in patriam vna cum ipso restituti putarentur. Non multos verò post dies accidit, vt infans labe adhuc primi parẽtis infectus vita defunctus est. Qui ingentem dolorem matri cum assiduis lachrymis & luctu coniunctum attulit. Cumque multò magis de animæ quam corporis vita sollicita, miserrimo infanti misericordiam inuestigaret, tandem de Hilarij sanctitate & meritis confisa, eius se pedibus prouoluit, exclamauitque: Martinus adhuc

Summo gaudio excipitur à suis vir sanctus.

incipiens Cathecumenum mortuum ſuſcita
Tu Pontifex redde quæſo filium, aut mihi aut
ptiſmo. His lachrymis vir ſanctus ad pieta
commotus, in preces ſe proſtrauit, nec antè
ratione ſurrexit quam inſpectante populo,
functus ad vitam rediret

Mortuum puerum ſuſcitat.

Porrò cum accepiſſet Valentinianum Impe
torem confecto tandem Alemannico bello
diolanum ſe contuliſſe, atque reſcriptum q
dam pro Auxentio Ariano, Pſeudoepiſcopo
diolanenſi, qui ſe Catholicum ſimulabat dol
dolens Imperat. à Verſipelle inſidiatore
ptum eſſe, extortumque ab eo, ad ſuam hæ
propagandam edictum colore pietatis ma
impium, ad illum profectus eſt, actibus co
aduerſus Auxentium. Indigno animo feren
pugnator fidei vigilantiſſimus vnũ hunc in C
dente, tam nobili Eccleſiæ præſidere Epiſcop
Arianum, arteque ſua ceu præſtigijs quibuſ
fallentem oculos intuentium, atque inſtar Pro
mutantem ſpecies, pro arbitrio interdum a
rere Catholicum. Vt huiuſmodi itaque ſuda
tiones ſolueret, atque detegeret impoſturas,
ſanctus, magna fiducia de Catholico Imperat
ſuſcepta animatus, diuinoque munitus præſ
Mediolanum conceſſit. Sed præualuit ſubd
perfidi hominis verſutia, ita vt ſacer Antiſtes
Imperatore & populo, Doli fraudisque ignar
Mediolano diſcedere iuſſus ſit.

Auxentius Arianus Pſeudoepiſcopus ſubdolus.

Hilarius opponit ſeſe Auxentio Pſeudoepiſcopo.

Nihil profecit.

Cæterùm vt ad eximias viri laudes reuer
mur, quis prudentiam, ingenij copiam, ſumm
que in dicendo eloquentiam pro dignitate e
care valeat? quæ tanta fuit, vt eum latinæ
quentiæ Rhodanum ſanctus Hieronymus ap
lare non dubitauerit. Et quamquam non a
ci

Præconia S. Hilarij.

In proœm. Comm. Ep. ad Gal. li. 1.

cultus ac copiosus fuerit, illius tamẽ scripta, præcipua quadam syncerę fidei puritate præ cæteris omnibus nituêre, nitentque. Adeò vt idem Hieronymus eadem vehementer commendet cùm ait; Athanasij Epistolas & Hilarij libros inoffenso decurrat pede, illorum delectetur ingenijs, in quorum libris pietas fidei non vacillat, cæteros sic legat, vt magis iudicet quàm sequatur. Cùm porrò diuinæ tantùm sit scripturæ, nihil habere erroris quod corrigatur: nec ipse Hilarius nœuis caruit. Quanta verò modestia cum quid apud eius scripta emendatione dignum Patres inuenerint, id præstiterint, idem sanctus Hieronymus sit exemplo, qui hæc de eo, errorem alterius sequente ait. Quid igitur faciam? Tantum virum & temporibus suis disertissimum reprehendere non audeo, qui & confessionis suæ merito, & vitæ industria, & eloquentiæ claritate, vbicunque Romanum nomen est, prædicatur; nisi, quod non eius culpæ ascribendum est, qui Hebræi sermonis ignarus fuit. &cæt. Et Claudianus Mamertus de eodem: Sed quoniam, inquit, beatus Hilarius opinionis huiusce vitium, virtute confessionis aboleuit, sic sustinet reprehensionis stylum, quod non patitur detrimenta meritorum. Verùm non latinis tantùm, sed & Græcis sanctus Hilarius extitit admirandus; vt Sozomeni testimonio comprobatur; qui ait. Apud Italos & illius partis incolas, propter singularem patrij sermonis & eloquentiæ præstantiam, magna eum in laude fuisse: Eius verò de fide libros, etiã ab ijs qui contrariam tuebantur fidei Catholicæ opinionem, admodum commendatos fuisse. Cæterùm cùm virtutum omnium fuerit vnum quoddam exemplar, mansuetudine tamen potissimum

Epistola 6. ad Lætam.

Notat eos Claudianus Mamertus Episcopus Viennensis in Cõment. de statu animæ lib. 2.

Lib. 3. c. 14.

Lib.1.c.31. enituisse tradit Ruffinus. Quod autem subdo

Calumnia Centuriatorum in S. Hilarium refutatur. ac cæcutientes recentiorum hæreticorum hil rici delirantes, huic viro sanctissimo pergra impingant errores, nempè cum schismate ba baptismum, profectò declarant se rerum gesta prorsus ignaros, dum nominum occasione erro lapsi, existimant, eundem esse Hilarium Epis pum Pictauiensem, cum Hilario illo Diacon

Item alij errore lapsi in Hilario. cuius est mentio apud S Hieronymum in co mēt. aduersus Luciferianos. Sed alij quidā erro eundē hunc Antistitē, cum Arelatensi confūdu actaque eorum confuderunt. Quare si quis u clarius eum intueri ac cognoscere, eius exilium moret, merita respiciat, scripta insigni eruditi ne, & diuino referta spiritu euoluat, dicta perp dat, signaque percenseat.

Quamdiu enim superstes fuit in hoc sæcul aut scripsit Ecclesiæ fidei documenta, aut pugna do hæretica calcauit crimina, aut perenni tribu

Claret miraculis post obitum. miraculorum suffragia, quæ in hodiernum usq diem efficaciter perseuerant, præstante Domi nostro Iesu Christo, qui est benedictus in secula

## PRAECLARVM CERTAMEN S. POTI

Vide C. Bar. Tom. 2. Annal & Not. Mart. Rom. *Martyris, ex antiquissimo M. S. Codice, fide dign rutum. Quod quidem inuicto exegit animo in Sa ma, Anno Domini 154. Antonini Pij Imp. 15. Higinij verò Pontificis Roma ni 1.*

13. Ianuarij. SANCTVS Potitus patre idololatrā genit tam eximia à teneris annis fuit gratia di tus, vt etiam puerulus idolorum vanitat respueret: nullisque vel blanditijs vel minis impietatis communione induci posset. Qua re

virtute (quam admirari potiùs debuisset) animique constantia exagitatus Pater, omni humano destitutum solatio, in tetrum compegit carcerem, tristissimum illi, ni dijs sacrificaret, Antonini Imperatoris edictum proponens. Potitus verò nè tantillum quidem edicti seueritate à constantia motus, sed insuper oratione grauitatis & prudentiæ plena, patrem à vano Deorum cultu, ad incorruptam veri Dei fidem traduxit. Referunt litterarum monumenta, Potitum conuerso parente, lucidâ quadam nube adumbratum, è conspectu omnium subitò, Hierosolymam translatum fuisse: eodemque momento dæmonem adstitisse in angelum lucis transformatum, qui ad instructam oppiarè mensam eum inuitabat. Seruus verò Dei inimici fraudes præsagiens. Eia, age, inquit, debitas antè omnia Christo laudes decantemus; qua voce perculsus dæmon, priore lucis splendore amisso, horribiles tauri mugitus edens, euanuit.

Patrem ad Christi fidē inducit.

Diabolus ei insidias struit.

Sanctus autem ciuitatem Valerianam ingressus, Quiriacam Agathonis Senatoris vxorem, horribili lepræ morbo percussam, Iesu Christi inuocato nomine sanauit. Quo illa beneficio, plebs verò miraculo, mota, ad Christi cōfessionē accessit.

Lepræ morbum curat, inuocato Christi nomine.

Tunc Diabolus Antonini Imperatoris filiam miserè discerpens, non se ab eius ore recessurum clamabat, nisi S. Potitus veniret. Confestim igitur missus ab Imperatore, Gelasius Præses, ad comprehendendum Potitum, in monte feris multis vallatum offendit. Expauit Præses primò, vinctum tamen ad Imperatorem adduxit. Imperator verò filiam suam & sanandam offerens, se crediturum in Deum affirmabat, si sanitatem consequeretur. Potitus autem haud ignarus subdoli sermonis Imperatoris: Quanquam sciam, inquit, perfidiam

tuam nullo miraculo expugnandam, tempus
men postulat, vt circumstans populus, Christi n
gnalia videat. Quo dicto, præcepit dæmoni
Christi Iesu nomine, vt puellam desereret. Cui
ille Christi virtuti, à Potito impulsus; & popul
sublato ad cælum clamore, Christi diuinitatem
extulit. At Antoninus, totus dæmonum amo
ac cultu cæcus, populum compescens: Decor
inquit, hæc est virtus, quibus & honos, & sacri
cium, & gratiarum actio eapropter deberur. Pot
tum verò, dictis pariter ac factis eam impietat
execrantem, fustibus cædi, centumq; viginti lib
pondo ferri onerarum, in carcerem detrudi pr
cepit. At angelica fotus consolatione, constan
nimo, perpetuæ orationi intentus, cuius virtu
ferrũ ipsum, instar ceræ, antè pedes eius defl
se scribitur. Vndè plenus indignationis Imper
eductum è carcere in eculeo leuari, ac feris, cru
mè tortum, obijci mandauit. Sed feræ feritatis o
litę, ad eius se pedes prostrauerunt. Incanduit a
mo tunc scelestus, clamitans, vt membratim co
cisus, canibus obijceretur. Imperio prompti car
fices, cultros quidem expedierunt, sed Dei virtu
à Potito repulsi in se mutuò verbis pariter & cu
tris exarserunt. Tunc Potitus, Imperatori pia m
te insultans: Quousq;, inquit, aduersus Dei pote
tiam miser luctaberis? Populus autem martyr
cõstantia motus, repetito clamore, magnum De
Christianorum ingeminabat. Tyrannus verò
supplicio ad supplicium confugiens, madefac
oleo in sartagine fricari: frixumq; feruentis pi
bi liquore perfundi iussit. Hæc autem non dolor
sed summam ei consolationem præstabant: Imp
ratori verò tantum animi cruciatum, vt à Pot
doloris sui remedium postularet. Cui Potitus re
po

Antonini Imperat. filiam à dæmone liberat.

Antoninus carnifici dãnat.

Miraculum.

Varijs tormentis afficitur.

spondit, se cunctis eum doloribus ilicò soluturũ, si modò Agnem filiam suam accedere pateretur. Illo præ dolore annuente, venit virguncula baptismatis gratiam flagitans. Quam vt Potitus gaudens impartiuit, virginemque multis hortamentis ad spiritalem luctam roborauit, Imperator nouo furore in martyrem irruens, lingua priuari, priuatumq; in, loco Milianus dicto, capite truncari iussit. Tenent monumenta, martyrem lingua spoliatum, ad extremum vitæ spiritum, clarissima voce, in Dei confessione & laude perstitisse.

Filia Antonini à Potito baptizatur.

Capite truncatur Potit⁹.

## VITA S. FELICIS NOLANI, CONFESSORIS, *quam S. Paulinus, eiusdem ciuitatis episcopus, carmine scripsit. Ex quo, Venerabilis Beda, soluta oratione eiusdem acta ac miracula descripsit; quæ extant apud Surium.*

Vide Cæs. Baro in Notat. martyr. Rom.

FELIX, Nola Campaniæ oriundus, parẽtem habuit natione Syrum, nomine Hermiam, qui ex Oriente Nolam commigrans, fixa ibi dem sede, vitam spectata probitate exegit. Præter Felicem verò, fuit ei & alius filius, eiusdem cum patre nominis, sagaci ingenio & honorum diuitiarumque ad modum cupido. Cuius à moribus Felix vehementer abhorrens, amplissimas opes spernere, honores contemnere, sui contemptu gaudere, paupertatis amore & frequenti orationis studio maximè delectari. Hinc diuino cultui consecratus, Lectoris primùm & Exorcistæ officium tanta virtutis opinione administrare, vt ad sacerdotij dignitatem euectus fuerit. Ea tempestate virtus Ecclesiæ graui persecutionis tempestate

14. Ianuarij. Patria & parentes.

Fit Presbyter.

Persecutio in ecclesiā.

exercebatur; quòd columnæ & capita fidei vincula & necem ferè inquirebantur. Cum

Maximus Nolæ Episcopus.

Nolam vsque populabunda tyrannis vagaret vt illius vrbis antistitem, nomine Maximum pietate, doctrina & ætate venerabilem absorberet, eo non inuento, S. Felicem ad gregis custodiam ab episcopo relictum, furibunda inuasit.

Felix comprehēditur & carceri mācipatur.

primùm quidem constantia illius blanditijs tentata, indè minis. Sed vtriusque contemptorem, pictoremque, scelerati, in tenebricosum trusere carcerem, graui vinculorum pondere oneratum, ne qua strenuo bellatori requies daretur, strato in pauimento testarum fragmentis, neruis pedes arctauerunt.

Maximi episcopi afflictio.

Porrò antistes in montium latibulis pro suorum salute in oratiōe & lachrymis peruigil, tam dira fame ac frigore cruciabatur, vt mortem maximi beneficij loco inuocaret. Perstabat nihilominùs in tribulationibus inuictus, quem pro sua bonitate misericors non despexit. Nam nocte concubia, angelus Domini mirabili luce coruscans, Felici in carcere apparens, vincula excussit, liberumque vna secum abire iussum, ad fouendum antistitem in desertum dimisit. Felix miraculi magnitudine & beneficio alacrior, perrexit ocyus, peragransque, viarum incertus, varia ac vasta eremi loca, tandèm virum sanctum mortis affinem inuenit. Gelida membra & longa inedia exhausta supremū ęgrè trahebant spiritū, cùm Felix crebrò oris sui anhelitu, abditū calorem suscitare conatur. Cumque frustra in re deplorata laboraret, quod reliquum erat, ad cœlestem confugit opem: atq; preces inter & lachrymas, dependentem in sentibus vidit vuam, cuius succu salutari moribundi fauces refrigeratæ fuere.

S. Felix angeli ministerio è carcere liberatur.

B. Maximū morti propinquātem fouet in deserto S. Felix.

Sub

Sublatum dein suis humeris Felix languentem domum portauit, nec minori industria à grassantium furore infidelium, quam ab aduersa valetudine præseruauit. Reddita verò Ecclesiæ tranquillitate B. antistes è latebris prodiens, prostratos adhuc timore suorum animos, verbo exhortationis erexit, solidauitque contra tempestatem iuminentẽ. Nec enim procella persecutionis ita deferbuerat vt non paulò pòst multò grauius ex exurgeret. Quærebatur ad necem Felix nota virtute ac fide sacerdos, qui eò forte momento plebi cõcionabatur. Igitur concionantem strictis certatim petunt mucronibus; sed propinquãtes densa cælitus inuoluit caligo: prorsus vt notũ anteà, minimè agnoscerent. Vndè furore & amentia ebrij Felicem inclamant. ipsumq; Felicem infelices de Felice interrogant; Felix verò se nescire Felicem, haud ineptè respondit, nemo enim seipsum facie nouit. Illi verò vagabundi, obuios quosq; de Felice percunctabantur; quibus cum vnus diceret, se rectà eos ad hominem perducturum, concito gradu præeuntem Felicem est insecutus, sed minimè cõsecutus. Felix enim in locum quendã vetustate collapsum, & muri tantum semiruri fragmine septum secessit. Antè verò quam scelerati latrones appropinquarent, fortè aranea in ipso limine confestim telas suas contexuit; expansoque reti latrunculos eam in mentem impulit, vt crederent hominem eò minimè penetrasse, vbi tam securè aranea agerent. Itaq; presso gradu, inductoré suũ, à quo se delusos existimabant vindictæ cupiditate exarserũt. Ita B. Felix muro aranearũ cõtra hostiles impetus fuit defensus. Vndè pulchrè ac verè cecinit S. Paulinus, Cui Christus adest, aranea murus fiet; Cui verò abest, murus aranea fiet.

Recrudescit persecutio.

Seruatur diuinitus à nece Felix.

Dictum S. Paulini.

Hostibus igitur hac Dei prouidētia delusis
sanctus secessit in locum inter ipsa ædificiorum
tecta secretiorem; vbi solitarius toto semestri
Deo egit; q̄ miro etiā & inusitato eū modo pau
Nā matrona quædā raræ pietatis, toto illo tēpore
ignara cibos ei ministrauit, facta .n. in excess
mentis ad Cōfessoris habitaculū excurrebat, sa
limēta deponebat, quib. securè vir diuinus vesc
batur. Vet⁹ cisterna potū p̄bebat. Expleto aūt hoc
temporis curriculo, cęlesti monitus oraculo, o
publicū prodijt, ꝓstratā multorū fidē sæuitia
pestatis, verbo & exēplo erecturus. Demortuo
terim antistiti, plebs vniuersa Felicē in dignitate
succedere voluit. Concurrebāt in eū vota omni
sed ipse culmē dignitatis subterfugiēs, honorē
Quintū detulit: sibi onus docēdi reseruauit. Ar
bat.n. miro sanè cū humilitatis, tū pauptatis
dio, ita vt paternā hęreditatē sanè opulentā per
cutionis tēpore ad iniquos hęredes translatā
quā recuperare, immò ne ad mentē quidē ad
tere voluerit. Affines enim & amicos importu
monitis ac precib. instantes, atque vrgentes, ri
locupletem hęreditatem, eamque paternam co
temneret, respondisse fertur.

Viuit Solitarius toto Semestri S. Felix.

Pascitur mirabiliter.

Petitur in Episcopū. sed recusat.

Cōtemptus diuitiarum.

Absit vt res terrenas, quas cælestium bonorum
contemplatione semel contempsi, quasi hæc
nus sufficiant, vlla ratione reposcam; quin potius
pauper spiritu sequar IESVM, quò opulentis
regni cælorum dona percipiam; nec diffide
dum, quin ille, qui me & vinculis, tenebris
diri carceris eripuit, & ab hominibus secreti
tanto tempore pauit, etiam cætero vitæ spa
iactantem in eum cogitatum suum enutriet. H
animo beatus Confessor abundè in Christo
ues, tria tantum iugera ruris modici, eaque
di

Amator voluntariæ paupertatis.

ducta, hortulumque vnum proprij iuris, vnde vi-
ueret habuit. Sed & vtraq; , ne vno quidem famu-
lo adiutus, propria manu coluit; fructum au-
tem suæ messis adultum cum pauperibus semper
communicauit. Eandem autem & in habitu parsi-
moniam vir beatissimus sectabatur, ita vt simplici
tantum vestimento, & quod nunquam vel sibi suf- Vestitus eius
ficeret, esset contẽtus; si quid verò supereſſet, pau-
peribus erogabat; & si forte aliundè contingeret,
vt geminum haberet vestimentum, mox nudum
meliore refouebat.

Tali ergo pietate vir, & nomine & merito Fe
lix, plenus dierum & bonorum operum defun-
ctus est, & ad æternã gloriam angelorum minis-
terio translatus, cuius eximia sanctitas, tot tantisq;
miraculorum signis atque prodigijs toti mundo
enotuit, vt ea nemo quantisuis eloquẽtiæ viribus
pollens, pro dignitate vel minima explicare pos- Miraculũ post obitum illius.
set. Erat ibi quidam rusticus pauper rebus, sed fide
integer, qui anguſtam pauperiem duorum solum-
modo boum possessione sustentabat; quos cum
multa inops cura deligeret atque seruaret: quadã
nocte furto ablatos perdidit. At manè facto cùm
miseriam suam intellexisset, & ab omni spe in-
uentionis deiectus esset, rapido cursu Ecclesiam
sancti Felicis petijt, ibidemque ante fores sacræ
domus prostratus fixo in terrã vultu, Felicem vt
sibi boues perditos redderet, obsecrauit, testatus
multis cum lachrymis, se inde, nisi boues recipe-
ret, non recessurum. Quod cum toto die, voce
quidem rustica, sed mente fidelissima fecisset, su-
perueniente vespera, sacris propulsatus ab ædi-
bus, totamque noctem continuis in lamentis
duxit peruigilem. Cumque hoc modo, nocte
concubia, excitante se suo dolore ac paupertate

per-

peruigil iaceret, contigit (dictu mirum) bo
subitò ad eius ostium venire, reditumque ve
menti & importuno pulsu significare. At ille
more correptus, nō iam boues suos, sed fures
sus adesse credens, fores reserare pertimu
nec illi mugitu suo se esse demonstrarent. Te
homo incredibili gaudio exiliens accurrit,
ptisque bobus, primo mane redditori suo debi
rependere gratias festinauit, assumptisque
bobus ad ecclesiam S. Felicis, omnibus il
facientibus, beneficia quæ à sancto percep
lętabundus narrauit. Et quia assiduo plorat
lorum aciem non minimum læserat, huius
detrimenti solatium à beato Felice quæ
cepit, ficque duplici cælestis gratiæ mun
ctus domum redijt.

Vix credi potest (superat enim humanum
ptum) quot Deus per S. Felicem sit miracula
ratus; adeo enim increbuit fama virtutum
vt ab extremis orbis finibus ad sacrum eius
chrum fideles supplices aduentarent. Obi
hoc ipsum sanctus Augustinus Epistola 137.
de eodem agit lib. de cura agenda pro mor
cap. 16. Itemque sanctus Damasus in car
quod de eo scripsit, vota persoluens hæc
cætera:

*Qui ad te solicitè venientibus omnia præs*
*Nec quenquam pateris tristem repedare vi*
*Te duce seruatus, mortis quòd vincula rup*

Erat & Romæ celebris solennitas S. Felicis C
fessoris, „in cuius die natali in eius Basilica S. G
gorius Papa habuit homiliam 13. in Euange
Scribit etiam de eo Gregorius Turonensis lib.
gloria mart. cap. 104.

MAR

MARTYRIVM SS. TRIGINTA ET octo Monachorum in monte Sina; itemq; quadraginta & trium, in Raithi regione; à S. Nilo abbate conscripta. Qui crudeliter à grassantibus Barbaris & Saracenis trucidati sunt Anno Anastasij Imp. 9. qui fuit Christi Saluatoris 499.

Vide Cæs. Baro in Notat. marty. Rom. & Tom. 6. Ann.

FERA & barbara planè gens, omniumque disciplinarum expers eam incolit solitudinem quæ ab Arabia ad Aegyptum vsque rubro mari & Iordane, hinc inde terminis distenditur. Solo gladio victum sibi quæritans, vitam contra inopiam tutatur. Nam aut venatu; aut scelerata manu prædas ingentes agit. Si verò in his nouercàtem vident fortunam, quod proximum est, immanis voracitatis hominis, camelos suos mactant in cibos, quorum carnes tepido igne excoctas, ita vt sola durities dentibus cedat, canum instar, deuorant. Ignara veræ pietatis & diuini cultus, astro matutino cælestes honores deferunt: eique oriéti, spoliorũ optima quæq; in sacrificium litánt. Sed puerorũ ætate & forma præstãtium sacrificia præcipua; quos nullis flectẽdi lachrymis vel precibus immani crudelitate immolant. Puerorum autem inopiam, camelus albo colore & robore cæteris præstantiore supplet, quem humi stratum flexo poplite trina vice circũeunt, cum dissono modulamine cantici cuiusdã in laudem astri matutini compositi, quod primarius ætate honorabilior, distincta voce præit. Tertia verò circuitione facta, cum extrema hymni parte districto ense camelum sauciat, & fluentem ex vulnere sanguinem magno studio gustat. Tum reliqui gladijs furibundi accurrunt, & alij quidem partem

14. Ianuarij.

Barbara & immanis gens.

Solem pro Deo colũt.

partem aliquam pellis excindunt, alij fruct
nis rapiunt, alij dissecto ventre, ilia cum ex
uellunt, reliqui ossa confringunt, eaque om
canina planè feritate deuorant. Et hi quidem
barorum ritus, hæc vitæ & religionis studia
pro iumentorum quæ innumerabilia alunt, co
moditate, locis loca frequenter commutant.

Eremitæ. In altera autem solitudinis huius parte, a
genus hominum degit, qui summa animi
suetudine præditi, & excellenti vitæ integr
ornati, cęlitum in terris vitam imitantur; ja
mni corporis consuetudine remoti, vt pau
menti vsum nouerint, sed vel crudis olerib
baccis famem depellunt, vel atro siccoque
Eorũ cibus. corporis vires sustentant. Alij totos septem
ieiuni permanẽt, alij trium quatuorvè dier
edia carnem macerant. Alij qui tanto robore
diti non sunt, post solis occasum corporis nec
tati consulunt. Et hi quidem omnes tanto ca
Charitas eorum. tatis vinculo inter se nexi sunt, vt omnem so
nis communionem longo interuallo
rare videantur, Et ne qua ratione, illa
cum Deo assiduam habent per amorem rerum
lestium, consuetudo interturbetur, habitatio
Diebus dominicis cõueniunt. à se inuicẽ viginti & eo amplius stadijs distan
habent. Diebus autem Dominicis, in vnã om
ecclesiã conueniunt, vt pari pietate Deum
cent, & cælesti communione nexum fraterna
cietatis arctius conglutinent, mutuamq; bene
lentiam foueant. Philosophia eorum prima
præcipua vt turbulentos animi motus cõpesc
& res cælestes summa tranquillitate apud cog
tiones suas perpetuo voluant.

Itaque hoc sacro sanctorum cœtu vna

rum consensione die quadam diuinas laudes in Ecclesia celebrandæ, gens illa, quam diximus, forte aduenit, prædandi auiditate furibunda. Et primò quidem insatiabilem, profundumque ventrem semper esitando cibis distendit; indè eductos ex ecclesia sanctos miro ordine ad necem ordinauit. Qui sacris præerat, & cæteris, cum ætate, tum moribus venerabilior, apparebat, iussus cervicem extendere, vultu intrepido ac hilari paruit: morte magni beneficij loco excepturus. Sed cum duo latrones animi causa, prò scelus, enses vibrarent, seseq; vel maximè innocentis sanguinis fusione oblectare cuperent, vnus post alium acinacis sui bonitatem in sacro sancti istius corpore expertus est. Et primus quidem ensem capulo tenus integrum immisit: alter humerum ad mamillam vsque discidit.

Barbari monachos sanctos inuadunt.

Sacerdos immaniter ab ijs trucidatur.

Sanctus verò constanti animo occumbens, pro sola sui corporis nuditate ingemiscebat; quam mox eximius quidam splendor oculos astantium perstringens texit.

Post illum, alium quendam & ætate & virtute prouectum adduxêre, cui vnus è Barbaris, vt fructus in terram effusos colligeret, imperauit. Qui mira alacritate, vt grato obsequio, impendens mortis periculum declinaret, paruit. Sed nihil hoc flectere potuit Barbarâ immanitatem. Nam alius quidam clàm ensem strinxit, eumque magnis viribus in thoracem ab hepate vibrauit; ita vt protinus anima corporeis vinculis soluta, ad beatorũ gloriã læta mente migraret. Tunc Barbari reliquos, incertũ qua ratione abigerũt, eisq; manu, vt se fuga proriperẽt annuêre. Ego autẽ qui vnico cum filio sanctorũ Patrũ vestigijs insistens eremum

Alium quẽdam occidunt.

eremum colebam oculos nunc in hanc, nunc
rò in illam partem conijciens, dubius eram a
mi, vellemne mihi turpi fuga salutem, quæ ad
ram est, quærere : an verò cum alijs in præcl
certamine vitam profundere. Tandem tacito o
lorum nutu filij mei, quem mecum in solitud
& virtutum omnium exercitatione comitem
sumpseram, semel atque iterum, vt me celeri fu
eriperem, monitus parui : & nescio quomodo
montis cacumen perueni. Captiuitas enim
mei discruciabat animum, & rursus caput
ctare periculis impellebat. Sors insuper eo
qui præclara morte victoria potiti erant, ad
le virtutis certamen subeundum vehemente
cendebat. Intereà Barbari plurimis crudeliter
terfectis, & vniuersa penè solitudine popul
cœptum carpebant iter, nobisq; liberum ad
tem, in quo occisorum corpora prostrata iace
accessum præbuerunt. Tunc nos alios quidem
internecionem deletos, sanctum autem Theo
lum spirantem adhuc inuenimus. Qui mori
dis nos oculis intuens, suprema hac voce cons
batur; O fratres, ô serui summi Dei, nihil vos
casus conturbet, nec de mentis constãtia deijc
Nolite pusillo & abiecto animo furorem eor
qui nos his præmijs afficiunt, extimescere. An
noratis, hæc omnia ad maiorem gloriæ coro
à Deo nobis obuenire? Hæc dicens osculo præse
tes salutauit, & beatam animam creatori tradi
Nos autem multis lachrymis funus prosecuti,
cæteris terræ mandauimus. Horum nomina,
hoc certamine defuncti fuêre, sunt Paulus &
annes, & qui beatam inter nostras manus ani
efflauit, Theodulus presbyter.

Nilus fugit.

Theoduli moribundi adhortatio.

Theodulus presbyter moritur.

Intereà dum funus mœsti curaremus, quidam

è castris, anhelo adhuc spiritu, & animo nimio terrore correpto, ad nos peruolauit, rogatusque quomodo effugisset: Me, aiebat, & tuum filium, in cœna loquentes, denunciabant forè, vt diluculo astro sacrificarent, Ego autem in tenebris, cùm omnes nimia ebrietate sepultos vidissem, humi primùm reptans ex eorum me conspectu proripui, deinde à castris parum remotus, incredibili cursus celeritate ad hunc scopum contendi. Meis aût oculis adhuc ingens metus crudelitatis Barbarorum insidet, scelèrataque eorum facta penè in stuporem me adducunt. Vidi enim his oculis, vidi inquam eos homines membratim discerpere. Vidi tantam in moribus truculentiam, tantam in ingenio fraudem, vt vel ad solam memoriam toto corpore contremiscam. Duos ephebos iuuenes, longâ captiuitate miseros, aduocabant, eisque vltrò certam libertatis spem ostendere videbantur. Animos igitur eorum cupiditatè accendebant, seseque vt ad iter accingerent, hortabantur. Et ne aliorum scelere circumueniri possent, comites, qui eos in tutum deducerent (prò scelus) adhibebant. Iuuenes igitur incredibili gaudio, propter inspératam salutis spem, elati, iter faciebãt; cumque iam pedem omnem extra periculum habere videbantur, scelerati comites strictis gladijs mortis metum crudeliter intentare, & filium in conspectu patris mactare, atque concidere, præcedêsque omne gaudium cumulato supplicio fœdare. His spectaculis gens fera & Barbara à curis grauioribus laxabat animum. His oculos magna voluptate pascebat.

Quidam effugit Barbarorum manus.

Nota Barbaricam ferocitatem.

Fraus Barbarorum.

Quin etiam pueros à primis annis, hac feritate, tanquam disciplinis optimis imbuunt. Cum quodam tempore in cœna epulis suo more instructis

Disciplina Barbarorum qua teneros suorũ animos imbuunt.

structis accumberent, iuuenem quendam è co
uorum numero aduocârunt, eumque beni
verbis ad pocula inuitarunt, & patri, cuius fil
alterum paulò ante mactauerant, vt filio pra
bat imperarunt. Ille autem, quamuis fauch
mortis metu, pænè intercluſis, potum exhaur
crudeles mentes ad cædem prouocare viderer
Hauſto autem potu, protinùs iuuenis quidam
primum crudelitatis ſuæ facinus exercendi m
ſus eſt. Et quidem ne naturæ inſtinctu ad mi
cordiam aliquam flecteretur, manuſque labe
rent, Bacchico primùm furore ſe ingurgitau

Crudeliſſima pueri cædes.

indè vtraque manu gladium vibrans, capu
putare niſus eſt, ſed cùm oſſium duritiem
ctûs frangeret, lateri capulo tenus abdidit en
Tunc, quaſi re ex animi ſententia geſta exu
manuq; in aëra enſem quatiens, magno riſu
ex actione hauſerat voluptatem, indicante.

His epulis rebusque ludicris ſatiati, ad al
montes cõtenderunt, & per loca aſpera & di
lia, tandèm ad fontem quẽdam aquis dulciſſi
& ſaluberrimis ſcaturientem deuenêre. Ha
igitur dulcedine & loci etiam amœnitate c
ſe rurſus ad epulas & choros celebrandos re
ponere. Cumque ſaltantes ſuis fontem illum
dibus celebrarent, vident in latere montis pa
quoddam domunculæ veſtigium; quò vno im
tu curſum dirigentes, virum quendam ſpecie

Venerãdus Eremita lapidibus obruitur,

habitu venerandum reperiunt. Hunc magnis
nes clamoribus circumſiſtentes, vultu animo
intrepidum ad petram quandâ protraxerunt,
demque ſua voce pœana decantantes, quia
mes aduolârant, lapidibus obruerunt. Indè aut

Item alius.

parum digreſſi, alterum quendam macie & p
lore confectum, qui primo aſpectu aperta

nentiæ & sanctitatis vestigia præ se ferebat, simili immanitate interfecerunt.

Non multùm processerant, cùm locus quidam herbarum & arborum viriditate amœnus eos inuitauit: ad quem, celeritate qua potuerunt maxima, cõtendentes, in adolescentẽ quendã prẽclaris admodũ virtutibus, & eximia animi magnitudine prẽditũ inciderunt. Is cùm in perangusto spelũcæ ostio lateret, nec foras egredi voluit; nec vt seruaret vitam suam, (hoc enim polliciti erant) latentia quædam in solitudine monasteria ostendere. Quid inquit, adeonè pusillo & abiecto animo me esse creditis, vt omnis præcedentis vitæ labores breuissimæ huius vitæ amore cõtaminare velim? Aut mortem, ita me horrẽre existimatis, vt eius metu sanctos fraterno amore mihi coniunctos vestræ crudelitati prodam? Quare cum plane vobis denegetur id quod speratis ne cunctemini, quæ vultis facere. Ego autem speluncæ meæ ostium non egrediar, nè me aliquando nudum subsanneris. Neque enim ipse vnquam corporis mei nuditatem conspexi. Intus moriar, vt hæc cauea quæ virtutis sudores accepit, mihi sepulcrum sit. Hæc dicendi libertate, Barbari in furorem versi, certatim in eum impetum dederunt, tantisq; vulneribus conciderunt, vt nulla omninò corporis pars gladijs eorum fœdanda restaret.

*Adolescentis eremitæ insignis cõstantia.*

*Insignis pudicitia.*

*Trucidatur.*

Post eum, tres alios in solitudine obuios habuerunt, in quos cædẽ adhuc spirantes scelerati, summa crudelitate inuecti sunt; vt acri vindicta, eam, quam à præcedente martyre acceperant verborum iniuriam, lenirent. Tenebant adhuc enses cadauerso & exhalanti sanguine inquinatos, cùm duo ra. tota præda, quam antè collegerant, in regione

*Item tres alij.*

rélicta, deuisi ad vtrumq; processerunt. Et qui eos, qui erant ad austrum, qua crudelitate in rint, incertum habeo. Ex ijs autem, qui era

Item alius iaculis configitur.

clima boriale, vnus audito eorum aduentu, fibi salutem quærere maturabat: sed ipsi fug tem conspicati, iaculis transfixerunt. Cum q pinquiores facti, spirantem adhuc & anima gentem inuenissent, inaudita feritate apu thoracem dissectum, pedibus culcauerunt. rátia adhuc per dissectionem viscera & lacer circumfusa delacerárunt.

Posthæc, ego quidem aufugi, filio autem quid factum sit, ignoro; nisi quod meá fuga stimem illi acerbiora parituram supplicia. sanè vnus doloris scrupulus me conturbat do equidem, quod iam dudum nimio dolore fectus occubuissem, nisi mulieris cuiusdam

Exemplum admirandæ in fœmina constantiæ.

rāda plane & diuina virtus me contra acerbi huius magnitudinem mirificè cōfirmasset. tem erat adolescentis istius genitrix, quæ so & inuicto animo in spelunca occubuerat quam enim illa filium glorioso certamine fectum intellexit, protinùs se splendidi vestium cultu in conspectum dedit, & anim tuque ad lætitiam haud vulgarem compos nus in cœlum sustulit, & profusis præ nimi dio lachrymis immensas creatori grat Neque enim dicebat, te, ô fili mi, vt mortuu gebo, sed quod ab omni peccati periculo tus, cælos fœlici certamine conscenderis, ter na prædicatione celebrabo. Et inter alia nam tuum corpus pluribus concisum vulner fuisset; scio namque pro plagarum numero cedis amplitudinem in cœlo tibi repositam Et nunc quid ego? Nunquid quia charissime

orbata sum, miseram me esse existimabo? imo vero inter omnes matres fœlicissimam, quæ talem Deo dignum athletam genuerim.

Hac ego fœminea virtute confusus, pueri casum lamentari destiti, & admiratione tam excelsi animi cómotus, pusillanimitatem meam acriter castigaui.

Legatio eorũ qui Pharan incolũt, ad Regẽ Barbarorum.

Interea ij qui Pharan incolebant, & cum Rege Barbarorum confœderati erant, cùm tam ingentem suorum cladem, rupto per summum scelus inducarum fœdere, auditione percepissent, miserunt ad eũ qui de illata iniuria conquererentur & satisfactionem postularent. Rex audita suorum crudelitate præ se tulit grauissimè se suorum scelere offensum esse, & paratum, debitum de perfidis supplicium sumere. Quin etiam omnia, quæ per vim & fraudem ablata erant, se redditurum confirmabat. Nec mora, legati statim donis & muneribus instructi ad violata pacis fœdera renouanda missi sunt. Nos autem hac spe confirmati, securè nos in viam dedimus. Sed octo dierum iter emensi extrema aquæ penuria laborare cœpimus, eaque penè deficientes, fontem inquirere coacti sumus, nisi præsens mortis periculum incurrere vellemus. Ego itaque lentè gradum faciens, fontem ad collis dorsum conspicatus, eò properaui, sed mox Barbarorum in insidijs ibidem latentium multitudine oppressus, captiuus abductus sum. Non tamen hæc inopinata captiuitas animum deiecit, vel minima ægritudine affectum conturbauit. Sperabam enim forè vt vel filium cuius vehementi desiderio tenebar, à misera captiuitate recuperarem, vel ipse in captiuitatem ductus, assiduo eius aspectu animum oculosque pascerem, vel postremò, quod reliquum erat,

vitam hanc miseram, illorum crudelitate, in beata morte mutarem. His ego cogitationib. rificè confirmatus, malum, quo grauiter prem-

Barbari in fugam versi.

bar, leuiùs tuli, donec Barbari à nostris copijs superuenêre in fugã versi sunt. Nos igitur inge- periculo & præsenti mortis metu liberati, co- rum iter alacres prosequuti, post quatuor dier- spatium, in castra deuenimus. Et continuò lega- ad Amanem (hoc Regi Barbarorum nomen est) introducti, responsum ab eo beneuolentia- num tulerunt.

Amanes rex Barbarorũ.

Hæc ego Nilus audiens (quem filij mei Th- duli salus suspensum tenebat) ingenti cura & so- licitudine premebar, vt aliquid vel de eius v- vel morte certiùs cognoscerem. Cumque e- rijs de salute eius, corde tremulo quæsiuissem

Eluza ciuitas.

dem eum in ciuitate Eluza cuidam venundat- tellexi. Nec mora: eò senectutis meæ oblitus, p- dibus contendi, & filium post longa suspiria, p- dura captiuitate miserum, vt suspicabar, sed c- dam sacerdoti Christi, optimis moribus, & exc- lenti vitæ integritate prædito coniunctũ inue- Quo viso, incredibili gaudio penè exanimat- cõcidi. Accurrunt alij & humi sublatũ fouen- fouentque, donec resumpto spiritu verba fo- re possem. Tunc nouo filij mei cõspectu refec- de omni rerum statu percunctari cepi, atque h- tatus eum sum, vt diuturna captiuitatis suæ m- ex ordine panderet. Nam sicuti post morbu- nitas mirè lætificat, ita post malorum om- liberationem, eorum recordatio, magnam v- luptatem cum singulari vtilitate coniunct- habet.

Nilus ex gaudio filij in deliquiũ cadit.

Tum filius à profundo pectoris gemitu ex- sus. Quid iuuat, inquit, ô pater præteritorum

nium malorum reminiſci? quid proderit truculentos ſceleratorum hominum vultus atque manus, quas in nos crudeliter exercuerunt, ad memoriam reuocare? Sed quoniam paterna me auctoritate vrges, libens tuis parebo mandatis. Ea tamen quæ Megadonis filius tibi narrauit, ſilentio præteribo. Viſum erat Barbaris nos dijs ſacrificare, eamque omnia, ara, enſis, libamen, phiala, thus, parata erant, cùm ego imminenti mortis periculo, quę ob oculos verſabatur, admonitus, me totum Deo commendabam, humique proſtratus, terram aſſiduis rigans lachrymis, nihil de preſenti vita ſolicitus, Deum precabar, ne me à beatorũ ſpe & exſpectatione confunderet. Cumque hoc modo ſpiritum infinitis anguſtijs oppreſſum ſomnus corriperet, non priùs quàm lucifer ſuo ortu tenebras fugaret, euigilaui. Et ſanè euigilans neſcio vel vbi eram, vel quomodò me ex tumultu, quem auribus hauriebã, tempeſtiuè proriperem. Barbari enim, quòd hora eorũ ſacrificijs opportuna iam præterijſſet, varijs inter ſe clamoribus tumultuabantur, & quòd alterũ præſentem non viderent, acriter diſceptabant. Tum ad me conuerſi, blandis omninò verbis præter eorũ conſuetudinẽ, de altero quæſiuerunt. Quibus ego, cùm nihil de illo me ſcire reſpondiſſem; neque minas neque vllum iracundiæ ſignum oſtenderunt: ſed ſummo facto ſilentio quieuerunt.

Narrat Theodulus quæ de ipſo Barbari ſtatuerant.

Poſthęc, ad vicum quendam, cui nomen Subaita deuenimus, vbi cùm me venalẽ expoſuiſsẽt, nemo qui iuſtum offerret pretiũ inuentus fuit. Tum Barbari furijs accenſi, nudũ me planè ante vicum ſtatuunt, atq; ſtrictis gladijs mortẽ, niſi emptor aliquis inueniretur, mihi minantur. Ego autem tam dira comminatione perculſus, ſupplices

Vicus Subaita.

Barbari Theodulo mortẽ minitantur.

ad emptores manus cum lachrymis tendebam, rans atque obsecrans ne vellent vitam meam iguo pretio viliorem habere; & ne recusaro sanguinem meum de manibus Barbarorum red mere; spondebam me pretium ijs bona fide tuturũ; & nihilominus perpetuo seruitutis culo obstrictum iri. His precibus quidam m misertus, ægrè tandem me ab imminenti cla persoluto, quod postulabant pretio, eripuit, & hanc quam vides libertatem abduxit. Hæc quidem ego passus sum pater, his perfunctus peri lis, mille mortis dolores superaui. Tum ego, fili mi, grauiora ipsa morte supplicia tulisti. Ab duus enim mortis metus, grauiorem doloris se sum infligit, quam breuis membrorum omnium dissectio. Sed singulari Dei beneficio factum e istimo, quot tot tantisque mortis periculis supe ratis, patri redditus sis. Ego enim in tempore illo us afflictionis, perpetuo singularis continentiæ voto me Deo obstrinxi, si te aliquando viuum re ciperem. Nec fefellit expectationem meam Do minus. Nam voce cælitùs dilapsa audiueram. So biliet Dominus, stabiliet verbum, quod egressum fuit ex ore tuo. Et nunc fili antè omnia promissi quod diuino responso confirmatum fuit, cum p etate explendum est: ne Deus, qui violatæ promi sionis vindex est, maiore nos calamitate involua Rectè & sapienter dicis ô pater (inquit puer) q quia ego maximum huius beneficij percepi fru ctum, tecum prompto & alacri animo labore suscipiã, & promissi per omnia socius ero. Deu autem debitum nullum, quod nostras excedit v res, à nobis exiget, nec labores virium nostrarum imbecillitate superiores requiret. Et hæc quidem ita se habent.

Votum sub cõditione.

Epilo

Humanitas Episcopi.

Episcopus autem illorum qui illic erant, vir pietate & religionis opinione admodùm clarus, postquam nos à priori afflictione verbis suauissimis recreasset, vnicè nos rogauit, vt quod reliquũ erat vitæ, apud illum diuinarũ rerum studio transigeremus. Et nè, propter persolutum pretium, vim adferre, vel aliquid sibi iuris in nos vendicare videretur, integram nobis libertatem, saluis rebus omnibus, concessit. Et quia diuino obsequio, partim ex præcedenti vitæ instituto, partim ex voto mancipati eramus, ad sacrum sacerdotum munus suscipiẽdum vel inuitos compulit. Nos enim huius ministerij dignitatem perpendentes, eo nos indignos reputauimus, vt quod nostris esset viribus superius, & vix solis sanctis, quòd ad vitæ gerendæ rationem attinet, conueniret. Hoc ergò sacrosancti ordinis munere vel inuiti affecti, cùm domum proficisci liberet, liberali nos prosecutus viatico, & cælestis gratiæ benedictione munitos dimisit. Cui certè, præter alia eximiæ humanitatis collata in nos beneficia, vitam filij mei, ab impendente mortis periculo liberatam, acceptam referre debemus.

Sancti viri vt se sacerdotio indignos putarint.

## VITA S. IOHANNIS CALYBITAE,

*ex Symeone Metaphraste conscripta. Claruit autem temporibus Leonis Imperatoris, qui regnauit Anno Incarnationis verbi 457. & sequentibus. Extat verò peruetusta ac nobilis memoria eiusdem, Romæ, in Insula Tiberina.*

Vide Cæs. Baro. in Notat. martyr. Rom. Item Tō. 6. Annal.

15. Ianuarij.

FVIT in vrbe Roma temporibus nostris vir quidam Eutropius, cum diuitiarum gloria, tùm verò opinione rei militaris adeò

Ioannis Calybitæ parentes & patria.

præstans, vt Romano exercitui cum dignitate ma præfectus esset. Hic ex coniuge sua Theodo tres insigni virtute filios suscepit; è quibus duo Reipublicæ gubernacula prudenter ac liberali tractanda destinati sunt; tertius verò quem Ioha nem appellabant, ad artium maximarum dis plinas, propter ingenij excellentiam, magno rentum studio adhibitus fuit. Is verò tantos duo decimo ætatis suæ anno in literis progressus ha buit, vt tum in omni philosophiæ genere excel ret, & varijs dicendi luminibus, res obscuras illu straret. Erat autem incredibili in perferendis laboribus duritie præditus, adeò vt omnes ascet centis perseuerantiam obstupesceret. Accidit vt eodem tempore Abbas quidam Hierosolymi iter habens ad domum illam, quam Iohannes ad diorum gratia incolebat, iter haberet. Cuius v habitu & rara pietate motus, postposito pud ab eodem quæsiuit, quis esset, quò pergeret, qu genere philosophiæ animum excoleret. Cui Ab bas, pro iuuenili captu monasticæ vitæ dignit tem explicauit, & flagrantem pietate animum ardentius pietatis studium incitauit. Porrò Io hannes ingenita quadam virtute ad præstantio ma quæque incitatus, apprehensa Abbatem do tera seorsum duxit: sèque tam eximiæ disciplin apprimè studiosum aperuit. Quin & obtestatu est, vt à reditu se ad monasterij claustra abdu ret, & cælestis philosophiæ disciplinis inform ret. Nam dicebat, vt vitæ huius oblectamenta, a mundi voluptates omnes, vanas planè & inan reperio, ita totam beatæ vitæ rationem in Christ seruitute constitutam inuenio. Manet immo menti sententia, spretis diuitijs & honorib

Ioannes religionis amore inflammatur.

Ch

Christi paupertate ac disciplina delectari. Quare te oro, Abba, fac me voti compotem cælestium rerum amore flagrantem. Abbas tam admirandâ adolescentis & prudentia & pietate delectatus, nihil non obtulit; spondens se post reditum, volente Deo, abundè illius votis facturum satis.

Intereà adolescens ab humana philosophia ad cælestem transiens, codicem Euangeliorum à parentibus haud difficulter obtinuit; qui vt filium tanto eruditionis amore accensum magis magisque incitarent, exhilararentque, librum aureis fermari claustris, & mirabili gemmarum splendore exornari curârunt; quæ lenocinia, intentum illius animum recondito thesauro, nihil, vt aliàs in alijs fieri solet, mouerunt: sed rectà euntem potiùs prouocârunt, ad internum hominem verò virtutum splendore excolendum. Cui rei dum sedula mente intendit fortè Hierosolymis adfuit Abbas, quem incredibili animi sui gaudio Iohannes excepit. Atque vt venientem lætabundus amplexabatur, ita, nè ab recedentis amplexibus, matris fortè lachrymis ac precibus auelleretur, consilium captauit, vt clandestinam fugam inirent. Placuit hoc singularis ardoris atque pij desiderij responsum Abbati. Quare ad fluminis ripam contendentes nauem conduxerunt, qua ad eorum monasterium qui Acœneti vocantur, perueherentur; eaque paucis post diebus clam conscensa vela dederunt, & prospero cursu ad monasterium delati sunt. Tum Abbas Iohannem Archimādritæ, vt eum in numerum reliquorum fratrum asscriberet, obtulit. Qui quamuis præclara iuuenis indole & fama virtutum vehe-

Abbas Hierosolymis redit.

Clàm fugit è patria.

vehementer delectaretur, eius tamen grati & u
poris teneritudini diffidere cœpit, quod mona
cæ vitæ laboribus par esse posset. Vnde hortari
cœpit, nè temerè pedem in stadium inferen
quo fortè cum dedecore exiliret. Præterea, neq
legibus nostris sancitũ est, vt quilibet ante qua
externis religiosæ militiæ signis, tonsura vide
cet & habitu, ornetur, quadraginta dies antem
nasterij fores in consideratione nostri institute
igat. Ad hæc Ioannes; Nostis quo animo huc ac
serim, & quanta Dei gratia & benignitate pa
bonorum, in qua ab infantia ampliſſimis sum
bus enutritus sum, contempserim: quomodo
rum etiam parentum erga me amorem desper
rim; quare te obtestor ne me diutius desider
meo fraudare velis. Ego enim ad omnes labo
subeundos eadem Dei gratia alacrem me & in
ctum exhibebo. Tunc Archimandrita nihil vlter
us cunctandum ratus, sancto eius desiderio fe
satis, habituque indutum & tonsura insignitu
in religiosæ militiæ certamen admisit. Ipse v
tanta animi alacritate cælesti disciplinæ vacã
vt cæteros, virtutis exemplo, ad emulationem p
uocaret; & quod fidem etiam superare videtur
hil præter epulum illud cæleste, quo Iesu Chri
precioſum corpus cõtinetur, in cibũ admitte

His felicissimis virtutum omnium initijs
bolus vehementiùs prouocatus, postquam va
tentationibus atque insidijs constantiam eius fr
strà fatigasset, ingens parentum desiderium a
mo eius ingessit tantoque mœrore affecit, vt ea
propemodum consumptus, iam iam expirare
deretur. Archimandrita cùm in vltimum vitæ p
riculum adolescentem adductum videret, An
tibi dixi, inquit, Iohannes, tuas huic certamini

Nota prudẽtiã antiquorum patrum & difficultatem admittendi quemlibet in monasterium.

Instantia Iohannis.

Tondetur & habitu monastico induitur.

Mira eius ab. stinentia.

Tentatur immodico parentum desiderio.

res longe inferiores esse? Ad hæc Iohannes; Non me ieiunia, non vigilia; non labores frangunt debilitantue. sed perditus ille hostis, qui insidijs mecircumuenire nititur. Tanto namque parentũ amore animum meum inflammauit, vt in hanc, quam vides, tabem corpusculum hoc miserum adduxerit: neque vllum ab huius incendij flamma respirandi mihi locum concedit; Sed confido, vt, quib⁹ ille me machinis peruertere nititur, ijs ego eum grauius premam opprimamque, Et nunc pater mi, te quantum possum oro obsecroq; vt hanc, quando aliter fieri nequit, veniã fragilitati meæ tribuas, vt vestris precibus, vestraque omnium benedictione munitus parentum conspectu frui possim, ex eoque certamine, quo me honestis in fraudem impellere nititur, clariorem victoriám consequar. Archimandrita cum suis consilium habuit, vt quid factu optimum in adolescentis salute procuranda foret, prudenter decerneret. Tãdem quamuis omnibus consilium temeritatis & amentiæ plenum videretur, adolescentem ad relictas post tergum mundi delicias & suaues parentum amplexus, tanquam canem ad vomitum remittere, diuina tamen prouidentia (quę occultè sæpè salutem ex apertæ perditionis, vt nobis apparet, initiò operatur) summo fratrum omniũ consensu, quamuis non sine multorum lachrymis dimissus fuit. Cumq; iam tempus, quo ab eorum complexu auellendus erat, adesset, ingenti lachrymarum vi, quanto animi dolore recederet testatus est. Iam verò cum gradum facere inciperet, singula ferè vestigia profusis lachrymis rigabat, & attentissimo mentis studio, Deum, vt sibi præclaram de hoste victoriam concederet, precabatur. Vix dimidium itineris spatium confecerat, cùm

Abscedit à monasterio, cum bona venia præfecti.

cùm hominē quendam extrema mendicitate
ferum conſpicatur; quem blandis ad ſe verbi
uitans, heus, inquit, frater, veſte iſta lacerat
& mea quæſo te indue, ego viciſſim tua facil
contegam. Hoc charitatis beneficio hilariter
ſtito, confidentiùs multò, cæptum iter proſe
batur; donec ſplendidas & ſuperbas parentū
rum ædes contemplaretur. Quibus viſis, lach
mis totus infuſus, Deum, vt ſibi conſtantiam
giretur, ardentiſſimè precatus eſt: totamque
noctem antè fores in precibus exegit.

Venit ad ædes parentū.

Mane autem facto, familiæ præfectus fore
greſſus, cum lacera eum veſte indutum cerne
Quis tu, inquit, es & qua impudentia accede
des? Ocius te hinc proripe, ne Domini mei
egreſſuri, tua fœditate grauiter offenſi, nauſea
aliquam concipiant. Cui Iohannes; Quæſo v
ue paupertatis meæ onus te ad miſericordiam
flectat. Ne mihi huius abiecti anguli manſion
inuideas, certus pro ea, mercedem te à Deo re
pturum. Ille hac obſecratione motus abijt. M
verò parentes eius miro veſtium ſplendore
gentes egreſſi acerbiſſimo amoris aculeo cor
vulnerârunt. Ille autem Chriſti opem cum m
lachrymis implorans, En (inquit) diabole: En v
go tuas ſagittas contemno. Tu me immodico p
rentum amore, à ſuauiſſimo Chriſti Ieſu D
mei amore auertere, & in peſtem trahere
teris: Ego verò, dulciſſime Ieſu, à tuis me ample
bus, tua gratia adiutus, auelli non patiar. Adiut
meus eſto Domine, ne derelinquas me, neque d
ſpicias me Deus ſalutaris meus. His dictis, lach
mis totus præ amore repletus, in angulum ſe pro
iecit. Pater autem, eius patientia ad miſericord
inflexus, cibos ei miniſtrari iuſſit. Ea autem er
co

Contemnitur à præfecto domus.

Nota admirandam animi conſtantiam.

Pſalm. 26.

corporis eius, nimia inedia exhausti, deformitas, vt nullo modo in agnitionē eius venire possent.

Mater eius, macie & exhausti corporis deformitate offēsa, cum auersatur.

Quodam die cum eum mater frigore & squalore confectum vidisset, graui indignatione commota substitit, & ad pueros conuersa: Auferte, inquit, hominem istum, qui suo tetro aspectu horrorem mihi incutit. Neq; enim tantam corporis deformitatem delicatis oculis aspicere possum. Statim igitur serui vi indè abreptū eduxerunt. At ille neq; longius à foribus recedere, neq; abire iussus, parere voluit. Egredienti autem aliquando familiæ præfecto: Rogo te, inquit vt quemadmodū ab initio me misericordia prosecutus es, ita & nunc vile aliquod tugurium exstruere velis, cuius tecto & frigoris iniuriam, & vestræ Dominæ conspectū à me arcere queam. Annuit præfectus eius petitioni, & benignè insuper pater, quæ ad victum necessaria erant, ei suppeditauit. Quæ ita accepit, vt vniuersa pauperibus, ipse interim egens & ieiunus permanens, distribueret.

Moratur in tugurio.

Tertio autem post anno, benignus Iesus ei apparens, verbis suauissimis ad certissimam sempiternæ salutis spem excitauit. Iam enim dicebat, ô Iohannes, laborum tuorum certamē completum est. Post tres namque dies ego te hoc mortalitatis ergastulo solutum, ad iustorum omnium requiē, & veram sempiternamq; gloriam perducam. Ioannes autem experrectus: Domine, inquit gratias tibi ago, quod me vilem & abiectum homuncionem, sanctorum requie dignum facere velis; sed quæso te, & parentum meorum reminiscere, eos misericordia prosequere, vt eorum peccatis tua gratia & benignitate deletis, mecum ijsdem, in tua gloria, bonis frui possint. Hac oratione cum ingenti lachrymarum vi completa, familiæ præ-

Christus ei apparet.

Moriturus aduocat familiæ præ-

præfectũ ad se accersitũ his verbis compellat. Hactenùs tu præ cæteris omnibus, singulari manitatis & beneuolentiæ beneficio me p cutus es; nunc verò summis infimisque prec à te postulo, vt tuam huc ad me dominam vo velis. Habeo enim quæ illi indicem. Abijt illi pauperis mandatum ei exposuit. Quod illa mo sanè superbo indignabunda primum repu donec consulto viro, eò tandem ire propon Sed cùm moras necteret Ioannes ei; post mo mortis sibi horam imminere, significauit. Illa dita mortis mentione, seruis suis, vt pauperem se perducerent, imperauit.

Suprema ad matrem verba.

Tum Ioannes lachrymis totus infusus, Me tua, inquit, ô Domina completa est. Ego ver rum omnium, vt nosti indigus, aliquam tibi p pertaris meæ benedictionem relinquere dece si vltimam hanc meam voluntatem post mor inuiolatam seruare velis. Cumque illa iure do se voluntatem eius vltimam seruaturam firmasset; peto inquit, & per eum qui iuris violati vindex est, te obtestor, vt neque alia tectum, neque in alio quam in huius tugurij sepelire me velis. Hæc cùm dixisset splendid quem ab ea acceperat Euangelij librum ei tra dit. Illa autem viso libro, non parum obstup eumque vndique versans in spem venit, se aliq vel de morte, vel de vita filij sui, audicturum. N mora, relicto paupere ad maritum currens e hibuit. Qui agnito, eundem planè esse, quem quondam filio tradiderat, par est, inquit, inter gare vnde pauper ille hunc librum habeat. T vterque incredibili desiderio filij sui, quem tinctum putabant, accensi, Te, inquiunt ad pau rem, per sanctissimam & individuam Trinitat

Vide humilitatem sancti viri.

Obt

obtestamur, vt vndenàm hoc Euangelium habeas, & vbi filius noster Iohannes sit, verè nobis dicas. Ille cùm vim lachrymarum ferre non posset, Ego, inquit, sum Iohannes filius vester. Ego multarum vobis lachrymarum causa; Sed Christi desiderio inflammatus: hactenus suaue illius iugum portaui. His auditis parentes, in amplexus & oscula ruerunt, & à prima ad sextam vsque horam, tantis locum illum fletibus impleuerunt, vt omnes ciuitatis incolas, ad spectaculum tam stupendum & fletum simul prouocarent.

Confitetur parentibus quis sit.

Fuit autem anima illius, corporeis vinculis statim soluta, vt se filium eorum indicauit. Mater autem immodico filij amore pariter & dolore ebria, pannoso vestimento protinùs cadauer exui, & aureo ornatu contegi præcepit. Quo contecto, derepentè illa humi concidit, sublataque paralytica vim dolorum perpessa est, donec eo splendore rursus nudatum, proprio vestitu corpus indueret. Vndè parentes iurisiurandi memores, sacrosanctas reliquias eodem etiam in loco, nulla pompa, nullo funebrio sumptu condiderunt. Sed constructo posteà, visendi sanè operis, templo, amplissimis bonis suis locum Deo, perpetuo cultu, consecrârunt. Ipsi verò filij exemplo ad rerum humanarum contemptum acriter prouocati, reliquum vitæ tempus ministerio pauperum & sordidorum hominum libenter dedicârunt, omnesque suas actiones tam præclarè ad Dei gloriam direxerunt, vt nemo non, tantæ nobilitatis familiam, & in vita & in morte, beatissimam prædicaret.

Boni parentes sancto filio templũ construunt, & omnia bona sua illi dedicant, eiq; reliquijs ibidem collocatis.

# VITA S. MAVRI ABBATIS: EX

Vide C. Baron. Tom. 7. Annal.

*quam Faustus eius condiscipulus conscripsit. Mo*
*gravit autem è corpore Anno Domini 514.*
*Pelagij secundi, Papæ 7. Tiberij*
*Imper. 3.*

15. Ianuarij. Clari parentes eius.

PRAECLARA religione ac pietate vi
Maurus, claro inprimis Senatorum gene
patre Eutychio, matre verò Iulia natus
dennis, parentum voluntate, in S. Benedicti
plinam concessit. Vnicus enim & pietatis &
gioſæ vitæ adamator, ætatem morum matur
longè superabat; ita vt diuini magistri æmu
nõ solùm sanctitatis vestigia, sed & miracul
gloriam assequeretur. Subegerat præclaro ce
Abstinentia & vestitus. mine carnem suam eousq; Benedictus, vt exig
cibatu vitam duceret, binaque refectione in q
libet hebdomada contentus viueret. Quam vi
tem pius æmulator tam strenuè imitatus est, v
liquos athletas multis parasangis superaret. Q
dragesimali tempore rigidior corporis sui do
tor saccо tantùm indutus cilicino incedebat, q
etis aut strati planè ignarus; nam fractum labo
bus corpus stando aut sedendo, perbreui som
fouebat. Mente adeò erat in cælestibus contin
vt ipse Benedictus fœcunditatem diuinæ gra
satis mirari nequiret.

Die quodam S. Benedictus à viro quodam egre
nobili inuitatus, vt vxorem & filium dæmo
obsessos orationibus suis liberare dignaretu
pro ingenita sibi charitate, alacriter eo perre
Maurus verò, qui tunc absentis officio cum dig
tate fungebatur, cùm ad fruges colligendas, cu

fratribus monasterio egressus fuisset, puerum quendam pedum & linguæ officio miserè destitutum obuiam habuit. Parentes verò pueri, viso Mauro, protinùs eius pedibus prouoluti, cum multis lachrymis, vt sanitatem filio impetraret, rogârunt. At ille cum nimio pauore deterritus, peccatorem se esse diceret, neque miraculorum operationem sibi à Domino concessam esse, institerunt nihilominus parentes, fratrumque aduti auxilio & precibus, vehementer eum ad misericordiam puero tribuendam commouerunt. Tunc vir sanctus obortis lachrymis se in oratione prostrauit, eaque cum summa mentis attentione expleta, stolam, qua ad ministerium Leuiticum ordinatus fuerat, de collo suo proferens, capiti pueri cum crucis signaculo imposuit, & eleuatis cum insita pietate ad cælum oculis, Domine, inquit, Iesu, qui nos per orationis studium ad dona cælestis gratiæ impetranda hortari dignatus es, fideique virtutem clarissimis sæpenumerò miraculis declarasti, ostende etiam nunc eodem fidei munere & nos seruos licet indignos tua gratia præditos esse. Hæc cùm dixisset, ad debilẽ conuersus, In nomine, inquit, sanctæ & individuæ Trinitatis, adiutus sanctissimi magistri nostri meritis, sis sanus & incolumis super pedes tuos rectus. Et continuò sospitati redditus, cæpit inoffenso pede ante nos gradum facere, ac Dominum voce exultationis & laudis benedicere.

Humilitas S. Mauri.

Curat claudum & mutum puerũ.

Per idem tempus, legati beatissimi Bertigrammi, Cenomanicę ciuitatis Episcopi, ad patrem nostrum cum donis atque muneribus venêre, postulantes vt viros pietatis & eruditionis laude præedificarent, & optimis sãctissimisq; disciplinis ad

Bertigrãmus Cenomanẽsis Episcopus

Ecclesiæ suæ vtilitatem instruerent. Legati fu
Flodegarius Archidiaconus, & Harderadus
vicedominus, viri clarissimi. Benedictus igitur
uina reuelatione edoctus, summæ religion
rum Maurum euocans, ad hanc prouinciam
piendam hortatus est. Et adiunctis illi Simpl
Antonio, ac Constantiniano, me quoque labo
ac peregrinationis comite illi deputato, vt
mã Mauri volũtatem oẽs sequeremur imper

**Maurus mittitur in Gallias.**

Igitur nos quinta Epiphaniorum sabbathi
arripientes, primam mansionem in villa
lia (quę nostri monasterij possessio est) habu
Ea nocte, celebrantibus nobis diuinarum
officium, duo è fratribus nostris superue
missi à S. Patre nostro Benedicto, vt nobis
quasdam reliquias traderent. Ex erant, tres
feri illius ligni partes, in quo humani gene
demptor pro nostra salute crudelissimè se
ri sustinuit, Sanctæ Dei genitricis, Stephani
martyris, & beati confessoris Martini, quæ
contra malorum omnium turbines, supre
moris sui erga nos pignora, transmittebat.
cris instructi diuitijs Vercellas aduenimus.
in loco dum biduo ab ipsius ciuitatis cle
summis eximiæ charitatis & beneuolentiæ
cijs detineremur, Harderadus graui lapsu per
dus altissimæ turris corruens, in vltimum vi
riculũ adductus est. Quæ res cum nobis, cum
degario, præcipuã acerbissimi doloris causam
tulit. Cumque 14. cõtinuos dies, cum assiduis
bi & mortis interdũ doloribꝰ luctatus fuisse
alia spes recuperandæ salutis reliqua vide
quàm vt medicus ferro & igne armatus acce
Flodegarius tam dirum dilectissimi amici
miseratus, B. Mauri oratorium, in quo vir

**S Benedictus mittit illis reliquias.**

orationi vacabat, concitus irrupit, & per omnes Christi labores, perque sanctitates omnes deprecari & obtestari eum cæpit, ne amicum sibi vnum omnium in vita charissimum, tam diris cruciatibus, cum apertissimo vitæ periculo torqueri pateretur; sed vellet precum suarum interuentu opportunum extremæ calamitati remediũ adferre.

Maurus his precibus & multò magis infirmi doloribus ad fletum permotus, antè altare in modum crucis se prosternens, suspirijs & crebro etiam singultu misericordiam Domini implorauit, acceptaque tandem sacrarum reliquiarum capsula, quam ille beatus magister direxerat: ad lectum ægroti perrexit. Ibique rursus oratione præmissa, salutifero crucis ligno, scapulam, quæ maximè laborabat, signauit; Deus, inquiens qui glorioso viuificę huius crucis ligno animarũ nostrarũ languoribꝰ, atq; vulneribus subuenire dignatus est, eiusdem virtute ad pristinã te sanitatem reducere dignetur. Hæc cùm beatus orasset, omnis exoctio sanguinis, qua brachium totum intumuerat, per tria loca decurrere cæpit. Elodegarius tanto viso miraculo, lachrymas præ gaudio cõtinere non potuit. Aeger vero sequenti die per omnes orationis domos, omnipotẽti Deo debitas, pro tam insigni beneficio gratias egit.

Indè verò digressi; cum templum D. Mauricio sacrum orationis gratia ingredi vellemus, homo quidam à primo natiuitatis suæ die cæcus, vt Maurum, cuius fama sanctitatis per oras illas cũ ingenti omnium admiratione vagabatur, adesse cognouit, toto in terram corpore prostratus, multis obtestationibus & precibus, vt lumen sibi oculorum cõferret, postulauit; Sanctus igitur Domini, auditis eius clamoribus, gradum parumper

Nota vim sacrarũ reliquiarum.

fixit; cumq; de terra eum surgere præcepisset: D
mihi (inquit) ô homo, quanto tempore sacra
sanctorum limina frequentasti? Cui ille, cùm
decim ferè annis respondisset. Itanè verò, inqu
Maurus, & tu existimas sãctos illos, qui pro Ch
sti gloria, sua corpora diris mactanda supplic
tradiderunt, oculorum lumen impetrare non p
tuisse? Istos itaque attentius exorando deprec
quorum magis hæc quã nostra sunt opera, & qu
rum ipsi non minus quam cæteri indigemus s
fragijs. Hæc cùm dixisset, cæpit abire. At cæcus
rendis clamoribus, cum miserando valdè eiul
opem illius instantiùs implorauit. Tum vir
ctus misericordia motus, salutifero crucis sig
oculis eius impresso, Dominus (inquit) Iesus, q
est vera lux, quæ illuminat omnem hominem v
nientem in hunc mundum, te illuminare digne
tur. His dictis, sanguis vbertim ab oculis eius
fluere cæpit, & continuò pulcherrimum cæli
dus respiciens, Hymno trium puerorum Deum
sanctis eius benedixit. Huic viro nomen erat L
nus, qui deindè in eadem ecclesia clericatus of
cio, cùm non mediocri eximiæ pietatis opinio
functus est.

Cæci signo crucis à cæcitate liberat.

Indè ad templũ quoddam, sanctissimæ Dei gen
trici sacrum deuenimus; quod dum vir sanctus
nobis alto sopore depressis, orationis gratia in
gressus fuisset, audiuit mulierem quandam vidu
Remeiam nomine, filium suum, quem ex defun
cto nuper viro susceperat, in mortis faucibus co
stitutum, acerbissimè lamentantem, toramque n
ctem plangoribus & eiulatibus insomnem du
centem. Cuius lachrymis vir Dei motus, rectum
pro filij salute, ad deprecandam Domini miseri
cordiam, composuit. Cumque ab oratione surre
xisset,

Vidua Remeia, filium suum morti vicinum deplorat.

uisset, cubiculum nostrum summo silentio ingressus, Simplicium cautè excitauit, secumque ad societatem præclari facinoris inuitauit. Veniens ergò cum Simplicio Maurus antè stratum filij, morbi vehementia iam penè extincti; Christus Dominus, inquit, & Saluator noster ijsdem pietatis & misericordiæ oculis aspicere te dignetur, quibus viduam illam, cuius extra portam filius efferebatur, quondam aspexit, cum eum ab ipsis mortis faucibus ad vitam reuocauit, hæc dicens, protinus abcessit. Ille verò qui iam duobus diebus sine omni sensu iacuerat, matrem magnis vocibus inclamare cæpit, & lecto incredibili alacritate exiliens, rectà gradum, in templum, vbi Maurus matutinos cum cæteris cantabat hymnos, intulit, eique salutem & vitam acceptam retulit. Fama huius facti, cùm totam continuò repleret regionem, omnes ad Mauri sanctitatem multis præconijs celebrandam prouocauit.

Maurus misericordia mortà mortis periculo precib. suis eum liberat.

Posthæc cùm dies illa appropinquaret, quæ ingenti Christianorum omnium lætitia, in memoriam Christi à mortuis excitati, toto terrarum orbe celebratur, profectionem accelerauimus, vt sacra mysteria apud beatum Romanum eximiæ sanctitatis virum, & Benedicti anteà adiutorem perageremus. Et quia Maurus de fælici Patris nostri Benedicti transitu, diuina reuelatione eodem die futuro certior factus erat, cupiebat sacras sanctissimi viri exequias psalmis & orationibus celebrare. Quibus de more Ecclesiæ Romanæ, ritè celebratis, mœstis animis cœptũ iter prosequuti, Aureliam fœliciter delati sumus. Sed hic grauissimus itineris nostri ductorib⁹ mœror allatus fuit, nimirum Bertigrammum Episcopum, vltimũ spiritum in complexu suorum edidisse. Hoc nuncio,

Bertigrãmi mors eis nunciata.

cùm functus longinquę illius peregrinationis terijsse videretur, ideoque animis turbatis fra esse dicerent domum reuerti, quàm cum nouo piscopo de noua monasterij fabrica frustra co tendere; Maurus memor verborum Benedi quibus eum ad rem strenuè & prudèter, per so mas difficultates gerẽdam præmonuerat, omn bono animo esse iussit, dubitarent nihil, quin p tris sui Benedicti precibus & meritis aliquan suauissimo laborum illorum fructu fruerentu

His verbis confirmati, ad Domnolum anti

Domnolus Episcopus Cenomanensis.

tem, qui Berragrammo, in eo dignitatis gradu cesserat, contenderunt, à quo cum nihil quic rem esset obtinere possent, cum Harderado con lium inierunt, vt si maior spes nulla affulge domum remearent. At ille, continuò Flori quendam consobrinum suum, qui auctoritate gratia plurimum apud Theodebertum Franco Regem pollebat, adijt, eique admirandam Mau sanctitatem exposuit, & quãtum Vniuerso reg eius præsentia vtilitatis accederet, declarauit. Fl

Flori insignis viri encomion.

rus cùm esset multis virtutibus egregiè ornatu & nulla re magis quam sanctorum consuetud ne delectaretur, statim audito Mauri aduentu, in credibili gaudio perfusus est; & non modò i Re gę ædificandi potestatem obtinuit, sed vniuersa suas facultates, quæ erant sanè amplissimæ, ben gnè in nouam monasterij fabricam contulit. & v nicum insuper filium suum octẽnem, Bertulfu nomine, monasticæ vitæ disciplinis imbuendum ei tradidit. His igitur opibus ædificari cœptum, deò vt breui temporis spatio, opus ad summa altitudinem perductum fuerit. Accidit interea res, quæ Mauri sanctitatem per totam illam reg onem celeberrimam reddidit.

Cler-

Clericus quidam, qui cæmentariæ arti præerat, (quem Langisum vocabant) cùm in supremam ædium contignationem conscendisset, parùm cautè incedens, retrorsum corruit, omniumque iudicio pro mortuo habitus, continuò ad beati Martini Ecclesiam delatus fuit. Cumq; B. Maurus cum Floro superueniens, hominem suo sanguine miserè fœdatum cerneret, omnibus abire iussis, solus ipse remansit, & statim humi prostratus, ingentem lachrymarum vim in oratione fudit, deindè collisa membra signo crucis muniens. Surge, inquit, Langise, in eius nomine qui hominem de terræ limo formauit, & sanus esto. At ille protinus, velut de somno excitatus, surgens constitit, & ad intermissum opus alacris redijt. Quo viso Florus ad pedes beati viri se proiecit, tantaque in omni vita reuerentia eum prosecutus est, vt propius eum accedere non auderet. At alij illi qui operi insistebant, postquam clericum præter opinionem, sanum & incolumem viderunt, virtutis diuinæ ignari & rudes, multis maledictis beati viri nomen conscidêrunt, & inter alia quòd prauâ ductus cupiditate, relicto priore monasterio, in eas oras venisset, quodque non diuina virtute, sed præstigijs quibusdam res admirandas gereret, & hominum oculis sceleratè illuderet. Cùm hæc hæc inter se sermocinarentur, & alter alterum in odium sancti viri concitaret, tres ex illis maligno dæmone è vestigio correpti, tanta crudelitate discerpti sunt, vt vnus animam, inter acerba tormenta, cũ lugubri valdè eiulatu, exhalaret. Quod ad aures beati vt peruenit, statim lachrymis totus infusus, ad S. Martini oratorium contendit, vbi tribus horis continuis in oratione exactis, ad homines extrema calamitate miseros accessit, &

Oratione & signo crucis Maurus collisum sanũ reddit.

Pœna detrahẽtium miraculo.

Oratione & signo Crucis, dæmones expellit. Luc. 10.

dito contra illos crucis signo, Filius, inquit, D qui discipulis suis calcandi super serpētes & s piones potestatem dedit, ab hac dœmoniaci vexatione absoluat. Cumq; illi nihilominùs d tibus & oculis furorem spirarēt, vir Dei prop accedens, digitos vtriusq; manus in ora illor misit & statim dœmones, ingenti fœtore relic ventris egestione fugati sunt.

Hac autèm victoria potitus, ad tertium vir f ctum se conuertit. Curauerat corpus in portic Ecclesiæ deferri. Noctem verò illam tot nus insomnem duxit. Manè autem sacrificiu

Sacrificium Missæ pro defuncto.

Simplicio summa spiritûs attentione obtul que oblato rursus ad cadauer se contulit, ibiq que tam diu in oratione perseuerauit, donec ma corpori redderetur. Porrò ne tam stupend miraculum viro sancto superbiendi occasion præberet, hominem illum, vt se protinùs ex co nium conspectu remoueret, admonuit; & mi mortis supplicium incidere vellet: locum ill nunquam repeteret.

Igitur octauo, ab aduentu nostro die, postq monasterium omnibus numeris absolutum el

Florus fit monachus.

Florus, cuius filius multis religiosæ vitæ or mentis tum decoratus erat, eius vestigijs insist contemptis opibus, spretis dignitatibus, eccl in loco se Mauri disciplinæ subiecit. Quæ res gis animū ita ad pietatis studium cōmouit, vt p ter alia maximi pretij munera, regiū fiscum, q Boscum appellabant, cum omnibus villis & a plissimis redditibus, monasterio donauerit. Et

Nota quantus honos olim monachis à regibus habitus sit.

intelligi possit, quanta Reges & viri Principe Monasticæ vitæ cultores, veneratione & amo tunc temporis prosequebantur, nō erit abs re b ius Theodeberti exemplum in medium profer

Cùm

Cùm Florus omnibus iam valere iussis, sacris se ædibus includere pararet, Rex primò quidem à beato Mauro, per quendam è famulis suis, enixè contendit, vt sibi cum optimatibus ac nobilibus suis eam facultatem concederet, vt singula posset monasterij loca contemplari, & ex fratrum consuetudine aliquem sanctioris vitæ fructum percipere. Hoc cùm benignè concessum esset, die illo quo Florus capitis comam deponeret, magna nobilium stipatus caterua venit, & monasterium ingressus, postquam singulari beneuolentię & amoris significatione à beato Mauro, totaque societate exceptus fuisset, spreta dignitate regali, purpura indutus omnium fratrum pedibus se prostrauit, & lachrymis totus perfusus, vt se suumque filium orationum suarum omnium participem facere dignarentur, humillimè rogauit; Cumque Maurus è pauimento eum eleuare vellet, benedictionem viri sancti postulauit, qua percepta, lætus Andegauis reuersus est.

Olim etiam monachi capitis comam deponebant.

Post hæc Maurus, vt fiscũ, liberalem Regis donationẽ, reciperet; egressus est. Cumq; in villa biduo moram traxisset, homo quidã lecto affixus, et omniũ membrorum officio, totos 7. annos penitus destitutus, ei deportatur. Cui cùm benedictionis gratia manus imponens, integrãitã sanitatem restituit, vt nulla vnquàm infirmitate detentus fuisse videretur. Indè vir sanctus domum reuersus, cùm locum illum & personarũ & virtutũ numero indies mirificè illustraret, & triginta & octo à monasterij fundatione annis, sanctissimæ cõgregationi cum admiranda sanctitatis opinione præfuisset, & terminum vitæ sibi instare præsentiret, vt vltimum vitę actum à rebus caducis alienum cum solo Deo transigeret, partim sibi

Maurus paralyticum sanat.

sibi tugurium, iuxta beati Martini sacellum, a
ficari curauit. Quo ædificato, B. Bertulfum, fo
ma fratrum omnium voluntate, sibi in regim
successorem constituit.

Maurus Bertulfum sibi successorē accipit.

Cumque duos cum dimidio in assidua rer
diuinarum contemplatione ibidem exegissē
nos, nocte quadam beati Martini sacellum ing
di volentem, diabolus magna infernalium cu
ua stipatus, ab ingressu prohibere conatus e
vt virum sanctum à sua in Deum fiducia depo
ret, insultando, ingētem ei stragem futuram pr
dixit; Quem vir sanctus cùm diuinorum vim
verborum in fugam conuertisset, tanto fragi
monasterij fundamenta concussa sunt, vt fratr
ingenti pauore perculsi, stratis ilicò exilienes
Ecclesiam conuolarent, vt imminentem cla
precibus suis auerterent.

Diabolus S. Mauro insultat.

Interea Maurus quamuis dæmoni fidem n
adhibendā sciret, præsagiens tamèn afflictione
aliquam toti congregationi imminere, atten
Dei misericordiam, pro suo grege nocte quad
implorauit. Cui Angelus Domini, candidis
amictus habitu, astitit, atque blandis eum ver
à mœrore, quo premebatur, ad animi serenita
reuocauit. Nam, quæ Dei consilio, dicebat, di
pientia definita sunt, non ad perniciem, sed ad
lutem vobis euenient. Maxima enim congreg
tionis huius pars, breui tempore mortis impen
soluenda, ad sempiterna gaudia à Domino vo
bitur; non autem (vt diabolus mentitur) ipse
quoquam omninò victoriam reportabit. His
ctis Angelus disparuit. Maurus autem mane fa
& visionis seriem eis narrauit, & vt Dei volu
tatem paratis animis expectarent omnes hort
tus est.

Angelus Domini S. Mauri consolatur.

Int

Interim verò pestis monasterium inuasit, cuius contagione, quinque mensium spatio centum & sexdecim fratres è vita sublati; qui cum antea à S. Mauro admoniti fuissent, præclaris actionibus viam in cælum munierunt. Paulò verò post, Maurus lateris dolore correptus, beatum Deo spiritum, reddidit. Eluxit in viro illo sanctissimo egregium virtutis & religionis specimen, tantisque miraculorum laudibus excelluit, vt ipse suo magistro Benedicto ijs inferior nō fuisse credatur. Traditus fuit Benedicto in disciplinā, puer duodecim annorum; Vixit cum eo annis viginti; Monasterio verò suo præfuit annis 40. & diebus quatuordecim.

Centum & sexdecim fratres in monasterio quinq; mensium spatio moriuntur.

## VITA S. BONITI ARVERNORVM

*Episcopi, ex ea quæ integra fide extat apud R. P. Surium. Claruit temporibus Theodorici 4. Francorum Regis, qui regnauit anno Domini 685. & sequentibus. Ponitur in Tabulis episcoporum Aruernensis Ecclesiæ, quadragesimus primus eius sedis Antistes.*

Vide Not in Mart. Rom. C. Baronij, & Tom. 8. Annal.

BONITVS inclyta Aruernorum stirpe progenitus, patrem habuit Theodatū, matrem Syagriam, claris Romanorum Senatorum ortos natalibus. Puer autem in lucem, non sine præsagio futuræ sanctitatis editus, mox litteris adhibitus est, in quibus coætaneos, & eruditione & ingenio multum superauit. Adolescens deindè generalia iuris ciuilis exactè perscrutatus, defuncto paulò pòst patre, ad regis aulam & ministerium concessit, vbi post alia atque alia dignitatis & honoris officia, dextrè admodū obita, accepto à Regis manu annulo, primarium honoris gra-

15. Ianuarij.

Patria & Parentes eius.

Fit Præfect. Massiliæ.

gratia apud succesſorem fuit, ita vt præfectus Maſſilienſem primæ Prouinciæ illi demandi vbi tanta æquitate & dexteritate commiſſas cauſas tractauit, perorauitque, vt omnium mone eximiæ illius virtutes mirificè celebrentur. Flagrabat mira erga miſeros pietate & les pręcipua quadã charitate fouebat. In captos verò munificam largitatem quis pro dignitate

In pauperes & captiuos miſericors.

plicare valeat? Omnes namque in ſeruitutem dactos, tradito pretio in libertatẽ reſtituit, quis deinceps ad pretiũ venderetur, aut exhi naretur Prætoris edicto denunciauit. Hac

Sibi rigidus.

cordia erga alios affluebat, ſeuerus proprij cti exactor. Carnem namq; continuis vigil ieiunijs ſpiritui ſubdebat, & animũ cęleſtium rum contemplationibus ad æterna erigebat.

Per idem tempus frater eius germanus, Auitus nomine, Aruernenſi Eccleſię Pontifex prę & annis quindecim cum maxima virtutis opinione, vir humanioribus & ſacris litteris egregie ſtructus, ſedem illam adminiſtrauerat. Cum

Auitus frater eius episcopus Aruernensis.

morbo correptus, gregi ſuo à lupis timeret, nitum fratrem ſuum euocauit, & curam Eccleſiæ ſedulò commendauit. Bonitus quamquam ſacris muneribus, propter humilitatis ſtudium, ſe indignum reputaret. Cleri tamen, populique voluntate, accedente Regis calcaria inuitus planè honorem illum admittere coactus eſt. Itaque magna omnium lætitia & fauore

Succedit Auito fratri in Episcopatu.

Cathedra collocatus, & ſacra Vnctione delibutus, animarum curam ſuſcepit: tanta & ſtudio, quantis ſanctiſſimus quiſque poſſet. Erat cunctis viuum quoddam virtutum omnium exemplar, honore pontificij ita ornatus, vt pompa & omni faſtu calcatis, onus immenſum humeris

stineret. Mens tanto ardore ad cœlestia & æterna æstuabat, vt corpus triduano frequenter ieiunio exhaustum, nullas omninò molestias sentiret. Amicus silentij & solitudinis, cœlesti pabulo spirituum pascebat, eas sine fine delicias expetens, quæ ex sacro eloquio desumptę impinguant animam.

Exemplaris eius vita.

Hinc iam ad miraculorum gloriam eius virtutes erupere, patrârunt́que mirabilia; quæ & populo salutem reb. in aduersis conferebant, & Pontifici summam apud omnes auctoritatem conciliabant. Visitatum erat viro sancto, in Ecclesia corã altissimo non reuerendus & sublimis, sed pauper & despectus apparere; probè intelligens, orationem humiliantis se, nubes penetrare. Præsulatus insignia, tantum in loco iudicij referebat, scilicet ne iudicis dignitatem atque auctoritatem, nimia abiectio vel violaret vel minueret. Summus in tanta diuitiarũ licentia paupertatis amator, & peregrinorũ ac pauperũ susceptor munificus, ac liberalis. Sed cùm nihil prius haberet in votis, quã vt abiectis curis omnibus, vni soliq; Deo per contemplationis studium assiduò vacaret, abdicato Episcopatu, ad magnilocense cœnobium est profectus, vbi aliquamdiu in sanctæ religionis habitu gratissimam Deo seruitutem exhibuit. Indè verò Romam, SS. Apostolorum, Martyrumque loca visitaturus contendit. Ibidem autem votis Deo rite persolutis, Lugdunum tandem reuersus, annos illic quatuor, plenus desiderio & amore cœlestium, æternæ vitæ gaudia prælibauit. Non multos verò post dies podagræ dolore constrictus, lecto decubuit, ac vi morbi quotidie ingraescente, tandé carne solutus, ad beatam immortalitatẽ migrauit. Corpus eius Lugduno, Aruernas (in itinere admirãdis quamplurimis coruscans signis) transf-

Claret miraculis.

Profunda eius humilitas. Eccles. 35.

Resignat episcopatũ.

Fit monachus.

Moritur.

Transfertur sacrum corpus Lugduno Aruernas.

translatum, in AEde S. Mauritij, iuxta altare b
torum Petri, Pauli atque Andreæ Apostolor
conditum est. Ibidem verò ægrotis & malè
ctis, hactenùs eximia diuinitùs conferuntur
neficia.

## VITA S. HONORATI ARELATEN
*Episcopi, ex ea quam S. Hilarius eius successor*
*lento sermone in die Natali eius, descripsit*

Vide Cæs. Baron. in Notat. Martyr. Rom. Item Tom. 5. Annal.

*Præfuit Arelatensi Ecclesiæ, temporibus Theodos*
*nioris, & Valentiniani tertij Impp. cum Roma*
*Ecclesiam regeret Cælestinus, & post eum Sixt*
*Anno videlicet Dominici Natalis 426.*
*& sequentibus.*

16. Ianuarij. Summa nobilitas quæ.

CVM summum nobilitatis fastigium
ter filios Dei computari, nemoque in
lestibus gloriosior sit, quàm qui repud
parentum stemmate elegit sola Christi pater
tate censeri, prætermittimus auita, viri huius
ctissimi, secularium honorum insignia com
morare, (qui familiæ suæ nobilitatem, vsque
consulatus dignitatem prouectam maiore pe
ris generositate fastidiuit) quò admirandas
virtutes, quibus in vita fuit clarissimus, clar
nobis ante oculos proponamus.

Parentes eius clari.

Postquàm in primis adolescentiæ annis, bap
sui gratiam proprio concupierat arbitratu, ra
tis virtutum incrementis quotidiè profecit,
prorsus diuino quodam pædagogio educatus
taretur. Cùm esset iuuenis magna ingenij felic
tate præditus, & pater eum, quę semel animo
gno susceperat, ab ijs nullis difficultatibus re
hi, nullis periculis deterreri posse perspicer
baptismate eum quamdiu potuit, auertit; tim
ne

Pater eum à baptismo auertere conatur.

ne totus, sicut consecutum est, religionis amore raperetur. Sed cùm & Christi amor & cœlestis patriæ desiderium, & virtutis studium firmam in eo sedem elegissent, ita se adhuc catechumenus inter prima fidei rudimenta formauit, vt quiuis facilè, quid animo moliretur, intelligere posset. Hinc prouidus pater teneræ pietatis suspicione solicitus, variis eum oblectationibus prouocare, studijs iuuentutis illicere, diuersis mundi voluptatibus irretire, & quibuscunq; tandem potuit modis ad sola mundi huius oblectamenta, vitęq. ludibria inuitare cœpit.

Nititur eũ mundi vanitatibus implicare.

Verùm illi maior inter hæc omnia erat, custodiendi baptismatis cura; fastidiebat adolescens, quo grandęuus oblectabatur pater, tali se semper adhortatione compellans; Delectat hæc vita, sed decipit; alia ibi in auribus meis mandata sonuerunt; illic modestia continentia & pudor traditur, hic effræna ta luxuria nutritur; ibi pietas viget, hic exercitatio corporalis; illic ad æternum Christus inuitat, hic diabolus ad temporale solicitat; Omne quod in mundo est, vanitas est, & concupiscentia oculorum; & mundus transit, & concupiscentia eius: Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut & Deus manet in æternum, Festinemus ergo erui ab his laqueis, dum adhuc minùs tenemur; difficile diu illigata soluuntur. Facilius est tenera euellere, quàm robusta succidere. Immonte saluam fac animam tuam, ne fortè apprehendant te malæ cogitationes; citò serpit voluptatis venenum. Seruanda est Christo per Christi gratiam sumpta libertas; alij aurum argentumque mirentur, dominantur, vt video, metalla dominantibus. Alij prædia atque mancipia non

Ille omnia contemnit, & præclarè se ad Christi seruitutẽ animat.

1. Ioan. 2.

Alludit ad id, quod est Genes. 19.

ſine animi ſui captiuitate poſſideant, & hono
diuinæ in ſe imaginis premant; Mihi ſatis
mancipium non eſſe vitiorum; mihi ſalus
dium, mihi coniunx ſapientia, mihi in virtu
voluptas, mihi Chriſtus theſaurus eſt.
penſabit gaudia caduca melioribus; dabit in
vita ſtudijs diſciplinæ me oblectari, & orna
inter hæc dignum fieri cœleſtibus regnis.

Religionē ingreditur.

Nec longas talis meditatio moras pertul
ilicò in flamma conuerſionis nutrita, huius
fomentis ſcintilla prorupit. Iugum Domi
ſeruitutis ſubdita ceruice ſuſcipiens iugum
uæ libertatis excuſſit; intelligens ſummum
captiuitatis genus, licentiam iuuētutis. Red
tur ad breues capillos luxuriantes comæ;
brorum vigor animi vigore mutatur, palleſc
iunio ſpecioſa facies, & prius ſucci plena, fit
na grauitatis. Et quid plura? ita repētè totus
ex alio oſtenditur, vt nō aliter genitor ipſius,
orbatus filio pater lamentaretur. Condem

Conſtantia eius.

itaque ſe ſenectus patris ætatis illius conue
tione credebat, occurrit, renititur, commin
nec tamen vllo horum, Deo pueritia freta,
cutitur.

Frater S. Honorati, eius exemplo conuertitur.

Aſſiſtit tyroni ſuo Dominus conſolator:
diſtulit vnum ei ex germanis in collegium
tare; qui exemplo ipſius ad conuerſionem
tus, & ſenior iuniorem ſecutus, in ipſo breui
vixit, tempore, ſicut collegio illum, ita etiam
tute comitatus eſt. Huic iam inter illos certam
grata propoſiti; cuius mens ad pietatem moll
cuius cibus durior, cuius ſermo blandior, cu
amict⁹ aſperior. Quem minùs delectaret lec
quem magis lectio, quē minùs moueret inui
quem magis miſericordia. Quis daret pro

ptiùs quod sibi detraxisset, quis libentiùs hospiti stratum cilicij, & ceruical illud consueti lapidis offerret. Quis peregrinum promptiùs antè eleemosynæ dispensationem lachrymis foueret, & affectus priùs Christum, quàm aduenam conuiuio pasceret; cui in ore rarior mundus, cui frequentior Christus. Ornabant itaque omnem patriam, & quantum apud animos multorum manet, custodiebantur aliorum ab illis corpora, aliorum spiritus; prout quisque indigens erat, aut vestimentis, aut doctrina, aut sumptibus vestiebantur, instruebantur, alebantur. Nullus illùc peregrinationis labore defessus, non tanquàm ad patriam & patrimonij sui rura peruenit.

Lapis illis pro ceruicali.

Magnũ hospitalitatis studium.

Interea amor in illos omnium crescebat, totaq; erga illos patria obsequijs & amore ac honore certabat; peruenire illis ad ignobilitatem & paupertatem non licebat. At illi pauebant gloriã suã & odorem bonæ conuersationis longè lateq́ue diffusum, licet ad Dei laudem referrent, sibi tamen vanitatis periculum inferre metuebant; percepisse se in vita sua mercedem suam reputabant; humanam conuersationem, & gratiam fastidientes, eremi amore flagrabant. Inito itaque consilio & quodammodò passi honoris sui persecutionẽ, ad peregrina contendunt. Iterum patria consurgit, iterùm propinqui reluctantur; Spoliari sese hoc simul lumine metuunt omnes. Quod illic, Iesu bone, certamen fidei atque amoris fuit? qui tũc consiliorum, qui precum, qui lachrymarum ambitus? quis nõ illic sibi officium propinqui vendicauit? aut cuius lachrymæ, nõ cum lachrymis patris certauerunt? Amittere enim se omnis patria in iuuenibus illis patres sentiebat; & verè erat in

Crescit fama illorum dum latere cupiunt.

illis senectus non annis cana, sed gratijs [illegible]
riosa artubus, sed moribus vetusta. O quam [illegible]
mine, dispensatio procurationis tuæ, qui [illegible]
des tuas, fidei igne fulgentes, nō loco fixas [illegible]
teris, sed præfers eas diuersorū illuminatio[illegible]
corum, inspirans migrādi voluntatem, & fug[illegible]
di gloriam; quæ vtique multiplicanda erat [illegible]
per susceptam peregrinationē virtutis argu[illegible]
to. Diripitur itaque dudum vario miserico[illegible]
opera vexata substantia, sed larga tamen a[illegible]
quæ pauperum inopiæ mirificè consulebat.

**Distrahuntur res & facultates suas.**

Exeuntes igitur de terra & de domo & [illegible]
natione sua, ne quid iuuenili ausu ab ipsis [illegible]
incœptū putaretur, assumunt senem perfec[illegible]
summata q; grauitatis S. Caprasiū, angelica [illegible]
fatione in insulis degentem. Quæritur ergo p[illegible]
grinationis latebra, fugitur fama virtutis; a[illegible]
cunque itur, ibi alia, velint, nolint, fama pra[illegible]
tur. Spargitur vbique substantia, & in omni [illegible]
su eorum bonus Christi odor fragrat; expe[illegible]
quibus Barbara esset etiam illa, quæ plurima [illegible]
psis erat Romana eloquentia. Intrepidè ab [illegible]
pro Christi desiderio maris reuma toleratū, [illegible]
lor ac sterilitas Achaici littoris expetita, vsq[illegible]

**Caprasium sibi patrem asciscunt.**

deò vt germanus eius Venantius, diuturna [illegible]
iactatione nimiū fatigatus: vitam cum morte [illegible]
toniam æger delatus, commutauerit.

**Venantius frater S. Honoratij Metonæ decedit.**

Hinc Honoratus in Italiam reuertitur, & q[illegible]
è patria eremi desideria prouocārat, hunc [illegible]
remum vrbi propinquam, Christus iouitat. V[illegible]
tem itaque insulam ob nimietatē squaloris, [illegible]
accessam venenatorum animalium meta, ab[illegible]
haud longè iugo subditam petijt. Cumq; circu[illegible]
iecti accolæ illū ab ingressu loci illius vehe[illegible]
ter dēterrerent, & terribilem vastitatem ei d[illegible]

**Honoratus in Italiam reuertitur.**

tiarent illæ humanæ conuersationis impatiens, ingreditur impauidus, & pauorem cæteris securitate sua discutit. Fugit horror solitudinis, cedit turba serpentium. Inauditum verè illud, & planè inter miracula ac merita illius mirandum reor, quod tam frequens, vt vidimus, in illis aridis atib. serpentium occursus, marinis præsertim æstibus excitatus, nulli vnquàm non solùm periculo, sed nec pauori fuit. Quid longiùs morer? Omnibus, quæ priùs deterruerant, superatis. Honoratus castra quædam Dei illic collocat, & qui locus homines dudum à sua commoratione repulerat, angelicis illustratur officijs. Hic primùm ad eum dignitas, quam remis velisque vitauerat, venit, hic sacerdotalis eum infula texit. Industria ilicò sua, sufficiens electis Dei templũ excitatur, apta monachorum habitaculis recta consurgunt, negatę à seculis aquæ, largiter fluunt. Itaque certatim vndique omnes eò confluebant, vt Honoratum viderent, eiusque suauissimo eloquio & cœlesti disciplina imbuerentur.

Insigne miraculum.

Initiatur Sacerdotio.

Lirinense monasteriũ cõstruitur.

Enim quam ille Barbariem nõ mitigauit? quæ animorum pestes ipsius exhortatione non fugat? Omnium ille passiones suas credidit, & tanquã sinat secuit, profectus, laboresque omnium suos computauit, & vitia & virtutes omniũ in meriti sui cumulum transferebat. Incredibile est, quantę illi curæ fuerit, ne quem tristitia affligeret, ne cogitatio secularis vrgeret. Omnium vires, omniũ animos, omnium stomachos, instinctu credo Dei nouerat; verè seruus omnium factus, propter Christum Iesum. Hæc illius iugis opera iugis intentio erat, leuigare omnibus iugum Christi, & quicquid diabolus iniecisset, auertere; discusso, culparum nubilo, virtutum serena reuocare; amorem

Monachos suos præclarè instituit.

morem Christi & proximorum amando inse-
re:& mentes omnium tanquàm pectus suum e-
colere;innouare gaudia:& ad Christi semper de-
siderium,tanquàm primo conuersionis die in-
descere. Hinc illud erat,quod omnis congrega-
illa ex tam dissonis linguis & moribus confla-
in amorem illius conspiraret. Omnes Dom-
num,omnes patrem vocabant, in illo sibi patri-
am,propinquos,& omnia simul reddita compu-
tantes.

Monachi eius oēs mirè eum amant.

Magna illi inter hæc omnia erga aduenar &
hospites cura. Aderat munificenti animo pari ab-
stantia,pari fide ministrata. Hinc ad eum freque-
ille ex diuersarum regionum vastitate cōcursa
& verè is ille erat, qui non vt parcus dispensa-
aut timidus, respectu sibi creditæ & crescen-
quotidiè congregationis aliqua tribueret, plu-
seruaret:sed qui nihil sibi, nihil suis, præter præ-
sentium dierum victum & vestimentum reserua-
ret. Exhausta est aliquandò dispensationis sub-
stantia,fides nunquam. Quadam vice, cùm vnu-
ex multis millibus aureum nummum, profusa
munificentiam arca retineret, hunc etiam ipsum
in multarum rerum defectu, constantissime pau-
peri trāseunti dedit,& mihi atque alijs astantibus
dixit;Certum est iam appropinquare qui defera-
si iam non habet, munificentia nostra quod pro-
ferat. Vix trium aut quatuor horarum spa-
um, die fluente transierat, & continuò qui ve-
bis suis fidem faceret,occurrit. Plurimos mul-
tis in locis probatissimos viros habuit, quorum
semper manibus, quod sibi deferebatur, expen-
deret.

Magnum eius erga peregrinos studium.

Eximia eius liberalitas & fiducia in Deum.

Intereà ergo dum multimodam eius in omni
gratiam commemoro,in me infinitam curā præ-
ter-

termitto; cùm ipſius vtique cura non minus in Chriſto mihi ſalutis attulerit, quam amor inter vos ornamenti & honoris reliquit. Mei enim gratia, quod ad meritum eius, & iudicium meũ pertinet, patriam, quam faſtidierat, non dedignatur accedere, nec refugit laborem tanti itineris, ſuis præcipuè iam multis infirmitatibus grauem; Venit, meque in illis iam annis nimis amicum ſeculo & contumacem Deo, vt ſeductor, & verax, ad amorem Chriſti blanda manu tentat. Sed cùm parùm in aures noſtros pietatis illius verba deſcenderent, ad ſolida orationis præſidia conuertitur, & affectus ſui clamor duritia mea repulſus, pijſſimas Dei vſque ad miſericordiã pulſauit & penetrauit aures. Et ò quamdiu mollire duritiã meã nixus eſt imbre lachrymarũ? quàm pijs mecum pro ſalute mea amplexibus oſculisque certauit? Qui tunc in corde meo fluctus, quæ tempeſtates diuerſarum, & inter ſe cõpugnantium voluntatũ excitatæ ſunt? Quoties ſibi in animo meo velle & nolle ſucceſſit? Et quid plura? Abſente illo partes in me ſuas Chriſtus exequitur, & poſt biduum orationibus illius per miſerationem Dei mea cõtumacia ſubiugatur; fugauerat enim ſomniũ cogitatio, & inuitante me pro Domino, totus eminùs cum voluptatibus ſuis mundus adſtabat: Quid experendũ, quid relinquendũ ſuaderet animus meus, tãquàm collatis apud amicum tractatibus, ventilabat. Gratias tibi, bone Ieſu, gratias tibi qui dirupiſti vincula mea, famuli tui Honorati pia ſupplicatione permotus, & iniecisti mihi vincula amoris tui, quibus ſi tenear, nunquam peccati vincula recaleſcent. Occurro itaque ſubditus, qui ſuperbus abſceſſeram, & omni contradictione depoſita, nouus precator accedo.

Hilarij lucrandi gratia quæ fecerit.

Educit me secum suam prædam, gaudet, triu
phat, exultat. Eremo me iam tum exemplo suo
creti cupidum festinat includere. Alit primu
lacte & postmodùm cibo Iam verò profiua illi
in oēs charitas quod sine inuidia dixerim, qua
tum mihi leuius blandimentis suis fecerat? Qu
ties mentem meam, quoties animum, quoties
guam nominabat? Quàm impatiens absen
quàm semper indignissimi conspectûs mei cup
dus erat?

Expetunt Arelatenses Honoratū episcopum.

Sed vnde illud quęso, quòd tam è longinqu
tam ignotus à vobis expetitur? Quis illam
tis, nec priùs visi gratiam vestris pectoribus
xit? quis illud desiderium suscitauit, vt orbatis
quibus à Domino apud eremum indultus erat
bis nasceretur? Ille vtiq; qui cuncta dispensat, i
qui eum patriæ suæ quamdiu congruum videb
indulsit, & per maria & per terras ad vtilitatem
videntium: hanc tantam cultoris sui gratiam
cumegit. Vidistis in breui illo, quo vobis indul
est tempore, illam solicitudinis vigilantiã, illa
disciplinæ studium, illas pietatis lachrymas, i
iugem ac perpetuã mētis serenitatem, cuius te
monio vultus immutabilis erat. Audistis quoq
illud congruens vitę, in quo erat cōsentanea pa
tati pectoris sermonis luculentia. Vidistis illa

Charitas eius eximia & industria.

latitudinem charitatis, quæ tanta in illo fuit, u
arbitrio hominum exprimenda esset, Honora
potissimum pingi vultu debere videretur. Qu
ita mixtam lætitiæ disciplinã propinauit? Quer
nō cum ipsius gaudio, qui corrigebatur, correx

Iam verò sub exhortatione ipsius, quis anxi
non dolorem suũ spreuit? Quis feris moribus,
insaniam suam execratus est? Quis arrogans m
plus, quàm omnes superbiam suam ipse abom
na

natus est? Quis lasciuus, luxuriam non detestatus? Et quid plura? Omnibus omnia factus, communis omnium medicina erat. Denique vt primùm sanctæ huius Ecclesiæ regimen accepit. prima ei cura concordiæ fuit, & præcipuus labor, fraternitatem dissidentem mutuo amore connectere. Studebat præterea amore potiùs regere, quam terrore dominari; vt voluntaria magis, quàm coacta correctio, hunc quoque subditis adjiceret ornatum, ne ad officium suum compulsi putarentur. Floruit igitur sub illo Christi Ecclesia, sicut monasterium ante fiorurat; creuit gratijs, decreuit metallis; nã quæ ociosè diu congesta fuerant, dignis tandem vsibus deputauit: dudùm defunctis thesauros suos misit. Hoc solum quod ministerio sufficiens erat, reseruauit; sed si exegisset vsus, nec ministerio, vt reor, peperciisset. Iam verò quo ordine illud sancti Spiritus receptaculum conquieuerit, dignum est audire.

1. Corint. 9. Studium cõcordiæ.

Incredibile est, quàm integrum impollutæ mẽtis vigorem vsque in extrema seruauerit. Vltimũ, doloribus iam reluctantibus, Epiphaniorum die in Ecclesia sermonem habuit, nescius vnquam, colluctante cum infirmitatibus fide, dolori magis corporis, quàm spiritûs feruori acquiescere, seruauit desiderijs vestris supra vires suas. Non illum siquidem aliqua extrinsecus superueniens ægritudo, non subitus febrium æstus absorbuit, sed dilata infirmitas, nimio dudum propositi rigore contracta, & adhuc remissioni parum acquiescendo ingrauescens; octauo eum vel nono die à solemnitate prædicta paulatim extenuando confecit. Ac primum semper vberrimè suos consolatus est, & sermone condito circumstantium abstersit lachrymas: quas tamen quò magis abster-

Mentis vigor.

git, irritat. Quadã vice cum comprimere lach
marum mearum tempestatem, & abrumpere
uos fletuum laboraret, Quid, inquit, fles ineui
bilem humani generis necessitatem? Imparat
ergo te inuenire meus transitus debuit, cùm n
non inuenerit imparatum? Et quid ego, inquit, n
nimus omnium fero ad ea, quæ sanctorũ plerisq
in supremis suis acerbissima pertulerunt? & cu
memoratis aliquot adiecit, quod credo alicubi
gerat: Magni, inquit, viri multa patiuntur, & m
lios pati doceant, nati sunt in exemplum.

Præclara sententia.

Confluentibus autem ad se potestatibus, præ
cto & præfectorijs viris, quam feruentia sub
tali iam frigore mandata deprompsit, ab ipso
tu suo sumens acerrimum exhortationis exor
um? Videtis, inquit, quàm fragile habitamus h
spitium; Ab hac necessitate neminem honores,
minem diuitiæ liberant: hæc iustis & iniustis, h
potentibus humilibusque communis est. Sic ergo
vitam agite, ne vitę extrema timeatis: & hoc qu
mortem appellamus; quasi commigrationem
pectetis. Mors pœna non est, si non ad suppli
deducit. Dura quidem est carnis animæq; diui
sed multò durius in gehennæ flammis erit carn
animæque consortium, nisi in omni vita genera
tatem suam spiritus recognoscens, bellum corpo
ri, & corporalibus vitijs certamen indixerit, & in
lici discretus à carnis colluuione diuortio, æter
næ paci impollutam seruet vtramque substantia
illic feliciter copulandam: vbi exultabunt sanc
in gloria, lætabuntur in cubilibus, hoc est, in cu
poribus, tanquàm in receptaculis suis: cùm ea qu
iustitiæ dedicauerant membra socialia, tanquam
consueta hospitia recognoscent. Hoc itaque ag
te; Hanc vobis Honoratus vester hæreditatem re

Oratio eius ad præfectũ, &c.

linqu

linquit: ſupremo halitu ſuo ad hæreditatem vos regni cæleſtis inuitat. Nullus nimium mundi huius amore teneatur; optimum eſt, vt voluntate faſtidias, quo te vides neceſſitate cariturum. Nemo opibus diffluat, nullus pecuniæ deſeruiat, neminem diuitiarum pompa corrumpat; Scelus eſt, pretium ſalutis, in materiam perditionis aſſumere: & illo capi quemque, quo redimi poteſt. Plus interea vultu, plus oculis emicante in cælum ſenſum monebat, & noua ſemper mentis gratia, deficiente membrorum miniſterio, pullulabat.

Aliæ ſententiæ. Opes, ſi bene vtaris, pretium ſalutis ſunt.

Ordinatis itaque omnibus (neque enim multa in actibus ſuis minus plena reſtabant) cùm omnes chaos ſuos mente percurreret, grauior illũ ſomnus oppreſſit; quem cùm interdum pauidi interpellaremus, & ſuſpectis omnibus ſedere eum in vltimo prohiberemus, ioculari, vt erat ſolitus, blandimento, & conſuetudinaria mentis ſerenitate, reſpondit, quòd moleſtos nos in hac ſolicitudinis parte pateretur.

Sub mortẽ graui sõno premitur.

Somno deinde vltimo exceptus, in mortis quietem dormiens tranſijt, ſine vllo, vt ſeſe habent extrema, luctamine, nullas difficiles obitus moras ſenſu. Angelicis choris anima illa ſancta, generoſa, ſincera, & ab omni contactu mundi incontaminata ſuſcipitur. Multorum interea varijs viſionibus ſomnus incutitur, quarum tamen omnium vna facies erat, quòd ſcilicet ſancto illi occurrerent officia ſanctorum. Relinquitur vegetatum ſemper ſpiritu, plenum gratiæ corpus exanime; integrum ſiquidem vultûs decorem facies omnibus grata ſeruabat. Nemo non precioſiſſimi muneris loco habuit, aliquam de velaminibus illius fimbriam decerpſiſſe. Pro magno munere habitũ eſt,

Suauitèr & felicitèr obdormit in Domino.

Auidissime decerpũtur fimbriæ velaminũ eius

est, lecticæ manum admouisse, aut cerui... iecisse. Vidistis nõ sine gloria vestra gloriam ... O magna & inclyta, Honorate tua gloria, non ... diguit meritum tuum signis probari. Ipsa ... conuersatio tua plena virtutibus, & admiratio... nouitate præcelsa, perpetuum quoddam signum ... ministrauit. Et quod maius signum virtutis ... potest, quàm signa fugere, & occultare virtutes ... verè tam familiaris, quodãmodo oratio tua Chri... sti auribus erat, vt efficacissimis precibus impe... tratum putem, ne virtutem tuam signa clamare...

Fuit martyr Christi perpetuus.

Habet & pax martyres suos; Christi enim ... petuus quamdiu in corpore moratus es, testis ... sti. Illud enim stupendum quondam adolescen... tuæ robur, perpetuo abstinentiæ rigore tempera... & in illam, quam vidimus, aspectus licet deco... seruato, exilitatem redactum, crux vtique quo... diana consumpsit. Nunquam in tuo ore, nisi pu... nisi castitas, nisi pietas, nisi charitas: nunquam ... corde, nisi horum omnium fons Christus habi... uit. Nulla tibi maior quam in orationibus & p... mis voluptas. Tuis in tantùm medullis Christ... insederat, vt interdum, quod expertus loquor, ... bris tuis placido sopore deuinctis, illumetiam ... somnis officio solito tua lingua resonaret. Et vi... puto neminem diffiteri, tibi ad martyrium tem... pus, non animum defuisse. Sæpè enim dormien... referebas somnia, non aliquid præsagientia, ne... que aliqua in futurum anxietate solicita, sed in... quietis animæ desiderijs excitata, martyrium ... licet, quod semper meditatione gestabas, crebr...

Quam fuerit martyrij cupidus.

interdum alludente & prouocante cupiditate ... tuam Domino, tanquam excitata in fidem tua... persecutione, peragebas.

VITA

## VITA S. FVRSEI CONFESSORIS,

*cuius præclarè & prolixè meminit Venerabilis Beda lib. 3. cap. 19. de gestis Anglorum. Claruit sæculo Confessor Anno Domini 644. & sequentibus.*

Vide Cæs. Baro in Not. tat. martyr. Rom. Item Tō. 8. Annal.

SANCTVS Furseus, vir vitæ venerabilis, seculi dignitate inter suos clarus, à primis annis, spreto fastu, animum ad rerum cælestiū studia intendit. Instructus enim maximarum artium cognitione, & monasticæ vitæ disciplinis præclarè excultus, monasterium condidit, vt quāplurimos ad eandem vitæ rationem induceret, palantesque pietatis studiosos congregaret. Nec defuit numerus, splendore virtutum eius & morum suauitate allectus. Itaque confluente ad sacra illa castra multitudine, Furseus cū parentibus cōsilium inire decreuit, vt quàm commodissimè securissimeque sacer ille grex Christo militaret. Hac pia solicitudine agitatus, itineri se dedit, sed mox languente corpusculo, ex itinere ad proximam quandam casam delatus est. Ibi verò præualente ægritudine, anima illius è corporis ergastulo migrasse, & mirificam visionem hausisse fertur. Densa enim caligine circundata, vultus conspexit angelicos, è quorum numero vnus, candido scuto & fulgureo armatus gladio reliquos præcedebat. Subsequebantur alij duo pari candore fulgentes: qui mira suauitate animam illius oblectabant. Quin & multorum angelorum millia ipsum sibi concentum audire, quo tam suauiter afficiebatur, vt corporeæ planè consuetudinis obliuiscia lesti gloriæ se interesse crederet. Dum hæc fiunt, anima illius, iam contubernio corporis soluta, angeli vnius ministerio ad corpus reducta fuit.

16. Ianuarij.

Construit monasterium.

Visio mirabilis.

Anima eius corpori restituitur.

fuit. Quæ quo modo quove ordine confecta
rint, intelligere non potuit, nisi quod corpo
sarcina se antè grauatum, quàm tam dulci an
lorum societate destitutum sciret. Tunc verò
mento temporis pro suaui melodia planctum
gubrem cum eiulatu audiuit; vndè attonito s
lis: exclamauit, Quid agitis? At illi suscitari
tè corporis stupore defixi, totam rei seriem e
ponere cœperunt; contestantes corpus eta
iacuisse, tumulo, de more, iam iam inferendu
Ille verò præter suspiria nihil ædens, langue
corporis vires sacris mysterijs refecit.

Porrò toto adhuc biduo languentem &
Rursus mira ei offertur visio. ægritudine periclitantem parentes & cogn
piè solabantur, cum eccè, irruentibus repent
nebris, ille graui sopore opprimitur, & à corp
ris consuetudine rursus auellitur. Aderat spe
didum angelorum agmen, cum horribili vul
cacodæmonum caterua: quas pro humana fra
litate vt vehementer formidare cœpit, ang
mox hortatu confirmatus est, ne trepidaret: d
vera fide, quæ in Christo Iesu est, eorum ca
nias & improbos conatus despiceret. Trepid
tem nihilominùs vrgebant hostes animaru
premebantque, & sempiterno supplicio digna
Rom. 1. mum clamitabant. Non solùm enim, dicebat
Matth. 6. qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facien
bus, digni sunt morte. Ociosos sermones sp
Ibid. 18. protulit, & nullam de his rationem reddet? Dic
Dæmones horrēdè eū accusant. Christus; Nisi remiseritis hominibus peccata e
rum, nec pater vester cælestis dimittet vobis pe
cata vestra. Vbi est iustitia Dei? Si Deus iust
nunquàm hic cælesti gloria fruetur. Nunqu
Ibid. scriptum, Nisi efficiamini sicut paruuli non intr
bitis in regnum cœlorum? Vbi aut quando hanc
po

perfectionis virtutem declarauit? Et adhuc vos nostri eum manibus præripietis? Et adhuc in iniuria perseuerabitis? His alijsque cùm Furseum aduersarij rationibus oppugnarent, Angelus sua eos virtute cõterens, ad iustum Dei iudicium prouocauit: & Furseo vt oculos in mundum conuerteret imperauit.

Tunc vir sanctus vallem sub se positam, è qua quatuor flammæ in quatuor mundi partes spargebantur, vidit: quæ sua sæuitia terram vndique populabantur. Tùm Angelus, nosti inquit, visionis huius mysterium? Furseus cùm se ignorare respondisset, Hæ, inquit, sunt, quæ mundum prauis cupiditatibus inflammant, & homines in sempiternam pestem perniciemque trahere nituntur.

Cumque paulatim ignis magis magisque sæuiret, tandem & ipso Furseo appropinquare visus est. Qui periculi imminentis magnitudine pauidus, supplex ad Angelum se recepit; qui hinc indè discussis flammis, secùro eum animo esse iussit; nã inquit, quod non accendisti, nequaquam in te ardebit. Vniuscuiusq; enim opus, pro meritorũ ratione ignis hic examinat. Cumq; hoc modo, Angelo duce, per medias flãmas graderetur, quatuor rursus cacodæmones horrendum vociferantes, minutissima quæq; & leuia delicta replicabant, supplicijsq; sempiterno ea plectenda dicebant. Sed Angelus contritis deuictisq; aduersarijs, ad iustũ Dei iudicium prouocauit. Cui calumniator: Si Deus (inquit) iniquus non est, & si mendacium, & mandatorum illius transgressio ei displicet, vir iste pœnarum expers non erit. Cùm enim seculi vanitatibus semel nuncium miserit, adhuc se passus est sordibus eius inquinari. Et cum Deus vnicuiq; de

Nota impro bas dæmonum accusationes.

Eccli. 17.

de proximo suo mandauerit, ille sæpè diuina
gis transgressores, neque de iniquitate corrip
neque diuini iudicij terrore à scelere reuoca
Hæc aliaque improbi magna contentione v
bant, & instabant, & vim etiam interdum in
conabantur. Quos Angelus Domini, tanquà b
phemos in Deum, fudit fugauitque; & Furs
immensa claritate circumfusum: Angelorum
minibus sociauit.

Boeanus & Meldanus Episcopi, cũ eo loquuntur.

Is autem sublatis sursum oculis, innumera
gelorum agmina, eximia claritate fulgentia
spexit, inter quæ duos venerabilis vitæ Epi
qui non ita diu ad illam gloriam vita sanc
migrârant, obuios habuit. Horum nomina
Boeanus & Meldanus, qui ob insignem vita
ctitatem miro omnium præconio in Eccles
celebrabantur. Hi Furseum vt se ad relictum
poris contubernium reciperet, monuerunt,
vt maxima vocis contentione populum in
sceleribus inquinatum, à mentis furore ad
tis studium & diuinę legis cultum reuocaret,
tati sunt. Atque vt diligentius & maiore cum
ctu in eo pietatis officio versari posset, de hum
cordis prauitate, de virtutum vitiorumque
ra, luculenter admodum multa disseruerunt.

Famis duo genera.

stremò addiderunt, duo genera famis terram
uersam inuasisse; vnum, in abundantia sapien
intelligendi verbum Dei & non implendi; al
verò, tenacia mentis in abundantia diuitiar
Et quamuis multis magnisque populi totius
leribus, ad iracundiam prouocatus esset Do
nus, eius tamen furor lõgè acerbiùs in viros p
cipes & Ecclesiæ doctores accensus esset. N
cùm illi prophetarum monitis eruditi, bonum
malo, & malum à bono discernere deberent,
cau

tamen intoleranda quadam mentis cæcitate prorupissent, vt cum miseranda quadam religionis superstitione conflictantes, inanem tantum sancti tatis speciem sequerẽtur. Sunt enim qui cum spiritualibus vitijs impugnantur, & cum ijs confligere deberent, ijs omissis, corpus inedia conficiũt. Nocturnas illusiones pati, crimen ingens, dirisq; pœnitentiæ laboribus expiãdum, statuunt: superbiæ verò & inuidiæ peste agitari, pro nihilo ducunt. Sunt & alij, qui in assiduis precibus sine mẽte prolatis, & ciborum abstinentia magnam sanctitatis opinionem habent: in vera autem sanctitatis laude, & ab omni falsa religionis specie remota, nullam omnino operam locare volunt. Quare age & hæc auribus eorum inculca, ne dum honestam speciem fictæ sanctitatis opinioni prætendunt, tanto grauiores pœnas luant, quanto vitia hæc leuiora esse credunt.

Hypocritarũ conditio.

His dictis, sancti illi viri cum vniuerso angelorum agmine in cœlum recepti sunt: Furseus verò cum tribus Angelis ad corpus redire iussus. Cumque voracibus iterum flammis appropinquarent, per medium quidem, hinc indè discussis, gradiebatur: sed vir quidam, illi non ignotus, ex igne prosiliens, maxillam eius humerumque exussit; & dæmone, vt eum acrioribus traderet supplicijs coniurandum, vrgente & vim intentante, Angelus obstitit, ac pertinacem in flãmas prostrauit, conuersusq; ad Furseum: Quod incendisti, inquit, hoc in te fac. Si enim viri huius vestimentum, in peccatis mortui, non suscepisses, nullam in te pœnæ illatrix exercere potuissent. Sed hoc iam supplicijs eruditus, cane ne deinceps donis muneribusue, ex testamentis sceleratorum, & in peccatis morientium contamineris; quin potius legata e-

Reducitur anima Furſei ad corpus.

iusmodi, pauperibus iuxta sepulchrum erogandi curabis. His alijsque sermonibus, instructus rursus mortalitatis ergastulum quamuis inuitus, intrare debuit. Cumque moras necteret, & corporeis iterum constringi vinculis formidaret: Noli inquit, Angelus timere, sed reuiuiscens corpus fontana abluatur, & dolor omnis cõcremationis solo remanente fugabitur. Inde Furseus, quasi profundo somno suscitatus, sublatis oculis parentes, Vicinos ac clericos astare conspiciens, visa auditaque ex ordine narrare cæpit: cumque viua superfusus fuisset aqua, cicatrices incẽdij quo illum vir iniquus afflixerat, & in facie, & inter scapulas eius apparuerũt. Nec mora ecclesiasticę officiũ aggressus omnib. maxima cõtẽtione diuini iudicij ueritatẽ annunciant. Erat vero incredibili quadam gratia præditus, ita vt omnes non minus ad suam morẽ quã admirationẽ traheret. Ex obsessis corporibus dæmonia fugabat, peccatores, & longa peccandi consuetudine in sceleribus obduratos, ad mentẽ reducebat, pauperes & ęgrotos præsenti ope subleuabat, in omnib. deniq; egregiam charitatis beneficiũ impẽdebat, Dumq; vnius anni spatio, Hyberniæ populos, ad omnẽ pietatis & virtutis rationẽ informasset, anniuersarius instabat dies, quo carne solutus visionẽ viderat. Multis igitur viris præstanti religionis præsentibus, rursus haud vulgari languore corporis prosternitur, eoque deducitur, vt in solo pectore vitalis spiritus palpitaret. Eò verò momento angelus Domini adfuit, & omnia quę ad diuini verbi ministerium ritè spectabant, diligenter exposuit; hortatusque eum est, vt nullis periculis vel laboribus frangeretur: nam duodecim adhuc annos multis sudoribus superandos esse, quibus expletis optatissima

Magna in Furseo gratia.

Miracula eius.

Angelus ei apparet.

sima beatorum requie, quam viderat frueretur.

Institit igitur multo ardentiùs vir sanctus diuini verbi prædicationi: importunè opportunè vnumquemque, sine personarum acceptione, cõmonefaciens. Completis verò annis decem, relictis omnibus, quæ habere videbatur, paucis cum fratribus, ad insulam quandam in mari sitam profectus est: atque indè paulò post in Saxoniam trãsuectus, vbi à Sigeberto rege, summo honore exceptus, diuini verbi semina vberrimo cum fructu passim sparsit. Et quia insignis quidam locus in castro situs, ædificando monasterio valdè idoneus, traditus ei fuerat, eò accelerauit, ne mortis aduẽtu opus impediretur. Eo autem constructo, & à rege Anna, eiusque nobilibus multis ornamentis egregiè illustrato, vno ibidem anno cum duobus germanis Foillano & Vltano sanctissimè philosophatus est. Deinde cum gentilium incursione, vniuersæ ferè insulæ vastitas immineret, ad Galliarum litora dimissus, à rege Francorum Clodoueo & patritio Erchenaldo honorificè susceptus, nouum in loco, quem Latiniacum nuncupãt, monasterium constituit. At non multo pòst cum rege & patritio iter agens, infirmitate correptus vltimum in eorum complexu, cum insigni eximiæ sanctitatis significatione, spiritum ædidit. Corpus verò ab illustri viro Erchenaldo patritio in nouã quam ibidem exstruebat, ecclesiam illatum fuit; postquam annis quatuor quieuisset, ab episcopis Eligio & Autberto ad aliud quoddam ecclesiæ eius sacellum, sine vllo corruptionis indicio transl. latum est; vbi illius merita cum admiranda miraculorum virtute egregiè claruerunt.

Hanc Saxoniam vocat Beda, prouinciam orientalium Anglorum.

In Anglia monasteriũ condit.

Item & in Gallija.

Obitus eius.

Corpus eius post 4 annos adhuc incorruptũ.

Vide C. Bar. in Not. Martyr. Rom.

EGREGIVM CERTAMEN BEATORVM *Martyrum: Berardi, Petri, Accursij, Adiuti & Octonis, discipulorum S. P. Francisci. Occubuerunt pro fide Orthodoxa Anno Domini 1220. Inter Sanctos relati à Sixto 4. Anno 1481.*

26. Ianuarij.

EGREGIVS planè vir sapientum sapientissimus B. Franciscus, haud ignarus quanta excellentia & pulchritudine sint animæ Christi sanguine redemptæ, tanto earum zelo flagrauit, vt etiam impijssimos quosque, atque adeò Mahometicæ perfidiæ sectatores, à pernicie ad salutis deducere cuperet. Vndè anno, à sua conuersione, vndecimo, periculorum impauidus, ipsius Sultani expugnaret perfidiam, & Mahometanas tenebras fidei lumine illustraret, iter egressus, sibi quidem Orientis prouinciam delegit: quinque verò hisce fratribus, iam antè diuina virtute & rerum gestarum gloria illustribus, Occidentis destinauit. Præfectus erat reliquis P. Vitalis, insigni sanctitate & prudentia vir, cuius ductu ad omnes labores & obedientiæ merita alacres, in Aragoniam primùm peruenerunt. Vbi P. Vitalis vi diutini languoris oppressus, hærere coactus est: reliquis Christi amore flagrantibus, & moram itineris ægrè ferentibus, in opus animarum dimissis. Et quidem Colimbriam Portugalliæ vrbem delati, ad Oracham reginam diuerterunt, quæ conspectu sanctorum mirificè exhilarata, humilibus precibus ab ijs flagitauit, vt diuinam voluntatem consulerent, quando hoc corporis domicilium relictura esset. Illi, vt erant dono prophetiæ instructi, & martyrij sui ordinem, & reli-

S. Franciscus discipulos mittit ad Orientem: ipsi ad Occidentem.

Colimbriæ ad Oracham reginam diuertunt.

quiæ

quias suas Colimbriam deferendas, atque ab eadem Regina priùs honorificè susciendas denũciarunt, quàm è corporis domicilio migraret. Neque tamen longa post vitæ vsura frueretur. Prædicta euentus confirmauit. Siquidem paucis à diebus, quibus sacra eorum ossa Colimbriam delata, & à Regina in monasterium S. Crucis condita fuêre, illa debitum humanæ carnis exsoluit. Clarent dono prophetiæ.

Itaque Apostolici viri indè recedentes, Alanquearum, ad Sanctiam, Sancij regis filiam, reginam vtique Deo deuotam peruenerunt; quæ ex eorum aduentu magnam animi voluptatem hausit; & quia in sacro habitu Hispalium, (quæ nunc * Sibilia dicitur) transeundi difficultas erat, sæcularibus eos vestibus benignè iuuit. Eò vt peruentum, resumptis iterum religiosæ vitæ indumentis, ad infidelium Mesquitam, vt ibi prima diuini verbi semina spargerent, accesserunt. Sed scelerati homines, impetu in eos facto, pluribus verberibus laniârunt, non tamen robur ita fregerunt, vt aliquid de concepto spiritus feruore remitterent, sed diuina mirificè virtute confirmati, ipsum perfidiæ caput, regem inquam aggressi sunt. At ille furijs exagitatus, confestim eos capitis supplicio plecti iussit; sed filius eius naturali quadam affectione motus, compresso patris furore, à præsenti mortis periculo eos eripuit, & carceri mancipauit. Inde verò Rex paucis post diebus ad se adduci iussit, & summa contentione, vt abiurato Christi nomine, in Mahumetis iurarent, laborauit. Cui illi, Age, inquiunt, corpora eripere potes, animas autem fide rea loca detinebunt. Stat nobis firma promissio; pro præsenti morte immortalitatis dono fouebimur. Tunc Rex insuperabilem eorum constantiam cernens, Ma- Sibiglia. Concionãtur ad Mahumetanos. Carceri mãcipantur.

rochium cum quibusdam Christianis defun-
uit.

Inter cæteros, qui Marochij morabantur, Chri-
stianos, erat Dominus Petrus Infans Portuga-
regis frater, qui vniuerso regis Marochiorum e-
ercitui cum potestate summa præerat. Hic frater
illos summo charitatis affectu excepit, & beni-
nè admodum apud se habuit. At illi interim om-
ni periculo posthabito, Saracenis, vbicunque
offerret occasio, Christum constanter annunc-
bant, & sceleratam impuri Mahometis legem
uellebant. Contigit autem Regem Miramo-
verba quædam eorum, quibus ingens & noe-
dum conuicium Mahumeti factum putabat,
re, qui furore nimio succensus, confestim eos
pelli, & datis à Petro Infante comitibus, ad Chr-
stianorum terras deduci iussit. Verum illi, incre-
dibili martyrij desiderio flagrantes, dimissis in
comitibus, iterum Marochium reuersi. Quo au-
to, Rex teterrimo eos carcere concludi, & fa-
sitique necari imperauit, stabant igitur athle-
vinculis innodati, Deum laudantes; qui vigint
os dies, omni corporali cibo destitutos, cæl
consolatione ita refecit, vt fortes & alacres appa-
rerent. Infideles verò Mahumetanos, tanta cal-
ris & aëris intemperie attriuit, vt miraculo ob-
cti, diuinam vltionem faterentur, & missos eo
continuo faciendos esse clamarent.

Secundò itaque ad Christianorum plagas de-
stinati, primo itineris ingressu relictis comitibu
Marochium redierunt. Opportunè accidit, vt re-
contra rebelles aciem instructurus, Petrum Infa
tem expeditioni præficeret: qui vt instans periculu
à fratribus istis auerteret, secum eos abduxit, vb
rursus nouo miraculo vitæ illorum sanctim

emicu-

Prædicant Saracenis Christum.

Mittuntur ad terras Christianorum ne amplius prædicent. sed illi redeunt solo martyrij desiderio.

20 diebus absq; cibo sti.

Petrus Infans secum eos ad prælium ducit.

emicuit. Saraceni enim Christianis mixti, vt victores è prælio redierunt, extrema aquæ penuria de vita periclitari, ad vnum omnes cœpêre. Quorum calamitatem Berardus pro insita mansuetudine misertus, ad orationis confugit arma, fontem impetraturus. Nec defuit orationi virtus: nã paxillo terram scalpens, tantæ aquæ copiam, in genti omnium stupore elicuit, vt hominum pariter, & iumentorum periculum depulerit. Hinc benigniùs habiti Marochi, à solo prædicationis officio, summa Regis vigilantia arcebantur, trepidantis sanè, ne prodigiorum virtute, Mahometis doctrinam penitus obscurarent, & crucifixi trophæa, illustri victoria, in vniuersum regnũ inferrent. Igitur libera custodia detenti, feria quadam sexta, in publicum eruperunt, & consuetum pietatis officium tam strenuè in populo exercuerunt, vt tanquam regij mandati transgressores capitis sententia damnarentur. Principi cuidam hoc mãdatum officij: qui ferox ingenio, multis oneratos iniurijs carceri mancipauit. Atque vt animi ferocitatem, eorum supplicijs satiaret post triduum, reuinctis in tergũ manibus, nudos diris admodũ flagris concidi, suoque tribunali membris omnibus fœdatos offerri iussit. Ibi inuicta eorum virtute & constantia prouocatus, continuis flagellis ossa eorum visceraque carnibus planè nudari imperauit. Indè feruenti oleo & aceto vulneribus infusis, tota nocte super testas volutati & succedẽtibus sibi inuicem crudelitatis ministris, acerbissimè afflicti sunt. Nocte autem illa insolitũ quoddam lumen custodes carceris vehementer exterruit: martyres verò cœlesti consolatione perfudit.

Fontem impetrat à Deo S. Berardus.

Iterum prædicant inuito Rege.

Fœde laniantur SS. martyres.

Consolãtur diuinitùs.

Primò autem diluculo Rex ipse fama constan-

tiæ permotus, conſpectu illorum & colloqui perfrui voluit. Itaque miniſtri, ne ſegnes ad ini renda ſupplicia manus habere viderentur, toto lo itinere, in corpora eorum flagellis ſæuierun & execranda crudelitate ad regem propulsarun In ipſo autē itinere, princeps quidam Mahom tana perfidia egregius, athletis occurrit, Chri contemptum, cultumque Mahometis inculcat Cuius impudentiam. Otto redarguit proiecta iam in terram ſputo, in contemptum profan legis. Quam contumeliam frendens alapa vib cauit protinus, tanta Ottonis manſuetudine reno vultu, impio percuſſori, alteram etiam illam ſimili plaga afficiendam præberet. Ar vt regis in conſpectum ventum eſt, ille fraud to animo plagas eorum & ſupplicia miſera verbis blandiſſimis primùm affatus eſt: hortat vt concordibus animis Mahometis legi conſent rent. Ab hac monitione, vt ſerpētina ita perbe corpora eorum omni medicamentorum gen foueri, plagaſq; ſanari iuſſit. Nec defuēre delici ac variæ voluptates, quibus inuictū eorum reb eneruare ſperabāt. Quin & poſtremò ampliſſi munera, opes, & ſpecioſa inprimis forma mul res prępalam adductę, vt vel ijs ineſcati impura ſceleſtiſſimi hominis doctrinam amplectentur Sed martyres, ijs dæmonis armis, inſidijſque, a prælium, pro Chriſti gloria, viriliùs incund excitati, Regi reſponderunt: Sint tibi tua æterna perditionis inſtrumenta, fruere diuitijs, fru impudicis mulierum amplexibus, nobis nob Crucifixus relinquatur, cui nos totos ſemel cu ſecrauimus. Adhibe vincula, carceres, equuleos omnis nobis leuis eſt pœna, cùm de cæleſti gl ria cogitamus.

Rex eos à fide auertere nititur ſuis blanditijs.

Admiranda martyrum conſtātia & fortitudo.

Re

Rex hoc tam libero & constanti responso exagitatus, & ab impotenti furoris sui impetu victus arrepto gladio capita singulorum per frontem dissecuit, & truculenta manu mansuetissimas ad suum Creatorem animas transmisit. Hoc tam illustri martyrij genere, post varios pro fide exantlatos labores, post carceris squalores, & crudelia tormenta coronati sunt, anno Domini 1220. decimoseptimo Kalend. Februarij: sexto antè obitum B. Francisci anno. Corpora eorum mandato regis variis ludibrijs affecta, postremò extrà vrbis portas in campi planiciem frustatim concisa sunt, ac feris obiecta. Fideles verò noctis beneficio tecti, dum ad colligendas reliquias certatim ruunt, ab excubitoribus Saracenis denso lapidum imbre repulsi sunt; & ne quo honore aliquandò extollerentur reliquiæ, flammis traditæ: sed nulla omnino ignis iniuria affectæ; immò è capitibus vnũ iteratò in pyram iniectum, ità integrum exiliuit, vt suo etiamnum capillitio ornatum demonstretur. Posteà verò Saraceni, munerum & pecuniarum largitate illecti, easdem Christianis vendiderunt. Petrus Infans, qui eximiam eorum sanctitatem multis indicijs cognouerat, magna eas reverentia suscepeat, vt conditas aromatibus à corruptione præseruaret. Accidit autem vt dum quidam, fœdæ libidinis mancipium, manu eas cõtingere vellet, illæ (actu mirum) in aëra fugibundæ, impuri hominis contactum apertè detestari visæ sunt. Vnde iuste scelerum suorũ dolore prostratus, sacra se confessione expiauit: ac sic tandem ad reliquias accessum inuenit. Petrus verò martyrũ precibus & virtuti confisus, non destitit illorum opem die ac nocte implorare, vt à diutina captiuitate reditum sibi in Lusitaniam impetrarent.

Rex eos suã manu crudeliter trucidat.

Quo anno passi. 1220.

Illustre miraculum reliquiarum.

Aliud miraculum.

Petrus Infans eorum precibus à captiuitate liberatur.

Quorum meritis & orationibus proculdubio
ctum, vt Rex eum cum suis, magna multorum
miratione, missum faceret. Cęterùm ipse facu
te abeundi accepta, ignarus planè viarũ, errab
dus vagabatur: à primo occurrente Saracenor
manipulo pro certo mactandus. Tunc in re
sperata, rursus a pietate consilio capto, iumen
sacris onustum reliquijs antè se egit, sine vlla
pidatione, cum trepido tamen agmine, illud
quens. Factumq; vt eius ductu, & Saracenorũ in
sidias euitarent, & sine vllo errore ad Septum
bẽ deuenirent. Indè ingẽti præsentis naufragij
riculo, Hispalim delati sunt. Postrenò pleni
titiæ & exultationis, Colimbriam appulêre; vb
regina Orocha, & vniuersa multitudine, festi
gaudio excepti, sacrum sanctarum reliquiarum
thesaurum deposuerunt; quas regina in monas
rio, S. Crucis honorificè collocauit multis mira
culorum indicijs claris.

Coruscant miraculis post obitũ.

*IN SIGNE MARTYRIVM SS. TERGE
minorum, Speusippi, Eleusippi, & Meleusippi: item
que S. Leonillæ auiæ eorum. Neonis item, qui hæc ge
sta conscripsit, & Turbonis. Passi sunt anno
Saluatoris 179. Soteris Papæ quinto.
M. Aurelij Imp. decimo se-
ptimo.*

Vide Cæs. aro. 2. Tom. Ann. Eccle. & Notat. in Mart. Rom.

17. Ianuarij.

S. Polycarpus mittit suos ad fideles confirmandos tẽpore persecutionis.

SANCTVS Polycarpus Smyrneorum anti
stes, uir amplificandæ militæ Christianę ad
modùm studiosus, vt intellexit Satanam no
ua tempestate Gallicanas ecclesias quasdam exa
gitare, confestim eximia pietate & Christiano ro
bore bellatores, Antiochum, Benignum, & Thyr
sum Diaconum eò destinauit, vt propulsato fidei
virtu-

virtute hostium impetu, deiectos fidelium animos erigerent, cõfirmarentque. Qui nullum pro Christi gloria periculum recusantes, primùm ad Massilienſium littora, inde Eduam prospero cursu delati sunt. Erat ibidem Faustus quidam non solũ antiqua generis nobilitate, sed & senatoria dignitate apud suos honoratus; qui aduentantes Christi ministros lauto ac splendido excepit hospitio, familiam, patria superstitione adhuc conflictantem, lustralibus aquis expiandam tradens. Erat & filius Symphorianus nomine, summæ spei adolescens, qui ab Andochio sacro fonti admotus, à Benigno lustratus est: & Christi seruitio summa parentis voluntate ac gaudio, perpetuò consecratus. Et quidem Faustus, vt erat ardenti in DEVM fide, cognita egregia sacerdotum istorum prudentia, oblata occasione vtendum ratus, orare & obsecrare non desiit, vt ad Leonillam sororem suam, ciuem vrbis Lingonicæ proficiscerentur: nepotesque eius ex filio, Tergeminos fratres, præclara indole iuuenes ad Christum aggregarent. Nec mora: Partito inter se munere, Benignus Lingonium, Andochius & Thyrsus Augustodunum contendunt. Et hi quidem multis ad Christi ouile congregatis, postremò inclytam martyrij coronam adepti sunt. Ille verò à Leonilla incredibili gaudio exceptus: rem pari alacritate ac fide peregit.

Faustus eos excipit hospitio.

Faustus eos ad Leonillam mittit.

Vt primùm ad ædes piæ matronæ deuenit, nepotes in agro Pasmasio, prophano fortè sacrificio occupati, simulachro deæ Nemesis litabant: reliquias impuri libaminis ad auiam deferẽtes; quas illa, præsente Benigno, canibus indignabunda proiecit, inflammatoque Christi amore animo, talem

Leonillę ad nepotes oratio.

talem ad nepotes orationem instituit; Dul-
mi nepotes, quamdiu cum execranda relig-
hac adhuc conflictabimini? An ignoratis vos
monum mancipia, ficta formataque ab hom-
bus opera, inani superstitione colere? Adeone
mentes estis, vt credatis ligno, & lapidi diuin-
tem inesse? Quare non potius ad cœli terræq
Conditorem, verum & æternum Deum, men-
eleuatis? Quid iuuat tantoperè tenebris, spre-
luce, delectari? Conuertite animum ad comm-
nem omnium nostrûm Saluatorem, Christum
sum, cuius immensam in nos bonitatem, sic De-
Sacerdos (Benignum autem demonstrabat) vo-
luculenter explicare poterit. An creditis id-
certam vobis salutem, opemuè, in rebus affli-
præstare posse? Hæc aliaque Leonilla nepoti-
suis magna contentione inculcante, illi in m-
tuos defixi intuitus, tandèm in has voces proru-
runt: Quid est, quòd hactenùs rem tantã tam p-
tinaci silentio compressam tenuisti? Quare
toties impuris sacrificijs contaminari voluisti?
quidem idolorum vanitas nullo nõ tempore
bis suspecta fuit; sed errantes quis vnquã in vi-
reuocauit? quis Saluatorem Christum auribus
culcauit?

Respõdent Tergemini Leonillæ.

His auditis Leonilla sublatis in cœlum ma-
bus, immensas Deo gratias agere, lachrymas p-
gaudio fundere, dulcissimis oculis nepotes intu-
ri: denique istiusmodi responsum reddere; No-
mea viscera, quanta mentis pertinacia parens v-
ster, filius meus, diuinæ gratiæ semper reluctan-
sit: quem vehementer infœlix à studio veræ p-
tatis abhorruerit. Illo autem viuo nunquam
vobis tantum sperare potui quantum nunc Chri-
sti gratia subitò collatum video. Agite igitur
sitie-

fitientes ad cęlestem diuini huius viri doctrinam aures adferte. Illi pijs auiæ monitis audientes, ita se Christi sacerdoti dociles præbuerunt, vt non modò baptismate expiati pietatem sectarentur: sed multis admirandæ virtutis documentis perceptum fidei lumen omnibus patefacerent. Porrò Benignus, ardens fidei lucerna, cunctis in circuita gentibus lumen fidei inferebat, donec a puâ Diuionem à sceleratis idolorum cultoribus apprehensus, præclara martyrij palma, præmium laborum suorum percepit.

Baptizatur Tergemini.

Benignus martyr.

Cæterum Tergemini fratres comminuto Nemesis simulacro, faniscque duodecim funditus euersis & idolorum statuis in frusta concisis, iam Langonium fama compleuerant. Nec mora, primores ciuitatis ad eorum domicilium aduolantes, percunctati sunt qua vel audacia vel temeritate in eam mentem impulsi essent, vt in deos iniurij, fana & simulacra eorum diruissent? Illi responsum suis virtutibus dignum reddiderunt, argueruntque illorum dementiam, quòd deorum nomine, saxa & metalla, hominum manibus formata dignarentur. Vndè inter eos quidam, nomine Requadratus, iracũdia commotus, Speusippo & Eleusippo alapas inflixit. Meleusippus verò: Cur, inquit, & me istius beneficij cum fratribus participem non facis? An me existimas ab horum fide ac pietate degenerem, vestro adhærere cõmodo? Cui Quadratus, furore æstuans. Hodie varijs excarnificati supplicijs, acerbissimæ mortis degustabitis aculeos. Et hoc est, inquit Eleusippus, quod toto desiderio exquirimus, nam pro supplicíorum grauitate, præmia à Deo ampliora consequemur. Aderat Palmatus quidam, diligens idolorum cultor, qui deorum infamiam extimescens:

Tergemini idola confringunt.

Meleusippi egregia virtus.

cens; Nisi, inquit, horum linguas præciderim non desinent eas petulanter in deos exercere. Speusippus respondit; & præcisis linguis, fidei stra in Christum perstabit, & spiritus, ipsa magnalia prædicabit. Tunc Palmatus & Hermogenes exclamârunt; O infelices ad vitæ ritum cæca mente ruentes. Quibus Speusippus

Mori pro Christo glorioſum.

Mori pro Christo glorioſum est; indè ad beatam immortalitatis gloriam deuenimus.

Hac inuicta eorum moti constantia Palmatus, Quadratus, & Hermogenes, inito inter se consilio, Leonillam aduocarunt, modestis & blandis verbis eam inuitantes, vt monitis suis, neposab imminenti suppliciorum atrocitate prærueret: ad contemptaque deorum sacrificia reduceret. Illa spospondit, se eos à supplicijs abduxuram, eaque quæ ad salutem eorum facerent, persuasuram. Nec mora: ad pios robustosque athletas incredibili irruens gaudio, vim lachrymarum fudit, oculis & amplexibus eorum inhærebilis. Vocem deindè gaudij plenissimam promit: Filioli, inquit, quàm magno vos breui à Deo ornandi estis munere? quis tota in familia nostra vobis illustrior? Hodiè enim immortalitatem, vt spero, nomini consecrabitis. Suscipite constanter certamen, nulla vos aduersitas frangat, nulla minæ, nulla tormentorum supplicia exterreant. Momentaneis laboribus splendidissimam æternæ vitæ coronam promerebitis. Ab hisce alijsque sermonibus, Leonilla rursus domum suam petijt. Sancti verò ad certamina protinus aduocati fuëre. Et quidem vt Leonillæ verbis plurimùm roboris eorum cõstantiæ accessisse compertum est, ilicò in equuleum tanta crudelitate extensi sunt, vt

Leonilla nepotes suos in Christi confessione confirmat.

ve solutis membrorum compagibus, animam efflare putarentur. Inde eodem animi robore in Christi Confessione persistentes, & iudicum tyrannidi insultantes, in pyram præcipitati sunt. Sed ignis, exustis tantùm vinculis, eos illæsos reliquit. Hoc miraculum ingens populi clamor excepit, ministri verò tyrannidis, comportatis certatim lignis, Sanctorum exustionem accelerabant. Sed flammæ non solùm eis refrigerium, sed etiam eximiam pulchritudinem cum admirabili claritate coniunctam præstitêre. Itaque redacta in cineres pyra, plebs circumfusa sanctos tanto decore nitentes sine fine obstupuit. Quibus illi: Quid obstupescitis, aut hanc virtutem tantoperè admiramini? Christi hæc potentia est, qui pro sua in vos clementia nos illęsos conseruat, vt tanta miraculorum virtute edocti, deorũ vanitatem tandem aliquando agnoscatis.

Horrenda Tergeminorum supplicia.

Hæc cùm dicerent derepentè chorum Angelorum adsè venientem viderunt. Vnde supplices in orationem prostrati omnes, corporeis erepti gurgustiolis ad cœlos emigrârunt. Corpora eorum fuêre à fidelibus secundo ab vrbe Lingonico milliario sepulta, in vico, Vrbatum nomine: vbi miraculis clarere dicuntur. Cæterùm eorũ exemplo ad similem gloriam plurimi exarserunt: qui propagandæ fidei cupidi, pari alacritate martyrij palmam adepti sunt. Erat matrona quædam, specie, ætate, Iouilla nomine, quæ tam præclaro martyrum horũ agone excitata, spreto maritali cõsortio, & vnico filio à maternis amplexib. constanter excusso, in medias infideliũ turbas, furoré in Christianos spirãtes, prouolauit intrepida: magna voce Christianã se, & Christi ancillã exclamãs. Prêsa igitur, & à capillis crudeliter suspẽsa, varijs

Migrant ad cœlum.

Martyrium S. Iouillæ.

est

Item Leonillæ.

est ludibrijs & supplicijs affecta. Quæ in Ch
confessione inuicta persistens, tandem cum
Leonilla, gladio perempta, glorioſum mart
certamen peregit.

Neonis.

Harum quoque virtute prouocatus Neon,
ius historiæ scriptor, confestim codicem
Turboni tradidit: & in medias persecutorũ
bas exiliens, Christum constanter confessus
Qui multiplicatis ictib. eodem in loco gl
certamine occubuit. Postremò & ipse Turbo
mula virtute incensus, eodem fine beato agm
sociatus est.

Turbonis.

## *VITA S. ANTONII ABBATIS, A*

*Athanasio Episcopo Alexandrino conscripta. C*

*Centenarius quinquennio maior. Anno Domi*
*ni 358. Liberij Papæ 7. Constantij*
*Imp. 22.*

Vide Cæs. Baron. Tomo 3. Annal. Eccle.

17. Ianuarij.

SANCTVS Antonius AEgypto oriundus,
parentibus cùm generis nobilitate tum
religione minimè obscuris, tanta est cura
nutritus, vt præter parentes domumque cog
sceret nihil. Veruntamen nulla animi molli
fractus, diuino imprimis flagrabat amore; ad

Antonij genus & patria

Adhuc puer abhorret omnia profana.

cœlestium rerum studioſus, vt ineptas non mod
fabulas, sed & profanas disciplinas remis, qua
aiunt, velisque fugeret. Hoc pietatis igniculo, q
quotidiana incrementa, magis magisque scint
lante, pij parentes mortis soluêre debitum, ip
iam annum agente octauum decimum, aut vig
simum, quæ ætas, matura haudquaquam destitu
prudentia, & œconomiæ domûs, & sororis pa
uulæ curæ, idonea inuenta fuit. Cæterùm semo
obitu parentum menſe, terreni pulueris pon

sus, Apostolicæ vitæ puritatem ardentius recolere cœpit. Et, qua erat animi generositate, nimis abiectũ putabat, cumulandis opibus se totum dare: mentemq; ad contemplationem rerum cœlestiũ à Deo formatam, in terram deprimere. Itaque curis alijs abiectis, limina ecclesiæ frequentius terere, orationis studio diligenter inhærere, doctrinam Euangelicam sitibundis auribus hauri. re. Accidit autem, vt die quodam, locus ille Euangelij recitaretur, quo Dominus diuitem compellans, suadet vt omnia diuendat, si perfectæ vitæ rationem assequi velit: ac pauperibus distribuat, opulentum in cœlis thesaurum: pro perituris opibus inuenturus. Quo Domini consilio adeò piè affectus est, vt bona facultatum suarum parte protinùs distracta, nudus iam Christum sequutus fuisset, nisi soror & sexu & ætate infirmior obstitisset. Verùm enimuerò cùm alias in Ecclesia religiosas Euangelio aures præberet, locumque illum, quo Dominus nihil nos de crastino sollicitos esse iubet, audiret, reliqua bonorum portione pauperibus erogata, sororem sacris virginibus sociauit, seque totum terrenis vinculis expediuit.

Animi altitudo.

Pietatis initia.

Matth. 19.

Matth. 6.

Omnia sua pauperibus distribuit.

Erat vicino in agello deuexa ætate vir, solitariæ vitæ à primis annis nobilis sectator, (celeberrima enim illa crebraque in Ægypto monasteria necdum visebantur.) Hunc Antonius pia æmulatione, in locis à villa paululùm remotioribus, haud segniter obseruabat, illiusque per omnia vitæ institutionem imitatus, animum pariter in eos intendebat, quos in hoc certamine strenuos nouerat. Itaque custos suæ cellulæ, instar apis, ex gurgustio suo procedebat, alio-

Æmulatur vitam solitariam.

rum vitæ, exempla & virtutes hauſurus, vt eas in ſe viua imagine exprimeret. Hiſce egregiis tutum initijs pectus ita contra inimicorum ſ obfirmauit, vt paternarum opum facilè obl totus in Chriſti amore ac æternorum deſid liqueſceret. Iungebat præterea aſſiduo orat ſtudio manuale opus; quo & ſibi & indigen opportunè ſubueniebat. Mercedem operis cio panis excepto, egentibus largiebatur: quamuis litterarum omninò rudis eſſet, no men propterea ſacrarum ſcripturarum ogn tionem negligebat; imò tanta animi firmit audita complectebatur: vt memoriam pr bris haberet. Sic autem vitæ curſum inſtitu vt puro ab vniuerſis affectu diligeretur. Om

Aliorum virtutes in ſe exprimit.

bus, ad quos diſcendi ſtudio pergebat, & mo ſtum & obedientem ſe præbebat, ſingulorum tutes ſagaci mentis ſtudio hauriens. Huius co nentiam, iucunditatem illius ſectabatur; il lenitatem, illius vigilantiam, alterius legend mulabatur induſtriam; iſtum ieiunantem, il humi quieſcentem mirabatur; alterius patie am, alterius manſuetudinem prædicabat; hoc modo omnibus maximarum virtutum emplis irrigatus, ad ſedem propriam regred batur.

Ibi demùm animo libero, & ab omnibus ris vacuo, vniuerſa pertractans, omnium i bona nitebatur exprimere. Neque verò adu ſus coæuos aliquando mouebatur, ſed ea tu tummodò flamma egregio viro creſcebat in p ctore, ne ſecundus cuiquam in prædictis ope bus inueniretur. Et hoc ita faciebat, vt cùm o nes gloria anteiret, omnibus tamen mirab charus eſſet. Nam & vicini, & monachi

qui

quos sæpè veniebat, Antonium videntes, Deicolam nuncupabant, multisque naturæ vocabulis, quidam vt filium, alij vt patrem diligebant.

Dùm hæc præclarè gereret Antonius, Christiani nominis inimicus, tantas in adolescente virtutes impatienter ferens, veteranis eum fraudibus aggressus est. Et primò quidem generis nobilitatem, amplissimas possessiones, sororis in miseranda orbitate relictæ defensionem, fluxam seculi gloriam, atque reliqua remissioris blandimenta proponebat; deindè arduam virtutis semitam, & imbecillam naturam, & prolixa ætatis spatia, quib. illi sine vlla intermissione cum infestis hostibus decertandum esset, suggerebat; tantaque cogitationum caligine animum eius interdum inuoluebat: vt omnis diuinæ cõsolationis radius ereptus videretur. Non tamen potuit tam vehemens tentationum procella à recto eum itinere reuocare, quare validiorib. eum armis aggressus, nocturnis subuertere illecebris tentabat. Erat sanè acerrimum inter vtrumque certamen. Ille sensus naturali carnis ardore titillabat: hic fide, vigilijs, & ieiunijs corpus omne vallabat. Ille per noctes in pulchræ mulieris vertebatur ornatum, nulla figmenta lasciuiæ omittens: hic vltrices gehennæ flammas, ingestæ sibi libidini opponebat. Ille lubricum adolescentiæ iter, & ad ruinam facile proponebat, hic æterna futuri iudicij tormenta considerans: illæsam animæ puritatem per tentamenta seruabat.

Diaboli infestatur insidijs.

Certamen eius cum diabolo.

Postremò, cùm nullis admotis machinis Antonio draco deijcere posset, in horrida & tetra puellæ specie apparens, & ad eius se genua prouoluẽs, miserabili valdè eiulatu clamauit. Multos ego fefelli, plurimos callida circumuentione deieci,

Turpissima specie apparet ei fornicationis spiritus.

nunc autem tuo superatus labore prostern
Quem Antonius, quisnam esset, cùm interro
set: respondit. Ego sum fornicationis am
qui primum adolescentiæ florem turpitu
spiritu conculco, & impurissimæ libidinis ca
gione inficio. Quantas ego virtute mea an
rum strages edidi? Quàm multos à puritat
pristinas redire sordes compuli? & nunc, me
serum, tua virtute prostratus iaceo. His audi
Christi miles, reuera, inquit, & ætas & obscur
& cætera infirmitatis tuæ signa, te nulla
tum virtute declarant, meritoque te de
lem reddunt. Ad hanc vocem phantasma
euanuit.

Sed neque Antonio securitatem dedit hic
triumphus, nec diabolo semel fractæ defecer
res. Quare contrà imminens certamen, se mu
diligentiùs muniendum ratus, indefesso
voluntariæ seruitutis laborem in naturam
tit. Inediæ & vigiliarum in tantùm consuet
ne patiens factus, vt fidem propè omnium
raret. Pernox in oratione inalbescentem
diem expectabat. nec prius exhausta refo
cibo membra, quàm vespera noctem trah
Interim triduano frequenter ieiunio se
bat, solo pane & aquæ potu contentus. Lassa
gis vigilijs & laboribus membra, alium, pra
iuncum & cilicium, lectum ignorabant. Et q
dem sic demùm animi sensum reuiuiscere p
asserebat, si probè corporis impetus fatigar
Vndè nec temporum longitudine laborum
rita pensabat, sed amore & famulatu spont
semper tanquam in principijs constitutus,
sum excitabat, vrgebatque. Hinc vt diuini

Inedia, vigiliæ & orationes S. Antonij.

minis metum etiam in se augeret, ad sepulchra, & sarcophagos non longè à villa remotos, secedebat, cura interim alimentorum vni ex cognatis statuto tempore demandata. Ibi cùm planè solitarius ad aliorum etiam instructionem sedulò se exerceret, inimicus humanæ salutis veritus ne eremum similibus quandoque bellatoribus repleret, Aggregatis satellitibus tam districtum cæde mactauit, vt & voce & motu destitutus cognati humeris ad villulæ domicilium reportari debuerit. Nemo non vicinorum Antonium iam in mortis periculo numerabat, cùm eccè vir diuinus media nocte, cæteris alto sopore depressis, cognatum suspirio aduocat, orans obsecransque vt se quam primùm ad eundem certaminis locum deferat. Ille, licèt inuitus, paruit tamen, & Christi athletam, pedibus, propter multiplices plagas, insistere non valentem, humi deposuit. Ibi vir Sanctus prostratus orans, clara voce, post orationem dicebat: Ecce ego hic adsum Antonius: non fugio vestra certamina: etiamsi maiora faciatis: nullus me separabit à charitate Christi. Psallebatque, dicens: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Dæmon verò frendens gemensque tam vehementi parietes concussit sonitu, vt extremum eorum adesse videretur. Inde tetra cacodæmonum caterua, horribili & valde metuenda specie apparuit. Alij leonum, alij taurorum luporum alij, aspidum denique & serpentium referebant formas. Truces erant omnium vultus, voces verò clamoresque auditu horrendæ. Porrò Antonius totus vulneribus concisus, inanes eorum terrores irridebat. Nec tamen ea propter dentibus in eum frendere desinebant, quoad

Acerrimè verberatur S. Antonius à dæmonibus.

Psalm. 26.

Dæmones in varijs bestiarum formis apparent.

splendidissimus quidam lucis radius cælitus descendens & truculentas belluas fugaret, & suo Dei miram consolationem adferret. Nec rum: Ipse enim Sospitator famulum suum boraturus aderat, cuius suauissima præsentia plagis omnibus repentè sanatus Antonius, Domine IESV, inquit, vbi eras hactenus? cur plagas non ante sustulisti? Cui Dominus; Adram equidem tui certaminis spectator Antoni, quia tanta virtute & inuicta animi constantia mei nominis gloria decertasti, ego te vicissim to orbe celeberrimum reddam.

Fugat dæmones Christus & consolatur S. Antonium.

Annum tunc agebat quintum supra trigesimum. Quo tempore ad multò gloriosius certamen roboratus, ad inculta deserti loca concedit, multis viam vitæ in eremo pansurus. Nec hæc latebant communem hostem, qui vt rem dentem iam ab ea mente reuocaret, in ipso in nere rutilantis auri argentique inanem obiecit speciem, quam dæmonis fraudes facilè animaduertens, spretim pertransijt. Indè ad destitum vastæ solitudinis montem, transuadato flumine, perueniens, castellum quoddam desertum, incolatu serpentium & noxiorum animantium sanè horridum ingressus est; quæ suo aduentu ilicò fugauit. Obstructo verò lapidibus introitu, annis ibidem viginti contra pertinaces dæmonum insultus perstitit solitarius. Cumque tam excellens vitæ ratio, & in omni genere virtus neutiquam latere posset, ingens hominum concursus ad eum fieri cœptus, tanta ipsius videdi cupiditate incensus, vt nisi accessum præbuisset, vim foribus lapidumque aceruo intulisset. Prodijt igitur tanta oris gratia & corporis dignitate, vt vniuersos in sui admirationem raperet.

Pergit in eremum S. Antonius.

Annis 20. degit omnino solitarius.

Nam

Nam neque horrida solitudo, neque tabifica ieiunia, neque quotidiana cum hostibus bella pristinum corporis decorem minuerant. Itaque & miraculorum virtute, & oris facundia spectabilis, sermonem instituit ad circumfusam concionem, tum efficaci doctrinæ cœlestis copia affluentem, vtidem ipse plurimis habitandæ eremi occasionem attulerit. Excitata enim sunt protinùs in ipso monte diuersa à diuersis habitacula & gurgustia, quæ paulatim ad formam & disciplinam monasteriorum redacta fuêre. Iucundo imprimis spectaculo psallentium chori, certis diei notisque horis audiebantur. Sacræ lectiones dulci præceptoris eloquio crepitabant. Vigebat oratio; denique virtutum omnium splendor, ita longè latèque sese diffundebat, vt plurimi quotidiè certatim ad eandem vitæ societatem confluerent.

**Ad eius disciplinã multi confluunt**

**Conduntur per eremũ monasteria.**

Dum autem hæc fiunt, Antonius & insita virtutis præstantia & exemplo aliorum excitatus, aliquid insuper ad cumulum laborum suorum addendum cogitauit. Igitur à fratrum consortio & omni humana conuersatione segregatus sese reb. in cœlestibus tanta puritate exercuit, vt planè pudibundus ad naturæ necessitates descenderet; ingemiscens frequenter quod tanta animi libertas, volens nolens carnis fragilitati subdita esse cogeretur. Vnde huius vitæ quodammodò pertæsus, laborantem Maximini tyrannide Ecclesiam, præsentis martyrij gloria illustrare decreuit. Relicto igitur monasterio Christi se martyribus sociauit; eorum necessitatibus in metallis & carceribus fideliter ministrans. Quin & decertantes in agone Alexandriæ athletas magna animi libertate, intrantes ad Iudicem, confirmabat: atque illis felici cruore damnatis,

**Flagrat martyrio.**

**Ministrat Confessoribus in carcere.**

Confortat eos in agone martyrij.

quasi victor ipsemet exultabat. Tendentes ad pa-
læstram vltimi certaminis bellatores; intrepidè
sequebatur, dictis pariterque factis vnumquem-
que ad constantiam roborans. Qua re commo-
Iudex, monachis vniuersis ciuitate interdixit. E
cæteris quidèm timore latentibus, Antonius di-
quodam, splendido cinctus amictu, in loco con-
stitit eminentiori, procedentem Iudicem suo
prouocabat aspectu flagrans cupiditate martyrij.
Sed Deus Antonium amplissimo monachorum
per eremum seruabat cætui. Igitur vir Sanctus
cupita diu martyrij palma frustratus, cessante
iam persecutionis turbine, ad consueta monasti-
cæ disciplinæ exercitia se recepit. Cumque ab o-
mnium remotus conspectu in intimo claustro la-
teret solitarius, Chiliarchus quidam Martinia-
nus nomine importunis ostium Monasterij cœ-
pit infestare pulsibus, orans & obsecrans, vt filiæ
suam sæuo agitatam dœmonio sanare dignare-
tur. Cui Antonius per fenestram prospiciens: Ho-
mo, inquit, quid meum flagitas auxilium, an igno-
ras & me mortalem, tuæq; fragilitatis esse socii?
Vade, & siquidem firma in Christũ es fide, cui di-
seruio, illũ deprecare, & sanitatis beneficium con-
sequetur filia. Ille beati viri verbis credulus a-
bijt, & inuocato IESV nomine, filiam reduxit
incolumem. Hinc iam languentium & obsessio-
rum multitudo quotidie ad eum confluere, quos
ingenita misericordia sanabat ille quidem; sed
veritus ne vel dulci solitudinis fructu penitus
fraudaretur, vel miraculorum, gloria tumidæ
elationis quandoque vento extolleretur, superio-
rem Thebaidem cogitare cœpit; vt omnibus ibi-
dem incognitus: optata quiete frueretur. Nec mo-
ra, paucis instructus panib. in ripa fluminis nauis

Redit ad solitudinem.

Sanat dœmoniacam.

tran-

transitum præstolatus est; cùm eccè dilapsa cælitùs vox eum appellans ait; Antoni, quò pergis, & quarens? At ille intrepidè, quasi voci assuetus, Inquietat me populus, fragilitatis meæ ignarus; idcircò superiorem Thebaidem meditor, solita pace fruiturus. Tum vox ad illum, Thebais non quietem tibi conciliabit, vt existimas, sed labores multiplicabit. Ideoque intima potiùs deserti pete, optatà ibidem quiete gauisurus. Illo autem hæsitante & quærente quo ductore eò penetrare posset, Vox Saracenos indicauit, qui mercandi gratia Aegyptum petebant. Tum Antonius se ijs socians, triduano itinere ad montem immani altitudine peruenit, scaturigine aquæ dulcis ad ipsas radices sanè amœnum, & campo in circuitu montis, haud ita magno, palmulisque consito, longè iucundissimum. Hunc locum habitationis amplexus, alimenta vitæ ab ipsis Saracenis aliquamdiu accepit. Indè fratres, agnito loco, tanquam ad patrem filij, cibarum detulerunt; quo gauisus breui tempore, ne alijs oneri videretur, ex agricultura pertenuem sibi victum quæsiuit: ex operibus manuum suarum, aliorum insuper inopiæ consulens.

Monetur cælitùs vt petat intimam solitudinem.

Viuit ex labore manuũ suarum.

Accidit autem vt bestiæ in messem illius populabundæ irruerent. è quibus vnam apprehendens: Cur, inquit, me læditis, nihil à me læsæ. Abite, & hinc in nomine Domini, ne appropietis vlterius. Dictu mirum. Ex eo tempore, bestiæ messi desierunt esse infestæ. Porrò in auia solitudine durissimo vitæ genere, inedia, vigilia, nuditate, frigoris æstusque patientia, contra aërias potestates decertanti, ingens lucta sustinenda fuit. Frequenter moos cacodæmonum plenus, incondito clamore, sonitusque armorum perstrepebat. Quin & feræ è specubus prosilientes strenuum quemlibet bella-

Dæmones eum vehementer infestant.

torem in effusam fugã vertere potuissent; sed An-
tonius trâquilla animi firmitate immobilis, & d
mones fugabat, & feras secum pacificabat. Dæ-
nibus. n. truculentarũ forma bestiarũ in eum irru-
entibus, & laniatũ minitantibus dicere solebat. I
quę vobis in me à Domino est cõcessa potestas, de
uorate concessum. Sin aũt dæmonum venistis im-
pulsu, quantocyus recedite quia Christi famulu
sum. Cæterùm quem dæmonum ferocitas à defe-
to auellere non potuit, fratrum preces abunde
A monachis namque rogatus, vt congregationes
fratrum inuisere dignaretur, haud difficilem de
itineris præbuit comitem. Sed in medio viæ fu-
tio vt bibendi subsidia defecerunt, cunctis mo-
tis horror inuasit. Cumque desperabundi huc i
luc vagarentur, & vitæ aliquod solatium quæ-
rent. Antonius tanto eorum discrimine motus, l
liuagus humi genua fixit, suppliceſque ad Deum
cum lachrymis manus tendens, eodem in loco
fontem impetrauit; cuius dulci scaturiginẽ, &
psi & camelus eorum refocilati sunt. Inde ad mo-
nachorum contubernia prospero itinere delat
obuijs ab ijs vlnis excepti sunt. Quibus Antoni
xenia spiritalia diuidens, dulcissimis verbis cu-
ctos ad certamen cum hostibus fortiter sustinen-
dum hortatus est. Laudabat veterum studia, horta-
tor nouorum. Post quæ cupidus solitudinis, sedi-
nẽ montem repetijt, magna tamen fratrum comi-
tante caterua; quibus inter cætera spiritalis vitæ
documenta dicebat; magnam esse ad virtutem
viam, si singuli vel obseruarent quid gererent,
vel vniuersas mentium cogitationes fratribus re-
ferrent: non enim posse aliquem peccare, cum re-
laturus esset, ad alium quæcunque peccasset, &
subire pudorem in publicum turpia proferendi

Imperat moribundis fratribus aquam.

Deni-

Denique nullum peccantem coram alio audere peccare, & si peccet, tamen testem vitare peccati. Igitur quasi sub oculis aiebat nostris, & cogitatu confundimur, & actu, si omnia referenda faciamus, multò autem magis, si peccata nostra fideliter describentes, digeramus in ordinem. Ita planè vir diuinus pernicioſas Diaboli cùm in se, tùm in alijs conterebat insidias.

Eximia illius in omnes charitas nullo non tempore instar faculæ flagrabat. Fronto quidam Palæstinus sæuo vexatus dæmonio, opem B. senis petiturus, ad montem venit. Cui Antonius: Vade, inquit, & curaberis. At ille perstitit, primò incredulus; indè sancto vrgente, & sanitatem ad primum Aegypti conspectum spondente, abijt & optata salute fruit⁹ est. Multiplicia eius in varios calamitosos enarrare beneficia, breuitas non patitur, veniamus ad vitæ ipsius exitum, præclaris Catholicæ fidei & pietatis documentis ornatum.

Die quodam orationi deditus subitò à corporis consuetudine auulsus est: & angelorum ministerio in sublimè delatus. Adfuere ilico dæmones pertinaci contentione transitum ei per aëra negantes. Angelis autem sciscitantibus, quid homini ab omni peccati contagione puro obmoliretur, illi audaciter, ab ipso vitæ eius exordio, peccata replicare, minimas etiam labes obijcere, ac pertinaciter asserere, nihil vel tenui labecula inquinatum, sursum tẽdere debere. Angelis verò respõdentibus, crimina iusto dolore & Christi benignitate deleta, replicari nõ debere, æquè nihilo minus procaciter illi restitêre, minutaq; que producentes

Rapitur in spiritu.

centes, & calumnijs Antonium deprimere con-
tes. Sed angelorum virtute tandem repulsi, vel i-
uiti viro sancto transitum ad cælos permisè-
Hac visionis specie abreptus aliquamdiu, tande
restitutus, tota nocte copiosè lachrymarum m
duit imbre: continuis se lamentis conficiens, r
putans secum hostium humani generis multi
dinem, & culluctationem tanti exercitus, labori
sumq; animarum iter per aèrias potestates in cœ-
lum. Interrogantibus quandoque fratribus, q
se anima corporis expedita vinculis gereret, q
uè ei locus assignaretur, vidit proxima no
trum quēdam & terribilem, vertice ad cœlu
que pertingentem, qui pennatos quosdam c
volatu ad cæli fastigia tendentes, extensis m
bus præpediebat: & alios quidem ad terram e
sos conculcabat; alios libero volatu ad cælum a
euntes toruo vultu respectabat. Qua visione, m
ximum gaudium, graui tamē dolore mixtum ha
riebat, vnum tamen eundemq́ue semper seruab
vultum, tanta serenitate nitentem, vt mentis a
mæq́ue candor mirificè ex eo eluceret. Et qu
quam tot tantisq́ue virtutum omnium ornam
tis excultus esset, neminem tamen vnquam præ
contempsit, immò omnibus se humilē, omnib
obedientem præbuit, Clericis in orationis offic
semper primas detulit; Episcopos & presbyter
demisso corporis habitu vbique locorum ven
ratus est. Diaconos de rebus diuinis differentes
attentissimo mentis studio audiuit. Hæreticorum
verò cōsuetudinem, vt teterrimam contagionem
vitauit. Sermonem cum eis conferre recusauit
si fortè aliqua spes salutis eorum affulgeret. Ass
rebat namq́ue perniciosam eorum familiarita
certissimum ad ruinam laqueum esse. Arrian
tam

Visio eius.

Defert vbiq; clericis.

Hæreticos esse vitādos.

tanto animi ardore detestabatur, vt die quodam, cùm illi sparso in vulgus rumore, eum suæ perfidiæ consortem facere aggrederentur, Alaxandriã contenderit, ibi denique in celebri concione nefarios eorum errores detestatus fuerit, tantaque verborum vi & sententiarum grauitate perfidos arguerit, vt exprimi non possit, quantum ad fidem populos roborauerit. Nulla tunc ætas, nullus sexus domi remansit. Pagani ipsi & idolorum sacerdotes, magno gaudio illius conspectu fruebãtur. Celebre erat in ore omnium nomẽ Antonij. Morbi ad eius aduentum cessabant, fugabantur dæmones, mentes in erroris scelere pertinaces illustrabantur. Quocunque in loco degebat, ibi gaudium & exultatio: & lætitiæ voces personabant. Ille verò hominum conuictu mœstior, ad amicam solitudinem perpetuò aspirabat. Alexandria verò egredienti, mulier lugubri eiulatu occurrit, orans obsecransque, vt gradum tantisper figeret, donec filia eius atrocissimo vexata dæmonio adduceretur. Illo subsistente misera virguncula adducta fuit, quæ ad primam Antonij comminationem impuro spiritu liberata est.

Detestatur Arianos.

Pollet magna facũdia.

Miracula eius.

Dæmoniacã sanat.

Erant duo Philosophi gentiles, densa inanis prudentiæ nube inuoluti, qui virum sanctum nullo negotio circumueniri, & in errorum labyrinthum abduci posse existimabant. At, Antonius visis illis mox per interpretem quæsiuit; Quare homines sapientes tam molesto itinere, stulti causa, se fatigare voluerunt? Illis respondentibus, non stultum eum, sed magnæ sapientiæ opinione celebrem esse, dixit; Profectò, si ad stultum venistis, inanem vos laborem sumpsisse palam est. Si ad sapientem, meque haud vulgaris sapientiæ esse iudicatis, imitamini quod probatis; bona enim summo

Philosophi tentant Antonium.

mo ſtudio amplexanda eſſe non ignoratis. Phi
ſophi hoc dilemmate præter expectationem cu
fuſi, cum ingenti & ingenij eius & virtutis adm
ratione receſſerunt. Pari prudentia, modeſtiaq
alios quoſdam vana litterarum confidentia tum
dos colligauit. Reſpondete quæſo (ait) quid prim
ſenſus, an litteræ? Et quid cuius exordium? Sensu
ex literis, an litteræ ex ſenſu? Illis aſſerentibus
ſenſum vtique litterarum eſſe auctorem, ait ig
tur cui ſenſus incolumis, hic litteras non requ
rit. His Antonij dictis ſtupefacti, ſagacitatem a
mi in litterarum imperito, ſine fine admira
ſunt. Longè enim aberat à ſtoliditate ruſticitat
diuinus, quinimò horrida ſolitudo multarum
rum ſcientia eum afflauerat, moribuſque ad
ſuauibus ornauerat, vt omnes certatim ſermo
eius facilè conditum expeterent.

Antonium Imperatores & aulici celebrant.

Nec caruit admiratione præcipua & ſolitaria
& rerũ omniũ inops, ab ipſis etiã Monarchis in e
tremo orbis angulo celebrabatur præconio. Co
ſtantinus enim, eiuſque filij Conſtans & Conſtan
tius: ſuis eum litteris dignabantur, quas ille mu
animi tumore acceptabat: fortè nec ad anim
admiſſurus, niſi contemptum regum ex Dei pr
cepto impium pertimuiſſet. Igitur reciprocis
ſalutans, hortabatur ad rerum terrenarum co
temptum, cæleſtiumque amorem. Conuocatis au
tem fratribus regias litteras admirantibus dic
bat; Quæ cauſa admirãdi, quod principes & orbi
terrarum reges, nos ſuis litteris honorant? Nam
licet dignitas diuerſa, eadem tamen eſt naſcend
moriendique conditio. Illa cum admiratione v
neremur: quæ nobis cæli terreq; Cõditor cõferre
dignatus eſt. Ille nõ inania litterarũ monumenta
ſed diuinas ad nos leges trãſmiſit. Ille ſacro ſua

gos instruxit eloquio. Ille viles vermiculos, fœdere sanguinis filij sui icto in filios adoptauit. Hæc aliaq; an vobis cũ regũ litteris & honoribus conferenda videntur? Maiores sumus & ad maiora vocati, quã vt terrenis honorib extolli debeam⁹.

Visio S. Antonij tristissima.

Hac animi altitudine mundi honores, purpuraq; regalẽ, spernens Antonius in vasta solitudine opus suũ manibus texebat: cum ecce sublatis ad sidera oculis grauis è pectore eius prorumpit gemitus, longisq; deinde suspirijs sequentibus derepentè se in genua prouoluit, mœstam ad Deum cum crebro fletu orationem fundens, fratres visione quapiam eum admonitum intelligentes, tantarum lachrymarum causam scisciatari. Quibus ille dum vocẽ parat, crebro singultu præpedita, vix tandem cum luctuosa vociferatione erumpit, Melius erat ô filioli impendens piaculum cita morte lucrari. Magnum quoddam & à seculis omnibus inauditum imminet nefas. Magno fides Catholica turbine quatietur, & homines iumentorum similes Christi sancta diripient. Vidi enim altare domini impiorum multitudine circundatũ, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant hæc causa gemituũ, hæc occasio lamentorũ. Nec mora. Secundò ab ipsa visione anno insana Arianorum erupit perfidia; quæ eo impietatis (vt cæteras taceam) prorupit, vt non contenta rapinis bonorum ecclesiasticorũ, ipsis etiam virginibus matronisq; eriperet pudicitiã. Quin etiã fuso fideliũ sanguine sacra respersit altaria, vitales aquas pro gẽtilium voluntate scelerate polluens. Huius expectatione cladis, in grauem mœrorem deiectos fratres hac ratione mox consolatus est Antonius, quod ecclesia hac persecutione, tanquam ab omni, peccati scoria ritè expurgata, multo deindè

Arianorum impietas & sæuitia.

deinde splendidior exurgeret. Ibi tunc suos etc
atque etiam hortatus est, ne fidei eorum sincer
Ariana labe sordesceret; certi quod serpentis
ad foueas suas redactis, religio longius propu
retur. Ipse verò sui propositi, mirabiliter te
cum inuitus interdum à mente ad iudicia voca
tur, fletibus miserorum victus, mox repedab
magnatibus & Iudicibus diuturniorem eius pu
sentiam nequidquam flagilantibus. Nam dicebat
(grato vsus exemplo) sicuti pisces ab aquis ema
cti, in arida mox spiritum exhalât, ita & monach
à vitali solitudine abducti, si diutius negotiis se
laribus impliciti, in medijs hærent populis, m
ni propositi sanctioris rigore soluuntur: repul
que ad vanas mundi consolatiunculas reuerta
tur.

**Frequens monachorũ cum Secularibus conuersatio monasticæ vitæ interitus.**

Ita planè Antonius, licet miserorum calam
tatibus interrupta solitudine, frequenter subu
niret, nunquam tamen ad longùm tempus ea
deserebat: quin & litterarum internuncio, lab
ranti ecclesiæ sæpius assistebat: & perfidorum m
pietatem acritèr reprimebat. Erat Balatius
quondam Aepyti, sub Nestorio Alexandriæ p
fectõ: homo Ariana perfidia sceleratus, immo
in virginum præcipuè monasteria, odio sanctæ
Satanicus pudicitiæ osor; quem Antonius per
teras admonuit, vt manum à nefaria persecu
ne, si diuinam vellet euadere vindictam, retrah
ret. At ille sannis, ludibrijsque pia monita ex
piens, insuper pedibus litteras conculcauit cum
impietatis diuina mox vltio pœnas popos
Quinque enim post diebus, equestri itinere,
cum Nestorio, ad primam Alexandriæ mãsi
nem Chæreus dictam, tendens, fuit ipsius Ne
rij equi rabido morsu ita miserè subitò lanian

**Antonius Solitarius litteris assistit ecclesiæ. Balatius persecutor Ecclesiæ.**

**Balatiæ interitus.**

vt tertio deindè pòst die infelicem animam traderet.

Cæterum miti planè mansueto ac pio in proximos fuit ingenio Antonius. Incredibilis hominũ multitudo, ad eum confluens, vberrimo operæ suæ fructu, gaudens ab eo recedebat. Venientes angelica quadam suauitate excipiens demùm abeuntes tota mente in diuinæ pulchritudinis ac bonitatis amore defixos dimittebat. Pauperũ patronos impotentem, principum dominatum, mira virtute ab eis repellebat. Magnus pietatis vindex plurimos ab interitu ad æternæ vitæ disciplinam trãstulit. Itaque Centenarius quinquennio maior vir omnibus eximiæ sanctitatis ornamẽtis excultus ad cælos migraturus, vltima ad fratres habita oratione, de terrenarum rerum cõtemptu, de extremo iudicio futuro, de sempiternis præmijs atque supplicijs. Postremò duo hæc, vt tenaci mẽte seruarent, & in vitam moresque transformarent ardentiùs cunctos hortatus est; Videlicet vt desidiam, religionis tineam, manibus pedibusque à se propulsarent: & cõtagiosam hæreticorum familiaritatem cane peius & angue fugerent; ni facerent, statum mentis, cuiuslibet etiam sanctissimi disciplinis fundatum, cito subuertendum.

Antonius morti vicinus, duos suis præcipuè cõmendat.

His dictis præcidit sermonem, & celeri contentione ad antiquum domicilium transuolauit: vt solitarius ex huius mundi carcere migraret, salutari præcipuè timore correptus, ne Aegptiaca superstitione funus curarent: Aegyptij enim inolita consuetudine, cadauera linteamine inuoluta non humo tumulabant, sed super lectulos posita, preciosis condita aromatibus, domi studiosè reseruabant. Cuius superstitionis metu (præter alias causas) Antonius, in intima se deserti

Aegyptiorũ mos circa defunctos.

S. Antonius pompam funeris vitat.

proripuit vanos sui funeris honores fugibund
Erant illic discipuli duo, haud infima sancti
conspicui; quibus hoc mandati seriò datum
quando suas ad Aegyptum reliquias transferre
neuè tumuli locum, mortalium cuiquam ost
derent. Promissione facta, acceptaq;, talè dein
condidit testamentum; Vestimentorum meor
sit ista diuisio: Melotem & pallum tritum, cui
periaceo, Athanasio episcopo date, quod mi
nouum ipse detulerat. Serapion episcopus al
accipiat melotem; Vos cilicium habitote te
mentum, & valete viscera mea; Antonius enim
grat, & iam non erit in præsenti seculo vi
Verba finierat, & osculantibus se discipulis
tensis paululum pedibus, mortem lætus asp
ita vt ipsa vultûs hilaritas, angelorum præsen
haud obscurè indicarent. Funus à discipulis
gnotum hactenus sarcophagum illatum fuit.

Testamentũ eius.

Animã cælo reddit S. Anto-

Hic Antonio vitæ terminus, ista principia me
torum. Reliquit vir Dei toti Aegypto mag
desiderium; cum multis lachrymis coniunct
Incredibili vitæ duritie, in suscepto semel pi
tis instituto, ad extremum vitæ diem perseu
uit. Inuicta mentis constantia neque languori
que longeuæ ætati quidquam aliquando con
cessit: Et in hac austeritate, quod fi
dem quodammodo tentat, pristi
num corporis vigorem de
coremque reti
nuit.

Firmitas corporis eius ad obitũ.

# VITA S. SVLPITII COGNOMENTO

*Pij Bauricensis Episcopi, ex ea quæ est apud F. Laurent. Surium, optima fide. Desijt ab humanis Anno Incarnati verbi 594. Childeberti verò Francor. Regis 16.*

Vide C. Bar. in Not. Martyr. Rom. Item Tom. 7. Ann. &c.

SVLPITIVS quamuis claris admodum natalibus ortus, & regio splendore enutritus, magnas haberet ad omnem peccandi licentiam occasiones, tanta tamen à primis annis Christi militiam complexus est constantia, vt ad extremum vitæ spiritum, egregia eam virtute, pietateque tutatus sit. Et erat sanè tam ardens & excellens in eo capessendę religionis cupido, & feruor spiritus, vt eius causa, si oblata fuisset à persecutore occasio, vltrò se supplicijs obiecisset. Cæpit interim ad omnem se virtutem exercere, & artium maximarum disciplinis animum excolere, & tã eximijs sapientiæ & virtutum omnium exemplis florere, vt passim tam senes, quam iuuenes ad eum confluerent, quò admirandam eius doctrinam, cælesti quadam suauitate mixtam, auribus hauirent, & perfectam vitæ, quam studiosè sectabatur, institutionem imitarentur.

17. Ianuarij.

Eius genus clarum.

Feruor spiritus.

Præter alias, quas indefesso studio exercebat, virtutes, incredibili quodam amore erga pauperes & inopes flagrabat, vt eorum curam non secus, quàm pater filiorum, susceperit. In vinculis coniectos non modo orationis suauitate ad patientiam erudiebat, verùm etiam opera sua & officio ex carcerum squalore liberabat. Diem itaque totum proximorum saluti, noctem vero precibus consecrabat. Erat haud procul à domo paterna templum quoddam quod mutata veste

Eximia illius cura erga pauperes & Vinctos.

(vt omnem inanis gloriæ occasionem vitare
frequentabat. Accidit autem, vt cum nocte qu
dam, cum duobus puerulis precibus in eo vacar
duo teterrimi & immanes spiritus, apprehen
pueros per vim extrahere niterentur; qui subl
clamore opem implorantes, periculum inqu
versabantur tremendo eiulatu significabant; q
vir sanctus à mentis attentione auocatus dæm
nes vidit, & protinus expresso contra eos cru
signo in fugam vertit,

Crucis signo pellit dæmones.

Ex eo tempore Sathan summis inuidiæ fim
lis concitatus: quibuscunque potuit machin
oppugnauit, quem ille non modo contempl
tanta etiam virtute contriuit, vt ex obsessis pa
fugaret: & ægros suis precibus ab omni lang
curaret: quanquam verò hæc omnia occulte ge
ret & enixè operam daret, ne ad populares ma
rent aures, virtutis tamen splendor tam studio
occultari non potuit: quin radij hinc indè in v
gus erumperent. Vndè Bituricensis antistes ca
viri sanctitate, publicum ei docendi mun
ecclesia detulit. In Leuiticum igitur ordinem
optatus, & doctrina & signorũ virtute indies
rius effulsit; prorsus vt Rex eum ab Antistite p
sua suorumque salute in castris postularet Ab
tem. Ibi verò, cùm ei; eiusque comitatui alime
in triduum assignata essent, ille vnius Die se
tis expensis, cætera pauperibus erogauit. Qua
conturbatis familiaribus, & famem timenti
ille diuino confisus promisso quæso, inquit, fi
li, oculos ad Deum referte, eiusque regnum &
stitiam primùm quærite, & omnia appone
vobis; Recordamini istius prophetici: Inquire
autem Dominum non minuentur omni bono
lis nihilominus trepidantibus de annona, e
sub

Miracula.

Fuit is Remigius iuxtà Baron. Fit Leuita.

Habet Suri⁹ Clotarium, sed Baroni⁹ censet factũ, sub Gũthrãno Frãc. rege. Annal. tom. 7. & in Not Mart. Rom. Matth. 6. Psalm. 33.

subitò tanta ad eum copia allata est, vt erogata centuplicato fœnore, se recepisse citra iactantiam gloriaretur.

Gunthiamnus.

Inter hæc † Clotarius rex lethali corripitur morbo; regina non solùm in lachrymis mœsta, viri sui casum deplorante, sed & monilia abijciente, vestes lacerante, capillos vellãte, genas discerpẽte regemq; haud aliter quã extinctũ lamentante. Omnis regia, lachrymis luctuque fœdata silentio mœrebat extremo, exigua quadam spe in precibus viri Dei reposita. At Sulpitius & reginæ & procerum permotus lachrymis, ad preces confugit, toto quintiduo omnis alimenti expers, cum interim deplorata regis nunciatur salus. Illo nihilominus perseuerante, & vigilias inediamque prosequente, oratores veniunt proceres, vt se vigilijs & ieiunijs macerare desinat; de regis enim salute conclamatum esse. Quibus fortiter resistens vir sanctus. Confidite, inquit, nam septimo ieiuniorum die, vna cum principe sanitati restituto, cibum capiam. Hoc responso, dubijo mnium animi, expectatione septimi diei pẽdent. Quo aduentante, rex repentè conualescens, incredibili optimatum omnium gaudio, eum honorifice conuiuio excepit. Quæ res admirabilem ei apud summos infimosque auctoritatem conciliauit, ita vt Antistite è vita sublato, summa omnium voluntate ad illud honoris fastigium eueheretur. Ille verò fastigium magno conscendens fastidio non honori sed oneri suas submisit ceruices: ieiuniorum, vigiliarum, laborumque omnium pro ecclesia patientissimus. Fessa laborib. membra nõ molli strato, sed storea cilicio constrata laxabat.

Suis precibus regem deploratum sanitati restituit.

Remigio nẽpè iuxta Baron.

Fit Episcopus.

Erant in eo virtutes sanè eximiæ, admiranda vitæ castimonia claræ, quibus tantum apud po-

Conuertit multos Iudæos,

pulum, Iudaica perfidia contaminatum potuit, eorú plurimi, detestata perfidia, ad Christi gra- am supplices confugerent: & scelerum sordes v tali fonte libenter abluerent. Quos enim doct na non mouebat, admota signorum virtute ra quam ariete, protinùs sternebat.

Oppresserat dira fames omnes Aquitaniæ pro uincias, cùm puer quidam suorum ope destitutu & extrema inedia confectus, ad Pontificis mis ricordiam confugit supplex. Qui pro ingenita bi clemẽtia eum Oeconomo sedulò commenda uit. At ille negotiorum multitudine obrutus pue rum, vt fit, negligentius habuit, ita vt frigore & inedia confectus, vix ad sepulturam elatus fuisse cùm episcopus de puero inquireret. Oeconomu de concredito sibi pignore male conscius, quo reliquum erat, admissi criminis veniam postula uit. Vir autem Dei in suum se cubile recipien

Excitat mortè puerum.

obfirmato in preces & vigilias animo non prius in publicum prodijt, quam puer vitali spiritu re sumpto: sanus obambularet. Non fuit hoc infi quens viro sanctissimo, vt vel defunctos suscita ret, vel calamitosis optatã salutem daret. Erat Virisionensium agello gurges quidam, dæmoni bus sacer, in quo plurimi insidijs eorum circum uenti, miserabiliter interierant. Viro autem sa cto illuc fortè iter habente incolæ loci calamita tem suam lugubri oratione exposuerunt. Qu commotus, chrisma oleo & aqua mixtum, cu dam suo tradidit discipulo, præcipiens vt mi mè hæsitabundus in aquas mitteret, cum ea veri rum prolatione, qua olim Eliseus contra ag sterilitatem vsus fuerat; Sanaui aquas & non ex in ijs vltrà mors neque sterilitas. Quo facto, sal tares aquæ, fugatis confestim dæmonibus cop insuper piscium scatuêre. Verùm enimverò fug

Sacro chrismate dæmonẽ pellit.

4 Reg. 2.

tus è gurgite malignus, acrem protinus vindictã meditari, florentis ecclesiæ pacem interturbare, intestinis bellis lacerare. Nam Galliarum quidẽ rex hoc dæmonis afflatus sibilo, per fas perq; nefas, à Bituricensi clero ingentem pecuniæ vim extorquere meditabatur. Missus ab eo ex familiaribus quidam, homo bifida lingua, exitiale vibrans venenum incautum populum in miseram seruitutem redigere cogitabat. Ille verò sui Pontificis confisa patrocinio, opem eius flebili voce implorauit: obtestãs ne desolatis ouibus pius pastor subuenire grauaretur. Nec spreuit suorum preces pientissimus antistes, sed indicto omnibus ieiunio antè omnia blandis monitis regis familiarem aggressus est. Cumq; ille spretis viri sancti monitis magis insper insolesceret, populumq; exagitaret, ad cõsueta orationum confugiens præsidia à Deo obtinuit, quod pertinax homo negabat. Post preces enim lachrymasque, nihil de Christi misericordia hæsitans, Ebregesilum eximia sanctitate solitarium, ad regem destinauit, qui, redarguta ipsius crudelitate, repentinum ei interitum nunciabat, ni ad meliorem se protinus frugẽ reciperet, subditosque iniqua exactione opprimere desineret. Rex sanctissimi viri comminatione grauiter perculsus, in lachrymas effusus est, abiectaq; pura vere pœnitens, non modo ab exactione cessauit, sed & populũ nouis priuilegijs exhilarauit. Exactor aũt in nefario opere pertinaci contentione perstitit, populũq; ad defectionis insup scelus solicitãs, cita morte, cũ ppetua infamię nota pœnas dedit. O verè beatum antistitem, qui aduersus hostiles inimicorum furores, nunquam se vel armis, vel manu defendit sua, sed ieiunijs & vigilijs continuis ita hostiles impetus pro-

Dæmon ipsũ ecclesiã turbare nititur.

Ebregisillus eremita

Rex monitus à Sulpitio antistite publicè pœnitet.

Diuinitus punitur exactor insolens.

Arma spiritualia.

prostrauit: vt semper victoriam cum amplio
sanctitatis opinione, & ecclesiæ totius ædificati
ne reportaret. Porrò si nos multiplices eius in
mni genere virtutes commemorare velimus, ne
præ sermonis inopia poterimus, nec fidem dict
nostris habituri sunt, nisi qui suis ea oculis perspe
xerunt.

Quadam nocte homo scelestus, & inops, in po
nu beati viri se per vim ingerens, furto, quædam
indè auferre nitebatur. Sed cum perpetrato cri
mine in tutum se recipere vellet, omnem sibi ex
eundi facultatem ablatam, & tanquam tantæ
vndique se conclusum vidit. Tota igitur nocte er
rabundus, qui facilem sibi aditum parauerat, e
itum inuenire omnino non potuit. Sole inter
suos radios spargentes, vir Dei vnum è suis custo
dibus ad se accitum ad cellam misit penariam, v
si quem illic offenderet multa lassitudine fati
gatum, & quasi nexibus quibusdam, irretitum, e
indè educeret. Abijt ille è vestigio, socioque si
adiuncto, cum hominem ambo vellent compre
hendere, ille instar anguillæ ex eorum manib
mira lubicritate elapsus est, sed cùm in flagran
facto depræhensum, tuxbisue vndique vallatum
se cerneret, malletque repentina morte perire
quam acerbas flagitij pœnas luere, in puteum
octoginta ferè cubitorum altum, se præcipitem
dedit: interim nihilominus in ipso puteo beati a
tistitis suffragia implorans. Mox igitur vir san
ctus eò aduolat, & puerum funibus alligatum, a
præcipitatum demittit, vt diligenter apprehen
secũ educat. Clamantibus verò cunctis, vitã e
iam planè deploratã, pergit vrgere vir sanctus, v
puer ipsius iussa sine mora capessat. Descẽdit ig
tur famulus, signo ab Episcopo impresso muni
tus a

Diuina vltio in furorem.

In puteum altissimum insiliens, manet incolumis.

spectemque incolumem, quem iam omnes extinctum arbitrabantur; iniectisq; illi funibus sursum vnà secũ attrahit. Accurrit ad hui⁹ rei spectaculum vniuersa penè ciuitas. Fit vnus omniũ plausus & gratulatio, miranturque sospitem, quem in tantam profunditatem per præceps collapsum, omni vitali spiritu prorsus destitutum existimauerant. At miser ille sui sceleris conscientia confossus, ad sancti Pontificis se pedes prosternens, (erat maleficij) veniam. Ille verò pietatis viscerib⁹ affluens, ignoscit celeriter; addit etiam vitæ sustentandæ necessaria, crebroque admonet, vt petere malit, quàm rapere, & ex beneficio potiùs alieno, quàm furto suo sibi parare vitæ subsidia. Discimus ex his, sancti viri perfectam humilitatem benignè faciendi disciplinam, cum summa mansuetudine coniunctam, & sanctam simplicitatem insigni prudentiæ laude ornatam. Nèque minor in eo fuit patientiæ & longanimitatis laus vt sequentia declarabunt.

Eximia Sulpitij benignitas in perditos & calamitosos.

Diaconus quidam cùm ab illo in patriam redeundi copiam postulasset, & vir Dei longinqui itineris occasione periculum ei metueret, noluit ei discedendi potestatem facere. Ille verò spiritu superbiæ agitatus, in ipsa nocte arrepto vehiculo, celeriter fugam arripuit, sed miser excitate percussus, post multos tota nocte vltrò citroque enatatos labores, mane se eodem in loco, vnde aufugerat, constitutum videt. Denique à sacerdote sanctissimo, quem nihil horum latuisse puto, veniam supplex petit, eiusque adhærens genibus: totãrei gestæ seriem exponit. Vir pius, nihil eius veritatus pernicacia, libenter ignoscit culpam agnoscenti.

Inobedientia castigatur.

Multas vir Dei pertulit ab antiquo hoste insi-

dias, multas infestationes, quas tamen inui
mentis constantia & insita pietate semper elu
Miserat quandoque puerum quendam, Ansulp
nomine, mira ingenij & morum simplicitate p
ditum, ad locum quendam, vbi fratribus & pa

Dæmon ei. us famulũ atrociter cędit.

peribus victui necessaria præpararet. Porrò dæ
mon pijs sancti viri institutis vehementer re
ctans, puerum illum in via è curru exturbau
flagris tam crudeliter cęcidit, vt semiuiuum fr
tres domum reportarent. Cùm ea res ad iniuria
sancti Pontificis pertineret, nemo ei, quid actum

S. Sulpitius claret prophetiæ spiritu.

esset, voluit indicare. Tandèm diuinitus edoc
(habebat enim etiã prophetię spiritum) cùm pu
rum continuis decem diebus cæcum mutumq
permanere videret, membrisq; omnib. præna
tuis, in vltimum vitæ discrimen adductũ, lacry
mas præ dolore continere non potuit, & grau
ter tantos miseræ suæ ouiculæ dolores feren
mi se prostrauit, enixè Deum deprecans, vt mi
ricordiæ suæ opem ostendere dignaretur. No
dum orationem compleuerat, cùm plenus fid
cia, panis buccellam cum vino, misero anima

Curatur propè extinctus.

iam propè exhalanti offerri iubet. Res sanè mir
ille qui iam mortis acerbitate oppressus spir
tradere putabatur, statim ad pristinum vigore
reuocatur, & integris corporis animique viribu
quanta sit Dei erga fideles seruos suos benigni
declarat.

Die illa, quæ Christi à mortuis excitati memo
riam nobis repræsentat, & singulari ceremo

Pœna violantis diem Dominicæ resurrectionis.

rum sanctitate ab omnibus celebratur, rustic
quidam, in opus incumbere non est veritus, se
mox manu eius exarescente, cruciatu intolera
bili diras violati festi pœnas luit. Tum verò pr

mùm temeritatis & inobedientiæ ſuæ ſibi conſcius,quod reliquum erat,ad patrocinium S. Antiſtitis ſupplex confugit. Sulpitius verò, quamquam admiſſum deteſtaretur flagitium, hominem tamen ſolita pietate miſeratus, vnà ſecum ad eccleſiam abduxit. Ibi ſub ara proſtratus ſacerdos Dei,preces iungit precibus: deindè domũ redijens totam noctem cum multis lachrymis in oratione tranſmiſit. Manè autem facto cùm debitas Deo preces perſoluturus ad templum veniſſet,promiſcuum cernit vulgus, hominem illum cum ſecuri intuentem:at ipſe iterùm ſe pronum abijciens pro ſalute miſeri Dominum deprecatur. Tum miſer ille doloris acerbitate victus,tam immanes cum lugubri admodum fletu clamores edidit, vt omnes immenſo pauore correptos in fugam verterit; Viro autem ſancto preces ſuas nõ remittente ſacrilegi manus ſanitatem recepit,& reus fuſis cum peccati ſui confeſſione lachrymis, ab omni reatu abſolutus.

Hæc & alia admirandæ ſanctitatis opera quamuis illum per vniuerſam regionem valdè celebrem redderent, non tamen à recto virtutum tramite in ſcopulos ſuperbiæ impellere potuerunt, ſed quò maioribus virtutum ornamentis decoratus, alijs admirabilior videbatur: eò ſeſe ſubmiſſiùs humiliuſq; gerebat. quæ res eum omnib. adeò gratum reddidit, vt plurimi ſeſe ardenti ſtudio ad eius diſciplinã aggregarent. Conſtruxerat vir Sanctus, innumerabilium clericorum ac Monachorum pater effectus, monaſteria non pauca, aliaque pietatis domicilia plurima; in quibus non modo caſtam, & ab omni profanorum hominum conſuetudine remotam, vitam

Multa condidit loca ſacra.

vitam degebant, sed etiam tam excellenti cæl
disciplinæ desiderio inflammatam, vt multis sac
rum literarum dulcedine capti, exemplo bo
viri post triduum demùm cibum caperent. Ei
enim vir sanctus inprimis & sibi & suis disci
lis proponebat, vt corporis non modò motus
tione vacuos, & prauas cupiditates reprimer
sed vt omnes sapientiæ & scientiæ opibus exc
lenter instructi, alios ad simile pietatis studiu
vocarent. Eiusmodi autem filiorum studijs pau
sanctus adeò delectabatur, vt neque in vltimo
rè spiritu, ab ijs se auelli pateretur. Vires il
Obitus sancti viri. ui senecta exhaustæ, deficiebant, cùm multi
gnium meritorum splendore coruscans, ita e
excessit, vt omnibus ad eum confluentibus, ma
mum sui desiderium reliquerit. Funus fuit m
torum lachrymis procuratum, & in basilica
quàm iam antè exstruxerat illatum. Vbi aute
sacrum corpus tumulo inferendum esset, plebs
niuersa pastoris sui absentiam non ferens, hum
prostrata voces admodũ lugubres edidit & m
tis lachrymis queremonijsque, quantum ex
morte dolorem caperet, testata est. Sed vir
ctus, vt pias suorum lachrymas abstergeret, &
nequaquam pastoralem simul cum corpore
ram deposuisse ostenderet, mox eos spiritu
Miracula post obitũ. sit, & homines varijs languoribus & morbis op
pressos ibidem præsentes, insigni clarissimoq
sanitatis beneficio affecit; Eius rei fama cum p
varias non modo ciuitates, sed regna etiam terr
rum vagaretur, innumerabilem hominum mu
titudinem varijs calamitatibus miseram, ad bea
ti viri sepulchrum inuisendũ excitauit, & in m
ximam similis consequendi beneficij spem adh
xit. quæ sanè spes cumulatè eis, quod desiderabã
pra

præstitit. Nunquam enim eos, qui debita fide in quauis necessitate Christi opem, eius patrocinio implorarunt, inanes à se demisit, sed tantis & tam magnificis beneficijs auctus & amplificatos extulit, vt omnes eius sanctitatem eximijs præconijs vbique celebrarent.

## DE CATHEDRA S. PETRI APOSTOLI, *qua primum Romæ sedit, ex ijs quæ extant apud C. Baron.*

In Not. ad Mart. Rom. & To. 1. Annal. Eccle.

18. Ianuarij.

ANTIQVA in Ecclesia consuetudine, eaque laudabili statutum erat, vt anniuersaria dies qua quis alicui sedi præfectus esset Episcopus, festiuo gaudio celebraretur. Qui sanè vsus tam in Occidentali quàm Orientali ecclesia à cunctis receptus fidelibus, in annos singulos repetitus (licet interdùm alicubi prætermissus, sed restitutus) in hodiernum vsque sanctissimè perseuerat. Et quidem de consuetudine Romanæ Ecclesiæ, cum innumera ferè extent exempla, tum S. Leonis Papæ luculenti sermones, egregiè testatum faciunt, quanta festiuitate dies illi peragerentur. Confirmat eadem S. Paulinus *a* & Hilarius Pontifex ad Ascanium, ac cæteros prouinciæ Tarraconensis episcopos scribens. De aliarum verò Ecclesiarum vsu, *b* Ambrosius, itemque Augustin. præclaris testantur monumentis, quâ festiua dies illa fuerit anniuersaria, qua ad Ecclesiarum regimen, sacri Antistites prouecti sunt. De Orientalis verò Ecclesiæ consuetudine satis monent Græcorum menologia, in quibus S. Basilij, Ioannis Chrysostomi, & aliorum agitur sedes anniuersaria dies.

Si igitur laudabilis hic vsus, ab omnibus ecclesijs

a Epist. 15. ad Seuerum.
b De Felice Commensi. episcopo. lib. 8. Epist. 60. edit. Rō.
c De die Natali; Aurelij Episcopi Cartha. ser. 3. de verbis Domini in fine. Item de sua ipsius Anniuers. die Ordinatio homil. 24 & 25.

ſijs receptus, adeò ſolemnis erat, quanta mai
feſtiuitate par erat diem illũ celebrare, quo p
mum S. Petrus, Rómę, diuino cõſilio ſedere cep
trãſlata illuc ſede, quã 7. annos Antiochiæ ten
rat. Porrò tanto celebrior hæc eſt ſolemnitas, il
qua Antiochię ſedit, ꝙ mobilis illa vel ad temp
tantum, ac quaſi per tranſitum ſita eſt; Romę ve
ſtabiliuit, firmauitq́; Deus eandem, in ęternum
Petri ſucceſſorib. permanſuram quàm, vt trad
Lib. 3. c. 3. Irenæus, doctrina munitam, traditionib. locupl
tatam, meritis illuſtratam, donis auctam, idem
Apoſtolus vna cùm Paulo etiam ſanguine con
crauit. Verùm hac die non illa tantum ſolem
tas agi videtur, qua Petrus Romæ ſedere cepit
etiam ſacroſancta illa recolitur inſtitutio, qu
Matth. 16. Domino, Petrus, petra fundamentalis eccleſię
ſtitutus, perpetuæ ſtabilitatis promiſſionem,
claues regni cœleſtis accepit.

Et quoniam Petrus non vrbis tantum, ſed toci
Catholicæ eccleſię à Chriſto eſt inſtitutus Epiſc
pus, meritò vniuerſalis Eccleſia eandẽ in vniue
ſo Chriſtiano orbe agit ſolẽnitatẽ. Cæterum
Extãt de ea duo ſerm. S. Auguſtini 15. & 16. de Sanctis. ſeruatur hactenùs in Baſilica Vaticana ipſa cath
dra lignea, in qua olim Romæ Petrus ſediſſe p
betur. Nec quis hoc miretur. Si enim ſedes ipſa li
gnea, Cathedra Iacobi Apoſt. Hieroſolymitani E
piſcop. poſt tot tantaq́; populi Iudaici naufragia
poſt illud pauendum Hieroſolymorũ excidium
ſeruata nihilominùs eſt integra, vſq; ad tempo
Euſeb. hiſt. lib. 7. c. 14. Conſtantini magni Imp. quam & ſucceſſores Ep
ſcopi, decenti honore cuſtoditã ſunt venerati, q
tam mirum, Apoſtolorũ verticis cathedram, pa
ſaltem fuiſſe diligentia cõſeruatam? Ipſa etenim
quis ſup ſe ſederit virtute miraculorũ prædica
in ligno arido viridẽ gratiã curationum cõſecuta
cum

cum per eam, Deus diuinâ opem implorantibus, beneficia præstare non desinit. Conseruatam nouimus etiã Alexandriæ, Cathedram Marci, Petri discipuli, in qua successores ob cęlestẽ in ea splẽdorem diuinitus ostensum, insidere inposterum non sunt ausi. Porrò B. Petrum anno 2. Claudij imp. Romã venisse, cõmunis omniũ sententia est. Id. n. Eusebius in Chronico, inprimis testatur, idipsum [b] Hieron. ac deniq; cæteri oẽs, qui de eo historiam cõscripserũt. hæc. n. habet [c] Eusebius: Anno 2. Claudij, Petrus Apostolus, cum primũ Antiochenã fundasset Ecclesiã, Romam proficiscitur, vbi Euangeliũ prædicans 25. annis, eiusdem vrbis Episcopus perseuerat. Et D. Hieronymus. Petrus, inquit, post Episcopatum Antiochensis ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de Circumcisione crediderunt in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bythinia, secundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis, cathedram Sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum annum Neronis. Eadem, de tempore & cæteri quoque conscripsere, vt nulla de his relicta sit dubitatio. Cæterum Petri Romam aduentum, omnes ferè rerum Ecclesiasticarum veteres scriptores, & confirmãrunt & perpetuis monumentis decorãrunt, vt [a] Irenæus, [b] Tertullianus, [c] Hippolytus, [d] Cyprian. [e] Arnobius, [f] Lactantius, [g] Optatus, [h] Hieronym. [i] Ambrosius, [k] Augustinus, [l] Seuerus, [m] Prudentius, [n] Philastrius, [o] Orosius, [p] Prosper, [q] Maximus Taurinensis, [r] Petrus Chrysol., [s] Arator, ac cæteri latinorum, qui de rebus Ecclesiasticis commẽtarios edidère. Ex Græcis verò, [t] Papias, [u] Caius, Dionysius

b De scriptoribus Eccles. in Petro.

c In Chronico.

a Lib. 1. ca. 1.
b De præscr.
c apud Prudent. in petisteph.
d De vnitate Eccles. & alijs locis.
e Aduersus gentes, & in Psalm. 106.
f Lib. 4. c. 21.
g Cont. Farmen. lib. 2.
h De Script. Ecclesiast.
i Ser. in Nat. Apost.
k Ser. 7. in Natiui. Apost.
l Histor. li. 2.
m In Peristeph.
n De hæres.

cap. 30. o Lib. 7. c. 6. p De præde. lib. 4 c. 13. q Serm. 1. & 5. in Natiuit. Apost. r Serm. in Nati. Apost. s In Acta. Apost. t Apud Euseb. lib. 2. c. 13. u Apud Euseb. lib. 2. ca. 14.

a Dionys. apud Euseb. lib. 2. ca. 24.
b Can. 3.
c Lib. 2. c. 13. & 14.
d Homil. de Petr. & Paul.
e Epist. ad Cœlestin.
f Lib. hæres. fab. in Simone, & ep. ad Leon.
g Lib. 4. C. 14.

a Dionysius Corinthiorum, b Petrus Alexandrinus, c Eusebius, d Chrysostomus, e Cyrillus Alexandrinus, f Theodoretus, g Sozomenus, ac ceteri iuniores. Ac denique ne in re toto cœlo perspicua laboremus, idipsum Sacrosancti Oecumenici Concilij, idem etiam Romani Pontifices suis epistolis, Imperatores suis edictis confirmârunt. Et quidem tanta de Petri Romam aduentu memoria, omni scriptionum genere meruit conficere, vt nec cuiusuis perfrictæ frontis hæreticus aut schismaticus, eorum, qui antè nostra secula fuerunt, ausus fuerit de eo vel leuiter quidem disputationem mouere.

Vide Cæs. Baro. in Notat. Marty. Rom.

## *VITA S. LEOBARDI, RECLVSI in maiori Monasterio propè Turones. Ex ea quæ est Gregorium Turonensem Episcopum: Floruit hic Sanctus circa annum Domini 583. Cum ipse auctor præsideret Ecclesiæ Turonensi.*

18. Ianuarij.

Genus Leobardi.

BEATVS Leobardus Auernici indigenarum oritorij, non quidem gloriosis aut aliqua gnitate claris, sed ingenuis admodũ & ectata probitate natalibus ortus est: quos ipse inde meritorum suorum gloria egregiè illustrauit. Cùm post multa virtutum & literarum ornamenta, ætas connubio apta accederet, parentes possessiones, quæ erant amplissimæ, ad eum deuoluerentur, sinè mora eum liberis procreandis operam dare voluit. Quid enim, dicebat, fili, hactenùs tanto labore cumulandis diuitijs agrorum possessionibus insudaui, si possessori genere nostro ad fruendum defuerit? At filius quamuis toto animo dura matrimonij vincu-

respo

respueret, ne tamen patris voluntatem negligere & parùm sanctam habere videretur, passus est se ijsalligari. Ducit vxorem.

Interea vtroque parente fœlici somno mortis sopito, vt exequias lugubri deformatus habitu ritè celebrauit, iustumque dolorem compleuit, nuptiali decore splendidus ad domum fratris sui perrexit, quem adeò miserè vino sepultum inuenit, vt neque fratrem agnosceret, neque domo sua recipere vellet. Ille igitur pro hospitio multis iniurijs & contumelijs à fratre acceptus, ad quoddam vile declinauit tugurium, vt ibi membra multis itineris vexata incommodis, grato vtcunque somno recrearet. Media autem nocte expergefactus, cœpit multiplicia Dei beneficia grata mente recolere, & aciem totam in diuinam bonitatem defigere. Quæ meditatio tantos in eius pectore amoris igniculos excitauit, vt ingentem lachrymarum vim profunderet: & sublatis cum insita pietate ad cœlum manibus Dominum enixè precaretur, vt sibi, quo tandèm munere possit aliquando illi gratiam referre, aut operæ suæ pensum proindè atque deberet absoluere, ostendere dignaretur. Tandem post lõga suspiria, post dulces lachrymas; ô anima, inquit, mea, quid agis? quid in ambiguo suspensa teneris? quid fluctuas? quæ est hui' mũdi gloria, vt ei toto vitæ tuæ curriculo seruire velis? Nunquid non vana sunt omnia, & breuissimo tmporis spatio circumscripta? & quæ sunt corporis deliciæ cum suauissimis mentis delicijs collatæ? Eia igitur rumpe moras, & suauissimum Christi iugum tota mente amplectere. Eius parentes moriuntur. Recolit diuina beneficia nocte. Seipsum excitat ad mũdi contemptum.

Hæc cùm effatus esset, & mens eius diuino amore mi-

re mirabiliter æstuaret, prima luce ascenso equ
iter ingressus est, incertus omninò, vel quid ag
ret, vel quò tendere deberet. Tandèm ei d

Inuisit sepulchrum S Martini.

portunè sepulchri Sancti Martini multis mi
nisque miraculis admodum celebris in mente
venit, quod miro pietatis studio inuisit, & pa
cis diebus sancti illius patrocinio inuocato,
cellulam, transmisso amne, maiori monaster
propinquam (de qua Alaricus quidam recess
rat) deuotus accessit, in qua tam excellenti vit
integritate annos viginti & duos versatus est, v
miraculorum virtute, clarus admodùm euasit.

Eius pia exercitia.

Mentem suam continua rerum diuinarum medi
tatione ad cœlestem puritatem formabat, ieiu
nijs, vigilijs, silentio & oratione in tantùm deb
ctabatur, vt neque ad momentum se auelli ab
pateretur. Porrò diuinarum cognitione litera
rum tam excellenter instructus erat, vt non mo
do se contra improbi hostis insidias tueretur, se
multos etiam alios ad virtutis & honestatis st
dium inflammaret: multos à prauitate vitæ
horrendis peccatorum tenebris, ad clarissimam
veritatis lucem & Christi amorem traduceret.
Erat ei assidua pro populis solicitudo, parum
que esse putabat, si se tota die ab omni pecca
contagione purum & immaculatum seruaret,
si etiam alios orationibus, & pijs sermonibus
dura peccati seruitute in veram libertatem ve
dicaret.

His pietatis charitatisque operibus tanq
Domini gratiam consecutus est, vt pustulis m
lis saliua oris sui perunctis, vim veneni sæuie
tis opprimeret. Febres verò nunc frigore, nu
æstu sæuientes per poculum vini, characte
Crucis sanctificatum, ita discussit, vt omnes

Potione vini, Cruce signati, febres curat.

tentet

tentem in eo quandam diuinæ virtutis vim agnoscerent.

Quodam tempore cœcus quidam audita fama virtutum eius, supplex ad eum venit, vt contacta dexteræ suæ lumina clausa aperiret. Quod vir sanctus primò constanter renuens, cùm fletibus hominis illius vinceretur, triduò pro eo orationem fudit; quarta verò die signo Crucis super oculos eius formato, pulsis tenebris, lucem restituit. Huius virtutis testimonio Eustachius Abbas adstipulator assistit. Denique longa ieiunij austeritate confectus, & oratione indesinenti debilitatus, obitus sui diem diuina reuelatione cognouit. Aduenerat dies Dominica, cùm vocato ad se ministro, vt cibi quiddam præpararet, mandauit. Quo celeriter parato, eique allato, Heus, inquit, egredere foras, & vide si missarum solennia iam peracta sunt. Hoc autem vir sanctus dicebat, vt ab omni humano consortio separatus, Angelorum septus præsidio, suauius liberiusque è corporis ergastulo migraret. Quod etiam factum est, nam minister reuersus dulcissimo mortis somno eum sopitum inuenit. Vndè non mediocriter turbatus, maximo fletu reliquos fratres ad triste spectaculum excitauit, qui funus multis cum lachrymis procurantes, illud in sepulchro, quod ipse sibi in cellula sua sculpserat, condiderunt.

Cœcum sanat.

Excedit à vita.

(.·.)

Vide C. Baron. Tom. 2. Anna. Eccl. & Notat. in Mart. Rom.

*MARTYRIVM S. PONTIANI SP... letani, Consummatum anno à Christo nato 154. ... ginij Pontificis Romani 1. Antonini verò Imper. 15. ... eo quod extat apud Frat. Laurent. Surium, ex an... quis manuscriptis Codicibus 14. Ianuarij. Sunt ... alij hoc nomine martyres, sub alijs Imperatori... bus passi, ne quis in historijs labatur: aut haesitabundus de fide earum dubitet.*

19. Ianuarij.

GRAVIS & tremenda temporibus Anto... nini persecutionis extitit tempestas, cum Fabianus praefectus, eiusdem Imperatoris mandato Spoletum profectus, inter ceteros Christiana religione ac fide praestantes, Pontianum quoque comprehendit. Quem suum ad Tribunal perductum, quo nomine appellaretur interrogauit. Cui Pontianus; A parentibus quidem meis Pontiano mihi nomen impositum est, sed ego aliud maius & praeclarius, nempè Christiani, habeo. Tum Fabianus; Abijce istam animi vanitatem, & noli te tuamque familiam sempiterno dedecore afficere. Tu hominem maleficum, & à Iudaeis in crucem actum pro Deo colis, & deos nostros, quorum beneficio conseruaris, impiè negas? Ne patiaris te praestigijs illudi, ille enim Deus tuus nequaquam te de manibus meis eripere poterit. At sanctus Pontianus, summa quadam vultûs grauitate in eum respiciés: Non tu, inquit, me impuris sermonibus, à recta in Deum fide, in fraudem, & pestem sempiternam impelles. Nec Imperator vnquam me à Christi Iesu amore, ad vanum inanium deorum cultum traducet.

Pontianus à Fabiano praefecto comprehenditur.

Pontiani fortitudo, & praeclarum responsum.

Hac

Hac Pontiani constantia vehementer commotus iudex, iussit eum vestibus nudatum virgis cædi tanta crudelitate, vt terrā vndiq; suo sanguine rigaret. Cùm autem ministri vehementiùs instarent vt inuictum eius animum frangerent: Non te, inquit, ô homo sceleste, cum dijs tuis pudet tui, quòd videas me Christi Iesu mei benignitate inuperabilem, pœnas tuas contemnere? Iratus Fabianus, præcepit vt nudis plantis ardentissimas prunas inambularet. At sanctus martyr, impresso sibi crucis signo, nudis pedibus illæsus ambulans iudicem hac voce cōpellauit; Ecce ego in nomine Domini mei Iesu Christi nudis plantis calco carbones, tu quoque manum tuam in feruentis aquæ dolium immitte, & vide, num Iupiter tuus tui mili virtute præditus, illæsum te seruare possit. Tunc Fabianus ira inflammatus, suspendi eum in equuleum iussit. Cumque carnifices plagas illi imponere conarentur, viribus protinùs destituti clamare cœperunt: Væ nobis, quia maiore nos, quàm ille, cruciatu afficimur. Manus nostræ elanguerunt, vnci sunt fracti, & omnes denique conatus nostri in nihilum reciderunt. Tum iudex mente planè & consilio destitutus, in carcerem eum compingi iussit; vbi frequēti religiosorum hominum concursu, ad martyrij constantiam, pro fidei defensione, ad vltimum spiritum retinendum mirificè confortatus est.

Atroci simè flagellatur.

Super prunas ambulat illæsus.

Suspenditur in equuleo.

In carcerē mittitur.

Audiens hoc Fabianus iussit eum è carcere in amphiteatrum adduci, vt suo sanguine duorum leonum sæuitiam satiaret. Confluxerat eò innumerabilis hominum multitudo, vt crudele spectaculum intueretur, & animos tam miserabili Christi martyris interitu pasceret. Sed eccè immanes feræ, quamuis dira fame exagitatæ, viso

Leonibus in amphitheatro obijcitur.

Pontiano adeò sunt mansuefactæ, vt demissis cer-
uicibus S. Christi martyrem venerarentur. Quæ
viso, populus, sublatis in cœlum vocibus, excla-
mauit; Verè magnus est Christianorum Deus; di-
gnum est vt sanctus Dei dimittatur. Fabianus et
populi clamoribus seditionem veritus, cõfestim
eum iterùm firmissimis vinculis constringi, & ci-
bo omni, potuq́ue destitutum, carceris squalore
necari mandauit. Cumq́ue duodecim in eo dies
hoc modo exegisset, noctis intempestæ silentio
Angelus Domini cœlesti eum cibo refecit, atque
ad certamen inuicta virtute, subeundum hora-
tus est. Ministri autem cùm iam certò eum exsin-
ctum putarent, voluerũt corpus eius, ne pestilen-
ti contagione locum inficeret, humo mandare.
Cumq́ue præter opinionem psallentem eum in-
uenirent, stupore oppressi renunciarunt Fabiano,
Christi martyrem optima corporis valetudine
præditum esse. Fabianus maiori admiratione per-
culsus, & ira simul inflammatus feruenti plum-
bo eum perfundi imperauit.

Leones eũ venerãtur.

Ab Angelo in carcere confortatur.

Ministri, his auditis, quę ad tantæ rei crudelita-
tem necessaria erant, summa celeritate parârunt.
Tum Fabianus, vt pœnæ acerbitate ob oculos po-
sita martyris constantiam frangeret, primùm san-
ctum virum in lecto ferreo extendi, & nunc blan-
ditijs nunc horribilibus minis, vt dijs sacrificaret,
excitari iussit. At martyr, cùm istos Syrenarum
cantus surda aure exciperet, plumbo feruẽti per-
fusus est; quod nõ aliter in eius dorso, quàm aqua
in marmore enatauit. Tum martyr rursus ad im-
pium iudicem; Ecce omnibus tuis conatibus elu-
sis, supplicia Dei mei virtute fracta sunt, & adhuc
in impietate tua perseuerabis? Erubesce tan-
dem & Christi Dei mei virtutem agnosce. Contra
autem

Plumbo liquefacto perfunditur.

autem Fabianus; Audi me Pontiane, & animam tuam à maiore suppliciorum atrocitate liberato, & dijs patrijs debitum honoris sacrificium deferto. Cui Pontianus; Adhuc tu auribus meis hanc iniuriam irrogare pergis, vt surda & muta idola, atque adeò dœmonia deos esse credam?

Audiens hæc Fabianus, ab impotenti animi sui ira victus, mortis sententiam in eum tulit, vt gladio feriretur. Nec mora, crudelitatis ministri arreptum foras eduxerunt; Ipse verò summa animi alacritate ad locum supplicij pergens, positis humi genibus, gratias creatori suo egit, quod præclaro certamine ad martyrij gloriam vocare dignatus fuisset. Domine, inquit, DEVS omnipotens, sit nomen tuum sanctum in omni seculorum æternitate benedictum, qui me deuicto humani generis hoste, per passionis agonem ad te venire iubes. His dictis, collum generoso animo feriendum præbuit, & agonem cum admiranda opinione virtutis consummauit, decimonono Calendas Februar. Corpus eius fuit nocte à Christianis à ponte sanguinario sublatum, & in fundo, qui Lucianus dicitur, non longè à muro vrbis Spoletanæ sepultum decimoquinto Calend. Februarij.

Plectitur capite.

## *MARTYRIVM S. FABIANI PONtificis maximi, quod consummauit Anno Christi Saluatoris 253. Decij Imp. cùm sedisset annos 15. & dies 4. ex ijs quæ extant apud Cæs. Baron.*

Tom. 1. Annal. Eccles.

POST Anteri mortẽ, Fabianus natione Romanus, vna cum alijs ex agro Romam com-

20. Ianuarij. Passio eius.

migrans,

migrans, ibi sua collocauit domicilia, vbi diuina & cœlesti gratia largiente, ad cleri administrationem, mirandum in modum euectus est. Nam cum omnes fratres causa deligendi eius qui Episcopatũ gereret, in Ecclesia conuenissent, & multi de multis illustribus & præclaris viris, ad illud munus obeundum idoneis cogitarent, quanquam Fabianus, qui tum fortè præsto erat, nemini in mentem venerat, derepentè tamen columbam e sublimi deuolantem, quæ similitudinem Spiritus sancti, super Saluatorem in specie colũbę descendẽtis repræsentare videbatur, eius capiti insedisse memorant; ac propterea populũ vniuersum, vter vno sacrati Spiritus instinctu cómotum, magna cũ alacritate, & vno animorũ consensu, eum dignum eo dignitatis gradu acclamasse, & absque mora abreptũ illum in sede Põtificia collocasse.

Matth. 3. Columba cœlitus in caput eius descendit.

Creatur sũmus Pontifex.

In quę verò difficillima tępora Fabiani sedes inciderit, tũ Herodianus, tum etiã Iulius Capitolinus, in reb gestis Maximini demonstrant. Post innumeras aũt cędes, à Maximini ministris, in quoscunq; licet innoxios immaniter perpetratas, rerũ status ex insperato mutatur. Nam delectis hoc anno in Africa Gordiano Procõsule, eiusq; filijs imperatoribus, eosq; approbante Romano Senatu, Maximinumq; hostẽ iudicante, primus omnium Vitalianus præfectus Prætorio, qui in ciuiũ sanguinem ferociter desæuierat, nec non etiam Sabinus vrbi præfectus, ijsdem morib. cõparatus & ad Maximini voluntatẽ ambo egregiè accõmodati, occisi sunt. Sed & post hæc, inter Prætorianos milites, qui stabant à Maximino, atq; populũ eos insectantẽ, in eosq; sæpè impetũ façientem, ingens dissidiũ conflatũ est. His. n. eos inuadentibus, illis aũt resistentibus ac validè repugnantibus, magna

Libr. 7. In vita duorum Maxi.

Seditio magna Romæ.

facta

facta est vtriusq; partis occisio, vsque adeò vt vrbs ipsa à militibus inflammaretur; cum interea amborum Gordianis, agente cõtra eos Capeliano Numidiæ ac Mauritaniæ Præfecto, extinctis, à Senatu, Clodius maximus, Pupienus & Cælius Balbinus, qui subeant curam imperij deliguntur: à quibus & cooptatus est Gordianus, semeris Gordiani nepos, puer in Cæsarem. Cæterum has adeò immenas atque pauendas cuique turbas, ipsum que atrocissimum ac periculosissimum ciuile bellum, quo non Romæ solum, sed & in toto propemodum Romano imperio facta est mutatio magistratuum cohibuisse credimus Maximinum, à sæuissima illa fidelium persecutione coactum nimirum sua curare negotia.

Bello Ciuili retrahitur Maximinus à Christia. persecutione.

Porro nec multò post, Maximinus cum ex Germania in Italiam, superatis Alpibus, Aquileiam vrbem munitissimam expugnaturus venisset, & re infecta, fortiter ciuibus, omnia frustra tentaret, à militibus sæuitiam illius pertæsis, vna cum filio obtruncatur. Quorum capita à ceruicibus abscissa, & Romam transmissa, perterrefactam vrbem, propinquoque eius aduentu penitus fractam & consternatam, erexerunt. Extinctis igitur duobus Maximinis patre simul & filio augustis. Maximus Pupienus & Clodius Balbinus liberas imperij capessunt habenas, summa animorum concordia. Sed & illis à militibus post varia ludibria & cruciatus, trucidatis. Gordianus Cæsar antea creatus annum tunc agens Sextumdecimum, ab ijsdem militibus Augustus acclamatus est. Cuius sub imperio extinctis penitùs bellis ciuilibus, summum otium & pax in ecclesia tranquillissima nata est.

Summa pax in Christi ecclesia sub Gordiano Imp.

Qua in primis pace & occasione Ecclesiarum præsides benè vsi, Christianam religionem propa-

gatam

gatamq; illustrare ędificijs, pro virib. studuerun
Hinc factũ, vt Fabianus multa in cæmiterijs æd
S. Fabianus erigit eccle-sias. cia fieri iusserit. Quæ enim subtus terrâ latebat
in cryptis sanctorũ martyrũ sepulchra, erectis d
super ædificijs, reddita sunt clara atq; conspicua
Christianorũq; vsui opportuna, qui ex more ea
Hæreses pro-figantur. cæmiteria, vt orarent, adire solerent. Hac eadẽ pa
ce, omnẽ nauarũt operã sanctissimi episcopi, v
hęreticos à Dominico grege fugarent. Qua de cau
Concilium Africanum aduersus Priuatum hæreticum qui damna-tur & excõ-municatur. sa congregatum est in Africa Conciliũ nonagin
ta episcoporum aduersus priuatum hæreticum
sicq; episcoporũ omniũ sentẽtia, dãnatũ, Fabianus
quoq; Rom. ecclesiæ Pontifex, & Donatus qui hu
temporib. præfecturam Carthaginensis eccles
administrabat, paribus votis impiũ hominẽ sa
litteris infamia sugillatum, Priuatum, ecclesiast
ca communione priuarunt.

Gordianus Imp. trucida-tur. Pòst hæc verò, cum vehementes in Gordianum
irę militum famis caussa, exortæ essent, iussu P
lippi, cui prętectura prętorij, magistratus ampli
simus, collata fuerat, crudeliter atq; turpiter occ
ditur: Imperiumque ab homine regnandi cupid
occupatur. Cæterum cum vrbis Natalis mille
mus ageretur, anno Imperij suo quarto, inani reli
gionis superstitione conflictans, deorum numina
sibi propitianda esse existimauit, gratesq; agendæ
quod deorum, vt putabat beneficio, in annum illi
peruenisset. Pontius eo tempore insigni prudẽ
tia & religione vir, prætecturam administrabat
Duo Philippi pater & filius Imp. duobusque Philippis Impp. patre nimirũ & filio
admodũ vtebatur familiariter. A quibus ad eam
impietatem cum inuitaretur, neque posset rogan
tes vt amicum, & cogentes vt subditum, subterfu
gere Imperatores, credens sibi oblatam à domino
occasionem. O pijssimi inquit, Imperatores, cum
à Deo

à Deo vobis collatum sit augustum, in homines imperium, cur non eum potius adoratis, à quo tanto aucti estis beneficio? Cui Philippus, Ego vero ea causa, magno Deo Ioui sacrificare cupio, quod à illo hæc mihi collata sit potestas. At Pontius subridens, Ne erres, inquit, ô Imperator, est Deus Omnipotens in cœlis, qui omnia condidit verbo suo, & spiritus sui gratia animauit. Quid plura? Imperatores his & alijs eius sermonib. permoti crediderunt, & à S. Fabiano Papa baptizati sunt. Porrò Fabianus & Pontius Fani iouis idola confregerunt, ipsoq; templo funditus euerso magnam populi multitudinem salutaribus vndis Antistes expiauit.

Duo Philippi à Pontio præfecto ad Christi fidē conuertuntur & à S. Fabiano baptizantur, cum turba copiosa.

Cæterum vir sanctissimus, cum tota mente viribusque Christi ecclesiam propagaret, ornaretq; inter alia eximiæ pietatis officia, septem diaconis regiones diuisit, singulis binas assignans, vt pauperum in eis degentium curam gererent. Vndè est nomen ex munere inditum, nempè vt ijdem Diaconi Regionarij dicerentur, qui etiam in Concilio Rom. sub Syluestro nominati reperiuntur Diaconi Cardinales, quod licet diuersis in locis agerent vnus tamen ecclesiæ, eiusdemque primariæ, cardine continerentur; cum alioqui non deessent aliarum ecclesiarum in vrbe existentium Diaconi, in singulis saltem duo, vt eiusdem Syluestri Papæ in Romano Concilio institutio edita ostendit.

Concilium Rom. 2. c. 6.

Igitur Philippis Impp. ad Christi castra hoc modo translatus, pax multo adhuc maior ecclesiæ concessa est. Qua occasione vltrò citroq; dādis inter se litteris tutiori patefacta via, Origenes, Fabiano Rom. Pōtifici alijsq; permultis ecclesiarū prę fatis, suā rectā & orthodoxā de fide Christ. scripsit sententiā. Dionysi⁹ nāq;, licet eiusdē Origenis olim fuisset discipulus, attamen veritatis æstuās ardore

Origenes scriptis causam agit, apud Fabianū Papam.

nullam eius rei ducens rationem, & Deo cun[illegible] posthabens, ipsum Originem, qui iam scripta [illegible] multis erroribus aspersa euulgarat, ceperat ac[illegible]ter impugnare, & in multis hæreseos accusare. O[illegible]rigines autem, cum tot tantaque à se scripta [illegible] edita, haud facilè corrigere aut emendare pos[illegible] aut vellet, hac vna tantum via, suæ integritati con[illegible]sulere satis arbitratus, recte fidei professionem primo ad Fabianum Roman. Pontificem, tanquã ad totius Catholicæ ecclesiæ præsulem, mox ad a[illegible]lios Episcopos misit. Nec eo contẽtus fortè, quod Fabianus scriptæ confessioni non acquiesceret, ipse Romam cõtendit, & causam suam peroraui[illegible]

Origines Romæ apud Fabianũ se purgat.

Vtroque verò postea Philippo miserabili [illegible] sublato, cum Decius Christianorum persecu[illegible] acerrimus, imperium inuasisset, Gentilium [illegible] furor natiuus, inueteratumque in Christianos [illegible]dium, Philipporum auctoritate diu repressum [illegible]psorum morte, mox veluti rupto aggere, mag[illegible] sese impetu in Christianos effudit, omnes sub R[illegible]mano Imperio sitas inundans ecclesias. Conti[illegible] enim summos ecclesiæ vertices, qui videban[illegible] esse columnæ, violento quodam impulsu secu[illegible] abripuit, inter cæteros quidem clarum hunc p[illegible] omnia, multisque eximię sanctitatis ornamen[illegible] decoratum, Romanum antistitem Fabianum [illegible] tẽporaria hac vita deposita diuinæ victoriæ pr[illegible]mia reportauit. Pontificiam verò dignitate[illegible] cum summa laude administrauit, Annos 15. & di[illegible] 4. fecit ordinationes 5. per mensem Decembre[illegible] Presbyteros 22. Diaconos 7. Episcopos autem per diuersa loca 11. Sepultus est in Cæmiterio Callisti, via Appia. Vacauit sedes eius Anno 1. & amplius.

Vterque Philippus Imp. necatus.

Atrocissima in Christ. persecutio initio regni Decij Imp.

S. Fabianus Martyrio occumbit.

Ordinationes eius.

Locus sepulturæ eius.

ILLV. [illegible]

ILLVSTRE CERTAMEN B. SEBAstiani martyris, & aliorum plurimorum. &c. ex eo quod est apud F. Laurentium Surium, fide dignissimum. Decertauit in agone, Anno Saluatoris 286. Diocl. & Maximin. Impp. forte 3. nam quonam Anno Imperij eorum certamina ad finem producta sint, incertum est.

Vide Cæs. Baro. in Notat. marty. Rom. Item Tō. 2. Annal.

SEBASTIANVS ciuitate Narbonensi oriundus, vir Christianæ religionis præstantia ornatissimus, vt Mediolani animum omnibus maximarum artium disciplinis excoluit, spectata virtute sua Diocletiano & Maximiano Imperatoribus ita charus euasit, vt ab ijsdem honorificè inter Prætorianos milites assumptus, principatu insuper primæ, cohortis decoratus fuerit. Erat iustitiæ ornamentis ita præclarè excultus, vt milites haud secus ac parentē eum venerarentur: vniuersique, qui palatio præerant, summo amoris & beneuolentiæ studio complecterentur. Hasce autem virtutes, occulta in Deum pietas, tanquam facula quædam illustrabat: eumque indies magis magisque amabilem reddebat Christo enim Domino nocte dieque sedulo religionis deseruiebat officio, prudenter sacrilegos reges fidem suā celans, vt sub terreni Imperij chlamide, cælestē interim militiam excoleret: infestaque dæmonū signa à Christianis propulsaret. Multi enim, supplicium tempestate acrius ingruente, perfidi à Christi castris resiliebant, multi timore prostrati congressum certaminis formidabant. Agonotheta Sebastianus, quamuis martyrij gloria vehementer flagraret, sese tamen continuit, illumque pietatis

20. Ianuarij.

Patria eius

Præcipuo in honore habetur ab Imp.

Celat fidem ac pietatem suam Imp.

tatis ac fidei suæ igniculum studiosè occultat
vt nutantes bellatores, suis sermonibus cons
maret, stratos erigeret, denique quam pluri
palma coronatos ad cœlestem gloriam transm
teret. Quod qua ratione acciderit, non erit abs
paulò fusius explicare.

Marcellia. & Marcus egregij martyr.

Erant eodem illo tempore gemini fratr
Marcellianus & Marcus, qui claris admodu
orti natalibus, Tranquillino patre, matre vero
Martia, generis dignitatem & splendorem Chri
stianæ fidei lumine longè superabant. Pro Chri
sto enim in vincula coniecti, carceris squalorem
Sebastiani maximè hortatibus confirmati, in
uicta pietate sustinebant. Itaque præsenti vit
facilè spretam, damnationis excepêre sententiam
ea tamen conditione, vt si vel in vltimo vit
termino constituti, Deos agnoscere vellent pr
stinæ libertati, parentibus, vxoribus liberis &
omnibus facultatibus restituerentur. Tendebant
interim alacres ad agonem, patre, matre, conso
gibus, liberis, & ingenti cognatorum caterua eo
cum luctu ac lachrymis ad certamen prosequen
tibus. Et quia natalium splendore præstabant
parentes haud difficulter ab Agrestio Chromat
tio vrbis præfecto triginta dierum inducias im
petrârunt: vt eo interim tempore ad sacrifican
dum illos iuuitarent. Interea verò amici da

Tentatio vehemens injicitur SS. Marco & Marcellia-no à cognatis.

monis insidijs certatim instructi nullis non ver
borum lenocinijs ac lachrymis animos eo
rum tentare, dulcem lucis vsuram antiqui se
pentis sibilo instillare, miserandam pare
tum, coniugum, ac dulcium præcipuè pi
gnorum orbitatem proponere, denique nihil
non moliri, vt inuictum ad illam diem Christia
næ pietatis robur in sacris frangeret pectoribus

Amici

Amicis autem hoc modo eos impugnantibus, superuenit genitrix, flebili eiulatu miseram se clamitãs. In cõspectũ verò filiorũ adducta, solutis crinib. canos suæ senectutis ostẽdere, sciſſaq; qua pectus regebatur, veſte, cuactis lachrymantibus, marcidas, laxis iam pellibus, quas iuxerant nudare, mammas: blandimenta, quæ illis adhuc infantibus exhibuiſſet, multum eiulans commemorare. A Matre.

Interim illa suas lamentationes proſequente iam senio grauis, ſeruulorum manibus adducitur pater, qui cygnæum caput puluere aſperſus, lamentabiles admodum voces ædidit: cunctos ad suæ miseriæ ac ploratùs inuitans consortium. Quæ dum fiunt amborum coniuges cum infantulis, matrum amplexibus tenerè inhærentibus, adolẽunt: muliebri eiulatu ac fletu etiam robuſtorum animos emollientes. Quid multis? Ea fuêre earum lencinia, deplorationes ac lachrymæ, vt Chriſtianorum militum robur paulatim enerturent, ac ſacrilegum dolorem fractis animis ingererent. Huic ſpectaculo Sebaſtianus fortè intererat, qui vt Chriſti athletas immenſo certaminis pondere prægrauatos animaduertit, ilicò in medium proſiliens, vultu inflammato talem ad eos orationem inſtituit: Hactenus diuini prælij bellatores, inuicta animi virtute egregium de mundo, carne, & Satane triumphum egiſtis, & nunc ſempiternam cæleſtis gloriæ coronam fœmineis victi eulatibus deponetis? Nolite victoriarum veſtrarum inſignia per mulierum blandimenta abijcere, & ſubiectas pedibus veſtris hoſtis deuicti ceruices, ad rediuiua iterum bella laxare. Erigite igitur à terrenis affectibus gloriosum veſtri certaminis trophæum, & nolite illud amitte. A patre. A Coniugibus & liberis. Molleſcunt animi martyrum. S. Sebaſtianus animos eorũ rurſus erigit.

amittere ob fletus paruulorum. Isti quos plora-
tes attenditis, gauderent hodie si possent sci-
quæ nostis. Si enim scirent aliam esse vitam mo-
tis ignaram tristitiæ nesciam, in qua beata imm-
talitas sine fine regnat, profectò ad illam vob-
festinarent pertingere, & hanc vitam breuissim-
remporis spatio circumscriptam, & mille dolo-
ribus circumuentam pro nihilo reputantes, illam
appeterent, quæ incredibili gaudio circumfusa
in omni seculorum æternitate permanet. Hæc au-
tē præsens vita quid quæso habet quod tāto studio
tantaque auiditate retinenda vobis videtur? Non-
quid non est plena fallacijs & dolis, & vsque ad-
eò infida, vt neque sui amatoribus fidem seruare
potuerit vnquam? Certe ab ipsa mundi origine
se fidentes fefellit, omnes sui cupidos delusit, di-
ctos de se præsumentes irrisit, & plurimos nimi-
um sui amantes in pestem & perniciem sempite-
nam impulit.

S. Sebastianus Conuertit orationē suam ad parentes & amicos martyrium

Hæc est vita, quæ vos fallit, ô amici charissimi,
vt amicos vestros ad veram sempiternamque vi-
tam euntes, iniusto consilio reuocetis. Hæc vi-
instigat ô parentes sanctissimi, vt filios vestros ad
cœli comitatum proficiscentes, stultissimis lamen-
tationibus retrahatis. Hæc est, quæ vos ô castissi-
mæ coniuges beatorum, sub pietatis prætextu ad
impietatem mentes martyrum fecit impellere, &
mortem pro libertate illis adferre. Si enim imp-
is vestris persuasionibus consensum præbuerint,
pauco quidem tempore vobiscum falsis huius
mundi voluptatibus perfruerentur, at postea ne-
cesse erit vos mortis imperio separari, & ita se-
parari, vt non nisi mutuo conspectu interpe-
petua tormēta cruciabimini, vbi edax flamma in-
credulorum animas deuorat, vbi dracones ea-

Proponit eis futura gehennæ supplicia.

tare

tarei blasphemorum labia comedunt, vbi vlulatus & gemitus horrendus personat, confususque clamor dissonis vocibus excitatus dolorum acerbitatem auget. Hæc autem calamitas, quæ pro minima sui parte explicari non potest, nullo vnquã termino definitur, nullo fine concluditur; sed miserilli ita flammarum atrocium combustione corroduntur, vt ad rediuiua semper incendia, qui adusti fuerant, reparentur. Has igitur pœnas & hos finite euadere, & vosmetipsos ab illis eripere conamini; permittite interim hos fœlici certamine ad pręparatam gloriam pertingere. Nolite timere: neque enim, vt vos putatis, à vobis separabuntur; sed vadunt vobis fidereas in cælo prępparare mansiones, in quibus vna cum illis, & cum filijs vestris sempiterna fœlicitate perfruamini.

Si ergo vos domus vestræ ex lapidibus constructæ delectant, quanto magis illarum vos debet pulchritudo inuitare domorum, vbi sunt triclinia auro radiantia, suoque splendore oculorum aciem perstringentia. Si diuitias diligitis, tantoq; labore eas quærẽdas esse putatis, vt nulla propter eas pericula recusetis, vbi quæso tutius eas collocabitis, quam apud eum, qui eas amplificatas & auctas restituere vobis potest? quare si vere diuitias vestras amatis, ipsi custodiendas tradite, qui vobis eas largitus est; quas si illi credere nolitis, certè edacitas gulæ inuadet, aut luxuria, libidinum mater, vobis eripiet, aut sine dubio, quod nostis omnes, mors de improuiso aggrediens, ita vobis extorquebit, vt neque illas deinceps habere, neq; videre possitis.

Restat nunc, vt hoc modo diuitijs vestris in tuto repositis, ad delicias veniamus, quas qui verè amant, sibi hac ratione philosophantes audiant,

verè amatores nostri estis, illi nos commendat
qui nos vobis integras illibatasque in illa regi
ne restituat, in qua nulla aduersitas, nullaq; æg
tudo nos vobis præripere potest. In hac enim vi
caduca, si nos vobis obsequi volueritis, quasi h
expensæ & exhaustæ, ibi vobis omnino negab
mur. Et quæ est vitæ huius longinquitas, in qua
mille doloribus nobis obsequi vultis? Esto, quo
vita hæc per centum tendatur annorum spatia, a
non, vbi extremus aduenerit dies, tanquam fum
ad modicum apparens videbitur fuisse, & instar
hospitis, vno apud nos die manentis, vestigiare
quisse? Illa autem vita, quæ nunc constãter & pru
denter est inquirenda, in omni ęternitate perseu
rat, annisque labentibus iuuenescit, & pullul
indè renouationis sumit initium, vnde finis acc
pitur. O verè illum degenerem & omnis boni e
pertem, qui huius tam formosę vitæ amore ne
capitur, qui timet hanc perituram perdere, & i
lam accipere, quæ perire penitùs non nouit.

Nolite ergò, ô amici, ô parentes, ô coniuges v
nerandæ sanctorum, nolite à vita ad mortẽ, qu
diligitis reuocare, à gaudio ad luctum deducer
& ab æterna requie ad pœnas sempiternas acce
sere. Hoc est enim cum Diabolo, quasi piscibus h
mum tendere, & ad exiguam hauriendam suau
tatem allicere, in qua intus dirus lateat viscerum
cruciatus, & mors interiorum tormentis extorta
Sed fortassis opponitur nobis, quamobrem Chri
stianus tormenta non metuat, & præsentis no
terreatur pœna tortoris. Nimirum idcirco no
frangitur metu, ideò dolores nõ pertimescit, qu
scit se per breues cruciatus & momentaneam ter
bulationem, ad perennem fœlicitatem & semp
ternam lætitiam peruenturum.

Ratio constantiæ Christianorum.

Sed

Sed si tamen dolor omnino timendus est, si carnifex, si noua & exquisita pœna tortoris; quæ magis metuenda, quæ horrenda & fugienda magis? istane quæ hodie exardescit, & cras refrigescit? quæ sub vna hora inducitur, & sub vna hora excluditur? an illius potiùs, quæ nullo fine concludirur, nullo tempore extinguitur, nulla prorsus vetustate consumitur? Nam præsens dolor, aut leuis est, & potest tolerari: aut grauis est, & citò glorioso certamini adfert finem. Ille autem pœnarum dolor, & cruciatus incendij qui huius vitæ amatores manet, cum sit quouis tormentorum genere vehementior, nunquam finiendus aggreditur, & acrius subindè quam inchoauerit, sæuit. Ab hoc ergo interitu hortemur euadere quos amamus, & nosipsos ad euadendum fortiter præparemus; nec timeamus vna hora ferre dolorem in corpore: qui optamus æternum gaudere cum Christo.

Hæc aliaque, quæ breuitatis gratia omittimus, Beatus Sebastianus cum peroraret, indutus chlamide, accinctus balteo, subitò tam eximio splendore cœlitus, perfusus est, vt candidissimo ab Angelis pallio amictus dicatur. Hæc autem in domo Protoscriniarij nomine Nicostrati gerebantur, cuius coniux quam Zoen appellabant, ante annos sex vehementi morbi cuiusdam infestatione, linguæ beneficio priuata fuerat. Hæc attentissimas Sebastiano peroranti præbuerat aures, certam interim in spem adducta, se illius virtute amissum linguæ recuperaturam beneficium. Itaq; vt peroratum est, illa genibus nixa supplices ad eum protendere manus, rancidam ædere

S. Sebastianus ab angelis candido amicitur pallio.

vocem, profusis lachrymis opem expostulat
Cui vir diuinus cognita ex alijs miseriarum ca
benignam porrexit manum; conuersusque
ad cætum: Ecce, inquit, equidem si verus Iesu Ch
sti seruus sum, & vera sunt omnia, quæ ex e
meo hæc mulier audiuit & credidit; redeat
eam eiusdem Domini virtute officia labiorum
consignansque eam crucis trophæo, protinus
ennes illę, linguæ, dissolutę sunt fibræ. Quo ac
cta beneficio mulier, grata vtique voce in De
laudes prorupit, ac tota mentis virtute Christ
dem amplexa in eiusdem misericordia acquie
te mirificè exultauit. Nicostratus autem, vbi
raculi magnitudine, ac Christi potentia cog
stim sanctis martyribus Marco & Marcellia
vincula detraxit: supplexque ad genua eorum
lachrymis prouolutus tanti criminis veniam p
stulauit. Quem martyres ad alacritatem & co
stantiam fidei hortantes consolati sunt. Illo
tem vrgente & instante, vt soluti in turbam
reciperent, ac imminentem suppliciorum atro
tatem fuga redimerent, martyres intulerunt, fi
fidei gloriam, cuius hactenus expers fuisti, fru
lari Dei dono accepisti, quomodo nos hoc cæ
ste donum quo ab infantia dotati sumus defere
tes, tibi passionis nostræ calicem dabimus, quo
propinare quidem possumus, dare certè non p
sumus? Dives autē in omnib. est Christus, qui la
ga vbertatis suæ affluētia omnib. ad se venient
meliora præstat, q̄ rogatur. Si ergo vobis incred
lis lumē veritatis collatum est, quanto magis cr
dentib. omnia, quæcunq; petieritis, largietur
des vestra à magisterio sūpsit exordiū, & omnia
annosa eruditio vix confert, vnius horæ spatio
pistis. Nulla vos parentum impedit memoria, p

Nicostrati vxori loquelam restituit

Nicostratus conuertitur ad Christū post vxorē.

lus teneræ prolis reuocat affectus; contẽnitis subitò, q̃ insano amore hactenus possediſtis, & quęritis quod nunq̃ sciuiſtis. Perorantib. hæc aliaque martyribus ingens omniũ fletus, ac vera animorũ pœnitudo consecuta est; quos Marcus hac oratione in Christi amorem magis magisq; cõfirmauit. Discite parentes chariſſimi & cõiuges dulciſſimę aduersus pugnam Diaboli & cõtra omnes carnalium desideriorum sagittas clypeum virtutis opponere. State inuicti, & omnia tela nequitiæ constãter repellite. Insurgant ac sæuiant quantum volunt dæmonum satellites, omni pœnarũ genere oblida hæc membra, & breui nihilominus interitura concidant, dilanientq;: certe animas, quò min⁹ ad suum rendant Creatorẽ, prohibere nõ poterũt. An ignoratis suscepta p Imp. vulnera milites reddere glorioſos? Et ideo animarũ hostis, tyrannidis suæ furore percitus nunc sæuit, qa perseuerantiæ nostræ trophæo suũ prævidet tormentũ: & ideò supplicia infert, ne spes eius pereat; mortẽ minatur vt terreat; vitam promittit vt eripiat, securitatem pollicetur: vt tollat; hęc vniuersi moles belli, hoc fraudis consilium, vt corpus à supplicijs eripiat, animam verò in vitiorum omnium sentinam deijciat. Et cur quæso fortiſſimi Ducis bellatores timidis & nulla virtute præditis, terga vertant, & in eo bello deficiant, in quo possunt esse victores? Cur mortem expauescant, qui sciunt hanc cũctis mortalib. à natura, non pœna constitutam? Cur mortem subterfugiant, qui credunt præsentẽ vitã fallacẽ & mille casib. obnoxiã esse? nec verã apprehendi posse, nisi qui, spretis temporaneę vitę illecebris, tota mentis virtute eam concupiscit? Quid præsens vita, nisi scelerũ omniũ sentina? quę tãmora suadet, crimina ingerit, menti tenebras

&obliuionē ęternitatis offūdit, vt miseros in sem-
piternū interitū p̄cipitet; hanc ciuē igitur tā pe-
naciter adamabim⁹, cui⁹ amatores grauis freq̄
ter ruina opprimit, fulmē ꝑcellit, naufragia ꝑdit
vorax Charybdis absorbet, gladi⁹ iugulat? Et qui
dē p̄senti hoc modo amissa timendū, ꝙ miseri ista
ad alterā rarò ꝑueniūt. Ad illā.n. non pœna, sed
causa ꝑducit. Vno.n. eodēq; pœnarū genere, & in-
nocētib. sal⁹ ęterna cōfertur, & delinquētib. atrox
suppliciū irrogatur. Hęc Marco ardēti spiritu ꝑse-
quente, oēs infusi lachrymis nouo dolore nostati
sūt, quāto Dei amore tenerētur; pudore insuper sa-
lutari ꝑfusi ꝙ martyres suis blanditijs à martyrij
corona auocâssēt. Itaq; omnib. sua nomina cer-
tim Christo cōferentib. Nicostrat⁹, vna cū cōiuge
tāto fidei exarsit ardore, vt cibū potūq; se admi-
surū negaret, nisi omnib. pri⁹ Christianæ fidei my-
sterijs initiat⁹ foret. Cui S. Sebastian. fac ocyus, vt
mutata dignitate, iā deinceps non Vrbis Præfectū
sed Christi Protoscriniarius inueniaris. Vinctus
oēs pariter adducito, vt cū ijs, q̄ sacra mysteria su-
cipere volunt, vitalis aquæ particeps fias. Ea.n. est
Dei nostri benignitas, vt quibusuis etiā sceleribus
inquinatos recipiat, abstersaq; peccatorū omniū
fæditate, diuinis iustitiæ muneribus exornet. Nec
mora. Nicostratus ad Claudiū Cōmentariensem
cōtendēs, vinctos oēs ab eo recepit, hoc videlicet
prætextu, ꝙ Prętorio examine sistendi forent. Ad-
ductos verò in cōspectū sanctorū, Sebastianus pia
inprimis oratione ad scelerū pœnitudinē hortat⁹
est: deindè Christum ac fidei donum illorum in-
gerens aurib. ita cōclusit. Si ea mētis insania fui-
stis, vt relicto Creatore vestro, dæmoni inseruire-
tis.. qui hac vos nunc mercede remunerat, vt le-
thali exitu, ex hoc mundo ad æterna supplicia
trans-

Magna Dei gratia & benignitas.

S. Sebastianus homines sceleratos & mortis reos ad Christum conuertit.

translatis, quanto magis ad eum redire conuenit, qui tam tenero nos amore dilexit, vt filium suum vnigenitum daret, eiusque supplicio ac morte ab æternis nos supplicijs eriperet. Hæc Sebastiano dicente, vinctorum turba in lachrymas profusa, magno eiulatu admissorum criminũ pœnitudinẽ testata est: parata deinceps sub signis Christi militare. Quos vinculis exemptos B. Sebastianus ad fidei signacula percipienda adoptauit. Iamque animis eorũ ritè præparatis, Polycarpum insigni sanctitate presbyterum adduxit, qui visa multitudine incredibili gaudio exultabat.

Interea verò Vrbis præfectus certior factus, de reorum omnium ad domum Nicostrati translatione, indignabundus eum ad se citauit, vt vel rationem facti sui redderet, vel pœnas audaciæ confestim lueret. Nec expauit quidquam nouus Christi miles, qui pia hac fraude Præfecto imposuit; Quandoquidem, inquit; Christianorum custodia à T. Amplitud. mihi concredita fuit, decreui equidem eos omnes mortis supplicio damnatis sociare, vt si proprio motu iussioni vestræ nostræque persuasioni consentire nolint, saltem alieno admoniti periculo, acquiescant, ac metuant ne similis eos pœna concludat.

Gratum ac ratum habuit hoc Præfectus, haud exiguo eum præmio afficiendum asserens, si Marcum & Marcellinum à Christi confessione auellere posset. Missus itaque factus à Præfecto Nicostratus recta domum abijt, Claudio Commentariensi comitatus; cui in itinere cuncta ex ordine narrauit: & Sebastiani pietatem ac fidem, & immensam claritatem, qua cælitus circumfusus fuerat, & miraculum quo vxori suæ linguæ beneficiũ restituerat. Quæ Claudium ita permouerunt

runt, vt prouolutus ad genua Nicostrati supplex pro sanitate filiorum suorum precaretur. Erat enim sa.n. coniuge filiorum alter hydropis morbo fatigabatur, alter diuersis vulneribus fœdatus extremo parenti calamitati erat. Igitur concepta sanitatis fiducia, Claudius vtrumque fideli ministerio in cœtum sanctorum intulit, magna voce cõfessus se Christum verum Deum credere, eiusq; beneficio filios suos sanitatẽ consequi posse. Aderat mysteriorum fidelis minister Polycarpus, qui ad sacramenti gratiam aspirãtium nomina excepit. In primis Tranquillini, Marcelliani & Marci parentes; quem sex eorum amici, Ariston, Crescentius, Lutychianus, Vrbanus, Vitalis & Iustus secuti sunt.

Nomina eorum qui à Sebastiano ad Christum cõuersi sunt.

Hos Nicostratus cum fratre suo Castoreo, & Claudius Commentariensis, eiusq; filij Felicissimus & Felix. Indè illustri pietate ac genere matronæ tres, Martia genitrix Marci & Marcelliani, Symphorosa coniunx Claudij, & Zoë vxor Nicostrati, horum fidem ardoremq; pietatis, familia deinde omnis pari virtute imitata est: promiscui sexûs & ætatis numero triginta tres. Postremò vincti omnes, & carceris squalore adducti sexdecim. Hi à Sebastiano lustralibus admoti aquis, à Polycarpo expiati sunt. Ante alios Claudij filij, vt salutari vnda perfusi sunt, ita sani & incolumes astitêre, vt ne vestigium quidẽ morbi appareret. Tranquillinus verò eiusdem lauacri virtute à podagra & chiragra ita subitò curatus est, vt præ gaudio, lachrymabũdus in Christi confessionem erumperet. Quæ miracula omnium animos ad martyrij gloriam incredibili ardore accenderunt.

Claudij filij baptismate etiam à corporeis morbis curãtur. Item Tranquillinus.

Inter hæc, diebus acceptæ dilationis expletis, Agrestius Chromatius, vrbis Præfectus Trãquillinũ accersit cupidus audiendi, quem fructum apud filios

filios feciſſet. At pius & fidelis ſenex, diuino plenus ſpiritu, Chriſtianæ fidei myſteria, pro ea, qua pollebat, facultate, ei proponere, deorum vanitatem arguere, Chriſti potentiam ac benignitatem minimè extollere, fidei ſuæ ardorem dictis pariter ac factis oſtendere. Præfectus verò, etſi vim myſteriorum non perciperet, contemplatione tamen ſanitatis, qua Tranquillinum cum ingenti admiratione integrè frui cernebat, vehementer mouebatur, tactus quadam fiducia idem beneficium conſequendi. Igitur cùm acerrimis podagræ doloribus exerceretur, nocte concubia Tranquillinum ad ſe vocauit, oblatoque immenſo auri pondere, dic, inquit, quo medicamine ſanitatem comparâſti, amplioribus à me afficiendus muneribus, ſi miſerum à podagræ cruciatu pariter liberaueris. Cui Tranquillinus, reiecto auro, Chriſtum inculcauit: conſtanter affirmans ſe ipſius gratia ſolius incolumitatem adeptum. Tunc Chromatius non tam fidei amore, quàm ſpe ſanitatis impulſus, Polycarpum vnà cum Sebaſtiano aduocauit, qui eum triduano ante omnia ieiunio præparatum, catecheſi inſtruxerunt: inſtructumq; ad idolorum contritionem hortati ſunt. Annuente Præfecto vna orationis virtute, ducenta ilicò proſtrauerunt, Chromatio nihilominùs in morbi cruciatu permanente. Qua re Polycarpus & Sebaſtianus ſtupefacti, Chromati, inquiunt, niſi a lio infidelitatis ſcelere alligatus fores, iam omnis vis morbi, quæ te exagitat, fugata eſſet. Dic igitur, ſi quæ alia in domo habes idola? Tum illis cubiculum vitreo opere oſtendit, in quo omnis ſtellarum diſciplina, diſtinctis cœleſtium ſignorum figuris, viſebatur: quæ ad inſaniam vſq; propter futurorum cognitionem adamabat. Sebaſtia-

Tranquillinus agit cũ Præfecto.

Præfectus fit catechumenus.

nus verò dicebat: Si hæc integra manere volu
ris, teipsum integrum habere non poteris. I
que recuperandæ salutis impatiens, ea quoq
demolienda tradidit: repugnante acriter e
filio Tiburtio, quod auus eius Tarquinius, plu
quam ducenta auri pondera illud in opus expe
disset. Sed Sebastiano & Polycarpo prævalen
bus, cùm in ipso demolitionis sudore, Chromo
tij antè oculos iuuenis flammeo aspectu appa
ret, parentemque ab omni ægritudine liberau

**Præfectus cum filio suo Tiburtio credit in Christũ.**

Tiburtius Polycarpi aduolutus pedibus, Iesv
Christi nomen, sanctum, verum, omnipotens, &
in sæcula benedictum exclamauit. Tunc Sebas
stianus pietate, de more, incalescens, luculen
eos oratione ad Christi militiam hortatus e
mundi ac vitæ huius vanitate ob oculos posita
Nec caruit operæ pretio illius orationem Chro
matius Præfectus, paucis diebus in ardentissim
pietatis studio constanter exactis, omnibus m
di bonis valere iussis, totum se vni Deo & Dom

**Præfectus cum 1400. seruis baptizatur.**

no nostro Iesv Christo consecrauit, famul
& seruis promiscui sexûs ad 1400. fidem sui D
mini, præclaro virtutis testimonio, imitantibu
quos haud leuibus donis ac muneribus instructo
libertate donauit.

**Caius Pontifex,**

Ea tempestate summam Pontificij digni
tem Romæ administrabat Caius, vir singular
prudentiæ opinione & religionis laude præst
Porrò imperium Carinus & Diocletianus,
quia Carinus affines quosdam titulo Christian
confessionis decoratos habebat, persecutio p
magna sui parte quiescebat. At postquam Ca
nus ad Margum occisus fuit, tam immanis in o
nes sinceræ fidei cultores, Maximo & Aquilin
consulibus, tempestas exarsit, vt nemini vel ex
di v

di vel vendendi potestas fieret, nisi prius paruis quibusdam statuis, in omni platearũ angulo eam in rem constitutis, thura offerret. Itaque Caius, qui teneris, in studio pietatis, fidelium mentibus consultum volebat, statuit vt Chromatius vir illustrissimus Christianos omnes in domo sua ab hac sacrificãdi necessitate subtraheret, & benignè ibidẽ fraterno amore haberet. Quod ille tanto cũ animi sui gaudio executus est, vt cum domus alioquin amplissima & regio sumptu exstructa angustior esset, quàm vt infinitam illam multitudinem capere posset, cum omnibus illis in Campanum litus, vbi lati cespitis Dominus erat, profectus sit. Remãserunt autem cum venerabili Papa, Marcellianus & Marcus, & pater eorũ Tranquillinus, item Beatus Sebastianus & Tiburtius, iuuenis cùm corpore, tùm mente pulcherrimus. Nicostratus quoque cum fratre suo Castorio & coniuge Zoë. Claudius etiam cum fratre suo Victorino & filio Symphoriano eximia pietate adolescente. Porrò Caius Marcum & Marcellianum Diaconi honore sanctificauit; Patrem verò eorum Tranquillinum presbyterum consecrauit; & Sebastianum, qui ad multorum profectum sub specie militiæ latebat, Ecclesiæ defensorem constituit; cæteros verò Subdiaconos fecit. Hi omnes apud Castulum, palatij Zetarium, virum Christianæ religionis amantissimum, morabantur, & diu noctuque ieiunijs, orationibus, & cælestium rerum commentatione ad martyrij palmam aspirãbant; atque interea admirandis virtutibus omnes ad se venientes Dei amore inflammabant, varijs calamitatibus & languoribus oppressos sanitati reddebant; cœcos suis precibus illuminabant & impotentem dœmonum vim

Sæua persecutio.

Exercitia futurorum martyrum & miracula.

vim confringebant: eosq; de obsessis corporibus fugabant.

His studijs dum quisque, pro gratia sibi diuinitus concessa, intenderet; Tiburtius in hominem quendam de alto lapsum, & morti planè vicinum incidit. Cumque parentes cum circumfusa multitudine eum deplorantes cerneret, ipse concepta de Christi benignitate & virtute fiducia, orationem Dominicam cum symbolo super membra quassata legit, & protinùs integram corpori sanitatem impetrauit. Quo miraculo parentes cum filio excitati, ad Christi seruitutem læti alacresq; accesserunt. Alia insuper multa admirandæ virtutis opera sancti isti ædiderunt, sed quia nimia prolixitate lectorem onerare non volumus, reliquum est, vt, quo modo singuli ad palmam martyrij peruenerint, explicemus.

Tiburtij insigne miraculum.

Itaque B. Zoë, cùm in Apostolorum natali ad confessionem S. Petri oraret, paganorum repentè arctata insidijs, ad patronum regionis Naumachiæ adducta est, qui eam paruæ Martis statuæ thura offerre compulit. Quod cùm illa, Christi virtute freta, constantissimè recusaret, primò sex diebus tetro carcere sine omni cibi potusque solatio conclusa est, deindè è capillis in arbore suspensa, in confessione Domini emisit spiritum. Corpus eius grandi alligatum saxo, in Tiberim demerserunt. Hanc Tranquillinus, octaua Apostolorum die, à populo lapidibus obrutus, felici agone secutus est.

Zoë orat ad confessionē S. Petri.

In arbore suspēsa moritur.

Tranquillinus lapidatur.

Horum corpora dum Nicostratus & Castorius vnà cum Claudio, Victorino & Symphoriano, per ripas Tyberis quærunt, à paganis tenti, & ad Vrbis præfectum Fabianum perducti sunt; qui cùm eos neque minis, neq; blanditijs, à constantia fidei dimo-

Alij quinq; merguntur.

dimouere posset, immensis constrictos ponderibus in mare præcipites dedit.

Interea Torquatus quidam, homo totus ex fraude & mendacio compositus, cùm se simulata pietatis specie Caio sociasset, & interim moribus & vitæ ratione, à Christiana pietate vehementer abhorreret, Tiburtius vir nobilis & sacrarum literarum cognitione præclarè instructus, acriter in eum inuectus est. Quod cùm Torquatus animo periniquo ferret, fraudem molitus, Fabiano eum prodidit; qui postquàm varijs eius cõstantiam sermonibus tentasset, & Tiburtius multiplicem impietatis rationem diuinis planè sermonibus confutasset, tandem ait; Vnum tibi è duobus elige ô Tiburti; Aut thura his carbonibus impone, aut nudis pedibus super eos incede. Cui Tiburtius, vt (inquit) Christum IESVM verum Deum esse cognoscas, cui omnis creatura famulatur, eccè faciã quod iubes; & mox facto crucis signo, illæsis plantis eos inambulauit. At Fabianus hoc miraculo non modò infidelitatis rationem non deposuit, sed sanctum Christi martyrem gladio feriri iussit. Ductus igitur in viam Lauicanam, tertio ab Vrbe milliario, vno gladij ictu cæsus; migrauit ad Dominum.

Torquatus homo fraudulentus.

Tiburtius illæsus calcat pedibus prunas.

Capite trũcatur.

Post hæc Torquatus acerbiore in sanctos odio inflammatus, vt Castulus sanctorum hospes apprehenderetur, egit; qui tertiò appensus & tertio auditus, cùm in confessione Domini perseueraret, in fouea quadam, arena obrutus, martyrij palmam adeptus est. Tenentur deindè Marcellianus & Marcus, qui duris ad stipitem constricti vinculis, & in pedibus, acutis transfixi clauis, die vna & nocte in psalmis & hymnis læti perseuerârunt. Cumque admirabili virtute impios confunderent,

Castuli martyrium.

Item Marci & Marcelliani.

derent ambo lanceis per latera verberati, beati Christo spiritum reddiderunt. Sepulti verò sunt via † Appia secũdo ab vrbe milliario, in loco qui vocatur ad arenas, quia cryptæ arenarum illic erant, ex quibus Vrbis mœnia struebantur.

* Alij habẽt Ardeatina.

His expletis, vnus adhuc Sebastianus, virtute & pietate præstantissimus restabat, cuius nomen primum ad Diocletianum Imper. delatum est, ingentem ipsi admirationem cõmouit. Nec mora: vocatum ad se Diocletianus tali fertur oratione allocutus; Ego te, ô militum fortissime, propter insignem virtutem & singularem prudentiæ opinionẽ, primo semper honore in palatio meo dignatus fui, & tu contra salutem meam, in deorum iniuriam, hactenus per summam simulationẽ latere voluisti? Cui breuiter Sebastianus; Ego cùm prudenter considerarem insanæ mentis esse, à lapidibus auxilium petere, Christum pro salute tua, & pro orbis Romani statu semper colui. Hoc responso Diocletianus vehementer exagitatus, iussit eum extemplo amoueri, & in campo ad stipitem ligatum sagittis transfigi. Factum est hoc tanta crudelitate ab ijs, vt instar hericij ex sagittarum densitate hirsutus videretur. Cumque eum iam certo certiùs extinctum putarent, eo relicto abierunt. Irene verò, Castuli Zetarij martyris relicta, noctu abijt, vt sacrũ corpus debito sepulturæ officio prosequeretur. Cumq; præter opinionem viuentẽ eũ inueniret, immodico perfusa gaudio, secũ eum in palatiũ clàm adduxit; vbi paucis post diebus integerrimam membrorũ omnium sanitatem recuperauit. Interea Christiani cum præclarum Christi martyrem rogare non desisterẽt, vt se in tutum reciperet, ille facta oratione desce-

Sebastiani insigne martyrium.

Sagittis confectus sanatur diuinitus.

dit, & stans super gradus † Elagabali venientibus

* Elagabal.

Imp.

Imperatoribus dixit: Vos quidem peruersis Pontificum vestrorũ persuasionibus inducti, prauam de Christianis omnibus opinionem fouetis, quasi illicladem ingentem huic vestro imperio inferant, & scelere suo tranquillum Reipubl. statum perturbent, at illi sunt, qui sanctissimas die nocteque pro vestra & totius imperij salute preces offerũt, & imminentem sæpè pestem auertunt. Hæc aliaq; multa martyr cum prosequi vellet, Diocletianus attonito similis: Tune es, inquit, ille Sebastianus, quem nos dudum sagittis interfici iusseramus? Imò, inquit Sebastianus, ille ego ipsus sum, quem Christus Iesus à mortuis excitauit, vt vos ab isto mentis furore ad sanitatem & clarissimã veritatis lucem reuocem. Tunc Imperator confestim eum in palatij Hippodromum duci, & tamdiu fustibus mactari iussit, donec in Christi confessione spiritum exhalaret. Tum verò, vt oblitione sempiterna memoriam eius sepelirent, in medijs noctis tenebris corpus eius in maximam cloacam proiecerunt.

Idolum fuit in Palatino monte, iuxta ædes Imperatorias, quod colebat Antoninus cui & ibidem fanum construxit.

Fustibus cęsus reddit spiritum.

Porrò Christi martyr in somnis Lucinæ, insignis admodum pietatis matronæ, apparuit, atque mãdauit, vt sacrum corpus cloaca, quæ iuxta Circum est, extractum ad Catacumbas perduceret, ibidemque iuxta vestigia Apostolorum in initio cryptæ sepeliret. Itaque beata Lucina cum seruis suis media nocte sacras reliquias in præfatum locum debito cum honore intulit, & triginta continuos dies in precibus & votis ibidem exegit, & aliquot post annos pace Ecclesiæ reddita, domum suam in ecclesiam mutauit, & omnes facultates suas pro Christianorum consolatione illi consecrauit.

Apparet Lucinæ.

VITA

# VITA S. MAVRI CAESENNATIS

*Episcopi, ex ea quæ est per D. Petrum Damianum Episcopum Ostiensem. Missus est in Legatum, ab Archiepiscopo Ravennate, Mauro itidem nominato, ad Synodum Romanã à S. Martino Papa & Martyre celebratam, Anno Domini 649. Martini Pontificis præfati 1. Constantis Imperatoris 8.*

Vide C. Baron. Tom. 8. Annal. Eccl.

10. Ianuarij.

BEATVS Maurus quanquam cum priuatam adhuc personam ageret omnibus esset virtutis & prudentiæ laudib. ornatissimus,

S. Maurus, Cæsennæ præficitur Episcopus.

postquam tamen ad Cæsenatis Ecclesiæ cathedram diuina prouidentia prouectus fuit, tam admirabili virtutum omnium splendore sibi suisque præfulsit, vt cum eo luce ecclesiæ illius pariter extincta putaretur. Ita namq; commissam sibi ecclesiam gubernabat, vt nunquam vel ad momentum mentis suæ oculos, à rerum diuinarum contemplatione auerteret. Constituxerat sibi vir sanctus

Construit sibi cellulã.

cellulam quandam, in monte quatuor ferè stadijs ab vrbe semoto, vnde per totam diœcesim commodus admodũ prospectus patebat, in qua sacro quadragesimali tempore ieiunijs & orationibus strenuè operam dabat, & si quando de Ecclesiasticis negocijs furari poterat, ad eandem cellulam velut ad dulcium epularum conuiuium recurrebat. Illic denique fluentum diuinæ contemplationis auidis mentis suæ faucibus hauriebat: vndè postmodum arentia proximorum pectora, sanctæ prædicationis poculo recreabat. Illo planè loco quasi pro balneo vtebatur, ibi enim curabat abluere, si quam ex secularium hominum collocutione aut verbi aut cogitationis macu-

maculam contraxisset & puluerem mundanę cõuersationis, sine quo hæc humanæ mortalitatis via non carpitur, crebris illic lachrymarum fontibus abstergebat. Ille igitur locus, qui sancto viro in vitam tam dilectus & familiaris extitit, post mortem quoque eius sepultura meruit insigniri. Nam corpus eius in saxea arca reconditum, iuxta paruam basilicam, quam ipse cõstruxerat est collocatum. Est autem nunc celebre monasterium in prædicto monte, in quo vir Dei orare consueuerat, ad honorem beatæ virginis constructum, quod mons Mauri ex antiqua populi consuetudine dicitur, & quidem locus ille non immeritò sancti viri vocabulo decoratur.

In ea conditũ est corpus eius.

Mons Mauri.

Cùm igitur arca illa, vbi beati viri corpusculum claudebatur, iuxta præfatam ecclesiam, terræ vndique crescente congerie, delitesceret, & vna saxi ipsius summitas solo tenùs emineret, cõtigit vt homo quidam cum litanijs aduenies, soluta caligæ ligula, repentè illic pedem poneret & nil tale existimans, securè ligaret. Vincto igitur talo, cùm iam vellet abscedere, pedem nullo modo potuit amouere. Cumque diu conaretur, & omnia tentans, huc illucque se verteret, pes nihilominùs stabat immotus, & velut quibusdã clausus saxo tenebatur affixus. Stabat miser ignoti criminis reus, donec repentino populi aduentante concursu, alij malleis, alij securib. gestientes, partem lapidis præciderunt, & post multa, vix hominem de saxo exculpere potuerunt. Mox lætantis turbæ clamor exoritur, mira Dei virtus extollitur, & beati Mauri tumulus dignus reuerentia indicatur.

Miraculum.

Tumulus sancti viri innotescit.

Erat prędicti cœnobij monachus quidam Tenzo nomine, qui grandæuus iam & ipsa canitie ve-

nerabundus, acerrima vi febriũ vrgebatur. Cui
que nulla medicinali cura, nullo prorsus hu
no studio ad incolumitatis statum redire pote
set, cuidam, suæ materteræ, religiosæ videli
sanctimoniali, nocturno silentio Beatus Ma
rus apparuit, eique dixit. Si vis, inquit, nepo
tuum ex ea, quam patitur ægritudine conualesc
re, denuncia ei, vt sepulchrum meum sacrosa
cto crucis signo honoret, omnique anno solem
tatem mihi celebrare deuoueat. Cumq; ille ge
tanter, beati viri oraculum impleret, comma
visceribus precipitanter omnem ignei langu
vim euomuit, & mox pristinæ sanitati restitu
dignas Saluatori Deo gratias egit, & B. Mauri
raculum, quod in se expertus fuerat, ad glori
nominis Dei, multis indicare curauit. Iam igni
celebri vtriusque signi fama volitante per pop
lum, cœperũt multi ad sacras beati viri reliqu
deuotè concurrere, pijsque eius meritis suas a
mas attentiùs commendare. Nonnulli etiam d
uersis morbis laborantes, dum vel detritam
pulchralis marmoris limaturam biberent, v
beati confessoris misericordiã fusis tantummod
precibus implorarent, sani & incolumes ad pro
pria sunt reuersi, quocunque fuissent vinculo
gritudinis obligati; Videres miserabilium langu
dorum soluta cadauera, alieno prius adminicul
sustentante deferri, qui mox cum magna exulta
tione atque tripudio remeabant, saluti pristinæ
reparati.

Liberatur febricitans miro modo.

Multi curãtur morbidi.

Tempore quodam ad B. Mauri tumulum delu
tus est rusticus, gemina morborum passione de
pressus, contractus videlicet ac cœcus; sed post
quam esset oratum, & lux amissa ad oculos re
dijt, & rigida membra fugatus languor abso
ut

Sanatur cõtractus idẽque cæcus.

uit. Protinùs videns se homo sanitati tam mirabiliter redditum, quas valebat gratias agens, beato se in eius seruum perpetuo iure contradidit, man surumque se in eius obsequio donec aduiueret, deuouit. Qui perceptæ salutis munere, penè per decennium fruens, postmodum fragilitati carnis enormiter cessit, vxoremque sibi non fausto coniugio copulauit. Mox enim vt luxuriandi voluptate potitus est, oculorum lumen funditus perdidit, & quamdiu vixit in eadem cæcitate permansit.

Alio quoq; tempore dœmoniaca quædã ad altare beati viri deducta est, quã tanto pestifer spiritus furore repleuerat, vt eam sibi quasi organũ faciens, multa per os eius, sacrilega insania proferret, diras voces emitteret, & velut canis rabida crebris naubatibus elatraret. Triduo autem postquam illuc perducta est, vehementi quodam impetu sanguinem vomuit, & ita malignum spiritum, à quo tenebatur, eiecit. Alia quædam mulier necessitati rei familiaris plusquam deberet intẽta, in festiuitate S. Zaphili triticum purgare non timuit, quę ilicò diuino percussa iudicio brachijs attractis obriguit, & eodem modo ac si capistrum adhuc ventilare videretur, tremere infeliciter cepit. Hæc itaque cum ante B. Mauri altare deducta fuisset, & nunquam se vlterius quippiam tale facturum polliceretur, mox omnipotentis Dei misericordia, stupida mulieris brachia ad libertatẽ proprij vigoris reformauit. Rursus alia mulier quæ profluuio sanguinis insanabili plaga vexabatur, tandem in extremis angustijs constituta, nitido linteo B. Mauri mauseolum cooperuit, & ita diuinitùs liberata, omnem prorsus molestiam lucidi languoris euasit.

Liberatur dœmoniaca.

Punitur festum diem Violans.

Sanatur.

Item alia.

Item alia mulier ita erat violentissimi langu-
ris immanitate contorta, vt soluto naturæ ordi-
ora teneret post se, ceruicem faceret ante se. Quæ
similiter super B. Mauri memoria linteum posui-
& protinùs sanitate recepta, quibusq; mẽbris in
suum natura restituit. Alia quoq; mulier, amissa
lumine, de Aquitaniæ finibus deducta, obstinatis-
simè testabatur, quòd nunquam indè recederet,
nisi per B. Mauri merita lumen, quod amiserat, re-
cepisset. Sic magno fidei feruore succensa, breue
tuguriolum iuxta ecclesię parietem compilauit,
vt quodammodo potius habitaculum, quàm præ-
parare videretur hospitium. Cumq; per octo dies
instantissimè fuisset oratum, lumen quod quæ-
bat, diuina gratia largiente recepit: & dignas i-
luminatori suo Deo & Mauro eius famulo gratias
retulit. Hæc de virtutibus, quæ omnipotens Do-
minus per beatum confessorem suum Maurum o-
perari dignatus est, pauca perscripsimus: vt ad
glorificandam diuinæ maiestatis potentiam ve-
stræ charitatis studium incitemus.

Rursus alia.

Cæcæ restituitur lumen.

*VITA ET RES GESTAE S. EVTHY-
mij Abbatis, ex ijs quas Cyrillus Monachus, eius discipulus, accuratè admodum conscripsit, omni fide signatas. Migrauit è corpore anno Domini 472. Simplicij Papæ, S. Leonis Imperat. 16. AEtatis verò suæ nonagesimo nono. Fuit & alius eiusdem nominis Monachus, qui clarus habitus est in AEgypto, temporibus Arcadij Imperat. lapsus postea in Origenismum.*

Vide Cæs. Baron. Tomo 6. Anna. & Notat. in Mart. Rom.

20. Ianuarij.

VT Valens gubernacula attigit Imperij Iu-
liano è vita miserè sublato, Gentiliũ tunc
per

persecutione sopita, Ariana perfidia ab inferis excitata, magno furore Ecclesiam inuasit. Quo tempore Satanas cùm contra fidelium cœtum nouam hanc obarmaret furiam: tùm clemens ac misericors Deus præter alia militantis Ecclesiæ robora, nouum quoque Ducem excitauit, qui se furori ac libidini Arianæ perfidiæ opponeret. Erat Melitenæ (quæ est vrbs Armeniæ ad Euphratem) spectata probitate vir quidam, Paulus nomine, cui vitæ consors Dionysia erat, claro vterque genere ac virtute. Fortuna splendida & opulenta, morumque probitas, otiosam & tranquillam imprimis concedebant vitam, nî vnica sterilitatis molestia, piam matronã afflixisset. Cùm verò studio pietatis apprimè dedita esset, non destitit in propinquo D. Polyeucti martyris, vnà cum marito diuinam implorare misericordiam, vt soluto sterilitatis vinculo, fructum Deo dignum concipere mereretur. Exauditæ amborum preces: & promissio filij admirabili visione confirmata. Vox namq; cœlitus ad eos delata prolem spospondit, quæ ab Euthymia nomen acceptura, dignis Deo moribus prædita foret. Illi, visionis nouitate lætabundi, fructum Deo ilicò deuouerunt; qui quarto Gratiani consulatu in lucem æditus, Euthymij nomen accepit. Eo nato Ecclesia à difficili tempestate respirare, pacemque amissam recuperare cœpit.

Arianismus grassatur.

Patria & Parentes S. Euthymij.

Mater eius sterilis.

Exauditur pro prole.

Euthymius nascitur.

Tertiò autem pòst anno, Paulo eius parente ad beatam immortalitatem assumpto, pia genitrix dulce pignus suũ Otreio Melitenensi antistiti obtulit, qui pueri ingenio delectatus, tenerè eum habuit, expiatumque sacro fonte, matura ætate in ordinem Lectorum cooptauit: matrem verò,

Offertur Episcopo Melitenensi instituendus.

Fit Lector, & mater ei' Diaconissa.

Magistri eius.

Factus Sacerdos. Præficitur monasterijs

Fugit clàm Hierosolymam.

Fit Solitarius.

Cum Theoctisto petit intima solitudinem.

vtpotè rebus diuinis perpetuò intentam, Diaconissam ordinauit. Vt verò ex ephebis excessit litterarum magistris, Acacio & Synodio, egregiis nobilitate & prudentia viris, traditus eorum virtutes sanè eximias sedulò æmulatus est. Erat enim in Ecclesia Melitenensi multis & admirandis fidei ac pietatis documentis illustres; quorum imaginem in se viuam exprimere nitebatur Euthymius. Cibi potusque antè omnia mirè parcus, mentem diuinis eloquijs studiosè accurans que saginabat.

Hinc quotidiana virtutum incrementa omnium oculis ita grata ac iucunda accidêre, vt magna omnium voluntate sacerdotio initiatus, electis in ciuitate Monasterijs præficeretur. Is functio quantumlibet pia, tamen quia ad perfectionis culmen impedimento videbatur, minùs grata ei exstitit. Itaque vitæ solitariæ cupidissimus, clandestina fuga sibi consuluit: anno ætatis suæ vigesimo nono ad loca sacra Christi passione veneranda profectus. Eo autem ingressus, tantam ex contemplatione patrum, in eo monte degentium, hausit voluptatem, vt eiusdem instituti auidus, ad Pharam Lauram, sex millibus Hierosolymis distantem confugeret, cellamque quietis ac silentij amicam eligeret, in qua Deo deuotus palmarum ramos texens sibi aegentibus labores suos communes faciebat & egentibus. Erat ei vicinus Theoctistus quidam monasticis disciplinis præclarè exultus, Euthymioque egregiè charus; qui maiori pariter flagrans solitudinis desiderio, in vastam cum eremum concessit. Ibi ab omni penitùs hominum consuetudine remoti, in spelunca, soli-

her-

herbarum radicibus vitam sustentabant. Erat è regione speluncæ torrens, qui dulcem eis potum præbebat. Nihil ad vitæ iucunditatem deesse videbatur, si modo ista solitudinis dulcedine perpetuò frui licuisset. Sed pastores Lazarij, oues suas ad torrentem ducturi, vt sanctos eremicolas in spelunca præter opinionem latentes conspexêre, primò territi spectaculo in effusam fugam versi sunt; sed leni mox ac blanda voce reuocati, cum admiratione spectatam eorum sanctitatem longè lateque diuulgarunt. Fama igitur virtutum, vt ad Pharæ habitatores peruenit, Marinum quoque & Lucam eò pertraxit; quos ingens discipulorum numerus paulatim subsecutus est, Euthymij maximè suauitate ac vitæ sanctimonia captus. Et quia iam spelunca multitudinis capax non erat, cœnobium condidit vir diuinus, cuius cura Theoctisto commissa, sibi animarum curam reseruabat.

Adiungunt se alij.

Construit cœnobium S. Euthimi.

Ex tempestate, Magi funesta persecutione, Christianos circa fines Isdigerdis Persarum regis, premere cœperunt. Vnica & sola cura excubabant, vt Christiani ad vnum omnes vinculis constringerentur. Hinc præfectis tribuum id negotij datum, vt exacta custodia vias omnes obsiderent, ne quis ad Romanum Imperium confugeret, supplicium(que euaderet.

Magi excitant persecutionem in Christianos

Porrò inter præfectos haud exigua auctoritate præstabat Aspebetus, dux quondam Saracenorum tribus; qui tam iniquam Christianorum sortem miseratus, vias omnes elabendi eis aperuit, manus(q; adiutrices benignè insuper præbuit. Cuius rei apud regem accusatus, matura fuga & ipse

Aspebeti humanitas.

Aſpebetus fugit ad Chriſtianos cum filio Terebone.

ſibi conſulere coactus, aſſumptis facultatibus, cognatis, & filiolo Terebone, ad Romanos venit, gratus vtique & mirificè acceptus Anatolio Orientis præfecto, qui eum noua pariter honorauit dignitate. Facilè itaque honos præfecturæ exilium eius ſolabatur: nî impubes filius quotidianas calamitates, præmortua corporis dextera parte, ingeſſiſſet. Medicorum ars, opum ac facultatum omnium ſanguiſuga, fruſtrà diu multumque deſudauerat. Igitur fluctibus cogitationum ſuarum æſtuabundus Terebon, deſperata iam ſalute noctu ad Deum ſupplex confugit, Chriſtiana ſe ſacra ſuſcepturum vouens, ſi per Saluatoris beneficio ſanitatem conſequeretur.

Viſio Terebonis.

Votum ſomnus, ſomnum viſio quædam mirifica conſecuta eſt. Aſſiſtebat ei veneranda grauitate monachus, qui promiſſi fidem poſtulans, eum ad ſe in Orientali ſolitudine venire iuſſit, deſideratam ſalutem confeſtim accepturum. Excitatus è ſomno Terebon, parenti ſuo viſionis ſeriem enarrauit, effecitque vt poſthabitis omnibus, magna barbarorum ſtipatus caterua, eò contenderet. Nec mora: ſuperata itineris difficultate, Euthymium inuenerunt, qui venientes ſumma humanitatis & beneuolentiæ ſignificatione excepit, puerumque Crucis ſigno ab omni languore protinùs curauit: barbaris ad tantæ rei miraculum ſtupentibus, & expiationem peccatorum ſincera fide efflagitantibus.

Sanat Terebonē S. Euthymius & barbari credunt in Chriſtum.

Celebris fuit continuò miraculi rumor, ita vt ingens iam turba varijs morbis & languoribus miſera, eò confluereret; quam ille prompta ac facili manu curabat. Sed cùm hîc rurſus amicum diuinis rebus ſilentium interturbari cerneret.

Multi curãtur ægri.

neret, clanculum fugam iniit, & de solitudine in solitudinem commigrans, tandem ad spelun-cas illas, in quibus Dauid Saulis persecutiones o-lim declinasse perhibetur, peruenit. Erat ijs in lo-cis homo quidam maligno obsessus spiritu, qui cum grauius torqueretur, Euthimij nomen sem-per in ore habebat & aduentum illius vehemen-ter formidabat; cuius etiam virtute fugatus est. Miraculum hoc cum sua celebritate solitudinem illam peruasisset, vicini ad eum frequentes con-currerunt, & monasterium ei construxerũt, quod ille, postquam viris religione & pietate præstan-tibus repleuerat, protinus reliquit, & in intimos solitudinis recessus se recepit, vbi tam excellenti vitæ & mentis puritate Deo famulabatur, vt feræ bestiæ quibuscum agebat, nihil illi nocerẽt. Post-quam autem hic quoque multos vidit confluẽtes, rursus reuersus est ad fratres, & beatum Theocti-stum, & quia in spiritu præuidebat solitudinem illam monachorum incolis celebrem futuram, omnes ad se venientes benignè excepit: & assidua rerum diuinarum commentatione ad mundi con-temptum & cælestis patriæ amorem inflamma-uit. Inter reliquos autem tres suos germanos Cos-mam, Chrysippum, & Gabrielem, illum visitan-tes tanta sermonum suauitate demulsit, vt proti-nus relictis mundi honoribus, spretis opibus, con-temptis denique ijs omnibus, quæ magno antea studio conquisierant, eius se disciplinis imbu-endos traderent. Hos autem alij atque alij, & ge-neris & diuitiarum gloria præstantes secuti sunt, adeò vt vir sanctus ijs omnibus cellulas, pulchro inter se ordine distinctas ædificarit, Lauramque ea quæ est in Pharan, nihilo inferiorem, excitarit. Contigit autem hoc in loco miraculum, inter

Fugit de solitudine in solitudinem.

Constituitur illi monaste-rium.

Tres fratres eius veniũt ad Euthymi-um & fiunt monachi.

Item com-plures alij.

cætera, sanè celeberrimum credo, vt magni illius & admirabilis Euthymij virtus omnibus ad Dei gloriam clarius innotesceret. Accidit enim vt ingens Armeniorum multitudo (quæ quadringentorum numero fuisse fertur) à sancta ciuitate discendens, ad Lauram illam, vt à labore itineris aliquantisper se reficeret, diuerteret. Quos cum sanctus vidisset, euocato protinùs Domitiano, cui Lauræ dispensatio credita erat, mandauit, vt eos benignè exciperet, & cibo potuque recrearet. Domitianus autem cum causaret inopiam & rerum omnium egestatem, vt ne fratribus quidem alimenta ad diem vnum sufficerent, difficilem se præbuit. Tum Euthymius: Vade inquit, ad arcanam panariam, & disce non humanis cogitationibus, sed diuinæ prouidentiæ acquiescere. Domitianus igitur alijs aduocatis fratribus panarium ingreditur, & eccè tantam ibi non modo frumenti, sed & vini, & olei inuenit copiam, vt planè in stuporem versus, supplex se ad pedes viri sanctissimi demitteret, & tenacitatis suæ veniam flagitaret.

Infignis eius benignitas erga hoſpites.

Præclarum sanè miraculum.

Cyriacus, Euthymij vitæ, ab ineunte ætate, inspector, referre solitus erat, optimum & sanctissimum patrem cibi potusque perpetuo expertem manisse, Sabbathis tantum ac Dominicis exceptis. Verborum adeò parcum, vt nisi necessitas postularet, vsum linguæ ignoraret. Somni verò ita fugacem, vt cubans nunquam, sed vel sedens vel stans huic necessitati pareret. Præclaras enim magni Arsenij virtutes sibi imitandas proposuerat, quas assiduæ mente ita æmulabatur, vt pertinaci labore eas in naturam moresque transferret.

S. Euthymij vita quotidiana.

Victûs somniq; parcitas.

Arsenij virtutes imitatur.

Porrò quanquam esset mira animi lenitate præditus, & sermonis dulcedine animos omnium ad-

Lenitas animi.

um auresque demulceret, tanto tamen tamque ardenti zelo aduersus omnes, qui prauis opinionibus à Catholicæ fidei vnitate desciuerant, flagrabat, vt cùm aliquando sub magno pietatis præteritu Manichæi ad eum veniſſent, tanquam leo aduersus vulpes sermone inexpugnabili desæuierit. Quin etiam aduersus eos, qui Arij & Sabellij laborabant insania, ingentis erat spiritus, perfectoque eos, vt Propheta ait, odio persequebatur. Anno ætatis eius septuagesimo & quinto, congregata fuit Synodus Chalcedone, in quam omnes ferè totius orbis terrarum vndique conuenerant Pontifices. Inter cæteros autem aderant etiam Euthymij discipuli duo: Stephanus Iamneæ, & Ioannes Saracenorum antistes. Qui editam fidei formulam, celeberrimo illo in Conuentu, non prius sua sententia comprobare voluerunt, quam eorum magister Euthymius ei accederet. Nec mora. Oblata & ad Lydium lapidem excussa decreta approbauit Euthymius, nutantesque multorum, per eremum, animos in Catholicæ fidei sinceritate confirmauit.

Zelus pro fide Catholica.

Psalm 138.

Chalcedonensis Synodus.

Euthymius subscribit Synodo.

Vnus erat Theodosius, habitu quidem monachus, sed moribus præstigiator, importunissimus, qui improbo conatu se ei opponebat, & argumentis mira diaboli versutia conclusis impia Nestorij dogmata suscitabat, ac ipsam, tandem Eudociam, quæ tunc in Palæstina versabatur, in errorem pertraxit; & deindè etiam Sedem Hierosolymitanam inuerecundè & impudenter inuasit, & cum ex potestate accepisset facultatem bellum gessit aduersus diuinos canones & leges, eoq; rē deduxit, vt homines probi & veræ pietatis cultores sedibus suis pellerentur, locis-

locisque sacris sanctorum Pontificum sang-
(prò nefas) pollutis soli malefici, & homine-
lerati, huius exitiosi potentia, auctoritatem e-
nerent. Quid tandem? omnes penè eremi in-
læ, versutijs illius in fraudem pulsi, eum seque-
tur, eum colebāt: soli magni illius Euthymij fe-
tores fidei puritatem constanter retinebant. N-
veritus, impostor ille Theodosius Euthymium a-
gredi, vt eum in sceleratam suam sententiam p-
traheret: missis enim legatis Elpidio & Gero-
ad colloquium eum euocauit. Sed Euthy-
cum nefas esse exclamaret, cum homine n-
& sacro sacerdotum sanguine polluto, ferm-
miscere, in vastam se solitudinem cum multit-
is recepit: vbi latitando plures quam acri ve-
rum contentione pugnando, à pestifero errore
veritatis agnitionem reduxit.

Eudociam imperatricē & omnes ferè eremi cultores secum in errorē trahit.

Cæterum quia inuisa Deo impietas, firmis d-
viribus stare non potest, Theodosius secundo à h-
cessu Euthymij anno, ex hac vita subtractus est;
Euthymius ad Lauram reuersus, collapsa religio-
nis pietatisque fundamenta restaurauit. Eudoc-
autem, quam improbi Theodosij laqueis capta
fuisse diximus, postquam intellexisset generum
suum in Thracia interemptum, filiamque cum
liberis captiuam abduci Carthaginem, statim ci-
uinis viris aures prębere, seque totam eis regen-
dam tradere atque committere. Hac de causa ha-
tim nuncios, ad magnum illum Simeonem in co-
lumna habitantem, direxit, vt ab eo, quæ ad sincer-
ram fidem facerent, disceret. Simeon autem dam
ad eam litteris breuiter respondit; quod mal
gnus, videns opus virtutum eius, expetiuisset e
cribrare sicut triticum, & per pestiferum illum
Theodosium, piam ac religiosam eius corrupisset
anim-

Theodosius pseudomonachus moritur.

Genserico capta Roma id fecit.

Simeon monachus scribit imperatrici.

animam. Se valdè mirari quod cum propinquus illi fons esset, eo despecto, eandem procul expeteret aquam. Habere enim eam diuinum Euthymium, cuius si sequeretur doctrinam à salute haud aberraret.

Eudocia excipit S. Euthymium in turri.

Hisce acceptis, Eudocia salutis suæ minimè negligens, Euthymium indagauit: & quia publicæ lucis insolentem audiebat, turrim in Orientali parte solitudinis extruxit, in qua eum rara quadam humilitate excepit. Prouoluta enim sancti viri genibus Imperatrix, adeò in Dei benignitate exultauit, vt nihil iam de certa æternæ salutis via dubitaret. Porrò Euthymius salutaribus documentis instructam, ac solita benedictione munitam dimisit, quæ fidei accensa ardore Hierosolymis antè omnia disruptam Ecclesiæ pacem restituit: frequentemque monachorum & laicorum turbam suo exemplo ab errore reuocauit. Quin insuper templa, monasteriaq; noua excitauit: multisque egregiæ pietatis indicijs fidem suam orthodoxam testata est. Cumque maximam pecuniarum vim Euthymianæ Lauræ offerret, vir diuinus accepta voluntate pecunias reiecit pijs eam monitis excitans, vt imminentem mortis horam pacata mente, animoque resignato exciperet; quæ paucis deindè post diebus sequuta, ad beatam eam immortalitatem præmisit.

Pietas Eudociæ Imperatricis.

Euthymius ei obitum prædicit.

Secundum ab octogesimo agebat annum vir diuinus, cum Sabas adhuc imberbis, eius in disciplinam concessit. Nonagesimo verò Theoctistus beatum patrem relinquens, ad cælestem patriam migrauit; quē nono deindè anno Sanctus Euthymius secutus est. Funus multis omnium lachrymis procuratum fuit. Corpus in tanta vitæ asperitate, viuido colore, gratum & iucundum aspectum

S. Sabas discipulus S. Euthymij.

Obitus S. Euthymij.

ctum cunctis præbebat. Vt verò fama obitus eius regionem peruasit tanta omnis generis atque ordinis multitudo ad funus cohonestandum confluxit, vt militum gladijs submoueri debuerit, & impressione mutua sese conculcarent. Vicini patres præclarum Agonothetam & orthodoxæ fidei defensorem eximium, singulari monumento honorarunt. Patriarcha verò Hierosolymitanus noua deindè ęde sacra eius excepit reliquias; quæ ad hodiernum vsque diem signis ac virtutibus claréscere dicuntur.

Patriarcha Hierosolymitanus S. Euthymiō templum ædificat, eiusque reliquias ibidem transfert.

Vide C. Baron. Tom. 2. Ann.

## *MARTYRIVM S. AGNETIS VIRGINIS à Diuo Ambrosio luculenter conscriptum. Passa est circa Annum Saluatoris 304. qui fuit Constantij & Galerij Impp. primus. Marcelli Papæ quoque primus.*

21. Ianuarij.

EXIMIA specie & pulchritudine virgunc-
la Agnes à teneris pietatis studio & optima-
rum artium disciplinis dedita, cum die quo-
dā è ludo litterarum domum properaret, Vrbis
Præfecti filius formæ illius pulchritudine tam in-
sano amore captus est, vt conspectu eius insatia-
bilis, nulla requie frueretur, nisi prosapiam virgi-
nis ædesque requisisset. Cognitio autem familiæ
splendore ac nobilitate, miser ille tam sæua amo-
ris flamma correptus fuit, vt cupidinis impatiens
connubialē thorū nunc blandicijs, nūc maximarū
opum promissis expeteret. Totum sibi hominem
crudelis amor tam pertinaciter vendicauerat, vt
nihil non tentaret, quo furiosæ libidinis flammā
extingueret. Ingerebat virginis cōspectui rutilan-
tis auri gemmarumque splendorem, amatoria le-

Agnes virgo adamatur à Præfecto.

uitate

uitate sine fine blandiens, & stulto verborum lenocinio animum eius demulcens. Quæ omnia cum virgo, pro sua in Deum pietate, despiceret, iuuenis quotidiano Amoris fomento exæstuans, immodicis totus ardoribus adurebatur. Cuius insaniam furiasque miserata virgo, tali eum oratione cõpellasse ferrur: Discede à me fomes peccatipabulum mortis. Quid stulto & inani labore fatigaris? quid opes tuas nullo cum fructu in me profundis? Neq; enim fieri vlla ratione potest, vt nostris quãdoq; amplexibus fruaris. Iã. n. alij spõso, quite & nobilitate & diuitijs longè superat, consecratus sum. Is plurimis inæstimabilis precij gemmis me decorauit, & iam nostrum ad se amorem totum rapuit. Accedit quod amplioribus insuper me oneratam promissis fouet; admirandis sat scio donis muneribusque decorandam, si illi amore fida adhæsero, quem ego & amans casta, & tangens munda, & accipiens virgo sum. Cuius mater virgo, est cuius pater fœminam nescit. Postremo ea est pulchritudine ac decore, vt cæli etiam sydera illud stupescant

**Oratio Agnetis ad filium Præfecti**

His auditis, iuuenis venenatis Cupidinis telis vndique saucius, sternitur, medicorum opem per alta suspiria frustra implorans. Cognita verò ægritudinis causa pater, virginem adit auctoritate sua, vt putabat, animum eius ad filij consensum impulsurus. At illa constans animi, negabat absque nefario scelere fieri posse, vt sacra prioris sponsi fœdera violaret. Contra Præfectus, neminem sibi præferri debere, contendebat, quod in fascibus Prafecturæ ageret. Virgo verò propositi tenax, surdas Præfecto præbebat aures; qui vt blandicias promissaque irrita sensit, prioris

**Decumbit ex impuro amore.**

sponsi

sponsi nomen familiamque scire voluit. Adest fortè tunc quidam parasitus, qui Christianis ea sacris ab infantia imbutam dixit, eoque amens redactam vt Christum sponsum suum esse crederet. Tunc Præfectus, immaturâ animi lætitia exultans, quasi re confectâ filio suo gratulatus est. Sperabat enim minimo se negotio eam à Christianæ fidei constantia abducturam. Nouis igitur promissis, nouis blanditijs ad nauseam vsque cortatum est; quin etiam minæ terribiles adhibitæ quæ pari virtute à virgine irritæ sunt. Quid multa? Symphronius (hoc namque Præfecto nomen erat) virilem in tenera ætate constantiam admirans, parentes eius aggressus est, quibus quia nobilitate præstantibus vim inferre nequiebat, Christianæ fidei professionem obiecit.

Agnes iudicio sistitur.

Igitur insequenti luce citata iudicio Agnes comparuit vultu animoque intrepida. Quæ verborum lenocinijs ad reciprocum iuuenis inuitata amorem, non modo abnuit, sed etiam suę constantiæ maiora argumenta dedit. Ibi tum decretum, vt casta virgo nefarię Deę Vestæ in virginitatis proposito deseruiret. Tunc Agnes ad Præfectum: Si filium tuum impuræ libidinis cupiditate incensum, rationis tamen capacem, & ad immortalis Dei imaginem fictum formatumque Christi amore recusaui, quæso te, qua ratione falsa Deorum numina, nullo sensu prædita, colere, eisque ad grauem summi Dei iniuriam, diuinos honores deferre potero? Cui Symphronius; Certe Agnes nisi tuæ infantiæ consultum cuperem, iam iam acerbas temeritatis istius pœnas expeterem. Agnes autem: Noli inquit infantiam meam despicere. Nec enim fides in annis, sed sensibus consistit, & Deus omnipotens mentes magis comprobat

Sapienter admodum præfecto respondit.

quam

quam ætates. Verum quoniam ad hoc video te tẽdere, quod impetrare non poteris, quid quid tibi videtur exerce. Symphronius non ferens hanc incensæ fortitudinis magnanimitatem. Alterum inquit, ocyus eligẽs; Aut deæ Vestę sacrificato: aut impurum meretricum ingredere contubernium; vt fœdę libidinis contagione polluta discas posthac submissius loqui.

Ad hæc Agnes; ô os impudens: tu si Dei mei virtutem probè cognitam exploratamque haberes, verba ista nefaria, tanta impudentia, non proferres. Est enim ei curæ, corporis mei castitas: nec patietur me alienis sordibus pollui. Adest mihi custos corporis mei angelus bonus, qui nefarijs conatibus vestris resistet, quare de Christi potentia & bonitate cõfisus inanes minas vestras contẽno.

Tum verò Iudex ab impotenti fruore victus, vestibus eam spoliari, spoliatamque ad fornicem perrahi iussit. Sed fuit ipsius nuditas repente tanta capillorum densitate vestita, aureo splendore micantium, vt omnium oculi stupore in eam defixi hærerent. Prævaluit nihilominus Præfecti furor, qui eam in lupanar nefario, prô scelus, contaminandam detrusit. Sed primo ingressu ab angelo excepta, tam immẽso est lumine circumfusa, tantoque decore ornata, vt nemo oculorum, aciem in eam intendere posset. Cumq; fixis in terram genibus incredibili mentis gaudio in tanta Dei beignitate exultaret, vidit stolam miro cãdore fulgentem ante oculos positam, quam manu apprehẽdens corpusculo suo aptam inuenit, eaq; inducta suis precibus & assiduo diuinarum laudũ studio, ex impuro nefandorum scelerum domicilio, castissimum Dei habitaculum effecit. Nam qui nefandi sceleris perpetrandi cupiditate eò confluxerant

Nudata ducitur ad lupanar.

Accipit cælitùs vestem

xerant, summa mentis puritate egrediebantur. Interea Præfecti filius, qui sceleris auctor extitit, ingenti sodalium suorũ stipatus caterua, aduolauit, videnscq; alios atq; alios summa admiratione perculsos, compositis ad omnẽ modestiam motibus egredi, cœpit eis summa verborum petulantia impotentiam exprobare: sublatoque cachinno in lupanar, nihil cæleste lumen veritus, irruit. cuius audaciæ & temeritatis, repentina morte pœnas luit. Interim sodales præ foribus præstolabantur voti compotem factum, moras nectere existimabant; sed vt eorum vnus, moræ impatiens, gradum intulit, lugubri mox eiulatu infaustum miserandæ adolescentis casum indicauit.

Præfecti filius à diabolo præfocatur.

Ilicò fama vagante omnis in populum effunditur ciuitas: dissonisque in cœlum vocibus alij magam, alij innocentem, alij rursus sacrilegam clamabant. Præfectus verò haud sui compos, horrendis sanctiss. virginem maledictis incessens, mortisque causam indignabundus inquirere. Agnes; Cæteri diuinum lumen reuerenti incolumes egressi sunt; tuus vero filius furibunda mente angelo corporis mei custodi insultans, pœnas quas vides, temeritatis luit. Rursus Præfectus Roterit verbis tuis fides abhiberi, si angeli virtutem quem prædicas filiũ mihi excitaueris. Quanq; respondit Agnes, multiplex tua impietas hoc non mereatur, tamẽ vt diuina Domini mei Iesu Christi potentia omnib. innotescat, voluntati tuæ parebo. Nec mora. In orationẽ prostrata vim lachrymarũ profudit, statimq; angelus domini consolator assistens, iuuenem ad vitæ officia reuocauit: qui voce magna in Christi Iesu confessionẽ laudesq; prorupit. Quę res varios in populo motus excitauit, Deorũ Pontifices, & qui augurijs rẽ faciebant

Redit ad vitã precib. S virginis.

iustam

iustam malitiæ necem accelerandam conclamabant. Populus sententijs fluctuãs, nunc hoc, nunc illud, decernendum voci ferabatur Præfectus accepto beneficio, & miraculi stupore mollitus, virginẽ à mortis periculo liberatã cupiebat; sed obstabat Pontificum furor, & fluctuantis populi metus. Vndè vicario ad seditionẽ populi iudice relicto, plenus tristitiæ ac mœrore aqscelsit.

S. Agnes mittitur in ignem.

Porrò vicarius, Aspasius nomine, copioso con festim igne excitato, voracibus eam flammis obiecit. Sed flammæ angelicam in virgine puritatem veritæ, magna in circumfusam plebem sæuitia conuersæ sunt. Victrix verò Agnes in medio rogo illæsa consistens, dum expansis ad orationem manibus, ingenitæ pietatis virtutisque, cum omniũ admiratione, significationem dat, gladio in gutur transfixo, martyrij palmam consecuta est: egregiò planè de cunctis hostibus inclita triumpho. Parentes peracti certaminis gloria lætabundi, sacrum eius corpusculum in prædiolo suo, via Numentana, condiderunt.

Gladio percutitur.

Quo cum ingens fidelium turba conflueret, & gloriam virginis præclaris in cœlum laudibus extollerent, per insidias à Paganis in effusam fugam compulsi sunt. Accidit autem, vt Emerentiana Virgo, quæ cum ea pariter disciplinis imbuta fuerat, eius tunc tumulo adstaret, cumque omnes Paganorum furore in fugam conuersi fuissent, sola mansit intrepida, & magna animi constantia facinus eorum reprehendit. Illi verò, qua erant impietate, Virginem in Christi confessione perseuerantem lapidibus obruerunt, quæ sanguinis sui effusione Christi gratiam & gloriam sempiternam adepta est. Vix illa obdormierat, cũ subitò terra ingenti motu concutitur

Emerentia. na lapidatur ad sepulchrũ S. Agnetis

cælumque maximo fragore emissis ignibus, effu-
sis tenebris, multisque valde metuendis reb-
omnes in fugam vertit, & alios quidem me-
exanimat, alios verò horrendo mortis supplici-
interimit.

Parentes autem Agnetis, Emerentianam ma-
tyrem omni funeris honore prosecuti sunt: eam-
que haud procul à filia piè condiderunt.

Vigilix ad tumulum S. Agnetis.

Interim cùm nullo vnquam tempore sacrat-
sepulchrum eius vigilias intermitterent, sed p-
cibus & hymnis excubarent, contigit vt medi-
noctis silentio innumerabilem virginum exer-
tum, eximio decore fulgentem, compositis etia-
dine gradibus transeuntem viderent. inter qu-
beata Agnes specie & pulchritudine excellen-
mentes eorum in stuporem vertit, & à cæteris v-
ginibus facultate subsistendi nonnihil imperra-
conuersa ad parentes ait; Videte ne me quasi mo-
tuam, & sempiternis inuolutã tenebris lugeat-
quin potius festos dies agite, & infinitam omn-
potentis Dei bonitatem hymnis & canticis cel-
brate: cuius gratia & clarissimam de cunctis in-
micis victoriam, & sempiternam cælestis glori-
coronam consequuta sum. His dictis cæptum ite-
carpentes, transierunt.

Continuo autem rumore dissipatum fuit, A-
gnetem virginem, manifesta visione gloriam sa-
am reuelasse; cumque indies magis magisque om-
nium præconio celebraretur, factum est vt ad Co-
stantiam Constantini filiam, fama præclari certa-
minis & gloriæ perueniret. Constantia autem in-
tollerabili quodam cruciatu ita vexabatur, vt nul-
la corporis pars à vulneribus immunis esset. Et
quanquam à Christi sacris aliena cæcis ignoran-
tiæ tenebris inuoluta esset: humanæ tamen pru-
dent-

dentiæ opinione præstans, animum ad quandam salutis spem excitabat. Nec mora. habito consilio iter capessijt, & ad sacrum B. Agnetis tumulum excubans, opem eius assiduis precibus implorauit, donec repentino correpta sopore, virginem sibi adesse & hiscè ferè verbis alloquentem audiuit; Constanter age, Constantia. Crede Iesum Christum Saluatorem tuum, cuius bonitate modò integram corporis tui sanitatem consequeris. Ad hæc protinùs vocem euigilans, sensit se ab omni membrorum ægritudine liberatam. Non potuit continere se, quin ingentem lachrymarum vim præ gaudij magnitudine funderet, & Christum in Agnete ardenti fide amplecteretur & prædicaret.

Constantia ad tumulũ eius orans, sanatur.

Domum autem reuersa, parentibus & fratrib. incredibilem lætitiam attulit, & vt accepti beneficij magnitudinem cunctis declararet, sempiternæq; memoria consecraret, templum D. Agneti sacrum construi, & mausoleum sibi in eo collocari præcepit.

Constantia D. Agneti Ædem sacrã ædificat.

Fama interim, præclari miraculi diuulgato hominum sermone, longè lateq; vagabatur, omnesque variis languoribus oppressos, ad similem salutis spem excitabat. Nec quisquam sanè sua spe fraudatus abscessit.

Miracula ad sepulchrum S. Agnetis.

Constantia autem sempiternæ dignitatis amore vehementèr incensa, Christo se perpetuo castitatis vinculo sociauit, cuius spiritu omnes incontinentiæ motus non tantum in se oppressit, sed alias plurimas insigni nobilitate virgines præclaro virtutis exemplo ad suum institutum aggregauit.

Constantia virgo, multas ad virginitatis votũ perducit.

## MARTYRIVM S. PATROCLI EX E

Vide Cæs. Baron. Tomo 2. Anna. & Notat. in Mart. Rom.

*quod optima fide extat apud F. L. Surium. Decertauit autem pro fide in Gallijs Anno Redemptoris 271. Eutych. Rom. Pontif. 1. Aureliani verò Impera. 5. Clarus etiam in Gallijs est habitus Patroclus alius, qui tempore Childeberti Regis Francorum, emicuit sanctitate.*

21. Ianuarij. Patroclus nobilibus ortus parentibus opes contemnit.

PAtroclus nobilibus & diuitiarum gloria valdè celebribus ortus parentibus, facilè et animæ dignitate quam nocte dieq; cõtẽplabatur, huius mundi honores, & opes despexit. Adeò namque diuinorum eloquiorum amore capiebatur, vt hora tantum diei vltima, cibum potumque sumeret; & quidquid à reliquis pietatis charitatisq; operib. quæ assiduo in proximũ cõferebat, tẽporis supererat: id totũ cælestiũ rerũ meditationi dabat. Signis & admirãdis rerũ factis clarebat, ita vt dæmonia ab obsessis corporib. fugaret: & in firmis quibuslibet optatæ sanitatis remedium conferret. Orta aũt sub Aureliano principe sæua p̃secutione, Patroclus cùm fama virtutũ eius per Trecassim Galliarũ oppidũ cũ admiratione vagaretur, & Aurelianus immanissimus Christiani nominis p̃secutor de vita eius, fide & rerũ humanarũ cõtemptu multa audiret, acerrimis inuidiæ stimulis cõcitatus suo eũ tribunali sisti iussit. Cui oblatus Patroclus & de nomine & religionis instituto q̃situs, resp̃onsũ planè inuicto martyre dignũ dedit: dixitq; tantas nullas esse pœnas vel supplicia, q̃ eũ à Christi confessione auellere possent. Hac cõstantia incredibiliter irritatus Aurelianus, iussit eum vinctis post tergum manibus in-

Miracula eius.

S. Patroclus sistitur Aureliano.

Traditur in custodiam.

bus in custodiam dari, in qua triduo, cælesti perfusus gaudio permansit, & insuperabili animi fortitudine varias ministrorum iniurias pertulit. Posteertium autem diem in publicum deductus, iussus est ab Aureliano dijs sacrificare, & se abimminenti suppliciorum atrocitate liberare. Beatus verò Patroclus, vultu ad grauitatem hilaritatemque composito: O miser, inquit, & infœlix, quæ te demẽtia capit, quæ stultitia exagitat, vt mihi tot supplicia ad horam duratura miniteris, & ea interim, quæ tibi in omni sæculorum æternitate parata sunt, non videas? Quæ est hæc tanta cæcitas, vt falsa numina, & sceleratorum hominum simulachra pro dijs colas? Tu Iouem adoras, quem omnes, hominum omnium, quos sol vidit vnquam nequissimum, raptorem & adulterum fuisse sciunt. Apollinem accepimus à maioribus nostris, Admeti Regis pecora pauisse, & non solum gregis detrimentum perpessum fuisse, sed etiam ipsa tela perdidisse. Dianam, quam dicis esse matrem Deorum, quis nesciat esse dæmonium? O miseranda hominum dementia, qui stultissima mentis opinione vanitates has colunt, quę nec sibi nec alijs prodesse possunt.

Iterum Aureliano sistitur.

Simulacrorum vanitatem demostrat.

Aurelianus hac dicente libertate vehementius exandescens, nisi, inquit, tu ô Patrocle, Apollinem, & Iouem, & Dianam, matrem Deorum adoraueris, diuersis hodie pœnis affectus, vitã hanc cum morte crudeli commutabis. Cui Patroclus; Ore miserũ ô cæcũ, corpus quidem hoc varijs affectum supplicijs morti tradere potes, animam autem lædere omnino non vales. His auditis Aurelianus furore repletus, capitis eum sententia condemnauit. Excepit eam vir sanctus cum incredibili animi sui gaudio, & lætus cum ministris

Constantia eius eximia.

Damnatur capitis.

crudelitatis ad ripam Sequanæ contendit. Qui cum peruentum esset, Domine, inquit, Iesu ne patiaris corpusculum meum in hoc aquoso loco demergi, sed da gloriam nomini tuo, vt magnificetur in conspectu inimicorum tuorũ; ne vnquã dicãt in gẽtibus, vbi est Deus eorũ? Exaudi me Domine, & eripe me de luto vt non infigar, & prębe mihi liberum in nomine tuo per hoc flumen transitum. Hæc cum orasset, flumen siccis pedibus pertransijt, & impios ministrorum conatus Dei virtute illusit. Illi interim metu & stupore simul oppressi, interse altercabantur. Alij Dei virtutem celebrabant. Alij non hominem verum, sed phantasma fuisse dicebant. Illis sic contendẽtibus, mulier quædam seditiosa superueniens dixit: Quid agitis? Hominem istum Christianum, de quo inter vos contentio est, ego vltra flumen in monte prostrato humi corpore, Deum suum adorantem vidi.

Psal. 62.

Flumen trãsit illæsus.

His auditis ministri furore perciti, eo aduolarunt, & vnus ex illis; Iam inquit, duplici nomine reus es, & quod Deos contempseris, & quòd manus nostras effugere volueris. Quare scito te iam iam mortis supplicium subiturum. Cui Patroclus: Quid tu mihi, inquit, mortem minitaris? Christus Iesus suo nos sanguine de interitu & morte æterna liberauit. Siue igitur viuimus, siue morimur, Domini sumus; & dignum est vt pro eius nomine patiamur. Quicunque autem sacrificauerit dæmonibus, cum ijsdem, sempiternis gehennæ suppliciis, cruciabitur. Hæc cũ magna animi cõstantia diceret, Elegius furore commotus, iussit eũ vinculis constringi, & gladio feriri; Patroclus autem genua flectens, dum à carnifice percuteretur, Domine (inquit) in manus tuas commendo spiritum meum

Rom. 14.

meum. Tu enim scis quod propter tui nominis gloriam has pœnas subeo. Hæc dicens, gladio percussus, beatum Deo spiritum tradidit. Caput fuit à corpore longo satis interuallo proiectum, & sine custodia relictum; quod duo viri pietate & ætate venerandi (qui frequenter in vita sancti martyris beneficiorum eius participes fuerant) non sine magno metu ad vesperam vsque custodierunt. Nocte verò sequenti Eusebius Archipresbyterum Liberio diacono paucis luminaribus accensis in sarcophagum intulit; exstructo desuper sacello, sibi iuxta sacrum corpus sepulturam posceit, vt confessor Domini, sanctiss. martyri vicinus esse mereretur.

En veneran dæ antiquitatis vestigia, de cultu martyrum.

Porrò Imperator qui paulò antè putabat se diuini nominis gloriam inter homines exstinguere posse, nomen, familiam, vitam, ipsamque salutis spem perdidit; quæ credentes in Christum nec in morte reliquit. Nam ipse qui immanibus crudelibusque ecclesiam supplicijs vexauerat, dũ denso stipatus agmine iter faceret, fulminis ante se vehementissimi terrorem sentiens, obstupuit. Deinde, præmisso hoc infausto omine, in eodem itinere à suis interemptus est. Quo mortuo, persecutio conquieuit: *quæ quàm immanis & horrenda fuerit, ex eius in proprios milites tyrannide, coniectare licet. Nam militem quendam (inter alia crudelitatis insignia) ob violata hospitij iura, duobus duris arborum ramis deorsum inflexis, manib. pedibusq; ligatũ, relaxato mox illorũ naturalis roboris impetu, scidit medium. Si hæc in suos de Republ. aliàs optimè meritos pœnarum genera commentus est, quid in Christianos, quos deorum hostes, & Imperij perduelles existimabat, fecisse putandum?*

Ex 2. Tom. Anna. Baro. anno Domini 278.

Imperator diuinitus punitur.

Ex Notat. Cæs. Baro. in Marty. Rom.

Vide Cæs. Baron. Tomo 2. Annal. Eccles.

## *MARTYRIVM SS. FRVCTVOSI Tarraconensis Episcopi, Augurij & Eulogij Diaconorum, quod in Hispania præclarè consummarunt, anno Christi 262. Dionysij Papæ 2. Valeriani & Gallie Imperat. 8.*

21. Ianuarij.

Martyres in carcerem truduntur.

DIE Dominico Fructuosus Episcopus cum Augurio & Eulogio Diaconibus comprehensus, missus est in carcerem, in quo altera die Rogatianum baptizauit. Cumque dies sex in continuis precibus ibidem exegissent, & ad futuri certaminis brauium egregiè sese præparassent, oblati sunt iudici Aemiliano. Qui postquam eis Imperatorum præcepta proposuisset, vt diijs sacrificarent; & illi vnanimi consensu respuerent, falsaque Deorum numina contemnerent: iussit eos viuos flammis exuri. Cumque Fructuosus Episcopus cum Diaconibus suis ad amphiteatrum duceretur, populus tam ethnicus, quàm Christianus, qui magno eum amore prosequebatur, lachrymas tenere non potuit. Talis enim erat, qualem Spiritus sanctus beatum Paulum Apostolum, vas electionis, & doctorem gentium debere esse, declarauit: propter quod fratres qui sciebãt eum ad tantam gloriam pergere, gaudebant potiùs quàm dolebant.

Sistuntur Iudici.

Fructuosus Episcopus etiam ethnicis charus.

Igitur in porta amphiteatri constitutus, cũ iam propè esset, vt ingrederetur ad coronam immarcescibilem potiùs, quàm ad pœnam, Fructuosus conuersus ad eos, qui circumsistebant fratres: Bono, inquit, animo estote; Non deerit vobis pastor, nec deficere poterit charitas & repromissio Domini, tam hic, quàm in futurum. Hoc enim quod videtis, vnius horæ est infirmitas. His verbis breui

breuiter fraternitatem consolatus, ingressi ad salutem similes Ananiæ, Azariæ, & Misaeli steterunt in medijs flammis illæsi; vt etiam in illis tribus diuina miracula cernerentur. Exustis autem fasciolis, quibus manus eorum fuerant constrictæ. Fructuosus consuetudinis memor, fixis humi genibus, orationem fudit, de corporis & animæ resurrectione securus. Illo autem orationi toto spiritu ardenter intento, solita Domini adfuêre mirabilia. Aperto enim cœlo, animæ illorum spectantibus Babylone & Mygdonio, ab Angelis receptæ sunt. Quod & Aemiliani Præsidis filia, suis ipsa oculis tunc pariter contemplari meruit: AEmiliano indignante, & scelerum tenebris excæcato, miraculi fidem non capiente.

Ingrediuntur rogum sancti martyres, permanent verò illæsi, quoad vsq; expirassent. Daniel. 3.

Aperto cœlo recipiuntur in gloriam.

Porrò fratres tam præclari agonis ac fidei memores, noctis vsi beneficio, in amphiteatrum irreplerunt, vt semiusta corpora vino refrigerarent. Cumque certatim cinerum reliquias quisque ad se raperet, nocturna visione apparens Fructuosus, monuit vnumquemque, vt quæ per charitatem abstulerant, sine mora restituerent, vnoque in loco simul conderent. Quin & AEmiliano Præsidi visione terribili candidis amicti stolis apparuisse feruntur, hominis amentiam seuerè redarguentes: quòd immortales animas cum brutis corporibus extingui putaret.

Colligũtur eorum cineres.

Apparõt Æmiliano Præsidi, eiq; insultant.

## *VITA ET MARTYRIVM S. MEINRADI Eremitæ, quæ exstat apud Surium fide integra. Occubuit temporibus Ludouici 4. Imp. anno Domini 860.*

Vide C. Baron in Not. Mart. Rom.

MEINRADVS in Alemannia, pago Sulichgeuue oriundus, parentes habuit morum

21. Ianuarij. Patria & Parentes eius.

morum nobilitate magis, quam perituris diuitijs conſpicuos. Pater qua erat in Deum pietate, ido-neum litterarum diſciplinis filium, mox in inſu-lam quandam, Sindles Augia nomine, monaſte-rio S. Pirminij celebrem deduxit; Erlebaldo mo-nacho cùm litteris, tum pietate imbuendum tra-dens. Cuius diſciplinis tam excellenter informa-tus fuit, vt ſcripturarum diuinarum haud ignoa-rum anno ætatis ſuę vigeſimo quinto ad Diaconatum nec multò pòſt, ad ſacerdotij dignitatem aſſume-retur.

Tradiur Erlebaldo monacho litteris imbuendus.

Fit Sacerdos.

Accidit intereà vt Erlebaldus ad Abbatis offi-cium dignitatemque à Ludouico Imperatore vo-caretur; qui Meinrado mox auctor exſtitit, vt fallacis mundi dulcedine ad religioſæ vitæ inſti-tutum confugeret. Vir ſanctus cùm inſita pietate iam eò ferretur, ſalubri conſilio paruit: emiſſo-que profeſſionis voto, iuuentutem litterarum di-ſciplinis, Abbatis voluntate, inſtituendã, ſuſcepit. Cæterùm ea functione cum laude aliquandiu o-bita, die quodam candidatos quoſdam, ad laxan-dos animos in eremum deduxit; cuius amore at-que dulcedine ita inflammatus eſt, vt viam om-nem modumque, eam deinceps habitandi, apud cogitationes ſuas volueret. Accidit autem vt in reditu, ad matronam quandam egregiè piam di-uerterent, feſſa exercitatione membra refocilla-turi. Ex verbis autem vltrò citroque habitis, nota-uit in ea raras quaſdam virtutes Meinradus: pro-ſus vt in ſpem veniret, ſe eius beneficijs adiutum iri, vt deſideratum pietatis curriculum in eremo perageret. Nec mora: Nactus in partem colloquij clandeſtinam tutamque matronam, fit voti com-pos: illa, alacritate & gaudio admirabili, vniuer-ſa neceſſaria ſpondente. Lætus tanta promiſſione

Fit monachus S. Meinradus.

recto

recto interim adhuc animi sui consilio, ad cellulam pristinam reuersus est, continuis precibus & ieiunijs propositi sui constantiam à Deo postulans.

Tum verò obfirmato ad omnes labores & pia certamina animo, ad stadium perrexit, constructoque tuguriolo in extrema vitæ inedia, sanctâ atque operosissimam mentis exercitationem auspicatus est. Cumque per annos septem vitam in omni sanctitate exegisset, ingens populi multitudo, fama virtutum eius excitata, eò confluere cœpit, quod ille minimè ferens, habitationem suam ad planitiem quandam inter montes, quatuor inde passuum millibus distantem, transtulit: atque ibi, quod reliquum erat vitæ, in admiranda sanctitatis opinione, peregit. Inter hæc quadam die, eo orante, tanta multitudo dœmonum circa illum vndique diffusa est, vt nec ipsam lucem diei, illis tenebrarum ministris tetram caliginem offundentibus, cernere posset. Qui cùm minis horribilibus & horrore nimio eum fatigarent, in orationem prostratus pugnam viriliter sustinuit. Constantiam eius Orientalis lux subitò effulgens consolata est; & angelus Domini, pulso in effusam fugam teterrimo agmine, in spe cœlestis gloriæ mirificè eum confirmauit.

Incipit eremum incolere.

Dœmones ei infesti sunt, sed ab Angelis repelluntur.

Cùm autem vicesimum sextum in illa eremo ageret annum, duo scelerati homines furijs mentis agitati, mortem illi machinati sunt. Vnus eorum, genere Alemannus, Richardus dicebatur: alter verò Petrus, Rhetianorum genere procreatus. His facta conspiratione, venientes ad cellulam solitis precibus incumbentem, & sacra mysteria Deo litantem inuenerunt. Ille verò, quamuis scelerata eorum mens minimè eum lateret, tanta sermo-

Latrones ei mortē machinantur.

sermonis suauitate eos accepit, vt vel ferreum pectus mollire potuisset. Insuper cibo eos & potu benignè recreauit & cucullam etiam cùm tunica tradidit. Hæc omnia cum eis summa charitatis significatione præstitisset. Hęc, inquit, de meis manibus meis percipite; Meditato autem opere expleto, potestis, quæ libet, per vos tollere. Scio enim quòd necem mihi molimini. Interim hoc me quæso beneficio afficite, vt corpusculum meum vita spoliatum, duabus hisce candelis honoretis accensis; vna ad caput, altera verò ad pedes reposita.

Præsciuit eos venisse ad mortem ipsi inferendam.

His dictis Richardus pollutis manibus beatum virum medium compræhendit, maceratumque ieiunijs corpusculum fortiter brachijs strinxit, socioq; minaciter innuit, vt virũ sanctũ fuste percuteret. Qui cum diu eum feriendo circa latus & suras debilitasset, alter segniciem increpans, apprehenso furibundè fuste, magna vi ictum in caput librauit, eoque vir sanctus corruens, continuò impiorum manibus strangulatus est. Corpus eius in lectulo honestè satis collocarunt. Tantus autem suauitatis odor cellulam compleuit, vt omnium aromatum fragrantiam vinceret: & cùm nefarij celeriter ad sacellum currerent, vt positas ex mandato eius candelas accenderent, reuersi inuenerunt candelam accensam; & tantus eos timor inuasit, vt nihil de rebus ad altaris officia pertinentibus contingere auderent. Vestes verò & stramenta lectuli eius rapientes, festinũ in se pedes coniecerunt. Eis autem indè fugientibus, corui, qui more solito ad famulum Dei viuentem venire consueuerant, & annonam de manibus eius accipere, quasi vindictam dè scelere nefario expeterent, sequebantur latrones: & per-

Strangulatur, fuste primo percussus.

Corui latrones prodũt.

perpetratum facinus capitibus eorum aduolantes, prodebant. Vnde maligni comprehensi tantæ atrocitatis pœnas incendio luerunt. VValtherus autem Abbas postquam perpetratam cædem intellexit, corpus viri Dei ex eremo ad monasterium Angiæ detulit: ibidemque digno cum honore sepeliuit. Cremantur latrones.

*MARTYRIVM GLORIOSVM INVICTISsimi athletæ, S. Vincentij Leuitæ, natione Hispani; ex eo quod est à Metaphraste ac D. Leone fidelissimè conscriptum. Agonem complevit anno Christi tricentesimotertio, Diocletiani & Maximiani Imperat. vigesimo, Marcellini verò Papæ septimo.* Vide C. Bar. Tom. 2. Annal.

DACIANVS è Græcia oriundus, natalibus fortè prænobilis, & pecuniæ simul locuples, sed exesa omni mansuetudine, immanè in sanguinem humanam efferatus, Imperatorum beneficio, ad tractanda Hispaniæ Prouinciæ Tarraconensis gubernacula assumptus fuit: qui illico immani crudelitate Christianam professionem debacchatus est. 22. Ianuarij. Dacianus Hispaniæ Præses atrocissimus.

Ea tempestate episcopalem dignitatem eadem in ciuitate (quæ fertur Augusta) cum magna sanctitatis laude administrabat Valerius, cui pari pietate ac religione, generis nobilitate cũprimis clarus, Diaconus perpetuò assistebat Vincent. Hic quo erat fidei calore ac robore sanctitatis, cũ tyranno in certamen descẽdere nõ trepidauit. Itaq; animo in Christi gloriam acriter inflãmato, rabidi hostis atq; in Christũ sæuientis insaniã interritus adijt, modestus sustinuit, securè irrisit, sciẽs paratus Valerius Episcopus Augustæ. Eius Diaconus S. Vincentius. Se iudici sistit.

ratus esse vt resisteret, nesciens elatus esse quò ve-
ceret. Dacianus primo aspectu sibi persuade-
tam robustum pectus leuibus expugnandum m-
esse tormentis, iussit Vincentium vnà cum Va-
rio Episcopo, multis oneratos iniurijs, Valen-
duci: ibidemque diutino carceris squalore i-
grauiter vexari, vti planè confideret victos e-
manus daturos. Sed cùm post multum tempor-
multis affectos incommodis sibi præsentari i-
fisset, vidit eos, præter omnem opinionem, in-
gris corporis viribus, vultibusq; ad omnem hil-
ritatem compositis, multò maiorem animi m-
nitudinem constantiamque adferre. Vndè m-
furore & amentia præceps, ad carceris custode-
tu, inquit, sceleste, quare istos cibo potuq; recre-
sti, & in delicijs habuisti? Et vnde tantam pulch-
tudinem corporum, vultuumq; splendorem co-
secuti sunt? Deindè vultu truculento, & voce m-
narum plena: Valeri, inquit, qua animi audacia
tu per religionis speciem, Imperatorum manda-
ta contemnis? Valerius cum animo valde sedato
responderet, Vincentius sermonem excipiens:
Curnam (inquit) ô Pater, voce ita leni mussitas?
Non ita decet, quin potiùs Christi potentiam ad-
inuicem implora, vt huius tyranni rabies voce
libera & cum authoritate prolata refrenetur, et-
usque contra sancta Christi mysteria ferocitas
comprimatur. Hic enim ille est serpens, qui ad-
uersus primi hominis gloriam, inuidia excitatus,
se armauit. Hic ille est quem diuini nominis in-
uocatione, sæpè ab humanis corporibus expul-
mus. Itanè verò? Putatne nos minis exterrere, &
suis ipse viribus Christi potentiam expugnare?
Accedat, omnesque pugnæ suæ machinas in me
commoueat, & intelligat tandem inuictam Chri-
stiano-

Mittitur ea Episcopo Valentiam ad carceres.

Insignis constantia, & planè heroicus animus Vincentij.

stianorum virtutem esse ; cruciatus, quoscunque scelerata mens excogitare potest, adhibeat, sentiatque suis nos supplicijs non modò nō frangendos sed nouo etiam robore à Christo Domino donandos.

Hac libertate vocis incredibili furore agitatus Dacianus, Abducite (inquit) hinc Episcopum, & hominem istum inuictissimorum Imperatorū leges proscindentem, in ligno suspendite, eiusque membra discerpite, ac totum corpus contundite, vt priusquàm alijs cruciatibus affligatur, se laceratum consumptumque videat. Præsidis mādato dicto citius, à ministris crudelitatis obtemperatum. Cumque multis horis in tenerum martyris corpusculum sæuijssent. Vincenti, inquit Dacianus, quid ais? Putasnè illam tui pectoris fortitudinem concidisse? Sic fic illam vocis tuæ libertatem frenabimus. Tum Vincentius subridens inquit: hoc est quod toto animo expetebam. En vt ad sublimiora conscendo. En vt cœlestes res attingo. Tu igitur ne ab ista tua crudelitate desistas. Perge fortiter, ne quo modo gloriam meam imminuas, & damnum aliquod nostris laudibus afferas. En ego Christi seruus paratus sum omnia sustinere pro nomine eiusdem Domini mei Iesu Christi. Quibus autem minis & cruciatibus me vexandum esse opinaris, illis tuipse acerbius vexaberis.

Daciani furor in Vincentium.

Laceratur corpus S. Vincentij.

Irridet tyrannum.

Hoc responso martyris, tam constanti & inuicto, Præses vix sui, præ rabie, compos, in ipsos irruit carnifices; verberibus vindictam capiens: quòd martyrem ad sacrilegam obedientiam non impulissent. Athleta autem in ligno pendulus, sic Iudicem affatus est: Quid ais Daciane? En pœ-

Iudex cædit carnifices.

nas recipio ab ipsis meis carnificibus actorto-
bus: & tu ipsis mihi vltor existis.

His dictis Iudex magis magisque se crucian
nunc minis terribilibus, nunc promissis & verbi
blandis carnifices ad inferenda supplicia, & fra-
gendam martyris constantiam excitabat. At illi
exanimati laboribus, multoque perfusi sudore
obriguerant: & manus ad inferenda supplicia
dissolutas gerebant. Dacianus verò pallidus
tremebundus furijs, nullum iræ modum statue-
re poterat rursusque incondito insaniens in car-
nifices clamore, Quidnam agitis inquit? Sæpè
homicidarum sæuitiam à vobis prostratam co-
gnoui, sæpè latronum ferocitatem manibus ve-
stris expugnastis, & veneficorum arcana, in-
mo corde latentia, extraxistis, sæpè mortem
ipsam irridentes, nondum illata morte, inge-
ti formidine perculistis, & istius debacchan-
tis procacem linguam cohibere non poteri-
tis.

Insania Iudicis.

Martyr redarguit tyrannum.

Ad hæc Hilari vultu subridens Vincentius,
Tunè (inquit) hominum omnium, crudelissi-
me, me illum Deum negare cogis quem vniuer-
sarum rerum opificem ac Saluatorem esse testor
Hunc ego verum Deum esse confiteor. Atque
meritò cruciatibus afficiendus essem, si Impera-
tores vestros, falsaque numina, Deos dixissem.
Nunc verò quia in Christi veri æterniq; Dei con-
fessione perseuero, perge istam seuerè in me cru-
delitatem exercere, quo clariùs Christi virtutem
agnoscas: si tamen nefarius ille spiritus, qui te ex-
agitat, parumper recesserit.

Hæc inuicto robore martyre dicente, Iudex
inops consilij amenti simlis consistebat. Nam
& carnifices verbera verberibus tanta sæuitia
mul-

multiplicauerant, vt nihil in toto martyris corpore vltrà laniandum reſtaret; Fortiorem verò martyrem faciebant tot tormenta. Itaque fugientem victoriæ ſpem fruſtra ſupplicijs inſequi le videns mutata prorſus ratione, viri iuſti mentem, lenitate & miſericordia, mira calliditate compoſita, expugnare aggreſſus eſt.

Iudex martyri blanditur.

At Vincentius inſidias magis, quàm ſupplicia pertimeſcens, hoc reſponſo blandicias ſubmouit; Cruciatus tui, ô Daciane, nullam mihi timoris cauſam adferre potuerunt; illa autem ſimulata miſericordiæ verba, non mediocrem mihi terrorem incutiunt, quare miſſa iſta facito, & omni ſuppliciorum genere decerta. Experire, num Chriſtianorum vires, Chriſti ſanguine fundatæ, vel frangi, vel debilitari poſſunt.

Martyr blãdicias magis extimeſcit, quam tormenta.

Dacianus dedecus ſuum & ignominiam diutius non ferens, mortis ſententia martyrem damnauit: vt ſceleratorum hominum pœnis excruciatus conſumeretur. Et ſtatim cruci ſuffixum, membratim cęſum, excarnificarunt, dein à vinculis ſolutum, è ligno detraxerunt. Martyr autem Spiritus ſancti ope adiutus ſeipſum à carnificibus abſtraxit, & ad crucem, è qua deiectus fuerat, ipſo etiam hoſte terrefacto, reſilijt, eamque arctiſſime amplexans: quid, inquit, tardiores facti à ſupplicijs ceſſatis, quid certamina remittitis? Agite & totis viribus principis veſtri crudelitatem exercete.

Suſpenditur in equuleo.

Eximia martyris fortitudo.

Hoc nouo ſpectaculo ad inſaniam Dacianus exardeſcens, tota mente in nouis ſupplicijs excogitandis deſudabat. Aderant recentes flamma ferroque crudeliter armati tortores.

Et alij quidem diuersis flagellis & ferreis vncis bus carnem vellebant, alij ignitis virgis pectu flammis latera eius assiduè comburebant; al cùm nihil in toto corpore inuenirent, quod to quendum restaret, ardentissimas prunas, furor sui indices, in eum iaciebant.

Carnifices cruciando defatigati.

Erat visu horrendum corpus martyris, tam affectum supplicijs; sed mens, eximio ornata d core, tam horribili suppliciorum tempestate ob scurari non poterat, inuicta triumphans. Itaqu militaris cohors, constantia athletæ percul retulit Daciano, martyrem, multiplici tormen torum copia egregiè superata, clarissimam de carnificibus victoriam consequutum esse, quam inquit, impone inferèdis supplicijs finé, ne dedi coris sempiterni notam contrahas. Tunc Daci nus animum vultumque in omnem partem ver sans: Heu, inquit, victi sumus; sed vnum adhuc r stat, vt cùm corpus nullis superare cruciatib. v leamus, mentem animumque ijs doloris stimu configamus, quibus nullum adhiberi remedi potest.

Includitur in carcerem obscurissimum.

Nec mora, locus horrenda tenebrarum calig ne formidabilis exquiritur, eumque testis ex vtr que parte acutissimis substernunt, martyremq includunt, vt & lucis & quietis beneficio destit tum aliquid de inuicta animi constantia remitt re cogerent. Stabat in hac acie toto corpore l niatus martyr; & eccè nocte concubia, custodib altò sopore oppressis, Angelorum multitudo a

Visitatur ab Angelis.

fuit, quæ nouo & insolito lumine tenebras illu strauit, & corpori, cum integro sanitatis benefic eximiam pulchritudinem contulit. Custodes somno excitati, ingenti timore correpti sunt: c istimabant enim martyrem fugisse; sed diuin

ben

beneficio & tenebras fugatas, & martyrem integram corporis sanitatem cum singulari decore comunctam assecutum viderunt, ingenti stupore oppressi, Daciano cuncta retulerunt. Ille ignominiam nulla vnquam temporis longinquitate delendam vehementer pertimescens, fraudibus occurrendum statuit. Nam Vincētium clarissimo Dei beneficio restitutum, ne in pœnis vincens gloriam martyrij obtineret, poni iussit in lecto, regio splendore ornato, cum summa lætitiæ significatione; scilicet vt si amoto paululùm carnifice animam quietus exhalaret, diceretur nō esse occisus sed mortuus. Sed diuina bonitas, quæ ne fario semper sceleri resistit, cōsilium ex fraude & mendacio conflatum dissoluit: martyremque ex corporis ergastulo ad cœlestem gloriam quamprimùm euocauit.

O Satanæ versutiam.

Moritur fortissimus Christi miles.

Dacianus ab omni victoriæ spe deiectus, vt sempiterna obliuione tam præclarum martyris certamen, cum sui nominis dedecore, inuolueret, eam rē operam dedit. Corpus itaque feris & volucribus in campo, cum valida custodum manu escam exponi iussit.

At verò cùm magno volatu diuersæ volucres inuerent, Corvus atro colore, tanquam pulla indutus veste luctum præferens, cunctas è loco illo abigens, impigrè persequebatur. Sed & lupus repentino cursu prædam expetens, non tam corui persecutione, quam corporis sanctitate in fugam versus est; atque hoc modo martyr suis bene meritis tutus, vim omnem repulit.

Coruus tuetur corpus exanime.

Dacianus nouo perculsus miraculo exclamauit: Quid est hoc? Ergone & à mortuo ludibrium patiemur? Sed citò maris fluctibus eum ob-

ruite, ne viuens videnſque peream; Et ne quam præterea moleſtiam exhibeat noſtris que conatibus inſultet, ſaxi immanis pondere oneratum demergite. Vix effatus fuerat, cum Eumorphius quidam, omni ſcelerum impuritate contaminatus hanc ſibi prouinciam à iudice vltrò depoſcens, collecta nautarum manu, ſacrilegam ſententiam executus eſt. Statimque, peracto ſcelere lætabundus, ad Dacianum recurrit, ſpe alicuius præmij patrati facinoris, ineſcatus. Sed cùm reliquiæ per vaſtos & immanes maris fluctus, Dei beneficio, ad aridam redirent, Eumorphius, præter diras Conſcientiæ furias, tulit nihil.

Eumorphius iactat corpus in mare ſed enatat.

Apparet cuidam in ſomnis.

Glorioſus verò martyr, nocturna viſione, ſpectatæ probitatis viro apparens, eidem reliquiarum ſepulturam piè commendauit. Qui, puſillo animo minarum Præſidis plus æquo pauidus, odioſam in tam egregio pietatis officio moram traxit. Vnde martyr cuidam viduæ, eximiæ pietatis ac raræ fidei, idem officium iniunxit; quæ mœtaneæ etiam moræ impatiens, ſacras reliquias magnifico ſumptuum apparatu, in templum intulit, quod deindè ab ipſo martyre Vincentio, nomen retinuit.

Item cuidã viduæ, quæ Sac. eius reliquias ſepulturæ mãdauit.

## *VITA ET CERTAMEN B. ANASTAſij Perſæ, ex eo quod eſt à Metaphraſte æditum. Paſſus eſt anno Domini 627. Heraclij Imperatoris 18. Honorij verò Papæ ſecundo, ſub Coſrhoe Perſarum rege.*

Vide C. Barõ. in Nota. marty. Rõ. & To 8. Annal. Eccle.

22. Ianuarij.

VARIIS litterarum diſciplinis exculturus Anaſtaſius, fertur oriũdus è vico Raſiuni, regio-

regionis Pazech in Perside, vbi parens eius, Bau dictus opinione Magicæ scientiæ longè præstantissimus, publica artis eiusdem professione rem faciebat, ac iuuentutem ad omnem abditarum rerum cognitionem erudiebat. Porrò filius eius in disciplina Magica nulli secundus, iuuenilis roboris ætatis prouocatus, mox ad militiam animum appulit: à rapinis & sordida præda semper alienus. Nam eodem illo tempore, cùm inclyta Saluatoris nostri trophæa, ea in regione, miro omnium præconio celebrarentur, ob partam, eorundem virtute, cótra hostiles infidelium cuneos in bellis victoriam, Anastasius admiratione & amore captus, multa de ijs scisciтari, multa in intimum mentis sinum recondere. Tandem clariore diuini numinis cognitione illustratus, relicta protinus terrena militia, ardentiori animo ad spiritalem confugit. Venit primùm Hierapolim, ad Persam quendam aurifabrum, Christi sacris non modò initiatum, sed disciplinis etiam cœlestibus sic satis imbutum: cuius familiaritas maximo illi ad omnem religionem ac pietatem adiumento fuit. Itaque acrioribus stimulatus igniculis, Hierosolymam profectus est; vbi non modò baptisma, sed & monasticæ vitæ institutum suscepit: picturis quibusdam ad mundi contemptum inflammatus.

Patria & Parentes eius.

Fit miles.

Relinquit militiam Christi amore.

Cùm enim in templo, egregijs martyrum certaminibus egregio artificio in tabulas depictis animum diutiùs pasceret, consideratione tantæ virtutis adeò in Dei amorem exarsit, vt relictis omnibus, se totum ei deuoueret. Interim conspecta martyrum certamina mentẽ illius nocte dieque tenaciter adeò occupabãt, prorsus vt incredibili ardore ad similem gloriam aspiraret.

Vide quid faciant Sanctorum imagines.

Visio eius futuri martyrij.

Igitur post multa suspiria, post preces & lachrymas, visus sibi nocte quadam, in somnis excelsum conscendere montem, in quo aureo quodam instructus poculo consistebat, eumque ad haustum benignè inuitabat. Ille verò alacriter ebibit: statimque è somno excitatus, visionis mysterium intellexit. Nec mora: Primò diluculo in ecclesia ad magistri prostratus pedes, gratas egit gratias, pro instillato maioris pietatis succo; seque eius commendans precibus: celeri fuga Diospolim transuolauit: inde Cæsaream Palestinæ delatus in templo Deiparæ sacro, biduo in precibus perseuerauit: nihil præter martyrij palmam flagitans. Post hæc loca sacratiora venerabundus perlustrans, venit in S. Euphemiæ, vbi in quosdam magicis occupatos præstigijs inuectus est. Illi autem artis suæ contemptu vehementer commoti, eum in vincula coniecerunt. Ij erant Caballarij, opinione magicæ scientiæ apud Persas celebres, & quadam auctoritate pollentes. Qui triduana vexatum inedia Marzabanæ obtulerunt. Is Christianæ ignarus virtutis, constantiam eius seueriore vultu debilitare putabat; sed martyr intrepidus non vultu tantùm, sed & verbis animi altitudinem declarabat. Tum Marzabanas defixa in eum oculorum acie. Tu, inquit, cuius es? Respondit athleta; verus sum Christianus Persa genere, ex regione Razech, vico autem Rasunni. Et quidem hactenus artis magicæ præstantia non infimus fui, & ipse Caballarius, ab errore, Christi IESV beneficio, ad veritatem translatus. Marzabanas haud dubia victoriæ spe inflatus, muneribus & amplioribus multò magis promissis, martyris constantiam tentauit. Cuius munera ac blãdicias dete-

Corripit magos. Capitur.

Vexatur inedia.

Magnanimitas eius.

detestans Anastasius, oculis ad cælum sublatis ait; Absit, ô Rex Christe, vt tanto nomen sanctum tuum dedecore afficiam, & beatâ confessione fallam. Marzabanas, vt eum insigni aliqua ignominia notaret, Placetne (inquit) tibi hoc habitu, quo nûc indutus es, in publicum procedere? Cui martyr; Quid ni placeat. Imò tanti ego hunc habitum, quanti tu tuam dignitatem facis. Hoc responso îra commotus Marzabanas: Certè, inquit, tu non hominis, sed dæmonis verba loqueris, qui te suis vinculis constrictum tenet. Ego verò, respondit martyr, non dæmonis, sed Christi IESV summi & æterni Dei verba loquor. Cui Marzabanas; Quid ergo. Non times, ne hac ad Regem referantur, qui te diris excarnificatum suppliciis morti tradere potest? Quomodo, inquit Anastasius, hominé timerem, in quem idem omninò interitus cadit. Nam etsi corpus superare potest, animæ tamen nullum detrimentum inferre potest.

Damnatus ad saxa ferenda.

Hanc animi libertatem non ferens Marzabanas, eum ferreo vinculorum pondere oneratum ad saxa damnauit. Quod cùm ille summa animi alacritate exequeretur, & vultu, atque adeò re ipsa ostenderet, nullum sibi pro Christo laborem, nulla supplicia grauia esse, cognati & affines (quorum non minimus erat numerus) constantiam eius multis ludibrijs tentarunt: & summa cõtentione, vt eum à Christi confessione abducerẽt, laborarunt. At ille cùm impios eorum conatus contemneret, Marzabanas rursus ei minas intentauit, & Regis sæuitiam proposuit. Cumque eas maiore animi magnitudine, quàm priùs, despiceret, iratus vehementer iussit eum humi extensum tamdiu verberari, donec animo fractus succumberet. Ille autem cum carnificum manibus crudeliter

Affligitur à suis.

liter extensus verberaretur, & æquo imo lubenti animo ictus multiplices exciperet. Sinite, inquit, me; Neque enim opus est, vt tanquam reluctantem teneatis; sicut namque ceruus in medijs caloribus siti confectus fontem desiderat, ita sanè has delicias & voluptates semper expetiui. Hoc tantum à vobis enixè contendo, vt sacris me vestibus exutum contundatis: ne venerandus monachorum habitus probro affectus videatur. Hæc cum dixisset, corpus suum flagris lacerandum præbuit, tanta animi & corporis immobilitate, vt Dux admiranda eius fortitudine victus, in carcerem eum reduci mandaret, vbi inuictus agonista, assiduis precibus, & spe futurorum bonorum ad multo grauiora seipsum accendebat certamina. Nulla poterat eius constantia laboribus fatigari, nullis supplicijs frangi. Interdiu saxorum oneribus fatigabatur, noctu vero teterrimo carcere cõclusus, non somno defessa mẽbra recreabat, sed stando & orãdo animũ ad diuina promissa excitabat.

O insignem Christi martyrem.

Eximia martyris virtus infractusq; animus.

Marzabanas igitur post alia multa, cum minarum, tum blanditiarum certamina adhibita, cùm omnes suos conatus in nihilum recidere, & quod indignissimè ferebat, Iuam dignitatẽ ea martyris constantia in contemptum adduci cerneret. Ecce inquit, iussus sum te ferreis constrictum vinculis in Persidem ad Regem transmittere. Cui martyr, Ecquid opus est (inquit) vinculis me constringere, qui etiam lætus sine vinculis eò abire, & grauiora excipere supplicia, pro Christi nomine, paratus sum? Marzabanas vlterius non contẽdendum ratus, statim eum cum firma custodia in Persidem ad Regem Chosroen transmisit. Rex cum multa de eius virtute intellexisset, iussit eum suo conspectui

Mittitur in Persidem ad Regẽ Chosroen.

spectui offeri: quæsiuitque qua de causa auitam religionem abiurasset. Cui martyr; Quia, inquit, ô Rex, nihil præter sceleratam dæmoniorũ doctrinam continet, qui non salutem, vt tu existimas; sed manifestum exitium & pestem sempiternam adferent.

Magistratus, qui Regem corona cingebat, cùm hæc audiret, multis eum blanditijs aggressus est; Quid agis, dicebant, ô hominum omnium infœlicissime, quæ de dementiæ inuaserunt, vt dira supplicia summis dignitatibus præponas? Redi ad mentem, & te istis prestigiarum nexibus, quibus miserè vinctus teneris, absolue: ne suauissimam hanc vitam, cum crudelissima morte mutare cogaris. At ille nihil effœminatum, nihil quod sit pusilli & abiecti animi, nihil quod sit indignum ijs, quæ præcesserant, præ se ferens, cum illa consueta & iucundissima morum simplicitate. Ne labores inquit, neque defatigeris Domine Præses. Mihi enim qui sum mei Christi gratia confirmatus, non persuadebis vt à pietate deficiam. Fac ergo quæcunque vis, à nullo abstinens.

Blanditur ei diabolus per suos ministros.

Tunc magistratus vinctum eum more Persico virgis crudeliter cædi iussit, & tibias eius, à viris quibusdam ætatis & roboris vigore præstantissimis, lignis intermedijs immaniter premi. Sed ille cum hæc omnia animo maximo & excelso toleraret, rursus ab istis supplicijs in carcerem receptus est.

Premuntur eius tibiæ horrendum in modum.

Non multum temporis intercesserat, cum rursus magistratus, velletne iussis regijs parere, eum interrogauit. Quibus martyr cũ nihil se Christo & pietati præturum respondisset, clauis est atrocissimè verberatus; deindè relaxatus à vinculis quibus constrictus tenebatur, ex altera manu suspen-

Atrox supplicium.

suspensus est, lapide grauissimi ponderis ex alte-
ro pede corpusculi compagem dissoluere. Cum
sic duabus horis tortus, & membra à suis iunctu-
ris diuulsa essent. & ipse nihilominus in Christi
confessione exultaret, magistratus tam inuicti a-
nimi admiratione perculsus, eo relicto, ad Regem
abijt, consuluitque ne vlterius in Anastasio super-
rando periculum faceret, ne quod futurum dice-
bant, imperij magnitudo ab vnius viri constantia
spreta atque superata videretur.

Multi martyres suffocantur.

Igitur omni superandi martyris spe penitus a-
missa, Rex quintò pòst decimo die destinauit mi-
nistros suæ crudelitatis, vt non modo sanctum
hunc, verumetiam alios omnes, Christi nomine
in vinculis detentos, mortis supplicio afficerent.
Fuerunt tunc non pauciores quam septuaginta
funę incollum iniecto suffocati & in flumine
submersi, eo ordine & modo, vt singuli alijs sua
internecione formidinẽ incuterent. Sed vir san-
ctus animum illis diuino sermone addebat, &
sublatis subindè ad cœlum oculis, immensas crea
tori gratias agebat, quod martyrij gloria dignus
inueniretur. Deinde quoque conuersus ad carni-
fices: Optabam ego inquit, pro nomine Domini
mei Iesu Christi, non vulgari aliquo supplicio
vitam profundere, sed vel membratim conscindi,
vel noua aliqua & inaudita morte certamen finire. Sed quia ipsi visum est, hunc martyrij honorẽ
nobis sine magno aliquo labore cõferre, est quod
illi immortales gratias agamus. Hæc cum dixisset
cum reliquis est consummatus.

Habet Menologium Græcorum teste Baron. Eum Securi percussum esse, laqueo prius ipsius collo ita astricto, vt respirandi facultatem non haberet.

Carnifices autem, vt aliquod crudelitatis suæ
præmium consequerentur, sacrum caput ampu-
tarunt, & Regi gratum munus obtulerunt. Porrò
corpus fuit ingenti pecuniæ summa redemptum,

& à filijs Iesdin, debito cum honore, in loco separato sepultum. Nono autem (à peracto certaminis cursu anno) sacræ reliquiæ in Vrbem Romam translatæ sunt.

Truncatur capite post consumationem.

*GLORIOSVM CERTAMEN S. CLEmentis Episcopi Ancyrani ex eo quod prolixè ac sincerè à Metaphraste est æditum; Quod tandem cum annis 28. continuis vexationibus, ob Christi fidem à Gentilibus esset agitatus inuicto animo compleuit, sub Dioclet. & Maximiano Impp. circa annum Domini 303.*

vide C. Barō. in Nota. marty. Rō.

DVcentesimo quinquagesimo à natiuitate Saluatoris anno, ab imperio verò Valeriani duodecimo, Clemens Ancyræ Galatarum prouinciæ, oliua in domo Dei prodijt fructifera. Erat ei parens insano simulachrorum cultui deditus, & à Christiana pietate omnino abhorrens. Mater claro, æquè vt maritus, stemmate progenita, generis dignitatem nobilitate morum ac vitæ sanctimonia insuper illustrabat. Erat ei nomen Sophia, quæ ab vtroque parente fidem Christianam, ac omnem pietatem edocta, nihil non faciebat, vt maritum ab impuro dæmonum obsequio ad Christi obedientiam traduceret. Sed ille pertinax errorum impietatisque defensor, occulto Dei iudicio, in suo scelere perijt; vt antea cultu ita pòst dæmonum perpetua habitatione sociatus fictus.

23. Ianuarij. Patria & parentes S. Clementis.

Pater moritur in gentilitatis errore.

Mater autem orba marito, omnem suam curã & cogitationes omnes in filium transtulit, magna animo concepta fiducia, eum quandoque veram in ecclesia Dei palmitem futurum, quæ vitalem

lem pietatis succum in alios pariter transfunderet. Itaque deuexa iam ferè ætate matrona, cum ad patriam cælestem auidius aspiraret, huiusmodi fertur filium monitis ad omnia religionis ac pietatis officia excitasse.

Matris ad filiũ oratio.

Fili mî, charissime fili, qui prius orbitatem quam parentem nouisti, quique diuino fidei munere à Deo locupletatus ipsa orbitate ad fœlicitatem vsus es, ego te quidem in hunc mundum produxi corpore: Christus autem regenerauit spiritu. cognosce quæso tuum patrem Deum omnipotentem, qui te vnigeniti sui Christi Iesu sanguine redemit, & de morte ad vitam transtulit. Ne te quæso, in perituris opibus & vana huius mundi gloria fœlicitatem vnquam constituas, sed in vno Christo Iesu Domino nostro, qui solus veram nobis salutem & immortalitatem largiri potest. His dictis paululum conticuit, & mox vberrimis suffusa lachrymis Fili, inquit, hanc vnam à te pro omnibus, quos sedula in tui educatione impendi labores, reposco gratiam, vt conceptos pietatis igniculos sine vlla intermissione studiosè nutrias & teipsum animo maximo ad virtutem incites, ne sæua persecutionis tempestas, quæ imminet, te imparatum inueniat, vel parum cautum à fidei constantia transuersum abripiat, & in imum demergat. Magna, fili mî, aduersus Christi fideles procella tonabit, & multos sæuissimis supplicium fluctibus inuoluet. Quarè præbe te virum, fili mî, & ad extremum vitæ spiritum pro Christi nomine constantissimè certa. Non enim aduersus hostes contemnendos, neq; de rebus leuibus est decertatio. Sed sunt aduersarij maligni & infernales dæmones, illorumq; ministri & satellites agitur autem non de mortali & fluxa gloria, sed de vita

vita æterna,& honore cælesti:aut rursus de dedecore & supplico nulla vnquã temporis longinquitate finiendo.

Hæc mater pio filio, & prudentia cano, quotidiè inculcabat,& omnia illius membra interdũ deosculabatur dicens ; Vna mulier Hebræa aliquandò septem perduxit martyres, & in corporibus singulorum decertauit. Tu autem ô fili mi, vel solus mihi sufficiens es ad gloriã & beata ero quæ per te de hostibus triumphum agam. Cùm autẽ pia mater tẽpus adesse intelligeret quo carnis ergastulo soluenda erat,eadẽ repetere non destitit,& hanc à filio vnicã cũ lachrymis in vltimo complexo gratiã precabatur;vt vellet certaminis tempore declarare, quantũ apud illũ piæ matris adhortationes pondus habuissent. Nec ille se degenerẽ præbuit;sed mox vt matri iusta splendidè atque magnificè persoluit, vitã suscepit monasticã,& animũ assiduis diuinarũ rerũ meditationib. ad omnẽ virtutis & futuri certaminis exercitationẽ exacuit. Cumq; ætate iunior (annũ.n.agebat decimũ plus minus tertiũ) in incautos huius mundi scopulos impingere facilè potuisset,raræ fidei ac pietatis matrona quædam, & ipsa Sophia dicta, genere & diuitijs præstans, haud inuitũ in filium adoptauit,studio & educatione, matris p omnia ingenũ moresq; consectans. Eodẽ tẽpore dira fames Galatiam inuasit,& omnib. similiter, tã hominib.q̃ iumentis,exitium,cũ multis & valde miserandis calamitatibus coniunctũ attulit. Gentilium infantes orbati parẽtibus per omnes vias dispersi iacebant,& lugubri valdè eiulatu aera cõplebant,nec erat,propter extremam rerũ omniũ inopiam, qui miseris misericordiam tribueret. Clemens igitur hanc sibi prouinciam à Sophia poposcit

2. Machab. 7.

Clemens vitam suscipit monasticam

Fames in Galatia.

Clementis insignis charitas in proximos.

popoſcit, vt liceret ſibi miſeros illos fidelis Sophiæ pecunijs recreare, & cibo potuque ab immi-nenti mortis periculo eripere. Præſtitit hoc adoleſcens tanta pietatis charitatiſq; ſignificatione, vt plurimi tam excellenti Chriſtiani hominis officio & exemplo moti, è tenebris ad lucem tranſirent: & ſeſe Clementi in diſciplinam traderent, à quo tam admirabilem, procedente tempore, fidei conſtantiam hauſerunt, vt pro eadem ſanguinem ſuum profundere non dubitauerint.

Fit presbyter.

Porrò Clemens cum tanto iam virtutum omnium ſplendore fulgeret, vt aliorum etiam tenebras fugaret, communi omnium ſuffragio & lætitia, qui erant in Galatia, ad presbyterij gradum vocatus eſt; quem vt biennio admiranda virtutis opinione adminiſtrauit, anno ætatis ſuæ vigeſimo Epiſcopalem cathedram aſcendere coactus fuit. Qui licet iuuenis eſſet, cana tamen prudentia, ſeque ſuoſque in via ſalutis præclarè dirigebat. Et primo quidem orphanorum curam ſuſcepit, quos optimis ſanctiſſimiſque diſciplinis aſſiduè imbuebat, tanta fide & diligentia, vt parentes ei ſuos filios, ſimili pietatis ratione imbuendos, certatim traderent. Erat enim vir ſanctus ſummæ lenitate & amabili morum ſuauitate prædictus, & qui mentem ſuam ſacris literis die noctuque paſcebat. Alimentum corporis, ſola ei legumina præſtabant. Ab animatis enim omninò abſtinebat, memor illorum trium puerorum: quorum corpora cùm ieiunium acuiſſet, effecit, vt à flammis vitiorum, & ab igne fornacis expugnari non potuerint.

Anno ætatis ſuæ vigeſimo fit Epiſcopus.

Cibus eius

Daniel. 1.

Diocletianus fit Imp.

His egregijs virtutum omnium ſtudijs cum admodum iam clarus euaſiſſet Clemens, Diocletianus ad Romanum euehitur Imperium ſtabiliendum ro-

tem regiæ dignitatis præcipua in omnes fideles crudelitate meditans. Existimabat enim Christianos Imperij hostes esse, quibus internecione deletis, stabilem sibi securitatem promittebat. Itaque Domitianus, qui in partibus Galatiæ Vicarij gerebat magistratum, cum multa de Clemente admiratione digna audiuisset, & quomodo ingentē multitudinem Gentilium ad Christi fidem à cultu deorum traduxisset, iussit eum suis conspectib. præsentari. Quem iudex vt vidit vultu & specie admodum liberali præditum, profectò, inquit, ego quæ de te aliorum relatu intellexi, à veritate penitùs abhorrere existimo. Quomodo enim persuasum mihi habere possum, te hominem prudētem & ingenuum, mente furibunda in pestem & exitium ruere velle? Nosti enim omnes, qui Imperatoris edicto parere recusant, acerbissimo mortis supplicio adiudicatos esse. Martyr autem, cum facile quorsum illa verba spectarent, intelligeret, leniter subridens: Missum, inquit, facito sermonem istum, & scias ita me animo & mente constitutum esse, vt ego summam prudentiam in eo reponam, atrocissima quæque pro Christi nomine supplicia excipere.

Diocletianus fit Imp.

Clemens præsentatur Domitiano

Præclara martyris vox.

Domitianus hoc responso commotus, latera eius continuo laniari iussit, tanta sæuitia, vt costæ carnibus nudatæ miserandum valdè spectaculum præberent. Cumq; defessis lictoribus recentes succederent, & summa contentione in eo laborarēt, vt inuictum martyris robur frangerent, ille animo imperterrito stetit, & impij iudicis conatus generoso vultu, derisit. At ille partim admiratus martyris constantiam, partim pudore affectus depositum de ligno (eo namque in altum sublatus erat) blandis cœpit pollicitationibus demulcere;

Dirè cruciatur martyr.

& rogare, ne vellet in re vana egregiam animi fortitudinem, inani quodam rumore, ostentare, & immaturam crudelemque sibi mortem inferre. Adhæc martyr; Nequaquam hæc mors immatura aut crudelis videri debet, quæ animæ mihi immortalitatem præstabit. Quare cum scias, quænam sit mihi sententia, noli verbis & minis mecum certare, sed tibi ad opus perducantur omnia, & à nulla re abstineas, quæ sit aspera & difficilis.

Admiranda martyris fortitudo & prudentia.

Domitianus hoc responso intelligens, nullam superesse spem consequendæ de martyre victoriæ, genas eius & os fustibus contundi iussit, ne tantam dicendi libertatem impunitam reliquisse videretur. Deindè, datis ad Diocletianum literis, Romam eum transmisit, & accuratè quantis supplicijs eum fatigasset, exposuit. Imperator autem vt primum alacrem & generosum martyris vultum aspexit, admiratione quadam diu detentus: Tune es, inquit, celebris ille Clemens, cuius animi magnitudo nulla suppliciorum atrocitate frangi potest? Age virorum fortissime, laudo generositatem, animique magnitudinem; sed quia animo parum prudenti in re vana eam fortitudinem exhibere voluisti, nunc tandem, mutata ratione, debitum dijs nostris honorem defer, vt tu quoque per omnia Imperij nostri loca honoribus afficiaris. Hæc cum diceret, ingentem auri vim e

Domitianus desperat se tantâ martyris fortitudinem suppliciis vincere posse.

Imperator blanditijs eum à fide auertere nititur.

Ministormentorum eum terrere nititur.

propositu, & vestes regias, omniaque, quæ ad huius mundi honorem & luxum facerent, in medium attulit, vt ijs lenocinijs martyrem in pernicies traheret. At ille subridens, ne suo quidem aspectu eas dignatus est. Tum Imperator ira commotus, varia tormentorum instrumenta, manus ferreas, grabatos, rotas & pectines, craticulas, lebetes, obelis-

obeliscos, sartagines, graues catenas, & alia multa spectaculo sanè terribilia, adduci iussit, & ait; Quandoquidem te nostra clementia ad mentem reducere non potest, hæc certè ô Clemens, animi tui pertinaciam expugnabunt.

Martyr autem sublatis primum ad cælum oculis ô Imperator, inquit, Si hæc tua dona, quæ mihi proponis, tanti faciendi esse existimas, quanti tandem ea esse putas, quæ solius Dei sunt, & suo splendore & magnificentia omnem humanæ mentis intelligentiam vincunt? Et si rursus tua supplicia, quæ ad horam sunt, adeò formidanda putas, quomodo non multò magis ea, quæ omnibus improbis, à iustissimo iudice Deo in omni seculorum æternitate constituta sunt, expauescis

Præclara martyris ætgumẽtatio.

Imperator tantæ virtutis impatiens rotæ eum alligari, & virgis concidi iussit crudelissimè. Ad eò in eum tunc sæuitum est, vt, contritis ossibus, horribilis rotæ stridor circumstantes etiam perterreret. Cumque in istis tormentis animam efflare putaretur, martyr tota mente ad Christum conuersus, Domine Iesu Christe inquit, leua me hoc pondere supplicij, ad nominis tui gloriam multò clarius illustrandam, & ad maiorem inimicorum tuorum dedecus & ignominiam. Hæc cum oraret, machina illa protinus dissoluta est, & multi Romanorum, qui crudeli intererant spectaculo, sublatis vnanimiter vocibus, Magnus est Deus Christianorum, exclamarunt. Clemens verò immensas omnipotenti Deo gratias egit.

Diriſſimè torquetur.

Machina tormẽti ad preces martyris ſoluitur.

Hæc cum Diocletiani animum acrius inflammarent, videretque martyrem cum summo gaudio & exultatione diuinam benignitatem collaudantem, iussit sacrum illud os ferreis stylis con-

tundi ac confringi. Excussis itaque dentibus, & maxillis dissolutis, martyr tamen in confessione & laude Christi immobilis perstitit: & voce maxima, non sine ingenti omnium admiratione omnibus Christi virtutem & veritatem prædicauit. Igitur Imperator admiranda martyris fortitudine victus, dedecus suum nō ferens, iussit eum ad carcerem reduci. Interà multi qui rotæ miraculo, idem receperant, nocte ad eum venerunt, vt veteris vitæ delicta sacro baptismate expiarent. Fuit non paruus horum numerus, qui datis Christo nominibus, viuificis corporis & sanguinis eiusdem mysterijs contra tyranni rabiem se munierunt, solido sanè fidei fructu & magno Clementis gaudio; nam ea res, vt dissipato rumore, ad Imperatoris deuenit aures, ille iræ plenus atque furoris immissa in eos militum manu omnes ad vnum comprehendi iussit & trucidari.

Rursus dire cruciatur.

Ad carcerē reducitur.

Multi ad Christi fidē conuertuntur & necantur.

Deinde cum admiranda illa Clementis virtutis eius oculis assiduo obuersaretur, rursus cum blanditijs est aggressus, vt tam egregiam animi magnitudinem ad nominis sui gloriam illustrandā conseruaret. Sed cum vidisset sibi rem esse cum homine cordato, fictam iterum personam abiecit, & martyrem crudeliter in ligno extensum, ferreis iussit vngulis discerpi: donec vel inuictum illud animi robur frangeretur, vel certè in illis supplicijs vitam amitteret. At Christi athleta, cum ossa iam suis essent carnibus nudata: An tu putas inquit, victum me & superatum esse? Ignoras quod Christus alia me carne vestire potest; qui priorem, propter nominis eius gloriam libenter exui? Neque enim lutum defuerit fi-

Rursus Imperator blāditur Martyri & postea ad cruciatus conuertitur

Ecce quanta spes martyrij in Christum.

gulo.

Cum hæc dixisset, Diocletianus ignitas faces

Interē-

lateribus eius applicari iussit; sed cum hæ essent tanquam lux, quæ vim ignis non haberet: Profectò, inquit Diocletianus, nunquam ego hominem tam magno & excelso animo præditum vidi. His dictis spe omni victoriæ exutus, Nicomediam eũ ad Maximianum transmisit, vt si à sententia vel blanditijs vel supplicijs amouere non posset, bestijs traderet, vel acerbissimis tormentis è medio tolleret. Nicomediæ mittitur.

Fuit continuò martyr ad nauem cum multis eorum lachrymis deductus. Interea Romanus quidam, Agathangelus nomine, (qui cum reliquis antea in carcere Christo nomẽ dederat, & in certum qua ratione martyrij palmam tunc cum aliis consequutus non fuerat) martyri se eadem in naui sociauit, vt cum eo præclarum pro nomine Christi certamen subiret. Cum autem diu noctuque preces multiplicarent, & omni corporali cibo destituti essent, fuit eis cælitus alimentum, panis inquam angelorum præstitus, donec prospero cursu Nicomediam appulissent. Clementi Romæ abeunti Agathangelus se adiungit.

Quo mox vt ventum est, deducti sunt ad Maximianum, qui cum lectis literis admirandam Clementis fortitudinem intellexisset, & primo aspectu, ex ipso vultu animi generositatem coniecisset, noluit eum suis quæstionibus subdere, bellicas videlicet occupationes causatus, ne summam prudentiæ laudem, qua in iudicandis causis plurimum eum valere opinio erat, obscuraret: & ex martyris constantia pro laude, insigne sibi dedecus compararet.

Igitur eum præfecto Agrippino commisit; Agathangelus autem nequaquam se ab eo separari passus est. Vterque itaque de nomine & conditionis qualitate interrogatus, cũ se intrepidè Christi

seruos esse respondissent, & paratos pro eius no-
Martyres crudelissimè verberãtur. mine atrocissima quæque supplicia subire; pri-
mum eos boum neruis crudelissimè verberari iu-
sit: sed cum leuiora ea tormenta esse cerneret,
quam vt eorum virtutem frangere possent, eos
carceribus mancipauit, vt altera die exquisitiss-
mis supplicijs fatigaret. In carcere autem consti-
tutis Angeli protinùs adfuêre, qui eos ad martyrij
palmam inuictis animis percipiendam hortati
sunt. Aderãt vincti alij non pauci, qui visa Angelo-
rũ præsentia, ita animis cõmoti sunt, vt sese humi-
liter ad Clementis pedes abijcerent, & obnixè ro-
garẽt, ne vellet eos propter anteactæ vitæ scelera
despicere: vel è Christi gratia excludere. Iã enim
dicebant; certo certius cognoscimus; nõ esse alium
Vincti caeci ceris ad Christũ cõuertuntur. in cælo & in terra præter vnũ Christianorũ Deũ.
Suscepit eos benigne Clemens, & sacro baptismate
expiatos numero fidelium aggregauit; & quia
fortassis adhuc imbecilliores ad decertandũ pro
Christi gloria erant, sola oratione, carceris tenebras
eis reserauit: & lætus lætos à se dimisit, ipse
aũt solus cum Agathangelo in custodia remansit.

Obijciũtur bestijs. Hæc Agrippinum tanto furore commouerunt,
vt instar leonis rugiens confestim eos in theatrũ
abriperet, & feris atque leonibus obijceret. Qui
posita omni feritate, non secus quam canes
suis Dominis, martyribus blanditi sunt. A-
grippinus hęc videns ab impotenti mentis furore
Horrendi cruciatus. victus iussit candentes subulas per medios vtriusque manus digitos, ad ipsas vsque vlnas infigi. Po-
pulus hoc spectaculo vehementer commotus,
non tulit eam crudelitatem; sed ingenti clamore
sublato martyres liberari postulauit. Agrippinus
autem acriore succensus furore, iussit alias insu-
per subulas, sub eorum axillis ad humeros vsque
trans-

transfigi,ita, vt nidor & fumus replerent aerem, Tunc populus non diutiùs tantam sæuitiam ferendam ratus,missis vndiq́ue in magistratum lapidibus,cum valido clamore, magnus est Deus Christianorum;omnes in effusam fugam conuerterũt, & martyribus liberam facultatem ad montem Pyramin præbuerunt. Populus eos liberat à tyrannide.

At verò compressa populi seditione Agrippinus per suos satellites eos multos dies diligenter quiuit,denuòq; apprehẽsos in saccos insuit, & graui pondere lapidum prægrauatos per montis latera deturbauit, tanto impetu,vt in profundum maris per litora dilaberentur. Nemo non eos extinctos credebat; sed Angelorũ ministerio è medijs fluctibus salui & incolumes educti, cælesti alimento refecti sunt: & suauissimis eorum sermonibus contra tyrannidem Præfecti, mirifice confirmati. Indè verò in ciuitatẽ regressi cunctis Dei magnalia prædicarunt,cumq́ue duos cæcos obuios habuissent,& alium quendam paralysi dissolutum,Clemens solo manuum suarum contactu,sanitatem eis contulit: & alios insuper varijs languoribus oppressos sanauit. Z mari ab Angelis liberantur. S. Clemens multa perpetrat miracula.

Hæc omnia cùm Præfectus auditione percepisset, animum abijciens,Martyres ad Maximium direxit; qui & ipse congressum eorum formidans,cùm accepisset eos Galatas esse,Ancyram ad Ducem Curicium transmisit. Is existimans se præclaram gloriæ materiam nactum esse, mira quadam diaboli versutia eos aggressus est: atque vt eos à fidei constantia dimoueret finxit sibi admodum displicere, tot tantaque ipsis illata fuisse tormenta se quoque animo affici, & vel sola eorum auditione frangi, omniumque calamitatum, quas perpessi erant, fieri Mittuntur ad Maximianum.

socium: gaudere verò quod tandem tā multis defuncti periculis, patrio solo, & ciuitati, quæ Clementem genuerat, redditi essent: ideoq; & ciuitati, & sibi, qui eos tam benignè susciperet, gratias monebat agendas, & dijs de more sacrificandum. Sed Clemens cùm ne ad aures quidem suas istiusmodi sermonis blanditias admittere dignaretur, & se nulla re magis quam periculis & supplicijs pro Christo toleratis delectari testaretur. Curicius grauiter efferatus, Benè, inquit se habet, si cruciatibus delectaris, ego liberaliter & magnificè tuo desiderio faciam satis. His dictis statim ardentes laminas Clementis axillis subijci, & Agathangelum sublimem à lictoribus sustolli, ac postremò latera & tibias vtriusque crudeliter cædi iussit. Clemens autem cuncta contemnens illud Pauli Duci respondisse fertur; Quātum externus homo noster corrumpitur, tantum internus renouatur. Dux itaq; summam illius tollerantiā summis supplicijs superare contendens, ferream galeam vehementer ignitam sacro martyris capiti imposuit; ita vt fumus per os, per nares, per aures vaporaret. Eo tormento Christi martyr profundè ingemuit, & oculis ad cælum sublatis: O aqua, inquit, viua, imber nostræ salutis, ipse tuum mihi rorem instilla. Nos quidem prius ex aquā eduxisti, & nunc ex igne educ in refrigerium, dum hæc precaretur paulatim frigida euasit machina, & qui inferēdis Agathangelo supplicijs occupabantur, defessi sunt. Dum hæc videret, timore pariter & admiratione correptus, iussit sanctos, inopē consilij, in carcerem, prætextu quodam misericordiæ abduci. Inde vero ad Amesenorum ciuitatem à militibus ad Domitium deducti sunt; qui cæteris Iudicibus truculentior, in cisternam

Rursus crudelissimè torquētur.

2. Corinth. 4.

O immanitatem.

In carcerem mittuntur.

calce

calce viua scaturientẽ demisit. & ne quo Christianorũ auxilio ab alijs supplicijs liberarẽtur, duos mĩlites fortissimo robore custodes adhibuit. Sed cũ illi totam diẽ nullo malo affecti, diuinã virtutem bonitatemq; miris laudib. extulissent: vespere lux cœlitùs demissa, eos circumfulsit. Qua visa milites alacriter in calcẽ insiluere seq; Christianę militiæ deinceps consortes esse velle constanter testati sunt. Prima luce vicarius, qui eos iam planę consumptos credebat, accessit, atque vt illæsos cum militibus in laudibus Christi exultantes offendit, milites quidem (quorum nomina erant Pſengo & Eucarpus) cruci affixit: Clementem verò & Agathangelum, post varia supplicia, in grabatos ferreos igne copioso accensos deposuit: & ne quid ad supplicij atrocitatem deesse videretur, oleum & ignem & picem & sulphur infudit. Flãma autem & fumus tantam caliginem omnium oculis offudit, vt aspectum penitus adimeret. Interea martyres suauissimo somno correpti, doloris omnis expertes manserunt, & quasi in herba molli & odorifera quiescentes, Christum Agonotheram suum venientem conspexerunt, qui eos fortes & inuicto animo esse iussit.

Mittuntur in cisternã calce plenã.

Pſengo & Eucarpus martyres.

Vide cruciatus inauditos.

Christus eis apparet.

Domitius cùm eos, præter opinionem, tam sæuarũ ignis tormenta superasse vidisset, intellexit tãdem se oleum & operam perdere; quare eos ad Maximianum, qui tunc ex Tarso Ancyram reuerebatur, remisit. Clemens autem tanto patiẽdi propter Christum desiderio flagrabat, vt vitam omnẽ in supplicijs traducere, & membra sua quotidie Christo sacrificare cuperet. Hoc enim quotidianum erat orationis ipsius exercitium, hoc tam ardenti desiderio flagitabat, vt vox cœlitùs auribus illius insonuisse feratur, quæ eum non modò

Ardentissimum patiẽdi desideriũ in Clemẽte.

voti compotem futurum, sed totos viginti octo annos in varijs martyrij certaminibus exacturum denunciarit. Quo promissionis pignore è cœlo accepto, fidenter ad Ancyranorum ciuitatem vna cum Agathangelo rursus accessit, cupiditate gloriæ cœlestis iam incredibiliter accensus. Milites autem spe præmij alicuius & vanæ gloriolæ cupiditate pariter inescati, martyres omni festinatione ad Imperatorem, qui Tarsis Ciliciæ cum versabatur, perduxerunt.

Idem habet Nicephor. Eccles. hist. lib. 7. ca. 14.

Tum Imperator nullum non mouere lapidem cœpit, vt eos à fide Christi in suam sententiam abduceret. Et primum quidem postquam multis blanditijs, promissis, atque muneribus frustra certatum esset, ad supplicia rursus ventum est. Fuit continuò fornax aspectu horribilis accensa, quæ sua magnitudine & sæuitia, illam Chaldæorum longè superabat. In eam cùm martyres sancti iniecti essent, cœlesti protinùs rore perfusi totam noctem & diem in diuinis laudibus læti traduxerunt: Fumus verò & flamma suauissimum odorem in oras longinquas disperserunt. Eius rei certior factus Maximianus admirans accurrit: atque vt sanctos incolumes sublatis in cœlum manibus Deum benedicentes cõspexit, summa consilij inopia implicatus, raptim eos indè in carcerem abripuit, ac quadrennali squalore condemnauit. Sperabat enim fore, vt quam atrocia tormenta animi magnitudinem superare non valuerant, diuturni squalores tandem aliquando frangerent. Sed hanc quoque calamitatem, vt cætera omnia, spes futurorum facilem eis reddidit, & ardens Christi desiderium effecit, vt carcerem non secus ac magnificas ædes & regium palatium habitarent. Quamuis enim corpore essent in loco tetro

Iactantur in fornacẽ sed nihil lædũtur.

Quatuor annis sunt in carcere.

tetrico, mente tamen in cœlis versabantur, & inter Angelorum agmina assidue Deo laudes concinebant.

Exacto autem præscripto tempore, Maximianus concilium ordinum indixit, vt quid tandem de martyribus istis fieret, communi omnium sententia decerneretur. Erat inter eos sacerdos quidam nefandus, qui cùm persuadendi facultate multum valeret, tum verò impietate atque in inferendis supplicijs tantùm poterat, vt multos ijs rationibus à fidei constantia in pestem & exitium pertraxerit. Huic omnes statuunt martyres istos esse committendos, vt si non posset dicendi facultate, grauitate suppliciorum à constantia deijceret, vel certè internecione crudelissima deleret. Fuit diu verbis certatum, diutius autem supplicijs sæuitum, donec martyres præclara de tyrannide victoria potiti, ad carcerem redire coacti sunt.

Impiissimo sacerdoti dæmonum traduntur.

Porrò dux quidam, qui apud Imperatorem auctoritate pollebat, Maximus nomine, cum multa de admiranda martyrum fortitudine & constantia audiuisset, turbine quodam vehemētis irę cōmotus, popoſcit ab Imperatore, vt sibi suæque potestati martyres traderentur, asserens se eos Imperatorum legibus subditurum, vel tanta crudelitate suppliciorum fatigaturum, quod cæteri timore perculsi nullo negotio Christi religionem deserrent. Hic erat carnifex eorum octauus qui in martyrum constantia fatiganda, nequicquam desudauerant.

Octauo carnifici martyres traduntur.

Hic igitur primùm per blanditias, fraudes machinari, & per summam simulationem pietatis, insidias eis struere. Sed cùm ijs Sirenarum vocibus martyres assueti, in fraudem pelli non possent, aperto eos marte aggredi. Primo furo-

furoris impetu obeliscos extrema parte acutos in terram defixit, quos super resupinatum antilitem lignis crassissimis vehementissimè contudit. Agathangelum autem liquefacto plumbo perfusum non minori cruciatu affecit. Sed cùm martyres hæc omnia, eadem qua prius constantia superarent, & inter tã horrenda supplicia arcano quodam Dei consilio vitam retinerent, Maximus miraculo obstupefactus, spem superandi eos abijciens in carcerem reduci iussit, vt ibidem omni solatio destituti vitam finirent.

Atrocissimè cruciantur.

Reducuntur ad carceres.

Erat tunc Persa quidam Aphrodisius nomine, qui multa sæpè tormentorum genera aduersus Christianos excogitauerat; qui vt nouã aliquam apud Imperatorem gratiam iniret, martyres sibi tradi postulauit, confirmans se viam modumque inuenisse, quo eorum inuictam fortitudinẽ sterneret; & legibus Imperatoris seruire cogeret. Concessa igitur sibi ab Imperatore potestate, domum eos secum adduxit, & cœna opiparè instructa excepit; credens ijs se rebus & verborum lenocinijs inuictos martyres molliturum. At postquam didicit eos terrenas epulas respuere, & solis delectari cœlestibus, vehementer commotus è suo conspectu submotos in custodiam tradidit. Postridie autem duobus immani pondere lapidibus alligatos cum summa ignominia, vt ille quidem existimabat, per mediam ciuitatem deduxit. Sed cùm hoc modo ducerentur, accidit vt non minima populi multitudo, eorum confessione, & inuicta animi virtute permota, ad Christum transiret, & inanes illos Deos, nullaque virtute præditos clamaret, qui mortalem vnum hominem superare non possent. Maximianus his auditis extremo pudore suffusus, perpetui eos carceris damnauit.

Nouus eis accedit tyrannus.

Ethnici multi fidem amplectuntur.

Damnantur ad perpetuũ carcerem.

nauit, ne tanta eorum virtus atque constantia, cũ præsenti Imperatoris dedecore, mortalium conspectui deinceps appareret. Post diuturnas autem macerationes squalorescque, accidit, vt Maximinus Maximiani in imperio successor, vtrumque educeret, & Ancyrum ad Præsidem Lucium destinaret. Qui immani crudelitate vir, Agathangelo à Clemente abducto, ignitas per aures iniecit fibulas, lateribusque ardentibus facibus crudeliter enstis, postremò caput gladio amputauit. Atque hic quidem Agathangeli finis, qui martyrij gloria inclytus, quinto Nouembris angelorum choris sociatus est. Funus fuit à Sophia martyrum amantissima honorificè curatum, inque profundissimum sarcophagum illatum.

Agathangelus post immanes cruciatus, capite truncatur.

Porrò B. Clemens, qui ferro vinctus in carcere adhuc detinebatur, centum quinquaginta plagis quotidie afficiebatur, ita vt sanguinis riui per terram decurrerent. Sed nec in hoc certamine angelica defuit consolatio. Nam eorum ministerio à plagis ac liuoribus curatus, nouo insuper decore apparuit conspicuus.

Vide Iudicē sanguinarium.

S. Clemens ab angelis à plagis curatur.

Cùm verò iam instarent Christianis festa, Redemptoris nostri Iesu Christi Theophania, Sophia incredibili martyris desiderio stimulata, anteluculò ingenti famulorum stipata caterua, carcerem ingressa est, detractisque Clementi vinculis, candida inducum veste, vnà secùm, ad templum multis lampadibus & suffitibus circũseptum deduxit. Clemens verò, die salutari, iucundè iam & suauiter illucescente, cum sacrum ministerium admirabili admodum sanctitate celebrasset, intemeratoque & incruento circumstantes impertijsset sacrificio: eorum insuper corda, euangelica suauiter erudiuit doctrina. Plurima quoque quæ erant

Festa Theophania.

Sophia B. Clementē è carcere ēducit.

Incruentũ Sacrificium

Clazet prophetiæ spiritu.

erant post propriam instantem consummationem ventura, suauia ac prospera, eorum subiecit oculis. Sicque perturbatos prius actimore affectos, erectis iam spiritibus & confirmatis, lætos ad propria dimisit. Duodecim autem diebus festiuè & hilariter transactis, cum præstitutus, qui athletam, à presenti vita euocabat (erat is dies Dominicus) adesset, celebrato denuò eximia pietate in eadem basilica Sacrosancto Sacrificio, fidelibusque ritè communicatis, diuinis attamen adhuc donis in sacra mensa propositis, derepente scelerata militum corona B. Martyr circumdatus fuit, quos Alexander, quidam è Magistratu, in eum immiserat; quorum vnus nefaria manu (ex ducis præcepto) ei ceruices præcidit. Deindè etiam sacrilegi; ausu nefasto, in sacra mysteria irruentes, pedibus ea (proh scelus) conculcarunt. B. verò Sophia sacrum martyris corpus præciosis inuolutũ linteolis, accensa lucernarum multitudine, in templum, quod apud Cryptos est, (vbi etiam prius deposuerat Agathangelum) honorificè intulit.

2. Clementi ad aram amputatur caput.

## *VITA S. ILDEFONSI, TOLETANÆ vrbis Episcopi, ex ea quæ est per Iulianum Pomerium eiusdem vrbis Episcopum conscripta.*

*Successit Eugenio secundo, eiusdem sedis Antistiti, Anno Dominicæ Incarnat. sexcentesimo quinquagesimo septimo, Vitaliano Pontificis Romani 3. Constantis Imperat. 16. Recessumthi verò Hispaniarum Regis 9. Seditq; annos 9. & menses 2.*

Vide Cæs. Baron. Tomo 8. Annal. Eccles.

ILDEFONSVS nobilissimo inprimis stemmate, à primis incunabulis non vanam mundi huius gloriam, sed sacras optimarum artium disci-

23. Ianuarij. Ab infantia amat disciplinas.

plinas studiosè sectatus est. Splendida ac copiosa Christianæ eloquentiæ facultate instructus, cùm sibi iam sciolus videretur, fuit ab Eugenio Toletanæ vrbis antistite ad Isidorum Hispalensem Archiepiscopum destinatus, vt purissimos eximij Doctoris latices clientulus hauriret. Vt verò affatim imbutus scientia haud vulgari ad Eugenium redijt, fuit ab eo ad Diaconi ministerium in ecclesia assumptus, & ad omnem sanctitatem ritè excultus. Interim externis ceremonijs absconditos pietatis igniculos fouentibus atque excitantibus, Ildefonsus monasticæ vitæ sanctimonia delectatus, Agalienſe cœnobium petijt, in quo multis annis strenuum se Christi militem exhibuit. Et quia lauta adhuc restabat hæreditas, ex eadem virginum cœnobiũ in Deibrensi villa constructit, propriisque opibus locupletauit. Indè iam pietate & morum suauitate omnibus charus, ad Agalienſis monasterij præfecturam electus est; q̃ ille, Abbas ita administrauit, vt rex viri sanctimonia ac prudentia impulsus eũ decedenti deindè Eugenio in episcopatu subrogaret. Tum verò enucleata virt' eius, in sede Romuleo refulsit egregiè, & veluti ardens facula: omnẽ Hesperiam perlustrauit. Fuit enim eximia eruditione & pręcipua dicẽdi facultate prædituſ: ædiditq; plurima, sanè luculenta tũ pietatis, tũ admirandæ eruditionis monumenta.

Fit discipulus Isidori Episcopi.

Fit Diaconus.

Fit Monachus.

Constituit monasterio Virginum.

Fit Abbas.

Fit Episcopus.

Cæterùm cœlesti dono mirabiliter afflatus, magno meruit illustrari miraculo, in S. Virginis Leochardiæ reliquijs: nam eius ante tumulum cùm in genua procumbens, præsente rege, orationem faceret, tumulus ipse protinus ebullijt, & cooperculum sarcophagi, immane pondus, triginta iuuenum robustorũ viribus superior, angelicis est eleuatũ manibus: velumque, quo sacrum virgi-

Reliquiæ S. Leochardiæ diuinitus declarantur.

virginis corpusculum tegebatur, foras protrusum, veluti hominum manibus expansum apparuit. Fortè ipsa tunc virgo eius cōspectui obuiam processit; nam velum, episcopo partem præscindere conante, retrahebat, quamuis nihilominus q leua tenebat nostrarū dextra pręciderit: partemq; præcisam vnà cum cultello (quem rex Recceluinthus ei obtulerat) in thecis argenteis reclusit.

Varijs coruscauit miraculis.

Est maximus cultor, D. Virginis.

Alijs eum miraculis plurimis diuinum decorauit numen, sed vno è multis contenti firmam eius fidem à lectore precamur. Instante Virginis gloriosæ Assumptione, eidē Virgini incredibiliter deuotus singulare Missæ officium in eius laudem artificiosè composuerat, multaque ad eius festi solennitatem omni sanctimonia & celebritate peragendam haud exiguo labore molitus fuerat; quin & regem, populumque vniuersum iam ante ad festi dignitatem benignis admodùm monitis inuitauerat. Cumque iam matutinas horas sacra vigilia præuenire vellet, clero accensis ante eum facibus ad templū præcedentibus, eccè tibi, reserato ecclesiæ ostio, cœlestem conspiciunt in templo splendorem, tanta radiorum virtute vt omnes metu penè exanimati, relictis facibus, in effusam fugam conuersi sint. Solus antistes pedetentim ad Virginis altare procedens, ipsam Virginem in cathedra residentem inuenit: sacris virginibus in circuitu, incredibili suauitate Dauidica cantica modulantibus. Interim sacer antistes plenus gaudij atque stuporis, huiusmodi à Virgine vocem accepit; Propera in occursum serue Dei, & accipe, quod è thesauro filij mei tibi trado munusculum. Sic enim decet, vt hoc benedictiōis tegmine, nostra tantùm in festiuitate vtaris. Et quia nostarum laudum studiosus es, in hac vita sacris

Visio admiranda.

S. Virgo ei vestem sacram donat æternamq; salutem addicit.

sacris Ecclesiæ decoratus vestimentis, in futura, immortalitatis indumento cum alijs Dei seruis lætaberis. His dictis, B. Virgo cum cœlesti virginum agmine repentè ab eius conspectu euanuit. Fidem hunc miraculo, cùm alia multa, tùm vestis ipsa facit, miræ subtilitatis, miriq́ue candoris, in Ecclesia Toletana seruata. Præterea Cathedra episcopalis, sessione ipsius Deiparæ sanctificata, quæ ab omnibus deindè episcopis intacta permansit. Solus Sigebertus cùm temerario ausu hoc sibi tribueret, amissa statim sede, exilio damnatus est. Cæterùm S. Ildefonsus expletis in ea functione cum omni sanctitatis laude annis nouem & mensibus ferè duobus, plenus gratiæ & bonorum operum ad cœlos migrauit; cuius corpus in B. Leochardiæ honorificè fuit tumulatum.

Vestis à B. Virg. S Idelfonso donata, mirę subtilitatis & cãdotis.

Excedit è vita.

## VITA ET RES GESTAE S. TIMOTHEI *Apostoli, & discipuli S. Pauli, ex Metaphraste.*

*Creatus est à S. Paulo Episcopus Ephesiorum anno Domini quinquagesimo septimo. Neronis Imp. 1. fuitq; primus eius sedis antistes.*

Vide C. Bar. Tom. 3. Annal.

SANCTVS Timotheus ciuitate Lycaoniæ oriundus, auiam habuit Loidem, matrē verò Eunicam, eximia pietate ac sanctimonia matronas, quarum ab ingenio alienus planè parens, cæcis gentilitatis implicatus erroribus decessisse fertur. Porrò Timotheus à matre Christianis disciplinis contra Iudæorum perfidiam imbutus, summa parentum voluntate vnà cum Barnaba Paulo informandum tradidit, qui eo tempore, Lycaoniæ, cum insigni sanctitatis opinione,

24. Ianuarij. Patria & parentes eius.

Fit S. Pauli discipulus.

& stupenda miraculorum virtute agebat. Cæterùm Apostolus indè profecturus, ad euangelij semen alijs pariter ciuitatibus impartiendum, ipsum Timotheum itineris laborumque socium habiturus, primò circumcidit, propter Iudæos, quos minimè latere poterat, eum gentili patre natum esse. *Circuncidit a igitur, vt circumcisionem tolleret; nam Timotheus licet in præputio vocatus esset, tamen quia matre Iudæa natus erat, ad cognatorum perfidiam expugnandam, ostendere eu debuit, non hoc se didicisse in disciplina Christiana, vt illa sacramenta quæ legis veteris erant, abnumaretur.*

Circunciditur Timotheus.

a Chrysost. homil. 34. in Act.

b August li. de mend ad Consen. c. 5.

Prudenter igitur Paulus, vt demonstraret Iudæis, *Gentes non ideo ea non suscipere, quia mala sunt, & pernitiosè à Patribus obseruata, sed quia tam saluti non necessaria post aduentum tanti sacramenti, quod tam longa per tempora, tota vetus illa scriptura propheticis figurationibus parturiuit. Nec dubitasset hac eadem ratione & Titum circuncidere, vrgentibus præsertim hoc ipsum Iudæis, nisi falsi fratres subintroducti, ideò fieri voluissent, vt calumniandi ansam habuissent, tanquam eorum veritati cesserit, qui spem salutis Euangelicæ, in circuncisione carnis, atque huiusmodi obseruationibus esse prædicarent, & sine his nemini Christum prodesse contenderent; cùm contrà nihil prodesset Christus eis, qui eo animo circuncliderentur, vt ibi esse salutem putarent.*

Ratio quare D. Paulus Timotheū circuncidexit.

Titum verò non.

Hinc* igitur cum eo digressus, primùm apostolicis animum excoluit virtutibus, sui præceptoris obseruantissimus, qui egregium Christi mi-

*Lycaonia. Fit Diacon.

litem

litem ilicò ad Diaconi officium elegit. Quod ille tanta fide atque virtute administrabat, vt Apostolus modò illum filium in Domino dilectum & fidelem, modò fratrem & Euangelij cooperatorem appellaret. Et licet virtutum robore contra animarum hostes iam satis videretur munitus, tamen sibi suisque per omnia viribus diffisus, tam accuratis se disciplinis domabat, vt in virginea puritate, vitam hanc exegisse certò credatur. Immò tanto rigore corpusculum constringebat, vt Apostolus à seueriore vitæ genere eum reuocare, atque vini vsum præscribere cogeretur.

Quàm tenere Paulus eũ dilexerit.

Timotheus virgo permansit.

S. Ignatius in epist. ad Philadelp.

Timothei vitæ austeritas.

1. Epist. ca. 5.

Et quidem stomachi debilitate languidus, nihil non animi generositate superabat. Modò Ephesum, modò Corinthum trâuolabat. Paulini verò itineris vt plurimùm comes, vniuersam terram peragrabat. Et quia Christianæ facundiæ viribus non parùm præstabat, credendum sanè eum vberrimos suæ prædicationis fructus tulisse. Vnde etiam Apostolus visa viri pietate ac robore, non dubitauit eum Ephesi antistitem constituere: qui primus omnium eam dignitatem tanta cura ac vigilantia ibidem administrauit, vt ea sanè Ecclesia, quam Paulus & Ioannes Apostoli erexerant, nihil in terris diuinius putaretur. Extollit eam haud vulgari præconio S. Ignatius: cùm eorum in sortem se adoptari vehementer desiderat.

Creatur Ephesiorum Antistes S. Timoth.

In quadam epist. ad Ephesios.

Postrò Timotheus diuinæ gloriæ vbique studiosissimus pro eiusdem gloriæ defensione præclarò fertur martyrio occubuisse. Ephesij enim cùm alijs multis errorum conflictarentur insaniis, tum Catagogium quoddã festum tanto mentis furore celebrabant, in honorem dœmonis, vt clauis fustibusque armati, obuios quoslibet ad

Martyrium S. Timoth.

Festũ apud Ephesios planè diabolicum.

necem expeterent. Immane & crudele facinus. Innoxij repentino verbere sternebantur, ipsis simulachris, quæ pariter circunferebantur, immolandi. Quam impietatem Timotheus non ferens constanter ad eos gradum intulit, plena grauitatis oratione contestans, ijs sacrificijs, Deo & hominibus inuisis, non salutem ac dignitatem sed pestem atque exitium comparari.

Insaniam Ephesiorũ increpat S. Timoth.

Cumque ferrea pectora dictis pariter ac factis emollire studeret, illi furibunda in eum mente insilientes grauiter cõuulnerârunt; quem ilicò fideles sui antistitis amantes, semianimum è populi tumultu rapuerunt, ægreque trahentem spiritum ac tandem efflantem, in loco, Pion dicto, honorificè condiderunt. Fuit autem sacrum corpus à Constantio anno Imperij eius 21. Constantinopolim in basilicam Sanctorum Apostolorum translatum: vbi clarum miraculis conquiescit.

Grauissimè vulneratur.

Vitam deponit.

Translatio reliquiarũ eius.

Claret miraculis post obitum.

## *ILLVSTRE MARTYRIVM S. BABYLAE, Episcopi Antiocheni. Ex scriptis Beati I. Chrysostomi.*

*qui testis oculatus, præclaro illi miraculo interfuit, quod tempore Iuliani Apostatæ, in translatione reliquiarum eius contigit. Passus est sub Decio Imper. Anno eius Imperij primo, Christi verò Saluatoris ducentesimo quinquagesimotertio, sede vacante, cum summa laude Episcopalem administrasset dignitatem annos duodecim. Extat apud Reuerend. P. Laurent. Surium.*

Habetur to. 3. operum eiusdem.

Vide C. Baron Tom. 2. Annal. & in Not. Marty. Rom.

24. Ianuarij.

MAIORVM nostrorum temporibus Imperator quidam fuit, tanta morum sæuitiæ,

tia,crudelitate,scelere,audacia, atque improbitate, quantam nulla vis orationis explicare potest. Nam cum gens quædam,cum illo bello decertaret, cuperetque vehementer certo aliquo pacis fœdere constituto, rebus suis pacatè frui, vltrò Imperatorem adire non dubitauit, multis rationibus fidem faciens.quantum vtilitatis vtrique parti,ex iusta ac firma concordia accederet. Quid multis? Dato acceptoque iureiurando,pax firmatur,ea lege & conditione, vt Rex gentis, filium suum obsidem daret, tenera ætate puerum, ne icta pacis fœdera,quoquo modo violarentur. Rex,quanquam filium tenerrimo complecteretur amore,ne tamen subditorum salutem præ filij amore negligere videretur,eum dedidit,atque Imperatori obsidem ritè instituendum tradidit; orans obsecransque,vt maiorum suorum nobilitate dignus,per omnia euadere posset. At Imperator occulto in pectore perfidiam fouens, acceptum,sacrosancta amicitiæ ac fœderis lege, regium puerum secum abduxit;non quidem dignis sua nobilitate moribus imbuendum, sed hostili ferro crudeliter trucidandum. Mox namque iusiurandi oblitus, cædem cædium omnium sceleratissimam patrauit: filiumque obsidem, fidem illius nequicquam implorantem, crudeli dextra perfidus mactauit. Cumque patrato immani scelere, manus adhuc innocentis sanguine stillantes haberet,effrons planè, saxisque durior,ad Christianorum templum,furibundo simili properauit.

**Crudelitas & perfidia Decij Imp. planè execranda.**

Ea tempestate magnus planè vir & omni sanctitatis laude conspicuus, Antiochenæ Ecclesiæ, Babylas præsidebat; Antistes, inter omnes Orientalis Ecclesiæ patres clarissimus. Qui futuræ per-

**Encomium S. Babylæ, Antist.**

Suos omnes etiam pueros ad martyrium accendit.

secutionis præscius, non viros modo, sed & pueros, quos Christianæ fidei imbuebat elementis, ad subeundum egregiè pro Christo martyrium, assiduis sermonibus inflammabat. Is audito tyranni facinore, Iohannem Christi præcursorem strenuè æmulatus, non paucarum ciuitatum Tetrarcham quendam, neq; gentis vnius regem, sed eum qui præcipuam orbis totius partem imperio obtinebat, hunc ipsum homicidam, de quo nobis sermo est, eundem multarum gentium, multarúm ciuitatum, immensi item exercitus Dominum, tú ab Imperij amplitudine, tum à morum ferocitate terribilem, aggressus est; & quasi vile quoddam atque nullius pretij mancipium à Christi templo repulit, tantaq; constantia atque sedulitate, quanta pastor scabiosam ac morbidam ouem ab ouili excludit, abegit.

Eximius zelus S. Babylæ.

Quo autem animo, truculenta bellua, præclarum hoc sanctissimi viri facinus tulerit, quibus oculis zelantem Christi legem, Antistitem aspexerit, quis explicare valeat? Voce, vultuque vindictam spirans, ad templum flamma ferroque vastandum satellites properare iubet. Babylam verò columnæ instar immotum permanentem, ferro crudeliter vinctum, teterrimo carceri mancipari, maleficorum hominum vinculis, miserijs, calamitatibus ac ærumnis fatigari. Sed hæc Babylæ fiduciam non modo non frangebant, quin potius ad maiora, maiori animo subeunda prouocabant. Post diuturnos verò carceris squalores, ac varios cruciatus, productum tandem tyrannus interrogat, num quos Christiani dogmatis assertores habeat. Cui Babylas, de suorum virtute & constantia securus, tres pueros se habere dixit, fidei documentis præclarè instructos, & pro Christi no-

Comprehenditur & incarceratur.

sti nomine decertare paratos. Hi erant Vrbanus, † Prælidanus, & † Apollonius, ætate quidem penè pueri, at mente & sapientia planè cani. Nec mora. Tyrannus vinctos cum matre Theodulla cruciatibus affici, inuictamque virtutem supplicijs fatigari mandat. Vincti itaque cruciantur antè ora parentis, alapis cæduntur, torquentur, & ad numerũ annorum plagæ cuique infliguntur Alij duodecim, alij Nouem, alij Septem. Sed matris & Episcopi hortationibus roborati, premijque sempiterni admoniti, spretis tyrãni minis supplicijsque, constantes in Christi cõfessione permanent. Hinc tyrannus dolore incensus & rabie, Babylam vna cum pueris vltimo supplicio tradi iuber. Aduolant protinùs carnifices, & fortissimos athletas varijs cruciatibus exercent, atque inter tormenta constanter Christum confitentes, capitum obtruncatione tandem coronant. Porro vir sanctus morti propinquus, sedulò suis mandauit, vt ferrea vincula vna cum corpore in sepulchrum inferrent; cunctis Christianis testatum faciens, quæ ignominiosa videntur quoties propter Christum fiunt, honorifica esse ac splẽdida. Hac quidẽ in parte magnũ illum Paulũ imitatus, qui sursum deorsum stigmata vincula, catenã versabat: ea ob ipsa gloriabundus, ac sibi placens, quorum alios puderet. Verũenimuerò quæ virtutis opera, post gloriosum martyris certamen euenêre, digna sunt, in quibus commendandis immortalitati, scriptorum omnium certet industria. Etenim humani generis conditor Deus, qua est in nos benignitate, inter alios, quos nobis ad virtutis exercitationẽ, reliquit stimulos, haud postremus ille videtur, qui Sanctorũ exẽplo nobis exhibetur, ac ex sacris eorũ reliquijs, stupendis rerum signis &

*aliàs Prillidianus.
* Epoloni⁹.

Trium puerorum inuictum animæ robur.

Plectitur capite Sacer Antistes, cũ trib. pueris.

Iubet vir sanctus secũ sepeliri catenas.

Actor. 28. Ephes. 6. 2. Timoth. 1.

Sanctorũ exempla ac reliquiæ, ad qd prosint.

miraculis claris, frequenter ob oculos ponitur. Nam post sermonis facultatem, ipsa certè sanctorum sepulchra, proximum obtinent locum, ad intuentium animos, ad earundem virtutum æmulationem prouocandos. Quid sepulchra dico, cum & vestes, & laceri panni, sacro cruore martyrum consperſi, interlabentem refricent memoriam, animosque ad subeunda pro fide certamina excitent? Et quidem, quam aliam prætendere causam possumus, quod tot tantisque miraculis & honoribus sanctorum suorum reliquias ipse conditor Deus honorat, nisi nostri gratia; quò contemptis huius mundi honoribus, & noxijs blandimentis, ad veros solidosque honores consurgamus? Quanta verò sancti huius Babylæ corporis, longum post temporis interuallum, extiterit gloria, attendite. Neque enim simul cum ipsa morte, finis eius fuit certaminis, quin velut rediuiuus, grauiores contra gentiles aggressus est pugnas. Nam & more Samsonis ossibus pugnans, in fugam vertit Philistæos.

Iudic. 15.

Daphnes locus in suburbijs est Antiochiæ, pulcher sanè atque amœnus, suaque temperie homines mirificè oblectans. Porrò humanæ salutis hostis (cuius ea est natura, vt nos Dei muneribus turpiter in nostram perniciem abuti faciat) locum eundem cum occupasset, effinxit per nequitiæ suæ ministros, infamem quandam fabulam, per quam suburbij decor atque amœnitas, non ad Deum, sed dœmonem scelerate referebatur. Hinc iuuenes permulti commessationibus, & impudicitijs locum contaminare, cædes & immania scelera patrare, alios quoslibet ad facinorum suorum communionem allicere, & idolo Apollini, cui rex templum, ibidem erexerat, ne-

Daphnes locus in suburbio Antiocheno, dœmoni consecratus.

fan-

fanda admodum sacrificia facere. Occupatum verò hoc modo adolescentum intemperantia locum, & tyrannide dæmonis obsessum, Gallus Cæsar vt liberaret, non arma, non militem, non edicta transmisit, sed Babylæ corpus in cineres & ossa planè redactum, eò transtulit; ratus eius virtute, dæmonis præstigias ac fraudes protinus elidendas. Nec eum spes, quam in martyre repositam habebat, fefellit. Nam simulac sacræ reliquiæ suburbium attigêre, & loquax illud Apollinis oraculum obmutuit, suppressaque voce latrare desijt, & inolitæ Græcorum superstitiones, effuso delitiarum luxu extincto, penitùs cessarunt. Cæterum eo Imperatore, qui reliquias transtulerat, vita functo, Apostata ille, firmato imperio, vt silentis Apollinis linguam solueret, indè tollendum Babylę corpus curauit. Quo sublato, & in locum pristinum restituto, mox mutum idolum, non nisi sui silentij causam fari permissum, illapso de cælo fulmine contritum est, ingensque eius ædes, cælesti illo igne conflagrauit. Ex hæc quidem pauca ex multis præclarissimis Babylæ virtutibus ac miraculis; qui & in vita & in morte vtrobique illustris, Dei leges ab iniuria vindicauit, mundi fastum contempsit, Reges docuit, & corpus pro fidei & pietatis defensione intrepidè morti subiecit, dæmonis robur enervauit, gentilium impostruram coarguit, vaticinij deliramenta detexit, personam eius contriuit, ac magna vehementia oppressit.

Gallus Cæsar reliquias S. Babylę transfert in Daphnes vt dæmonem inde expellat.

Huic miraculo oculatus testis interfuit S. Ioh. Chrysost. vt testatur in Orat. contra gent. & hom. 4. de laudib. Pauli.

Iulianus Apostata indè aufferri curat easdem reliquias.

Apollinis simulachrũ diuinitus contritum, fanũque crematum.

## EGREGIVM CERTAMEN SS. Militum Romanorum, Iuuentini & Maximi ex S. Ioannis Chrysostomi homilia in ipsorum die natali habita. Occubuerunt autem anno Redemptoris 362. Liberij Pontificis 11. Iuliani Imperatoris secundo.

Vide C. Baron. Tom. 4 Annal. eccle.

25. Ianuarij. Summa Christiano. rũ in fide cõstantia sub Iulio.

IVLIANVS apostata, qui omnes Imperatores impietate facilè superauit, cùm videret Christianorum res præclaris martyrum certaminibus indies magis magisque illustrari, eaque de causa non solum viros, sed teneros etiam pueros, virgineisque nondum nubiles, pro religionis constantia ad mortem prosilire, incredibili animi dolore cruciabatur. Et quanquam omnes internecione deletos cuperet, sanguinemque eorum auidissimè sitiret, ne tamen triumphos, victorias & coronas illis pararet, & aperta crudelitate nomen eorum sempiternæ memoriæ consecraret, miris quibusdam insidijs eos subuertere conatus est. Medicos & milites & oratores omnes vel à possessionibus suis discedere, vel fidem suam abiurare iubebat. Multas insuper & varias causas mira diaboli versutia inuentas habebat, quibus si non à fidei constantia, religionis puríssimæ cultores dimoueret, saltem martyrij gloriam obscuritate inuolueret, atque omnes hoc modo ab ardenti martyrij cupiditate qua vehementer flagrabant, retardaret.

Versutia Iuliani apostatæ.

Epulum quippe publicum à Iuliano paratũ.

Hæc cum ita se haberent, accidit vt militibus conuiuium præclarum instructum esset: cui etiam & martyres, quos hodie colimus, intererant. Cumque inter pocula, varij, vt conuiuarum mos est, ser-

sermones vltro citroque misrerentur, martyres nostri inter se, sui seculi mala deplorabant, sacras leges conculcatas dicebant, pietatem extinctam, & creatorarum omnium Dominum nefariè contemptum. Cui, dicebât vita vltrò allubescat, cum neq; aerem nisi impuris impietatũ sacrificijs haurire licebat? Omnia nidore plena sunt & fumo, omnia sacrificijs immundis referta. Dicta verò hæc perfunctoriè non sunt transeunda, sed maturè cõsideranda, quandò ea locuti sunt, & quãta pietate. Nam si in militari symposio, vbi regnant ebrietas & intẽperantia, vbi certatur de prodigalitate, vbi agon est stuporis & insipientiæ, sic ingemiscebant & lugebant, quales erant domi, cum soli inter se agerent? quales erant in precibus ac ieiunijs, qui delitiarum tempore, tam humiliata & Apostolica præse ferebant pectora? Gaudebant alij, hi verò lugebant. Impiè agebant alij, hi verò zelo vrebantur. Verum enimuerò haud clandestinum fuit, talia eos dixisse. Nam ex sodalibus & conuiuis adulator & irrisor quidam, obsequium Imp. facturus, omnia vt dicta erant detulit. Imp. autem accepta occasione iam diu quæsita, causatus est ex verbis illis affectatam tyrannidem, vt ita eos martyrij corona priuaret. Primò igitur omnibus eorum facultatibus in fiscum delatis, nudos eos in carcerem coniecit. Illi incredibili gaudio perfusi, non secus in carcerem, quam homines in patriam migraturi, properarunt. Cum autem omnibus essent propter spectatam probitatem pietatemque eximiam admodum chari, omnis penè ciuitas ad eos confluxit, vndè multi, pijs eorum sermonibus & in vitæ innocentia, à perfidia ad Christum transière, & sanguinis sui effusione constans de eò testimonium præbuêre.

Conquerun tur milites inter se de pietate profligata.

Eximia mar ty. pietas.

Prodantur.

Manet pãtur carceri.

Constantia martyrum.

Imp.

Tentantur martyres.

Imp. auditis eorum virtutibus, & ardenti pro Christi nomine decertandi cupiditate, varijs fraudibus & illecebris eos in suam perfidiam pertrahere conatus est. At illi cùm omnes illius impios conatus & fraudes illuderent, munera & mundi huius honores qui offerebantur, contemnerent, furore percitus, iussit media nocte eos in barathrum abduci, atq; in densis tenebris decollari, ne inuicta eorum constantia ad aliorum notitiam cum sempiterna gloria perueniret. Cæterum capita detruncata, tunc diabolo magis terribilia erant, quàm cum adhuc vocem darent.

Plectuntur capite.

Nam cum quidam, cum aperto etiam salutis discrimine, fortissimos illos athletas ex impiorũ manibus raperent, neque paterentur vllo modo sacra illa corpora manere inhumata. Góstans et net fama, ab oculatis, pfecta testib. eadẽ in Sarcophago deposita, cœlesti quadã gratia splẽduisse,

Actor. 6.

Protomartyris Stephani Iudæis responsuri haud absimili. Et quidem aspectus ita omnes affecisse

Miraculum;

dicitur, vt nemo non pio quodam horrore perfusus astaret. Nos porrò illos & columnas & scopulos & turres, & candelabra, & tauros simul haud immeritò dixerimus.

Præclarum Marty. Encomium

Christi etenim ecclesiam sicut columnæ sustinent, sicut turres muniunt, sicut scopuli, undarum spiritualium assultus repellunt, sicut luminaria tenebras impietatis discutiunt, & sicut tauri, eadem anima & promptitudine, suaue Christi iugum dum viuerent traxêre,

VITA

# VITA S. PROIECTI ARVERNORVM Episcopi & martyris, & sociorum eius. Passus est anno Domini 670. sub Childerico secundo Francorum Rege.

Vide Cæs. Baron. Tomo 8. Anna. Eccle. in & Notat. Mart. Rom.

25. Ianuarij Patria & parentes eius.

BEatus Proiectus claris apud Aruernos ortus natalibus, parentes habuit Gondolenum atque Elidiam; & quidem cum necdum esset, in lucem editus, cælesti reuelatione indicatum est, quis quandoque futurus esset. Cùm autem natus esset puer sanè elegans, statim primis infantiæ annis superatis ad Isiodorenses, literis imbuēdus profectus est. Vbi cum præ cæteris condiscipulis haud contemnendos in literis progressus fecisset parentes eum Genesio Archidiacono, postea autem Aruernorum Episcopo, commendarunt. Qui cum præclaro illum ingenio & spectata indole præditum animaduerteret, primò illius fidei tradidit pecunias: vndè pauperes alebantur. Postea verò maiori accedente eruditione non rarò suis eum consultationibus adhibuit.

Traditur Genesio Archidiacono literis imbuendus.

Porrò cum optimis polleret moribus; & inculpatæ vitæ integritate plurimos ad virtutis studiū excitaret, antistes eum Isiodorensibus præfecit. Itaque videre licebat eum castitatis studio conspicuum, charitate eximium, ieiunijs deditum, & assiduè rerum diuinarum contemplationi & scripturis lectitandis intentum. Ipsis autem Quadragesimæ diebus, multò attentius pietati & eleemosynarum largitati operam nauabat. Vt autem die quodam, solito plures pauperes ad eum confluxerunt, & vir sanctus ex ministro suo duos tantum aureos superesse intellexit, totum se ad Christi Iesu benignitatem implorandam conuertit, vt quod

Præficitur Isiodorēsib.

Virtutes eius.

quod indigentibus vlteriùs suppeditare posset, largiri dignaretur. Tacitis hæc secum precibus agebat, cùm protinùs pauciſſimos illos nummos intra crumenam cæleſti benedictione vſque adeò auctos ſenſit, vt toti ad fores conſiſtenti paupertati cateruæ ſufficerent.

Miraculum.

Aliquanto deindè tempore euoluto, Felix qui tunc Aruernorum Epiſcopatum adminiſtrabat, Candidinenſis cœnobij præfecturam Proiecto demandauit. Ibi vir ſanctus cùm tam animarum lucra, quàm ædificiorum ſtructuras in melius prouehendas curaret, parietem domus cuiuſdam ruinam minitantẽ reſtaurare voluit. Sed cum rimas ex omni parte duxiſſet, accidit, vt repentè ab ipſis fundamentis collapſus, vnum ex operarijs miſerè oppreſſerit, ſuiſque ita ruderibus abſconderit, vt nemo eſſet qui non eum ſuffocatum crederet. Ea res virum Dei tam grauiter perculit, vt ingentem lachrymarum vim profunderet, & quia de corporis ſalute deſperabat, pro ſempiterna animæ eius ſalute enixè Chriſtum rogauit. Interea iuſſit vir ſanctus, vt amota lapidum congerie, quaſſatum cadauer ad ſepulturam inquireretur. Ecce autem diſiectis lapidibus, homo ille adeò ſanus & incolumis inuentus eſt, ac ſi procul ab illa parietis ruina abfuiſſet. Nemo fuit qui non hoc præclaris ſanctiſſimi Proiecti meritis aſſcribendum putaret.

Præficitur monaſterio Candidinẽſi.

Præclarum miraculum.

Porrò Felice Pontifice vita functo, cum maxima pars Cleri populiſque in Proiectum propenſis eſſet animis, cuperentque illum habere Antiſtitem, Archidiaconus ciuitatis illius, Giroaldus, mala cupiditate incenſus, contempto Clero, laicorum quorundam vſus conſilio, ad cathedram illam largitione ſibi aditum parauit; ſed non niſi

diebus

diebus quadraginta tã male parta perfruitus dignitate, vitam vna cum cathedra perdidit. Rursus igitur Aruerni de eligendo Præsule tractaturi, virum inclytum & Senatori ordinis dignitate nobilem pastotem sibi postularunt. At ille non minus prudens animo, quam opibus potens, noluit temerè eum honoris gradum appetere, sed palam illo se indignum ingenuè confessus, hortatus est ciues, vt Proiectum sibi à Rege Pontificem petant. Nec mora. Populus, eius consilijs obtemperans, cõmunibus suffragijs, accedente Regis consensu & decreto, Proiectum eligunt. Ille verò magna morum suauitate, & tam admirabili virtutum omnium splendore comnissum sibi munus administrabat, vt populus manus in cælum tolleret, & immensas Deo gratias ageret, quod talem Ecclesia Pontificem haberet.

**Creatur Aruernorum Episcopus Proiectus**

Inciderat quandoque negocium, cuius causa adeundus esset viro Dei Childericus Rex. In ipso ipso autem itinere cum peruenisset ad locum, qui Claroangus dicitur; in Marago, & apud Christi milites monasticæ vitæ studio claros, Patrem monasterij, Marinum febre diuexatum inuenisset, mox ad solita pietatis se arma recipiens, edito in agrotum Crucis signo, febrem fugauit, & Marinum incolumẽ reddidit. Deindè postquam apud Regem negocia sua ex animi sententia peregisset, & multis insuper affectus honorib. ad Aruernos redijsset, Marinus cùm charitatis studio, tum multò magis occulto quodã diuinę prouidentiæ consilio inuitatus, Aruernos similiter ad Proiectum profectus est; credo sanè vt illi qui magno inter se amore deuincti, magnaque beneuolentia erant coniuncti, pariter etiam martyrij coronam perciperent.

**Is est Childericus 2 regnauitque circa annũ Dom. 668.**

**Sanat febricitantem.**

Cùm

Cum autem aliquanto tempore sanctè & religiosè contractam prius amicitiam stabiliuissent & exijmijs se pietatis operibus ad futura certamina, quæ diuinitus ad maiorem illis gloriam parata erant, præparassent; malignus antiquæ inuidiæ stimulis percitus, suos ministros in eos concitauit. Erat in ijs vir quidam primarius Agritius nomine, qui pestiferis persuasionibus, Aruernorum proceres in sanctorum virorum necem inflammauit, Erant autem pariter Proiectus & Marinus in loco quodam, quem Volonicum appellant. Ibi in eos simul irruũt nefarij cum fremitu & clangore tubarum. Quo audito Marinus vt furorem eorum

Marinus necatur.

leniret foras egredi voluit. Id vbi sensit Proiectus eum compescuit, dicens, Noli ô pater oblatum martyrij differre coronã, quasi modo non poteris, nunquam fortassis postea consequeris. His auditis, ille mutata sententia substitit, & à duobus sicarijs magna vi irruentibus mortem constanter excepit. Et illi quidem sanguinarij Proiectum se trucidasse putantes, ad suos læti regredi parabant cum Proiectus his vocibus eos compellare cœpit, Quo fugitis? ecce quem quærebatis, hic est: facite quod optatis.

Tum verò vnus ex ijs, natione Saxo, Radebertus nomine, furibunda mente irruens, magna vi gladium in pectus eius adegit; At ille rosea sui sanguinis vnda perfusus, sublatis ad cœlum oculis insita pietate, exemplo Stephani, Dominum precabatur, ne illis hoc peccatum statueret. Eo autem sic precante, cruentus latro gladium in caput eius vibrans, cerebrum excussit: atque ita sancta illa anima corporeis soluta vinculis ad cœlos migrauit.

Actor. 7.

Proiecto cerebrum cum vita excutitur.

Haud procul aberant, cum hæc cædes fieret, se-

natores

natores duo, Bodo & Placidus, qui in sancti viri necem consenserant, Ij de improuiso tres conspexerunt stellas mirabili fulgore supra domum illam, in qua Sanctorum corpora iacebant, micantes, è quibus vna cæteras claritate anteibat. Illi visis stellis ingenti timore correpti, dolere cœperunt, quòd in tam nefarium facinus consensissent. Porrò scelestus ille Radebertus, qui cædē pisā patrauerat, viuus à vermibus consumptus, indignam vitam digna morte finiuit. Aduenerunt autem paulò pòst multi presbyteri, qui sanctorum corpora Proiecti, Marini, & Elidij, (qui vnus ex Proiecti ministris simul cum illo occubuerat) digno honore excipientes, tumularunt. Vt vero Deus ostenderet, quàm pretiosa esset in conspectu suo mors Sanctorum, ad sacras illorum reliquias cœcis amissa lumina reddebat, claudorum gressus reformabat, leprosis natiuum colorem, abstersa fœdissima scabie, restituebat, dæmones ab obsessis corporibus fugabat: & omnibus denique quauis calamitate oppressis, cælestem benignè consolationem præbebat.

Vltio diuina in ficarium.

Miracula ad Sanctorum reliquias.

Quidam ex illis, qui necis sanctorum authores fuerāt, Vrsio nomine, venationis ergò obequitans, humi corruit, fractoque brachio, cætera etiam membra tam grauiter collisit, vt nulla medicorum arte sanari possent. Ille igitur salutis consequendæ desperatione fractus, facinus suum agnouit, & communicato cum vxore consilio, eam ad sancti viri sepulchrum misit, vt ipsi veniam precaretur, & de oleo, quod perpetuo illic lumine lampadem fouet, quidpiam reportaret, vt debilia membra illo peruncta sanitatem reciperēt. Quibus ritè peractis, dicto citius membra sunt pristino restituta vigori. Hoc statim cum celebri

admodum rumore diuulgatum esset, reliqui qui sceleris commissi participes fuerant, ad pœnitentiæ remedia confugerunt: & auro argentoq; sanctorum martyrum sepulchra exornarunt.

Vide Cæs. Baron in Notatio. Martyr. Rō.

*VITA S. POPPONIS ABBATIS STABULENSIS, ex ea quæ est fidelissimè per Euerhelmum Abbatem Altimontensem scripta. Claruit autem hic Sanctus, sub Henrico Imperatore & eius successore Conrado. Obijt verò Anno Incarnati Verbi 1048. Aetatis suæ septuagesimo.*

25. Ianuarij. Patria & parentes eius.

BEATVS Poppo in Listrogaugij partibus oriundus, Christianis admodū & ingenuis parentibus, patre Tizekino, matre verò Adalniff fœmina illustrissima, natus, septimo conceptionis suæ mense, præter solita nascentium tempora, hac luce est potitus. Pater eius cum esset militaris gloriæ supra modum appetens, & præclara

Nascitur mēse 7. à conceptu.

sæpè in bello facinora edidisset, tandem in Hispanien si bello viribus & audacia omnibus admirandus occubuit, filiumque quinta natiuitatis suæ septimana cum matre vidua pupillum reliquit. Is autem vt primum adolescentiæ florem attigit, cœpit eadem, qua olim pater eius, gloriæ cupiditate flagrare, atque eius insistens vestigijs, intrepidè sese in quoduis periculum inferre, vt militaris

Pater eius moritur, Dat se militiæ:

gloriæ palmam cunctis præriperet, & partum maiorum virtute gloriæ patrimonium adaugeret. Sed cum paulatim omnem mundi huius gloriam vanam esse consideraret, quodque multi ea ipsa in pestem & exitium sempiternum ruerent, cœpit pedem retrahere: & animum sub militari gloria ad ardentissimum pietatis studium adijcere.

Igitur

Igitur cum concepta pietatis fomenta indies magis magisq; nutriret, ardentior quidam amoris diuini iniiciculus eũ prouocauit, vt cum Roberto & Lauſo, viris pietate & virtute præſtantibus, loca domini noſtri paſſione ac ſepultura ſanctiſſima viſitaret. Quo itinere, omni cum ſanctimonia, cõpleto, Robertus in cœnobio VVaſſoy, ſiue Beloacus vocitato, monaſticæ conuerſationis habitum ſumpſit, ſub venerando Abbate Richardo, omnibus penè ſeculis, iuſtitiæ & probitatis ſuæ nomine iam celebrato; Lauſus verò Gandaui Eccleſiam S. Ioannis à fundamentis erexit, & pluribus pietatis & iuſtitiæ operibus clarus, in eadem ſibi funerez quietis locum elegit.

Adit Sepulchrũ domini.

At Poppo ingenti ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli amore flagrans, ſacra eorum limina venerabundus acceſſit, vbi poſtquam ſuo deſiderio ſimili pietatis ſtudio feciſſet ſatis, reuerſus eſt. Illis fortè diebus Balduinus Marchiſus in faſcibus comitatum agebat, & Flandriæ populis iuſtis legibus imperabat.

Inuiſit limina Ss Apoſtolorum.

Huic principi Beatus Poppo cum mirificè, propter religionis & iuſtitiæ opinionem charus eſſet, tum Frumoldus quidam apprimè nobilis (qui principis lateri, loco pænè proximo, adhærebat) tanta beatũ virũ beneuolentia & amore complectebatur, vt ei filiam ſuam eximia forma, & cæteris quas habebat præſtantiorem, vehementer connubio tradere cuperet. Cuius votis vir Dei primum quidem aſſenſum præbuit, ſed repentè promiſſi pœnitens animo fluctuare cœpit cui poſſimũ vitæ generi ſe tradere vellet. Tandem ne parum conſtans in ſeruanda fide videretur, atque

ea ratione se suamque familiam insigni aliqua ignominiæ nota afficeret, statuit in Sithin (sic locus appellabatur in quo Frumoldus domicilium habebat) iter dirigere, vt, quemadmodum constitutum erat, familiaris viri gener fieret. Ad euitandos autem immodicos sumptus, luxumque, ac pompæ præcipuè celebritatem noctis intempestę silentio viam illam ingressus est.

**Lux eum cælitus illustrat intus & foris.**

Eccè autem cum noctis medio paucis stiparus comitibus iter carperet, lux cælitus emissa, admirabili quodam splendore eum equo insidentem circumfulsit, & non minus mentem quam corpus illuminauit. Qua re inopinata treme factus, obtutus huc illuc non sine admiratione circumegit, viditque lanceam, quam gerebat, in modum facilæ nimio fulgore radiantem. Nec mora, hoc satis superque monitus prodigio vir Dei, acclamat viz suę comitibus: Sistite gradum cõmilitones mei, alia enim via insistendum est. Opportunum video, finem vitijs cum cupiditatibus his imponere, & quò diuinitati placet toto conatu intendere. Posthæc proiectis armis militaribus, mente ad meliora mutata, meliori via redijt ad propria, & euestigio ad sanctum Theodoricum Stabulensis cœnobij Abbatem contendit, eiusque se disciplinis, sumpto habitu monastico, subiecit. Vbi breui tempore sanctissimis monasticæ vitæ disciplinis & artium maximarum cognitione egregiè instructus, alijs etiam iustitiæ semitam demonstrauit.

**Monasticũ cõplectitur institutum, posthabitis nuptiis.**

Fuit ei continuò pauperum in Xenodochio recipiendorum cura demandata; quam tanta humanitatis charitatisque significatione administrauit, vt merito cum beato Iob dicere poterat; foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Et, Si comedi buccellam meam solus, & non

ob. 31.

non comedit pupillus ex ea. Quadam die inter cæteros ab ipso in Xenodochium introducendos alendosque, vir quidam tam horribili lepra deformatus, vt cæteri eus aspectum vix ferrent, aduenit. Quem vir Dei tanta maiori cura excepit, fouitque, quanto reliqui eum vehemētius horrebant. Postremò nocturnis tenebris ingruentibus, apud se detinuit, & suo tegmine, quo ipsemet in strato suo vti solebat, â nuditatis & frigoris iniuria defendit. Ille autem hoc tegumento cooperatus, primum vbertim sudoris guttas emisit, & euestigio lepra fugata sanitatem integram consecutus est. Manè autem facto ad virum Dei venit, & pro duplici pietatis bono sibi præstito immensas gratias egit. At vir sanctus stupore pariter & timore percussus, rogare eum cœpit, ne factum hoc propalaret: ne ad ruinam sui, fauor eum popularis pasceret. Inter hæc cum fama virtutum eius in ore omnium cum admiratione versaretur, Richardus, (cuius paulò ante mentio facta est) eius amore acriter inflammatus, eum secum ad Virdunense monasterium abduxit, vbi præclara admodum summæ monasticæ vitæ perfectionis documenta omnibus reliquit.

Charitas eius erga leprosum.

Leprosus sanatur tegumēto S. Poponis.

Cùm autem hoc modo alijs omnibus virtutis, & doctrinæ exemplo præluceret, & plurimos ex medijs mundi vanitatibus fluctibusque ad tutissimum religionis portum deduceret, cùm sedulò varia cum mente sua consilia pertractabat, quomodo dilectissimam matrem, marito iamdiu orbatam ad eandem religiosæ vitæ felicitatem (qua secum incredibili gaudio in Domino frui sentiebat) pertraheret. Mater cum esset pietatis studio valdè dedita, facile huic filij sui consilio acquieuit, & omnibus sui iuris tam liberis, quam

Matrem suā ad vitam cœnobiticam perducit.

mancipijs posthabitis ad cœnobiticæ vitæ callem cum eo migrauit. Virdunum igitur se contulit, vbi facto suarum virium, certaminumq; periculo tandem arduum solitariæ, vitæ institutum suscepit, & reliquum vitæ cursum ab omni familiari hominum congressu secluſa in pace peregit.

Non multò post Richardus Abbas ad sancti Vedasti regimen, in locum Folradi, assumptus, Popponem ad societatem regiminis euocauit: certisque de causis ad Imperatorem Henricum destinauit. A quo regia exceptus magnificentia, magnam sibi protinus, vitæ sanctimonia, auctoritatem conciliauit. Accidit interim vt regia Histrionicis ludis perstreperet & spectaculis insolesceret. Pugil quidam membra melle perunctus in certamen cum vrsis nudus descendebat: ingensque vitæ periculum cum maxima regis voluptate subibat. Quod illicò vt intellexit Poppo, regiam indignationem nihil veritus, voce maxima tam eum, quam optimates redarguit, ac grauitatem sceleris seuerè illis ob oculos posuit. Tu, dicebat ad regem, aliorum sanguine oculorum tuorum voluptati deseruies? Quid multis? Arguendo & obsecrando apud Imperatorem effecit, vt eliminatis huiusmodi spectaculis, moribus verò Imperatore dignis aula niteſceret. Eo autem exmonasterio, in quo præclaram cum summa prudentiæ laude operam nauauerat, Virdunum remissus fuit: & patrum consilio, vt ad rerum infimarum administrationem reiectus, sese deprimeret, & infimis æquè vt summis delectari assuesceret, Nihil fuit viro solidis fundato virtutibus faecilius. Sui ipsius contemptor præcipuus, viliſſima lubens obibat ministeria, paratus ad extremum vitæ spiritum seruitijs incumbere. Qua animi mode-

S. Poppo Henricum Imp. reprehendit.

Probatur eius humilitas & patientia.

modestia ab omnibus iã satis superq; perspecta, fuit continuò ad sancti Mauritij Abbatiam cum dignitate administrandam assumptus. Quæ cum ædificijs vilior, ruina insuper multis in locis periclitaretur, sanctus Poppo funditus dirutam, modestis eam ædificijs instaurauit: mutatoque priore nomine VVaploi, Beloacum deinceps vocitauit. Fit Abbas S. Mauritij.

Inter hæc tam grata religiosæ vitæ incrementa, apud Argentinam, Imperatorem Henricum aditurus, nouo fuit vir diuinus illustratus miraculo. Lupus è latebris fortè syluarum prosiliens, pastorem è regione greges pascentem inuasit, nimiaque fame stimulante antè laniauit, quam suppetiæ misero adferri possent. Laniatum suoque in sanguine volutatum in conspectum sancti Popponis detulerunt. Qui intimo mentis ardore pro sospitate viri Deum deprecans benedictionis remedio eum ad pristinum corporis vigorem suscitasse fertur. Fuit hoc celebri omniũ sermone diuulgatum, & cicatrices, quas vir ille retinuit, omnibus omnem dubitandi occasionem adimebant. Lupus pastorem necat. A S. Popponе suscitatus

Post hæc Stabulensis monasterij Abbas Bertrannus mortis debitum persoluit, & Poppo ad eam dignitatem, summa Henrici Imperatoris voluntate capessendam, coactus fuit. Ibi dum ille fluxos quorundam monachorum mores sæueriore disciplina deuincire vellet, grauissimum multorum in se odium concitauit; sed vir Dei nullas hominum minas vel insidias timens, perrexit strenuè, cum omni tamen modestia & mansuetudine, collapsa pietatis & monasticæ vitæ fundamenta restaurare. Fit Abbas Stabulensis.

Fit Abbas S. Maximini.

Biennium in ea vinea laborauerat, cum Herichoni Treuirensium apud sanctum Maximinum Abbati succedere, Imperatoris mandato cogitur, vbi similis in eum, imo grauior quorundam, cum insidiandi copiis, inuidia processit, eorum videlicet, qui à monasticis obseruationibus per abrupta deflexerant. Cum enim illicita sibi sub eo non licere conspicerent, consilia iniquitatis & sceleris plena de morte eius machinari cœperunt. Et quidem præter alia, non dico religiosorum, sed prophanorum etiam hominum auribus indigna, eo impietatis processerunt, vt recuperandę libertatis perniciosæ ergò, toxico cibo potuque vitæ illius

Venenum viro Dei non nocet.

insidiarentur. Ille verò frustrata omni iniquorũ malitia, teterrimi sceleris, lethalem cibum sine læsione sumsit.

Eadem illa tempestate Imperij dignitas in discrimen armorum penè deuenerat. Conradus enim Henrici in imperio successor, Henricum Galliarum regem eiusdem dignitatis ac gloriæ petitorem ægrè sustinebat, nec erat qui hostili animo de imperio contendentes, in concordiam redigere posset. Magnatum, procerum, & doctorum omnium industria in eo frustra desudabat, cum eccè S. Poppo non tantum eos ab intestinis bellis ad sanctissima pacis fœdera traduxit, sed Henricum regem adeo in sui amorem inflammauit, vt quidquid ab eo vellet, solo nutu impetraret. Conradus verò, vt re ipsa amoris, magnitudinem erga Popponem declararet, Argentinæ ciuitatis episcopatum ei detulit, sed vir sanctus, qui tota mente honores omnes respuebat, non minus callidè quam humiliter eum dignitatis gradum declinauit. Cum enim Imperatoris auctoritate vehementer se vrgeri cerneret, non dubitauit dicere, se cle-

Subterfugit episcopatũ Argentinen sem.

rici fi-

rici filium esse, atq; ideò canonicis sanctionibus à Pontificiæ dignitatis gradu arceri. Rex cum huius excusationis fictione erubescceret, tunc quidē conticuit, sed postquam longè aliter se rem habere & filium laici, militaris gloriæ laude præstantissimi, esse intellexit, acriter eū redarguit. Quod quidem ille tulit patientissimè. Imperator tamen cum cerneret eum omnibus virtutum maximarum ornamentis egregiè decoratum, curam ei plurimorum monasteriorum delegauit, quæ admirabili monasticæ disciplinæ splendore illustrauit.

Fit Abbas cœnobij Atrebatensis.

Tandem post multos varijs in locis exantlatos labores, Atrebatensis quoque monasterij curam, Imperatoris mandato susceptit. Vbi cùm pari omnium affectu, & summa beneuolentiæ & amoris significatione exciperetur, obitûs sui diem haud procul abesse diuina reuelatione intellexit. Quare statim ad Stabulense monasterium perrexit, vt locus ille, in quo primo monasticæ vitæ fundamenta iecerat, eum etiam ex hac vita migrantem susciperet, & corpusculum suo gremio contineret. In itinere fuit à Marchiso, benignè ad monasterium Martianas, suum inuitatus, vt curam eius susciperet; Quod quidem oneris magis inuitus, quam spontaneus subijt. Ibidem verò varijs dæmonum infestationibus eius constantia tentari grauiter cœpit, quas ille insita virtute semper elusit, donec valida febrium vi correptus, atq; in exhaustis doloribus fatigatus, rebus tandem omnibus rite dispositis, Deo spiritum reddidit.

Marcianēse cœnobium.

Moritur.

Fuit sanè hic sanctus admirandis virtutibus clarus; adeò vt post mortem, gratissimæ suauitatis fragantia, ex sacro eius corpore manauerit; quæque olim viuenti, in virtutibus amplius flagrârat,

Odor suauissimus ex corpore defuncti.

& nunc in carne ipsius redolere non cessauit. Fo-
nus fuit multorũ lachrymis ex eo loco in Stabule
se monasteriũ inductum, & omnibus in locis per
quæ transeundum erat, ab vniuersis summis ho-
norum indicijs, & admirabili celebritate exce-
ptum. Tandem vt ad Stabulense monasterium per-
uentum fuit, ingens clamor & eiulatus tam laico-
rum quam monachorum exortus fuit, nemoque
fuit qui non orbitatem suam in morte sancti viri
testaretur.

Varijs post obitũ claret miraculis.

Cæterum quamuis corporali præsentia suis
subtractus esset, spiritu tamen & miraculorũ vir-
te præclarè adfuit; quod sanè plurima sanitatum
beneficia, quæ per eum Dominus operatur, abun-
dè testãtur. Febrictiãtes, dæmoniaci, alijsque qui-
buscunque oppressi languoribus, ad sepulchrum
eius, Deo cooperante curantur. Vnum ex multis,
quod omnibus penè notum est, in medium profe-
ram, vt ex hoc fides credentium incalescat. Aeger
quidam hydropico morbo diu vexatus, ab occi-
denti plaga, adductus est in Basilicam sancti & A-
postolici viri Remacli, qui multis virtutibus suam
præsentiam ibidem sæpe declarabat. Hic igitur
cum ibidem magna fiducia cupitam diu salutem
præstolaretur, accidit vt nocte quadam sopore de-
pressus, beatum Remaclum nimio splendore ra-
diantem sibi assistere conspiceret, qui eum admo-
nebat vt beati Popponis Abbatis sepulchrum pe-
teret: & certissimam ab eo saluté reciperet. Aeger
igitur euigilans, eo protinus vtcunque potuit,
perrexit, & ardentissimis precibus diuinum au-
xilium & misericordiam, eius interuentu, implo
rare cœpit, cùm subito virus omne, quod per
membra ac vitalia diffundebatur, conglomera-
tum, magno vomitu per gutturis prorupit meatum.

tum. Statimq; homo, qui penè desperatus aduenerat, incolumis surrexit, & gratias agens Deo in sanctis eius Cõfessoribus, lętus ad propria repedauit.

*ILLVSTRE MARTYRIVM B. POLYcarpi Smyrnensis Episcopi: ex eo quod Eusebius, Pamphilus, Lib. 4. c. 14. histo. Ecclesiast. scriptum reliquit.* Vide Cæs. Baron. Ann. Tom. 2.

*Occubuit autem glorioso certamine, anno Redemptoris nostri 169. Marci Aurelij & Lucij Veri Impp. 7. Aniceti verò Pontif. Rom. 3.*

BEATVS Polycarpus sacrosanctæ fidei mysterijs ab ipsis Apostolis imbutus, & ad Smyrnensis ecclesiæ episcopatum destinatus, dignum institutione Apostolica & doctrina cursum peregit. Dum Anicetus Romanæ ecclesiæ gubernacula moderaretur, Romam ipse aduenit: ortam de celebrando Paschatis die controuersiam sopiturus. Nec fuit inanis labor, vt potè qui Romę nõ solũ exẽplo virtutum & eximia vitæ sanctimonia cunctis præluxerit, sed hæreticorum plurimos ad veram orthodoxamque fidem reduxerit. Testabatur, id quod res erat, se purissima verę fidei documẽta ab ipsis hausisse Apostolis, hortabaturq; errãtes mortaliũ greges, vt pestiferas sectas, animarũ pestes omni studio & cautela deuitarẽt. Hinc & ipse hęresiarchas oẽs cane peius & angue deuitans, Marchioni ad se quãdoq; veniẽti, dicẽtiq; rogãtiq;: Nosce nos amabo, respõdit: Noui eq; dẽ primogenitũ Satanę. Hauserat hoc dubio procul vir diuinus ab Apostolis, qui hominem hæreticum & Catholicæ fidei quemlibet adulterũ, omni studio vitandum censuerunt. Sic planè dilectus domini, cũ Ephesi ad balnea se cõferret & Cerinthũ intus conspiceret, tactus quasi ab angue, solo cõspectu pedẽ retraxit

16. Ian.

Polycarpus venit Romã

Hæretici sũmo studio deuitandi.

Tit. 3.

Ioannes Apostolus quã vitarit Cerinthum.

retraxit, hortatusque est alios, vt indè se ocyus proriperent, ne balneum in quo veritatis adversarius agebat, subita ruina omnes opprimeret. Pari cautione Gentium Doctor, perfidos ecclesiæ libros deuitandos docet: nam euerso salutis fundamento, obdurata mente in pestem perniciemque properant sempiternam. Vndè strenuè semper diuinus Polycarpus tum dictis, tum scriptis pestiferas opiniones insectatus est: purissimumque doctrinæ Apostolicæ laticem in populum effudit. Inter alia præclara illius ad Philippenses est epistola, sinceræ fidei radians lumine, quam etiam constanti sanguinis sui effusione consignare non dubitauit.

Tito 3.

Eximia martyrũ constãtia in Asia.

Nam cum Asia maximis persecutionum procellis turbaretur, ille fidei ac veritatis columna animo non solum stetit, sed nutantes egregiè confirmauit. Raptabantur enim certatim ad horrenda valdè supplicia fideles, qui tam celsis & erectis animis fidei certamen sustinebant, vt in maximam sui admirationem & stuporem gentiles adducerent. Nam qui tam iniquo & crudeli spectaculo intererant, cum cernerent alios flagris ad intimas vsque venas & arterias dilaceratos, sic vt iam viscera, aliaque occultiora membra intimis corporis recessibus abdita, oculis subijcerentur: alios buccinorum testis è mari deportatis, & lapillis quibusdam præacutis substratis afflictos, & per quodque suppliciorum genus raptatos, bestijs denique immanibus ad dilaniandum traditos, cũ inquam hæc inuicta animi virtute, eos superare cernerent, incredibili propè admiratione obstupescebant. Inter quos Germanicum quendam eximia & singulari constantia, facile primas tulisse memorãt. Nam cum proconsul ætatem illi suam propo-

Varia supplitiorum genera.

Germanici martyris magna animitas.

proponeret, & blandiēs flagitaret, vt in ætatis flore suiipsius misericordiam caperet, ille abiecta cunctatione feram parato animo ad se attraxisse, & propè vi in corporis sui laniatum impulisse fertur, quò celerius iniustæ & impiæ huius vitæ vinculis solueretur. Verùm quanquam vniuersa multitudo cum diuini huius martyris, tum reliquorum omnium athletarum virtutem vehementer suspiciebat, tamen phanatico quodam spiritu cōclamabat, Tolle impios, quæratur Polycarpus. Cumque in conquirendis vndique Christianis turba perseueraret, Phryges quidam, nomine Quintus, qui nuper è Phrygia aduentauerat, visa ferarum immanitate, & terribili martyrum cruciatu molli & fracto animo prodita salute manus prægnauia dedit. Certè non ille prudenti prouidoque animo, sed temerè & repentino quasi vento incitatus cum alijs ad tribunal iudicis ascenderat, qui deprehensus prima fronte illustre & euidens omnibus exemplum proposuit, ne inconsiderate & imprudenter huiusmodi rebus se aliquando obijcerent.

Phryges quidam Quintus nomine timore cruciatuū defecit à Christi fide.

Cæterum Polycarpus qui maximam omnibus admirationem sui excitabat, auditis hisce martyrum certaminibus pacato & tranquillo animo per omnia sui similis perstitit. Et quamuis immota animi sententia nequaquam ciuitatē deserere decreuisset, victus tamē familiarium precibus ad villam non longè ab vrbe distantem concessit: vbi consuetis precibus die noctuque tranquillam à domino pacem ecclesijs flagitabat. Et quidem triduo antè, quam prænderetur, inter ardentissimas preces somno oppressus, vidit secundum quietem ceruical flammis accensum derepentè consumi conficique. Qua quidem visione è somno excitatus

Virtus & cōstantia Polycarpi.

Visio Polycarpi.

citatus, futurorum haud ignarus suis prædixit necessarijs, se flammarum incendijs corpori circumiectis, vitam pro Christo profundere oportere.

Martyrium prædicit.

Igitur cum dæmonũ satellites nullis nõ insidijs ad necẽ eum inquirerent ille, quanquã martyrij auidus, rursus tamen fratrum cessit amori: aliamque sese in villam transtulit. Quò vt furibunda mente indagabundi peruenerunt, duos loci istius pueros comprehenderunt, è quorum altero immani crudelitate sanctissimi viri proditionem extorserunt. Nec mora. Impetu in hospitium facto intellexerunt eum in superiori conclaui assidere.

Proditur.

Ille verò cognito eorum aduentu, patentem non modo fugam non arripuit, sed vltrò per gradus eis obuiam processit, tam placido vultu atque sereno, vt impietatis ministri stupore defixi, sibi mutuo dicerent, Tantanè festinatio in hoc sene comprehendendo suscipienda erat? Grandæua enim ætas, venerandis vndique canis aspersa, ipso conspectu eorum petulantiam comprimebat, & sermonis præcipuè grauitas commouebat. Cæterum hilari animo mensam ipsis actutum apponi, ac large omnia suppeditari iussit, hoc interim temporis spatio ardentissimis precibus Domino certamen suũ cõmendans. Facto precandi fine, & reductis ad memoriã omnibus quæcunq; sibi in vita quandoq; cõtigissent, siue magna illa, siue exigua, siue gloriosa, siue ingloria, & tota deniq; ecclesia per orbẽ precib. Deo commendata, ad satellites rediit tãta tãq; eximia cumulatus gratia, vt plurimi tali virtute senẽ ad mortẽ rapi vehemẽter condoleſcerẽt. Porrò instãte iã abeũdi hora satellites eũ asinó impositũ, vrbẽ versus die festo magni sabbathi deduxerũt. Prodierunt obuiam illi Heroden

Benignitas eius in Li, tores.

qui

qui præfectus pacis dicebatur, & parēs illius Nicetes; qui vt illum in rhedam ad se transtulerunt, propter eum assidentes persuadere conati sunt vt sacrificaret. Illo verò nullum primò responsum dante, acrius institêre. Instantibus autem Polycarpus impia eorum consilia se admissurum negauit. Tunc vterq; oneratum prius contumelijs sanctū è curru præcipitârunt, tanta vehementia vt tibiam post se lacerā læsamq; traheret. At ille tantillæ iniuriæ negligens, ductatus deinde à satellitibus alacri animo ad stadium profectus est. Ingrediendi stadium vox cælitus delata fertur; fortis esto Polycarpe & excelso animo rem gere. Et quidem audita à multis vox, sed visus nemo. Inter hæc, illo ad iudicem deducto, vt innotuit Polycarpum esse comprehensum, ingens tumultus excitatus est. Protinus adfuit Proconsul qui scisciatus est. Tunes Polycarpus. Polycarpus se eundem esse fatebatur.

Præcipitatur inhumaniter de curru

Cōfirmatur voce cælitus delapsa.

Tum suadere Proconsul, vt Christum negaret, sic locutus; Reuerere ætatem tuam; & alia his similia, quæ ab eiusmodi viris dici solent. Iura per Cæsaris fortunam, Resipisce, dic: Tolle impios.

Sistitur tribunali.

Polycarpus graui & constanti vultu in vniuersam multitudinem, quæ erat in stadio, intuens, & manum versus eos intendens, cum gemitu oculis in cœlum sublatis, dixit. Tolle impios. Præsidi cum amplius instaret, diceretque. Iurato, conuicijs Christum afficito; & te dimittam: respondit Polycarpus, Octoginta sex annos illi iam inseruiui, & nullo me hactenus affecit incommodo, quomodo igitur regem meum, qui me ad hoc vsque tempus seruauit incolumem, contumelijs verbis possum afficere? Proconsule denuo vrgente ac di-

Præclarum responsum.

ac dicente, Iura per Cæsaris fortunam. Polycarpus, si, inquit, ad inanem ostentationem requiris vt per Cæsaris fortunam iurem (sic enim vocas) & me qui sim ignorare prę te fers, sic, vt liberè & ingenuè loquar, accipito; Christianus sum. Quod si placet Christiani, professionem cognoscere, da mihi diem, & audies. Tum procōsul, Istud, inquit persuade populo. Tibi equidem, inquit, Polycarpus, rationem & sententiam meam (magistratibus & potestatibus à Deo constitutis, eum honorem, qui nostrorum animorum saluti, nostræque religioni nihil afferat detrimenti, pro dignitate tribuere docemur) impertire non grauabor: sed illos non satis dignos existimo, quibus de fide nostra per responsum satisfaciam. Et proconsul, Bestias, inquit, habeo in promptu, istis te obijciam laniandum, nisi te maturè pœnituerit. Accerse, inquit, nam nobis rata ac decreta stat sententia, & multum ab eo absumus, vt aliquando animo mutato nos meliorum pœniteat, quo deteriora sequamur. A sæuitia & crudelitate ad æquitatem & modestiam traduci, est sanè pulchra mutatio.

Ad quem rursus proconsul: Te, inquit, ardentibus flammarum incendijs domitum & mansuetum reddam, si bestiarum laniatus contemnas, & non resipiscas ocyus. Tum Polycarpus, Ignem, inquit, mihi minitaris, qui ad tempus exardescit quidem, sed paulò post penitus extinguitur. Verum ignem illum futuri iudicij, ad perpetuum impiorum supplicium, & cruciatum reseruatum, omnino ignoras. Sed quid cunctaris? profer bestias, aut aliud quod lubet. Ista & alia complura locutus, tanto vultus decore & gratia imbutus est, tantaque animi fidentia & alacritate expletus, vt his quæ essent ei tam minaciter obiecta, non modò, non

Mira vultus gratia inter minas.

non conturbatus succumberet, sed contra ipsum proconsulem, admirabili sua constantia & grauitate prorsus obstupefaceret. Proconsul præconem nihilominus misit, qui in medio stadio istud ter prædicaret: Polycarpus professus est se Christianum esse. Quæ vox cum esset à præcone emissa vniuersa tum gentium, tum Iudæorum multitudo, qui Smyrnam incolebant, animi impetu & bile effrenata exardescens, alta voce clamare; Iste est Asiæ doctor, iste Christianorum pater, iste nostrorum Deorum euersor, iste denique est, qui adeò multos perdocuit, vt neque dijs sacrificent, neque eos adorent. Quæ cum essent locuti, vociferari & rogare Philippum munerarium, vt leonem, qui Polycarpum discerperet, emitteret. Hic verò respondere, non esse ei integrum, quoniam iam ferarum certamina confecta erant. Tunc illis visum est, vno consensu clamando instare, vt Polycarpus viuus in rogum conijceretur. Ita enim factum oportuerat, vt visio quæ de ceruicali ei apparuerat, compleretur. Frequens itaque hominum turba, & ex officinis & exbalneis ligna fermentaq; acturũ coaceruabat; & Iudęi quidem ad hoc facinus (sic enim illorum mos in eiusmodi negotio erat) operam propensiore animo conferebant.

Clamor gẽtiũ & Iudæorum cõtrà Polycarpũ.

Verùm vbi rogus extructus & paratus erat, Polycarpus soluto cingulo & omnibus vestibus exutis, calceos etiam sibi extrahere cœpit: quod qui dem anteà non aliquando facere consueuerat, propterea quòd singuli fideles magno studio inter se contendebant, quis primùm ei in eo munere inseruiens, corpus illius posset contrectare. Nam in toto ætatis curriculo, etiam ante canitiem, propter vitam honestè actam, probeque

Honestissima Polycarpi vita.

moratã, magnopere colebatur. Paulò post igitur instrumenta, quibus in rogo firmè tenerętur, apparata corpori illius circũijciuntur. Et cũ illum clauis vellent affigere, dixit: Sinite me hoc modo. Nam qui mihi patientiam ad ignis flammas sustinendas pro sua clementia largitur, largietur etiã, vt sine commissuris clauorum, quibus me affigere statuitis, constans absq; vlla corporis commotione rogo adhærescam. Idcircò eum non clauis, sed vinculis solùm colligârunt. Qui manibus à tergo circumpliçatis constrictisque, tanquam aries insignis ex immenso grege delectus, vt holocaustum gratum acceptumque fieret Deo omnipotenti, sic locutus est: Pater dilecti & benedicti filij tui Iesu Christi, per quem tui cognitionem accepimus: Deus Angelorum & Potestatum, Deus totius creaturæ & iustorum, cuiusque generis, qui viuunt in conspectu tuo, gratias tibi ago, quod me huius diei & horæ celebritate donasti, in qua cum in martyrũ numero, tum in calice passionis Christi tui, tormentorum particeps fiam, in resurrectionem vitæ æternæ, tam animæ quam corporis, per immortalem Spiritus sancti virtutem, inter quos quęso martyres hodie in conspectu tuo pro hostia pingui & accepta admittar, sicut præparasti, præsignificasti, & iam tandem compleuisti, qui verus Deus es, & omnis mendacij expers. Ac propterea præ cæteris omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, per Iesum Christum dilectum filium tuum, Pontificem æternum, per quem tibi cum eo in spiritu sancto gloria nunc & in futura secula seculorum. Amen.

Oratio S. Polycarpi

Hac voce, Amen emissa & orandi fine facto, carnifices, quibus ignis extruendi cura imponebatur, rogum incenderunt. Quivbi ardentem flam-

flammam effuderat, miraculum ingens illis, quibus idem videre à Deo concessum fuit, quique ad ea, quæ gerebantur, cæteris fidelibus verè in posterum narranda, erant reseruati viri, visum est. Ignis enim fornicis speciem gerens, tanquam velum nauigij ventorum flatibus turgescens, corpus martyris vndique obuallabat. Ille in medio constitit, non tanquam caro exusta, sed tanquam aurum & argentum, in camino ignis ardore probatũ. Quin etiam tantum & tam fragrantem odorem indè hauriebamus, vt idem, velut ex thure odorifero, aut alio quouis precioso aromate, effiatus videretur. Ad extremum igitur, cum nefarij & impij homines eius corpus ab igne minimè posse consumi viderent, carnifici mandata dederunt, vt propius ad rogum progressus, illum ense stricto confoderet. Qua re confecta, tanta cruoris copia effluxit, vt ignem prorsus extingueret, & vniuersa multitudo quæreret secum magna cum admiratione, vtrũ tantum esset discriminis inter infideles & electos, ex quorũ numero iste Polycarpus vnus erat, vir nostris temporibus omnium facilè præstantissimus, Catholicæ Smyrnensis ecclesiæ Episcopus, doctor Apostolicus & propheta pius. Nam quodcunq; verbum ex eius ore exibat, idem vel iã expletum erat, vel postea procerto explẽdum. Inuidus, odiosus, & iustorum hominum generi semper infestus diabolus, cum martyrij eius amplitudinem, cúque incorruptam & integrã vsque à teneris vnguiculis viuendi ratione immortalitatis corona remuneratã, eũq; ipsum propterea stabili & certo præmio vitę ęternę donatũ cerneret, omni cura & cogitatione eo incubuit, ne corpus eius à nobis indè auferretur, idq; adeò cũ permulti è nostris permagna cupiditate ducerentur & huius

Insigne miraculum.

Non læditur ab igne

Ense confoditur.

Nota quam cupiant.

Christiani eius habere reliquias.

rei efficiendæ, & sanctæ illibatæque carnis perfruendæ.

Nam certi homines Nicete, patrem Herodis, Dalcę fratrem, submonebant, vt Præsidem exoraret, ne corpus eius cuiquam daret, ne Christiani dicebant, crucifixo illo derelicto, hunc venerari incipiant. Atque hęc Iudæis submonentibus obnixeque instantibus, aggressi sunt. Iudæi autem nos, quibus in animo erat illum ex igne eximere, accuratè obseruabant. Centurio autem cum videret Iudæos instare contentius, corpus martyris in medio poni, & vt gentium mos fert, igni comburi iubet. Sic nos postea ossa eius potiora, lapillis preciosis auroque puriora, ex cineribus selecta eo loco reposuimus, qui illis erat decorus consentaneusque. Ista de beato Polycarpo, qui Smyrnæ martyrium obiuit, cum alijs duodecim ex Philadelphia profectis, qui idem genus mortis lubentes pertulerunt, literis mandata sunt. Qui solus præ ceteris multo maxima nominis celebritate apud omnes floruit, vsque adeo vt ipsis gentibus vbique locorum frequens in ore & sermone versetur. Talem quidem exitum res ab admirabili & apostolico Polycarpo gestę, tandem consecutæ sunt.

Cadauer eius igne consumitur,

Ossa eius reuerenter reponuntur.

Vide Cæs. Baron Ann. Tom 5. & not in martyr. Rom.

## *VITA S. PAVLAE NOBILISSIMAE*

*Romanæ Viduæ, ex ea quam B. Hieronymus ad filiam eius Eustochium epist. 27. præclarè conscripsit. Obijt autem Anno à partu virgineo 404. Innocentij Rom. Pontif. 3. Aetatis verò suæ circa 57. Arcad. & Honor. Imperatorum 10.*

26. Ianuar.

SANCTA ac venerabilis Paula nobilis genere, sed multo nobilior sanctitate, porés quondam di-

dam diuitijs, sed nunc Christi paupertate insignior, Gracchorum stirps, soboles Scipionum, Pauli hæres, cuius vocabulum trahit, Martiæ Papyriæ, matris Africani, vera & germana progenies: Romæ prætulit Bethleem, & auro tecta fulgentia informis luti vilitate mutauit; Non mæremus, quod talem amisimus, sed gratias agimus quod talem habuimus, imò habemus. Deo enim viuũt omnia; & quidquid reuertitur ad Dominum, in familiæ numero computatur. Quanquam amisso illius cælestis domus habitatio sit; qua quamdiu in corpore fuit peregrinata est à Domino, & voce semper flebili conquerebatur; Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea. Cupio dissolui & esse cum Christo. Quoties autem infirmitate corpusculi (quam incredibili abstinentia & duplicatis contraxerat ieiunijs) vexabatur hoc in ore voluebat; Subijcio corpus meum, & in seruitutem redigo: ne alijs prædicans, ipsa reproba inueniar. Inter doloris aculeos, quos mira patientia sustinebat, quasi apertos sibi cœlos adspiceret, loquebatur; Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo & requiescam? Vis lector breuiter eius scire virtutes? Omnes suos pauperes, pauperior ipsa dimisit. Nec mirum de proximis & familiola, quam in vtroque sexu de seruis & ancillis in fratres sororesque mutauerat, ista proferre; cum Eustochium Virginem & deuotam Christo filiam: procul à nobili genere sola fide & gratia, diuitem reliquerit.

Genus & Paulæ & patria.

2. Cor. 5.

Desiderium moriendi. Psalm. 119. Philipp. 1.

Admirãda eius abstinentia. 1. Cor. 9.

Eximia eius patientia.

Psal. 54.

Voluntaria paupertas eius.

Alij altius repetant, & à cunabilis eius, ipsisque (vt ita dicam) crepundijs matrem Blesillam & Rogatum proferant patrem; quorum altera

Scipionum Gracchorumque progenies est: alter per omnes ferè Græcias vsque hodie stemmatibus & diuitijs, ac nobilitate Agamemnonis fertur sanguinem trahere, qui decennali obsidione Troiam deleuit. Nos nihil laudabimus nisi quod propriũ est, & de purissimo sanctæ mentis fonte profertur.

Iungitur Toxotio viro.

Tali igitur stirpe generata, iuncta est viro Toxotio AEneæ & Iuliorum altissimũ qui sanguinẽ trahit. Vnde etiam filia eius Christi Virgo Eustochium, Iulia nuncupatur, & ipse Iulius à magno demissũ nomen Iulo. His, inquam, orta maioribus & fœcũditate ac pudicitia probata, primum viro, deindè propinquis & totius vrbis testimonio, quinque

Liberi eius.

liberos edidit, Blesillam, super cuius morte eam Romę consolatus sum, Paulinam, quæ sanctum & admirabilem virum, & propositi, & rerum suarum Pammachium reliquit hæredem, Eustochium, quę nunc in sanctis locis virginitatis & Ecclesiæ monile pretiosum est; Ruffinam, quæ immaturo funere pium matris animum consternauit, & Toxotium.

Postquam vir mortuus est (quem ita planxit, vt propè ipsa moreretur) ita se conuertit ad Domini seruitutem, vt omnes penè diuitias in pauperes erogaret. Quis inopum moriens, non illius vestimentis obuolutus est? Quis clinicorum non eius

Sũma eius benignitas in pauperes

facultatibus sustentatus est? quos curiosissime tota vrbe perquirens, damnum putabat si quisquam debilis & esuriens cibo sustentaretur alterius. Spoliabat filios, & inter obiurgantes propinquos maiorem se eis hæreditatem Christi misericordiam dimittere loquebatur. Quid in cunctos clementissimum animum & bonitatem etiam in eos, quos nunquam viderat, euagantem commemorem? Nec diu potuit excelsi apud seculum generis & nobilissi-

nobilissimæ familiæ visitationes & frequentiam sustinere. Mærebat honore suo, & ora laudantium declinare ac fugere festinabat. Cumque Orientis & Occidentis episcopos ob quasdam ecclesiarum dissensiones Romam Imperiales literæ contraxissent, vidit admirabiles viros Christiq́ue Pontifices Paulinum Antiochenę vrbis episcopum, & Epiphanium Salaminæ Cypri, quæ nunc Constantia dicitur; quorum Epiphanium etiam hospitem habuit; Paulinum in aliena manentem domo, quasi proprium humanitate possedit. Quorum accensa virtutibus, per momenta patriam deserere cogitabat; non domus, non liberorũ, nõ familiæ, nõ possessionum non alicuius rei, quæ ad seculũ pertinet, memor; sola si dici potest, & incomitata ad eremum Antoniorum atque Paulorum pergere gestiebat. Tandemq́ue exacta hyeme, aperto mari, redeuntibus ad ecclesias suis episcopis, & ipsa votorum eis ac desiderio nauigauit. Quid vltra differo? Descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, &, quod his maius est, liberis prosequentibus, & clementissimam matrem pietate vincere cupientibus. Iam carbasa tenebantur, & remorum ductu nauis in altum protrahebatur. Parvus Toxotius supplices manus tendebat in littore. Ruffina iam nubilis, vt suas exspectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat, & tamen illa siccos ad cælũ tendebat oculos, pietatẽ in filios, pietate in Deũ superans. Nesciebat se matrẽ vt Christi probaret ancillã. Torquebantur viscera & quasi a suis membris distraheretur, cum dolore pugnabat, & amorem filiorum maiore in Deũ amore contemnens, in sola Eustochio, quæ & propositi & nauigationis eius comes erat, acquiescebat.

Aliena ab Ambitione

Epiphanius Hospes S. Paulæ.

Nota fortitudiné animæ in tanti matrona.

Sulcabat interim nauis mare, & cunctis, qui ei ea vehebantur, littora respicientibus, ipsa auersos tenebat oculos, ne videret, quos fine tormento videre non poterat. Fateor nulla sic amauit filios quibus antequam proficisceretur, cuncta largita est, exhæredans se in terra, vt hæreditatem inueniret in cœlo.

Plautillæ Domitillæ exilium.

Delata est ad insulam Pontiam quam clarissimæ quondam fœminarum sub Domitiano Principe pro confessione nominis Christiani, Flauiæ Domitillæ nobilitauit exilium, videnscque cellulas in quibus illa longum martyrium duxerat, sumptis fidei alis, Hierosolymam & sancta loca videre cupiebat. Tandem post Rhodum & Lyciam, vidit Cyprum; vbi sancti & venerabilis Ephiphanij pedil u prouoluta, decem ab eo diebus retenta est: non in refectionem, vt ille arbitrabatur, sed in opus Dei vt re comprobatum est. Nam o-

S. Paula multa largitur monachis Cypri.

mnia illius regionis lustrans monasteria, prout potuit, refrigeria sumptuum fratribus dereliquit, quos amor sancti viri de toto illuc orbe códuxerat. Inde breui cursu transfretauit Seleuciá, de qua ascendens Antiochiam, sancti Confessoris Paulini modicum charitate detenta, media hyeme, calente ardore fidei, fœmina nobilis, quæ prius Eunuchorum manibus portabatur, asello

Sancta loca & monachorum cellulas S. Paula visitat.

sedens profecta est. Omnia deindè loca, quæ sacris voluminibus continentur, eximia quadam pietate & incredibili in sanctos munificentia visitauit. Per singulos sanctos Christum se videre credebat: & quicquid in illos contulerat, in Dominú se contulisse lætabatur. Mirus ardor & vis in fœmina credibilis fortitudo. Oblita sexûs & fragilitatis corporeæ, inter tot millia monachorum cum puellis suis habitare cupiebat; & forti-

tan cun-

tan, cunctis eam suscipientibus impetrasset, ni maius sanctorum locorum retraxisset desideriũ. Tandem in sanctam Bethleem læta perueniens, ibi perpetuo mansura, angusto per triennium mansit hospitiolo, donec extrueret cellulas ac monasteria, & diuersorum peregrinorum iuxta viam conderet mansiones in qua Maria & Ioseph hospitium non inuenerant.

Conditmonasteria in Bethleem.

Ibi demùm tanta se humilitate deiecit, vt qui eam non vidisset, & pro celebritate nominis videre gestisset, ipsam esse nõ crederet, sed ancillarum vltimam; & cum frequentibus virginum choris cingeretur, & veste, & voce & habitu & incessu minima omnium erat; Nunquam post viri mortem vsque ad diem dormitionis suæ, cum vllo comedit viro, quamuis eum sanctum & in Pontificali sciret culmine constitutum. Balneas, nisi periclitans, non adiit. Mollia, etiam in grauissima febre, lectuli strata non habuit: sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat; sitamen illa quies dicenda est, quæ iugibus penè orationibus dies noctesque iungebat. Leuia peccata ita plangebat vt eam grauissimorum criminum crederes reã. Cũque à nobis crebrius moneretur, vt parceret oculis, & eos seruaret euãgelicę lectioni, aiebat, Turpanda est facies, quam contrà Dei præceptum purpirisso & cerussa & stibio sæpè depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacauit delitijs. Longus risus, perpeti compensandus est fletu. Mollia linteamina, & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutanda. Quæ viro & sæculo placui, nunc Christo placere desidero.

Eius humilitas.

Stratum eius

Digni Pœnitentiæ fructus.

Si inter tales tantasque virtutes castitatem in illa voluero prædicare, superfluus videar; in qua etiam cùm secularis esset, omnium Romæ matro-

Castitas insignis.

narum exemplum fuit; quæ ita se gessit, vt nunquá de illa etiam maledicorum quicquam auderet fama confingere. Nihil animo eius clementius, nihil erga humiles blandius fuit. Si pauperem videbat, sustentabat: si diuitem ad benefaciendum hortabatur. Liberalitas sola excedebat modum. Fateor errorem meum. Cum in largiendo esset profusior, arguebam illud proferens de Apostolo: Non vt alijs sit refrigerium, vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate in hoc tempore, vt vestra abundantia et ad illorum inopiam, & illorum abundantia sit ad vestram inopiã. Et prouidendũ esse, ne quod libenter semp facere nõ posset, multa huiuscemodi, quæ illa mira verecundia & sermone parcissimo dissoluebat, testem inuocans Deum, se pro illius nomine cuncta facere; & hoc habere voti, vt mendicans ipsa moreretur: & vnum nummum filiæ non dimitteret, & in funere suo aliena sindone inuolueretur. Ad extremum sic inferebat; Ego si petiero, multos inueniam, qui mihi tribuant; iste mendicans si à me non acceperit, quæ ei posti etiam de alieno tribuere, & mortuus fuerit, à quo eius anima requiretur; Ego cautiorem in re familiari esse cupiebam: sed illa ardentior fide, toto Saluatori animo iungebatur, & pauperem Dominum pauper spiritu sequebatur, reddens ei quod acceperat, pauper pro ipso effecta. Denique consequuta est quod optabat, & in grandi ære alieno filiam dereliquit, quod hucusque debens, non suis viribus, sed Christi se confidit misericordia reddituram.

Liberalitas.

2. Cor. 8.

Verum hæc possunt esse communia cum multis, & scit diabolus non in summo virtutum culmine posita. Scimus plerosq; dedisse eleemosynam, sed de proprio corpore nihil dedisse; Porrexisse egenti-

egentibus manum,sed carnis voluptate superatos; dealbasse ea,quæ foris erant,& intus plenos fuisse ossibus mortuorum. At non Paula talis;quę tantæ continentiæ fuit,vt propè mensuram excederet & debilitatem corporis nimijs ieiunijs ac labore contraheret. Quæ exceptis diebus festis vix oleũ in cibo caperet: vt ex hoc vno existimetur qd de vino & liquamine,piscibus & lacte & melle & ouis & & reliquis, quæ gustui suauia sunt, iudicarit.

Semper quidem virtutes sequitur inuidia,feriuntque summos fulgura montes. Suscitauerat ei Dominus Adad Idumæum,qui eam colaphizaret, ne se extolleret; & quasi quodam stimulo carnis sæpius admonebat,ne magnitudo virtutum altius raperet, & aliarum vitiis fœminarum se in excelso crederet constitutam. Ego aiebam, liuori esse cedendum, & dandæ insaniæ locum; quod fecisset Iacob in fratre suo Esua, & Dauid in pertinacissimo inimicorum Saul; quorum alter in Mesopotamiam fugerit, alter se Allophylis tradiderit,malens hostibus, quam inuidis subiacere. At illa respondebat; Iustè hæc diceres, si diabolus contra seruos Dei & ancillas non vbique pugnaret,& ad omnia loca fugientes non præcederet; si non sanctorum locorum amore retinerer,& Bethlehem meam in alia possem reperire parte terrarum. Cur enim non patientia liuorem superem? Cur non humilitate frangam superbiam,& percutienti maxillam offeram alteram? Nonne apostoli gloriabantur, quando pro Domino sunt passi contumeliam? Beati dicuntur in Euãgelio,qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Secura sit conscientia quod non propter peccata patiamur:& afflictio in seculo materia præmiorum est.

Inuidia virtutũ comes.

Genes.27. 1. Reg.27.

Actor.5. Matthei 5.

Noui

Susurrones perniciosissimi.

Noui susurronem quendam ( quod genus hominum perniciosissimum est ) quasi beneuolum nunciasse, quòd pro nimio feruore virtutum quibusdam videretur insana, & cerebrum illius dicerent confouendum. Cui illa respondit; Theatrum facti sumus mundo, & angelis & hominibus. Et, Nos stulti propter Christum, sed stultum Dei, sapientius est hominibus.

1. Corinth. 4.

1. Corinth. 1.

Dicam & de ordine monasterij, quomodo sanctorum cõtinentiam in suum verterit lucrum. Seminabat carnalia, vt meteret spiritualia; dabat terrena, vt cælestia tolleret, breuia concedebat, vt pro his æterna mutaret. Post virorum monasteriũ, quod viris tradiderat gubernandum, plures Virgines, quas è diuersis prouincijs congregârat, in tres turmas monasteriaque diuisit, ita dumtaxat, vt in opere & in cibo separatæ, psalmodijs & orationibus iungerentur. Manè, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio, per ordinem Psalteriũ cantabant, nec licebat cuiquam sororum ignorare psalmos, & non de scripturis sanctis quotidiè aliquid discere. Vnus omnium erat habitus. Linteamine ad tergendas solum manus vtebantur. Si qua tardior vel veniebat ad psalmos, vel erat in opere pigrior, varijs eam modis aggrediebatur. Si erat iracunda, blanditijs, si patiens, correptione. Exceptо victu & vestitu, nullam habere quicquam patiebatur. Iurgantes inter se, sermone lenissimo fœderabat. Lasciuientem adolescentularum carnem crebris & duplicatis frangebat ieiunijs, malens eis stomachum dolere, quam mentem. Quod inter seculi homines vel leue putatur vel nihili, hoc in monasterijs grauissimum dicebat esse delictum. Quid memorem clementiam & sedulitatem in ægrotantes, quas miris obsequijs & ministerijs confouebat

Multas virgines colligit in monasterijs.

Frequentat Psalmodiã.

Industria ejus.

Humanitas in ægrotos.

fouebat? Cumque alijs lãguentibus largè pręberet omnia, & esum quoque exhiberet carnium: si quãdo ipsa ęgrotasset, sibi nõ indulgebat; & in eo inęqualis videbatur, quod in alijs clementiam, in se duritiam commutabat. Referam quod expertus sum. Mense Iulio feruentissimis ęstibus incidit in ardorem febris, & post desperationem, cùm Dei misericordia respirasset, & medici persuaderent ob refectionem corporis vino opus esse tenui & parco, ne aquam bibens, in hydropem verteretur, & ego clàm beatum Epiphanium rogarem, vt eam moneret, immò compelleret vinum bibere; illa vt erat prudens & solertis ingenij, statim sensit insidias: & subridens meum esse quod ille diceret, intimauit. Quid plura? Cùm beatus Pontifex post multa hortamenta exisset foras, quærenti mihi quid egisset, respondit: Tantum profeci, vt seni homini penè persuaserit, ne vinum bibam. Hęc refero, non quod incõsideranter & vltra vires sumpta onera probem, sed quod mentis eius ardorem &, desiderium fidelis animę ex hac quoque probare velim perseuerantia, decantantis: Sitiuit anima mea in te, quam multipliciter tibi caro mea. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Dicat prudens lector, pro laudibns me vituperationem scribere. Testor Iesum, cui illa seruiuit, & ego seruire cupio, me vtramque in partẽ nihil fingere, sed quasi Christianum de Christiana, quę sunt vera, proferre, id ist, historiam scribere, non panegyricum: & illius vitia, aliorum esse virtutes.

Erga se seueritas.

Indiscretio culpanda. Psal. 02. Rom. 7.

Nihil fuit ingenio eius docilius. Tarda erat ad loquendum, velox ad audiendum. Scripturas sanctas tenebat memoriter. Denique compulit me, vt vetus & nouum instrumentum cum filia, me disse-

Ingenij eius præstantia.

rente,

rente, perlegeret. Loquar & illud quod fortassis videatur incredibile; Hebræam linguam discere voluit, & consequuta est, ita vt psalmos Hebraicè, & sermonem absque vlla Latinæ linguæ proprietate personaret. Non debeo silentio præterire, quantò exultauerit gaudio, quod Paulam neptem suam, ex Læta & Toxotio genitam, immò voto & futuræ virginitatis repromissione conceptam, audierat in cunis & crepitaculis balbutiente lingua, alleluia cantare. In hoc enim solùm patriæ desiderium habuit, vt filium, nurum, neptem renunciasse seculo & Christo seruire cognosceret.

Verus amor eius in nepotes.

Quid agimus anima? Cur ad mortem eius venire formidas? Hucusque prosperis nauigauimus ventis, & crispantia maris æquora labens carina sulcauit: nunc in scopulos incurrit oratio, & tumentibus fluctuum motibus præsens vtrique nostrum intentatur naufragium. Quis enim siccis possit oculis Paulam narrare morientem? Incidit in grauissimam valetudinem, imò quod optabat, inuenit, vt nos desereret, & plenius Domino iungeretur. Quid diu immoror & dolorem meum differendo facio longiorem. Sentiebat prudentissima fœminarum, adesse mortem, & frigente alia parte corporis atque membrorum, solum animæ teporem in sacro pectore palpitare; & nihilominus quasi ad suos pergeret, alienosque desereret, illos versiculos susurrabat; Domine dilexi decorem domus tuæ & locum habitationis gloriæ tuæ. Et quam dilecta tabernacula tua Domine virtutũ, cõcupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Et: elegi abiecta esse in domo Dei mei, magis q̃ habitare in tabernaculis peccatorũ. Cumq; à me intergaretur, cur taceret, cur nollet respondere, an doleret aliquid: Græco sermone respõdit, nihil se habe-

Psalm. 25.

Psalm. 83.

se habere molestię, sed omnia quieta & tranquilla perspicere. Posthęc obmutuit, & clausis oculis, quasi iam mortalia despiceret, vsque ad expirationem animæ, eosdem repetebat versiculos, vt quod dicebat, vix audire possemus, digitumque ad os tenens, crucis signum pingebat in labijs. Defecerat spiritus, & anhelabat in mortem: animaque erumpere gestiens, ipsum stridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes Domini conuertebat. Aderant Hierosolymarum & aliarum vrbium Episcopi & Sacerdotum inferiores gradus, ac Leuitarum innumerabilis multitudo. Omne monasterium virginum & monachorum chori repleuerant. Cumque alij Pontifices, lampades, cereosque prę ferrent, alij choros psallentium ducerent, in media Ecclesia spelunce Saluatoris est posita. Tota ad funus eius Palęstinarum vrbium turba conuenit. Sacrilegium putabant, qui non tali fœminæ vltimum reddidisset officium. Viduæ & pauperes, in exemplum Dorcadis, vestes ab ea præbitas ostendebant. Omnis inopum multitudo matrem & nutritiam se perdidisse clamabat. Quodque mirum sit, nihil pallor mutauerat faciem: sed ita dignitas quædam & grauitas ora compleuerat, vt eam putares non mortuam sed dormientem. Hebræo, Græco, Latino, Syroque sermone psalmi in ordine personabant, non solum triduò donec & subter Ecclesiam, & iuxta specum Domini condereturr sed per omnem hebdomadam, cunctis qui venerant, suum funus & proprias credentibus lachrymas. Venerabilis virgo filia eius Eustochium, quasi ablactata super matrem suam, abstrahi à parente non poterat, deosculari oculos, hærere vultui, totum corpus amplexari, & se cum matre velle sepeliri.

In supremo spiritu Crucis signum sibi imprimit.

Actor. 9.

Pulchritudo vultûs eius post mortem.

Amor filiæ in matrem.

Secura

Secura esto Eustochium, magna hæreditate dita es. Pars tua Dominus, & quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed deuotę quoque mentis seruitus immaculata, quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis & violis plectitur, ista de lilijs. Vale ô Paula, & cultoris tui vltimam senectutem orationibus iuua. Fides & opera tua Christo te sociant: præsens facilius quod postulas impetrabis. Exegi monumentum tuum ære perennius, quod nulla destruere possit vetustas. Incidi elogium sepulchro tuo quod huic volumini subdidi, & quocunque noster sermo peruenerit, te laudatam, te in Bethlehẽ conditam lector agnoscat.

Martyrium quotidianũ.

D. Hieronymus inuocat S. Paulã.

Titulus Sepulchri.

Epitaphiũ S. Paulæ.

*Scipio quam genuit, Pauli fudêre parentes,*
*Gracchorum soboles, Agamemnonis inclyta proles,*
*Hoc iacet in tumulo; Paulam dixêre priores;*
*Eustochij genitrix, Romani prima Senatus,*
*Pauperiem Christi & Bethlemitica rura secuta est.*

In fronte Speluncæ.

*Aspicis augustum præcisa rupe sepulchrum?*
*Hospitium Paulæ est, cælestia regna tenentis.*
*Fratrem, cognatos, Romam, patriamq; relinquens,*
*Diuitias, sobolem, Bethlemiti conditur antro.*
*Hic præsepe tuum Christe, atque hic mystica Magi*
*Munera portantes, hominiq; Deoq; dedêre.*

Vixit in sancto proposito, Romæ annos quinque, Bethleem annos viginti. Omne vitæ tempus impleuit annis quinquaginta sex, mensibus octo, diebus viginti & octo.

INSIGNE

## *INSIGNE MARTYRIVM SS. *LVcij, Thyrſi, & Callinici, ex Metaphraſte; Quod multo animo conſummârunt, Anno Chriſti Domini 254. Sede vacante, Decij Imp. 2.*

* alias Leucij vide Cæſ. Baron. Ann. Tom. 2. & not. in martyr. Rom.

ILs temporibus quibus Decius Imperator crudele pietati bellum indixerat, eiuſq; cultores grauiſſimis ſupplicijs perſequeretur, fortiſſimi pietatis athletæ Lucius, Thyrſus & Callinicus inclyta Bithynorum regione oriundi, cum generis dignitate, tum rerum à ſe geſtarum gloria admodum clari, ſtatuerunt diuinis legibus ſumma impietate calcatis præclaro aliquo certamine opem ferre. Venerat iſtis fortè diebus Nicomedia ad altricem martyrum ciuitatem Cæſaream Cũ bricius quidam homo nefarius, qui non ipſe tantum ampura dęmonibus aſſiduo ſacrificia offerebat, ſed quoſuis alios vel minis, vel promiſſis ad eandem impietatis rationem pertrahebat. Lucius cum hæc animaduerteret, & eſſet inſigni prudentia & eruditione præditus, & æquis oculis nefaria ſacrificia aſpicere nequiret, animo maximo ipſũ impietatis auctorẽ aggreſſus eſt? & q̃ ſhactenus pietatem intimis animæ viſceribus recluſam tenerat, tanquam fulgur quoddam, rupta, cum horrẽdo fragore, nube, in medium protulit. Cur, inquit, tu, ô Cumbrici tuam ipſius animam tanta impietate contaminas, vt ſurdis & nullo ſenſu præditis ſimulachris diuinos honores deferas, & multos inſuper alios ad infauſtæ huius ſuperſtitionis ſocietatem per ſummum ſcelus adducis? Quin potius relicto tenebrarum errore, verum Deum & Seruatorem tuum agnoſcis?

28. Ianuarij

Patria eorũ.

Cumbricius Cęſareã venit, vt Chriſtianos deleat.

Lucii oratio ad Cumbricium.

Cæditur Lucius.

Hæc cum admiranda quadam grauitate dixisset, Præses animo grauiter commotus, statim tergo eius plagas infligi iussit, ratus se martyris constantiam frangere posse. Sed martyr Christi, plagas illas cum lubenter animo vultuque imperterrito exciperet, & fortitudine sua lictorum potius robur fatigaret, ipseque indefessis precibus deposceret, vt ad Deum resolueretur, illum cõuenire desiderans: Quoniam ergo (inquit Præses) ô Luci mors tibi grata est, age nos tibi largiemur quod desideras, ac statim dictata capitis sententia, martyr foras productus incredibili animi gaudio præcisa ceruice cursũ peregit. Eo hoc modo coronato, cum nihilominus Cumbricij tyrannis populabũda vagaretur, & Christiani timore suppliciorũ latibula quærerent, Thyrsus fidei patrocinium vbiq; ferè desertũ ingemiscens, magno & excelso animo è regione Bithynorũ ipsi tyranno obuiam venit, salutem prima fronte haud fictam impartiens. Cui Cũbricius parẽ quoq; salutationẽ vt reddidit: Licetne, inquit, Thyrsus vobis qui magistratum geritis, liberè loqui, an oportet mãdatis vestris ęquis iniquis subditũ scenę deseruire? Cui Cumbricius, nequaq̃, inquit, sed libera dicendi facultas quę in rem sunt Reipublicę cuiuis permittitur. Tum Thyrsus; & quænam vtiliora dici possunt ijs, quæ nõ ad corporis sed ad sempiternã animæ salutẽ pertinent? Ego enim videns te cæco mentis impetu multos mortaliũ à vera salute in pestẽ & exitium sempiternum pertrahere, & eo scelere tibi ipsi ignis gehennã cõstruere, duxi expedire, cũ ea quę par est fiducia, tecũ agere tecũq; disserere, & ex te scire quanam de causa statuisti, contempto cœlo terræque Domino, opera manuum adorare, & omne studium, omnes cogitatio-

Lucius capite plectitur.

Thyrsi magnanimitas.

Cumbriciũ Thyrsus cõstanter reprehendit.

gitationes ad impijſſimum ſimulachrorum cultum conferre?

Ad hæc præſes; Importuna hęc & nimia dicendi libertas, oſtendit te laborare morbo eorum, qui Chriſtiani dicuntur. Verum enimuerò harũ interrogationum ſolutiones ijs qui in ſcholis ſedent relinquito, & iuſſis cede Imperatoris; ſin minus, inportunorum verborum opportunam inuenies tormentorum remunerationẽ. Cui Thyrſus: Cum ſitis, inquit, Dei figmenta ratione prædita, nihil ſtultè & contra rationem agere oportet: ſed iudicio & diligenti examinatione omnia permittere. Sin autẽ vis ipſe ea ſequi quę citra vllam rationem decreta ſunt ab Imperatoribus, cum mihi nunc non ſit perſuaſum à Chriſtianæ fidei confeſſione recedere, fac ipſe quod eſt tibi cõſtitutum. Cumbricius verò: fortè, inquit, quod tecum benignè & leniter agamus, inſolentiorem te ideo effecimus; ſed ſuadeo ne noſtra lenitate abutaris, & dijs quę vſta ſunt, reddas, quò magnos à magno Imperatore honores conſequaris. Martyr autem: Ego, inquit, fluxos & perituros huius mundi honores iam diu prudenti ſatis animo mecum perpendi, nec eos maioris facio quam faciendi ſunt, ijſque omnibus veram Chriſti fidem, q̃ amplexus ſũ, antefero. Quare ſi quod tibi contra nos ab Imperatore permiſſum eſt, ne ſis negligẽs.

Mira eius conſtantia.

His dictis præſes iracundia inflatus, iuſſit pugnis cædi martyrem. Erant adoleſcentes aliquot viribus robuſtiſſimi, qui inſultantes è ſummis manuum & pedum digitis eum loris alligarunt, tantaq; violentia vtrinq; diſtraxerunt, vt ſolutis articulorũ compagib. membratim diſcerperent. Nec his crudelitatis auctor ſatiatus cruciatib. ci ha e⁹ & oculos ferro cõfodi iuſſit. At martyr eo

Cæditur Thyrſus.

Membratim diſcerpitur.

supplicio non modo non fractus animum demisit, quin potius diuina quadam audacia repletus præsidem maiori libertate redarguit.

Aliud supplicium.

Ad hæc autem vir ille pestifer cum non haberet, quod ageret, nec posset loquendi libertatem reprimere, iussit gládibus æneis maxillas vnà cũ dentibus excuti. Tulit hoc martyr tanta animi fortitudine, vt præses ipse in admirationẽ raptꝰ diceret; putasne ô Thyrse, te omnia iã supplicia superasse? Parua hęc, quæ præcesserunt, fuere, alia certè tibi parata sunt. Martyr autem: Euge, inquit, ne alia quæso grauiora nobis inuideas. Non inuidebo, inquit, sed ea tibi affatim & munificè suppeditabo. Statim autem lectus ei paratus est, in quo cum extensus fuisset, ex vna quidem parte, ad terrorem, plumbum igne liquefactum propositum fuit, ex altera verò præstigiatores quidam, qui sua dendi artificio plurimum valebant; qui totis viribus eam in rem incumbebant, vt martyrem à Christi confessione deducerent. Et nunc quidem supplicij ante oculos positi atrocitatem, nunc verò naturę imbecillitatem ei inculcabant. At martyr cum surda aure voces illorum exciperet, & eis supplicia sempiterna, omnibus impijs à iusto Iudice Deo constituta, proponeret, illi furore præcipites, feruens plumbum in tergum eius effuderũt. Sed illud martyri quidem refrigerium, incredulis autem interitum attulit; nam plumbum instar aquæ diffluens, vires ei maiores præbuit; adeò vt lecto surrexerit, & ingenti tam præsidem quam reliquos omnes qui aderant, timore affecerit. Sed præses rursus à timore ad furorem conuersus, verbis factisque simul, illatum suo nomini; vt ipse interpretabatur, dedecus vindicare instituit. Supplicia igitur supplicijs addidit, sed

Horrendũ supplicium ei ad terrorem proponitur.

Feruens plũbũ nihil ei nocet.

cum

cum videret ea omnia in nihilum recidere, vinctum eum in custodiam dedit. Mancipatur carceri.

Ibi tum martyr quia nondum sacris erat mysterijs initiatus, Christum ardentissimis votis precatus est, vt per baptismum ab eo in filium adoptaretur. Ad hanc precationem, ianuæ carceris sua sponte apertæ sunt, & liberũ ei egressũ ad quendã Phileam Cæsareensium Episcopum præbuerunt; qui cum multa satis de eius libertate & animi magnitudine audiuisset, summa cum reuerentia baptismatis ei gratiam contulit. Indè verò Thyrsus ne optatissima martyrij corona fraudaretur, rursus se ad carcerem Angelorum comitatus obsequio, recepit. Ianuæ carceris martyri oranti sponte aperiuntur. Thyrsus baptizatur & iterũ sponte ad carcerem redit.

Interea cum alij aljos crudelitate vincere conarentur, & Imperatori maiore improbitate gratificari vellent, Syluanus quidam genere Persa, dignitate autem Comes, in supplicijs verò pijs inferendis nulli secundus, petijt ab Imperatore, vt sibi summam in Christianos excarnificandos potestatem faceret. Qua accepta, Nicæam venit, vbi cum multa eaque valde admiranda de Thyrsi constantia audiret, statim eum suis tribunalibus sisti iussit, & tam minis quam blanditijs contra eum pugnauit, vt dijs sacrificaret. Thyrsus postquam se vni & æterno Deo sacrificare dixisset, tandem intulit; Si velis, omissa vi & crudelitate, ratione & iudicio mecum contendere, dic mihi cuinam, & quemadmodum me vis sacrificare. Ego autem si nihil potero contradicere parebo lubens, & nequaquam aduersus res validas inaniter decertabo. Syluani crudelitas. Thyrsus sistitur Syluano.

Hoc Syluanus responsum lætus excipiens. Eamus, inquit, in templum, & tunc tibi erit manifestum, cui sis sacrificaturus. Igitur cum in proxi-

mum Apollinis templum iuissent, Syluanus, Eccè (inquit) Deus noster, quem cum tuo sacrificio placaueris, aliorum deorum beneuolentiam mirificè tibi conciliabis. Tum martyr, videte, inquit, quodnam ei offeram sacrificium, & qua ratione placabo. Cùm omnes animum oculosque in eum conuertissent, ille sublatis ad cælum manibus ineffabilem Dei virtutem inuocauit, & repentè horrendo tonitru è cælo erumpente, statuam prostrauit, & in puluerem redegit. Conuersus deinde martyr ad eos qui circunsistebãt: Videtisne, inquit, deos vestros plane vanos & nihili esse, qui ne solam quidem veri Dei inuocationem sustinere valent? Adhæc ira inflammatus Syluanus: Ego tuas, inquit, præstigias omnino conteram & delebo, & ostendam quam eæ tibi vtilitatem adferũt. His dictis ferrea est adducta machina, in qua pectines ferrei mira diaboli, versutia compositi carnes martyris articulatim conscindebant, adeò vt viribus planè destitutus animã agere videretur. Tum Syluanus insultans: Thyrse, inquit, vbi nunc Deus tuus, quem colis, & quem adiutorem tuum esse gloriabaris? Cui martyr: Quid, inquit, tu Christi virtutem in me non sentis, quæ me aduersus hos insultus confirmat? Quo modò enim corpus hoc tam fragile, talibus posset resistere difficultatibus, si non ei supernum præsto esset auxilium? Tùm tyrannus maximum iussit afferri lebetem, feruẽtis aquæ liquore bullientem, in quem martyrem capite deorsum demisit. Martyr autem solo Christi nomine tutus, & hæc, vt priora omnia, superauit: lebes enim protinus disruptus aquam effudit, & martyrẽ illæsum & incolumẽ reliquit.

Thyrsus idolũ Apollinis oratione subuertit

Horrendum supplicium.

Insignis animi fortitudo.

Aliud supplicium.

Quo viso, Iudex ingenti pudore affectus, rursus eum in custodiam dedit, donec non multò

pòst Apameam maritimam quandam ciuitatem cum loci illius præside profecturus, vinculis iniectis pone eum trahi iussit. Nondum ad ciuitatem ventum erat, cùm Syluanus mortis ei supplicium, ni sacrificaret, minitaretur. Cui martyr, cum prioribus consequens dedisset responsum, subiunxit; Vos quidem mihi mortem minitamini, sed videte ne mox ingenti lachrymarũ vi propriam deplorare calamitatem incipiatis. Nondum ad ciuitatem peruentum erat, cum martyris plagis grauissimis onerati prædictio euenit. Nam Syluanus membris repentè solutus est; Cumbricius autem vehementi febri correptus; & sic demum vterq; quarto die vitam cum morte miserabiliter commutauit.

Syluanus & Cũbricius diuinitus puniuntur.

Hìstam infeliciter è vita sublatis, alius quidã crudelitate illis nequaquam inferior successit, qui barbara lingua Pandus dicebatur. Hic cum Apamæ ãveniisset, atque diligenti singularum actionum habito examine, intellexisset inuictã Thyrsi constantiam, eum protinus in medium adduci iussit. Deindè; tunè, inquit, es Thyrsus ille, qui spreto Imperatorum imperio, magni Dei Apollinis statuã contriuisti? Ille vero, Ego sum, inquit, qui non pareo iniquis edictis, neque operibus manuum hominum sacrificium offero: sed soli Christo sacrifico, eumque verum & æternum Deum nomino. Hæc non mediocriter præsidis animum conturbabant, & quia facile primo aspectu insuperabilẽ animi eius fortitudinẽ colligebat, blanditijs eũ aggressus est, orans & obsecrãs vt aliqua sui misericordia caperetur. Cumq; blanditias æquè vt minas cõtemneret, protinus sacco insutus triginta à littore stadijs in mare præcipitatus est. Sed sacco repentè disrupto, martyr à choro

Thyrsus examinatur à Pando præfecto.

In mare præcipitatus ſaluus euadit.

virorum mirabili ſplendore micantium exceptus, & in terram deductus eſt. Quo viſo crudelitatis miniſtri tremebundi ad præſidem venerunt,& rem ei totam ex ordine panderunt. At ille,concito gradu, lingua oculiſque furorem & cædem ſpirans, ad littus tetendit, & martyrem ibidem ſtantem cernens. Ecquid hoc eſt? inquit, mira ſanè præſtigiarum virtus; ſed ego tamen celeri & crudeli morte his finem imponam. Tùm conuerſus ad ſeruos:Cito, inquit, Cæſaream me feſtinantem,hunc flagris ſequi compellite, vt ibi tandem debitas præſtigiarum ſuarum pœnas luat.

Cæſaream ducitur.

Quo quidem vt ventum fuit,præſes primùm ad dijs ſacrificandum templum ingreſſus eſt: & martyrem ad idem impietatis ſtudium inuitauit. Eccè enim dicebat,ſumma te hucuſque beneuolentia proſecuti ſumus; at nunc niſi imperatorũ iuſſis parueris,crudeliſſimis te feris obijciemus. Martyr verò fingens ſe pœnitentia ductum, non Apollini,ſed Ioui ſacrificare velle, ſummo præſidem gaudio perfudit, & antè Iouis ſtatuam adductus eſt. Cumque quaſdam ſummo æternoque Deo preces fudiſſet,repentè Iouis ſtatuam horribilis quidam terræ motus humi deiecit,& ingentem infidelium turbam, nimio terrore perculſam,in effuſam fugam compulit. Præſes eo facto acriter irritatus,feris eum beſtijs dira fame triginta dierum irritatis, ac penè in rabiem actis, obiecit.Sed eccè feræ, præſide ipſo humaniores factæ,martyri amicè blanditæ ſunt. Tum Chriſti athleta ſublatis in cœlum manibus &, profuſis præ nimio gaudio lachrymis:Domine, inquit,ſu gratias tibi ago quas poſſum maximas, quod eandem nominis tui gloriam,quam olim Danieli,mihi

Precibus ſuis,Iouis ſtatuam ſubpertit.

Feris obijcitur.

Daniel.6.

li, mihi indigno famulo exhibere dignaris. Et nũc Domine Deus, cui omnis creatura deseruit, effice vt hæ ferę ad sua habitacula sine vlla feritate redeant. Hac precatione finita, bestijs in nomine veri Dei, vt sua lustra repeterent, imperauit. Protinus igitur illæ, impetu facto, eruperunt, & ad syluas incredibili celeritate contenderunt. Hoc spectaculo multi, impia deorum superstitione abiurata, Christo nomina dederunt.

Feris imperat vt sua lustra repetant.

Multi ad Christi fidẽ cõuertũtur.

Præses interim dedecore affectus, animum in omnem partem versabat, frendens gemensque quod hominem mortalem vincere nequiret. Paucis autem post diebus cùm Apolloniam ei abeundum esset, martyrem infinitis militum iniurijs vexatum sequi iussit. Vt autem in ciuitatem ventum fuit, præses aliquod crudelitatis suæ trophęum captans, martyrem ante Apollinis aram virgis crudelissimè cædi iussit. Ille verò tota mente in Deum absorptus, omnis doloris expers precabatur, vt dexteræ suæ potentiam, cum amplissima nominis sui gloria, & inimicorum confusione declarare vellet. Et eccè, hæc illo precante, horribilis fragor ciuitatem repentè concussit, ac multò maiorem idolorum multitudinem in terram prostrauit, iudice ingenti pauore rei exitum trepidante. Thyrsus verò glorioso fidei triumpho exultans: Cur, inquit ad præsidem, dijs tuis tam miserabiliter humi prostratis manum non porrigis?

Apolloniã ducitur.

Cæditur virgis.

Thyrsus prę fidẽ irridet.

Huic spectaculo intererat vir quidam Callinicus, nobilitate & prudentiæ opinione admodum clarus, & supremus nefandissimorum sacrorum antistes, qui visa admiranda omnipotentis Dei, quæ per Thyrsum agebatur, virtute, statim comã barbamq; sibi præscidit, vestemque detraxit, quæ

Callinicus ad Christũ cõuertitur.

in vnum conglomerata præsidi obiecit. Accipe, inquiens, pilos & vestes, quæ nidore sacrificiorum & impurissimis dæmonum mysterijs polluta sunt. Nam cum eis nefandum errorem abijcio, & Christum Iesum vnum, verum, & æternum Deum tota mente amplector.

Præses repentina illa mutatione obstupefactus. Ecquid est hoc, inquit, vt tu deorum minister atque sacerdos vnius hominis præstigijs in fraudem & pestem abduci te sinas. Cui Callinicus, nulla (inquit) hæc fraude, sed vera Christi virtute aguntur. Si libet, experimentum illius cape; & quia grauissimo doloris sensu cruciaris, accedamus pariter ad magnum Aesculapium, vt communibus precibus salutem ab eo impetremus. Præses cum hæc Callinicum pœnitentia ductum dicere existimaret, lętus cum eo ad templum perrexit.

Callinicus cælitus confortatur.

Callinicus autem, primo fani execrandi ingressu vnius Dei potentiam inuocans, dilapsa cælitus voce ad certaminis gloriam mirificè confortatus est. Vndè animus erectior, repecto sępius IESV CHRISTI nomine ipsum Aesculapij idolum prostrauit. Quo facto præter expectationem præses furore exarsit, ac mortis sententiam in vtrumque tulit: in Callinicum quidem capitis: in Thyrsum verò serræ acutissimæ, qua viuus capsa quadam lignea incluśus articulatim secandus erat. Et quidem Callinicus glorioſa morte statim certamen finiuit. Generoſus autem athleta Thyrsus, improbis eorum conatibus superari non potuit. Trahebant illi quidem serram, sed lignum, cui martyr incluśus manebat, nullo eorũ labore secari potuit; cumque summis viribus & clamoribus pariter instarent, & vrgerent, capsa sua spon-

Æsculapij simulachrũ subuertit.

Callinicus capite obtruncatur.

Thyrsus nequit lædi serra.

sua sponte soluta est: & martyr quasi cœlesti quodã gaudio perfusus lætus & alacris exiliuit. Quo viso, cuncti qui circumsistebant stupore & admiratione capti, pedem retrahentes martyri cesserunt.

Martyr autem oculis & manibus cum eximia pietatis significatione ad cælum sublatis: Domine, inquit, Iesu Christe benedictum nomen tuum in omni seculorum æternitate, qui me indignum famulum tuum tua hæreditate, & choro eorum, qui tibi placuerunt, dignatus sis. Et nunc Domine accipe animam meam. Hæc cum dixisset, & vndique se Christi signaculo muniuisset, in manus illius sanctam animam deposuit.

Agit Christo Domino gratias.

Reddit suauiter Spiritum.

## VITA S. IACOBI EREMITAE COMPUNCTIVA ex ea quæ est per Simeonem Metaphrasten. Claruit hic sanctus in Palæstina.

Vide Cæs. Baron. in Notatio. Martyr Rõ.

21. Ian.

FVIT vir quidam, Iacobus nomine, qui ingenti solitariæ vitæ desiderio captus, propè oppidum Porphyrionem in spelunca quadã quindecim annos cum admiranda quadam sanctitatis opinione habitauit. Ea enim erat virtutũ eius fama, vt multi ex varijs partib. ad eũ cõfluerent. Cum autẽ pleriq; ex eorũ essent genere, qui cũ impia Samaritarum superstitione miserrimè conflictantur, vir Dei Iacobus ex diuinarum lectione literarũ plurimos ab errore liberabat, & ad Christi libertatem à miserrima diaboli seruitute trãsferebat. Hæc cum humani generis hostis iniquè admodum ferret, statuit per suos eum satellites aggredi, & ex ijs locis, quæ virtutum maximarũ studio florentissima reddiderat, expellere. Et quidẽ Samaritarũ vnus, scelere ante alios insignis

Quindecim annis in spelũca degit.

insignis, maximam amicorum & consanguineorum turbam conuocauit, orans & obsecrans sanctissimis Iacobi conatibus vt occurrant, eumque de finibus illis per insidias expellant; ni faciant, breui de patria religione conclamatum iri. Nec mora, post varias vltro citroque consultationes habitas, vna omnium sententia concluſum fuit, vt impudentem & meretricia arte insignem mulierculã ad se accersirent, cui viginti aureos nummos darent, totidemque alios se illi daturos promitterent.

Samaritæ ei insidiantur.

Quid multis? Auri splendor flammeus ilicò cæpit mulierem, & promissa insuper alia decora monetæ lumina, ad accelerandum opus nefariũ eam impellebant. Itaque execrando inescata metallo, genuina leuitate, ad sanctissimi viri cellulã trauolãuit; infimis precibus hospitium deprecans. Ille verò qua erat in miseros benignitate, reseratis foribus precantem admittere decreuerat: sed conspicatus fœminam mox fores cum impetu præcluſit: & pauidus ad orationem confugit. At illa in fletus & eiulatus prorumpẽs, Miserere, inquit, mei serue Dei, ne infelicis rapinæ præda hîc efficiar; Quid enim restat, nisi vt à feris bestiis hic misera dilaniar. Hisce delinitus fletibus vir diuinus reseratis eam ianuis excepit, appositoque pane & aqua in interiora cellulæ clausira festinantius se recepit. Illa vero gustato cibo ingenita astutia humi se abiecit, & miserandis valdè lamentis conceptum animo flagitium promouebat. Simulabat se mortifero cordis agitari dolore; ac opem sancti viri ingeminans, tandem effecit, vt prosiliret, excitatoque igne mulierem foueret. Sed quanto interim timore fœmineos expauerit dolos, planè è re nostra est studiosè aduertere

Meretrix subornata ad eũ venit.

uertere. Cùm dextera sacrum sumeret oleum, pectusque mulieris liniret, non dubitauit sinistram ardentibus injcere flammis, ita vt stillæ adipis in ignem defluerent, eoque dolore nascentem voluptatem reprimeret. Quo sanè spectaculo admirabili, ipsum istud dęmonis mancipium ad fletus & eiulatus commotum fuit; detestánsque protinus execrandum facinus, ad sanctissimi viri pedes se abiecit, haud fictis lamentis & pectoris tunsionibus scelerate vitæ renuncians. Quin & humili confessione cuncta sua flagitia, & Samaritarum insidias aperiēs, eremicolam ita emolliuit, vt votis precibusque salutem mulieri à Deo posceret; quam deinde salutaribus instructam monitis ad Alexandrum antistitem destinauit, qui eam à veteris vitæ delictis expiatam, ad suauissimum Christi jugum traduxit.

Magna S. Viri virtus & cautela.

Meretrix cõuertitur.

Post hoc tam egregium trophęum, cum fama virtutum eius longius cum admiratione vagaretur accidit vt filia viri cuiusdam, qui principem in senatu obtinebat locum, impuro agitata spiritu Iacobi nominatim opem imploraret. Quid multis? Miseri parentes, miserrimæ filiæ calamitatibus excitati non dubitarunt ad eremicolam eam adducere: qui solo manuum suarum contactu fugato dæmone puellam dimisit incolumē. Fuit illi à parentibus argenti pondus pro munere oblatum, quod accepta eorum pia voluntate constanter recusauit; hortans vt inopiam pauperum ea benignitate subleuarent. Cæterum Iacobus curationis beneficio in omnes promptissimus plurimos morbis oppressos varijs, sanos & incolumes, mira facilitate reddebat. Quæ re vt magnos ei apud summos infimosque honores conciliauit, ita salutarem viro diuino repentini

Sanat dęmoniacam.

Operatur varia alia miracula.

lapsus

lapsûs timorem iniecit. Quarè fuga periculum deuitandum ſtatuens, ad ſpeluncam quadraginta ab eo loco miliaribus diſtantem abijt, in qua continuos quadraginta annos cum incredibili vitæ auſteritate delituit. Ingens erat apud omnes de eximia illius ſanctitate opinio, quę copioſa in multos benedictione conſtabat.

Quadraginta annis habitat in ſpelunca.

Verum enim vero vir talis ac tantus & admiranda vitæ ſanctimonia venerabilis & ſtupenda ſignorum claritate illuſtris, ſuo nos exemplo docuit, nihil eſſe in hominibus ſtabile, nihil firmũ, nihil tam ſanctum atque ſyncerum, quod interdum ab humana fragilitate fœdius non conſpurcetur. Quis à lethali lapſu, mortalis ſe immunem putabit, cum hic longè ſanctiſſimus in lapſum omnium grauiſſimum deciderit? Erat prædiuitis cuiuſdam viri filia dęmonio obnoxia, quę & ipſa ad S. Iacobi opẽ ſæpius ſuſpirabat. Nõ defuêre puellæ ſuſpirijs clamoribusq; pij parẽtes, ſed deſerta loca peragrantes, inuẽto tandem Iacobo filiam obtulêre ſanandam. Sanatur illa vi precũ lachrymarumq; viri ſanctiſſimi, quæ tanta fuit, vt locus in quo ſtabant contremuiſſe dicatur. Interim parentes collatam filiæ ſanitatem gratulantes, Iacobum deprecati ſunt, vt duobus ſaltem diebus apud ſe eam foueret, nè fortè domi hoſtis eam rurſus inuaderet. Haud grauatè eas preces vir ſanctus admiſit hoſtilium inſidiarum parum prouidus. Intereà humanę ſalutis hoſtis, peropportunam, ſubuertendi viri ſanctimoniam omnem, occaſionẽ nactus, fœui amoris ignẽ viſcerib. illi⁹ iniecit adeò vehementem, vt miſer cruciatũ vrẽtis voluptatis, nec ad momentum ſuſtinere poſſet. Quid multis? totus væſano exæſtuãs igne, puellã vitiauit ampliſſima merita & ęternę vitę coronã amittens

Humana quanta ſit fragilitas.

Alia dæmoniaca ſanatur.

Tentatur acerrimè ſtimulo carnis lacobus.

Succumbit turpiter.

amittens. Hoc verò peccati telo saucius, mente iã alienata, in aliam protinus teterrimi criminis se præcipitauit voraginẽ. Dęmone enim modis omnibus viã salutis præcludente, ad cædẽ insuper virginis processit, proiectoq; in flumen cadauere duplici se scelere impiauit. Itaq; misellus extra terminum mentis suæ positus, iã in profundo dãnationis æternæ sepultus iacebat, cũ diuina bonitas quatriduano Lazaro similem rursus suscitauit. Tremens enim gemensq; mortifera sua primũ agnouit vulnera, quæ mox vberrimo lachrymarum fonte rigauit. Sed humani generis hostis, nè tam insignẽ è manibus prædam amitteret, desperationis eum iaculo propemodum confixit, prorsus vt Iacobus ad calcatas mundi voluptates tota mente redire proponeret. Et quidem exangui colore luridus, ac faciem lachrymis infusus, ad monachorum quorundam eximia pietate prędiantium deuenit habitaculum; à quibus & pacis osculo, & pedum lotione, suauiter de more exceptus fuit, ac mirificè recreatus; sed stimulante cõscientiæ furia, mox in lamẽta & lugubres eiulatus miserabiliter prorupit. Quem ad certam veniæ spem fratres illi quidem dictis pariter ac factis reuocare conati sunt, sed nullo operę fructu abeuntẽ grauiter ingemuerũt. Igitur cœpto in itinere vagabundus pergẽs, in aliũ quendã haud vulgaripietate incidit fratrẽ, cui plenus gemituũ atq; dolorũ similiter lapsũ suũ aperuit, vltima iã desperatione fractus. Nec erat ei in malis potẽ qd, nisi vt sæculi vanitate & omniũ vitiorum spurcitie cœnoq; stimulantẽ obrueret cõscientiã. Hæc meditantem, & recta in perditionis barathrũ tẽdentẽ frater ille vi lachrymarũ ac precũ fruſtra consolari, & à tanto scelere auocare conatus est. Poenitet.

Testa-

Testabatur eum quidem per Christi sanguinẽ salutaria pœnitentiæ remedia respueret, proponebatque exempla Dauidis & Petri aliorumque lapsorum, qui grauiorum etiam scelerum rei, non modo veniam à Domino, sed insuper vberiorem gratiam consecuti fuerant. At ille hostilibus arctissimè vinculis constrictus, pristinam illam animæ libertatem sperare nequibat. Miser itaque, repulso fratre, pergebat, quo fors vocare videbatur. Abeuntem nihilominus & salutaribus monitis reluctantem, ad quindecim sequebatur miliaria, orans & cum lachrymis obtestans, vt vna secum vitalis pœnitentiæ viam iniret. Sed in vanum preces & lachrymæ mittebantur. Ille fratre iam fesso ac penè deficiente, solus pergebat, cum eccè fugientem pertinaciter salutem, in veteri quodam sepulchro sane mirabiliter apprehendit.

Piè consolatur à quodã fratre.

Erat sarcophagus quidam ad formam spelunçę cauatus dispersis hinc indè craniis ossibusque plenus. Quem animo varijs cogitationibus fluctuante, ingressus, cœpit copiosam, illam ossiũ multitudinem in vnam redigere congeriem, ostiumque speluncę, mente à cogitatione operis aliò fortè vagante, obstruxit. Tum verò quasi è graui somno excitatus, vidit eo loco nihil esse pœnitentię & gemitibus accommodatius. Itaque fixis humi genibus in caliginosa spelunca ilicò radium quendam diuinę bonitatis percepit, qui incredibilem lachrymarum vim cum certa venię spe ei suppeditauit. Nulla interim erat animo requies, immò sola quies in luctu erat & gemitibus. Scelerum confessionem semianimi voce domino faciebat, ingrati animi crimen in tam benignum & clementem parentem suum detestan-

stans. Continuos decem annos in saxeo illo carcere clausus perseuerauit, bis hebdomadatim reserato speluncæ ostio, vt nascentes in circuitu herbas latranti obijceret stomacho.

Decennio in sepulchro quodã agit pœnitentiam.

Dum hoc pœnitentiæ mitro rubiginem peccatorum abstergit, ac perpetim lachrymarum lixiuio sordes animarum expurgat, subito squalore vniuersa illa regio exaresc it, impluuio cœlo extremam sterilitatem adducente. Incolæ mali magnitudine perculsi, ad ieiunia & preces, cæteraq; pietatis exercitia confugerunt. Institit & Episcopus regionis, multis lachrymis & publicis supplicationibus, vt mali contagium pro sua clemẽtia extingueret. Deus, cui tandem inspiratum diuinitus, vt hominem in sepulchro latitantem requireret, luctu & squalore quidem fœdatum, sed animo sanctum & ab omni labe peccati ritè purgatum, qui solus grassantem cladem suis precibus reprimeret. Nec mora. Antistes vna cum clero & plebe, ad speluncam supplicatione tendens, hominem foras blandè euocauit qui suorum sibi conscius peccatorum terrę affixus, ne faciem quidem è puluere leuare præsumpsit. Vrgente autem præsule, ac plebe miserandis eiulatibus vim inferente, ipse pariter suos quoque fletus ac eiulatus adhibuit, erectoque ad cælum vultu in orationem tamdiu perstitit donec apertis cæli cataractis opera descenderet, pluuia & squalentem terram inebriaret. Quo permota beneficio plebs, annuum diei illius festiuo gaudio celebrat memoriam, ac diuinam bonitatem in Iacobo debitis extollit laudibus. Neque hoc solum præsenti miraculo seruum suum illustrauit Deus; sed pristina virtus cum noua vitæ sanctimonia suscitata, multo etiam clarius in illo deinde illuxit. Eodem autem illo

Innotescit diuinitus Episcopo Iacobus.

Impetrat à Deo pluuiã.

Pristinę pietatis donatur gratia, miraculorũque virtute.

em illo anno quo clades illa precibus illius pulsa fuit, luctum suum ac lachrymas cum perpeti cælestis regni gaudio feliciter permutauit, accersito prius ad se Episcopo qui sacras ipsius reliquias eadem in spelunca depositas; quæ postmodum constructa desuper ecclesia insigni opere celebris permansit; vbi etiam & ipse annua festiuitate celebrior, præclara beneficia opem eius implorantibus exhibere dicitur. Obijt autem Anno ætatis suæ quinto & septuagesimo.

Ad Christū migrat.

Claret miraculis post obitum.

## *VITA S. VALERII, DISCIPVLI S. Petri Apostoli, Treuirorum Episcopi, ex ea quæ extat penès Fratrem Laurentium Surium; Claruit autem Anno Dominicæ Incarnationis 54. & sequentibus, sub Claudio Romanorum Imp.*

Vide Cæs. Baron. not in martyr. Rom.

29. Ianuarij. Fit Episcopus.

POst venerabilem obitum beatissimi Eucharij Treuericæ ciuitatis Arciepiscopi, sanctus Valerius in ministerium sacerdotale successit, illudque per quindecim annos eximia morum & vitæ sanctitate administrauit. In quo quidem temporis spatio, multos populos stupendis prodigijs ad Dominum conuertit, & ad Catholicæ fidei cognitionem diuini verbi prædicatione perduxit. Instituit autem verbi ministerio tam ardenter ac tanto cum fructu, vt eius vigilantia cooperante Domino Christianorum numerus ipsos tandem paganos per Galliam & Germaniã superaret. Erat enim melliflua sermonis facundia præditus; moribus verò adeò inculpatis, vt nihil quod reprehensione dignũ esset in eum

Multos conuertit ad fidẽ Christi.

Perfectio eius.

in eum caderet. Quamuis autem assiduis diuinarum rerum meditationibus esset intentus, ita tamen ijs inhærebat, vt nunquam nimia earum dulcedine captus, vel ad horam proximi salutem negligeret. Cum verò omnibus virtutibus ornatissimus ad canos peruenisset, nocte quadam beatus Eucharius ei apparuit dicens; Tempus iam, frater Valeri, resolutionis tuæ instat, & regni cælestis ianua tibi reserata est, quam post hanc horam quinto die gratulabundus ingredieris, & de concessis Domini tui beneficijs sine fine lætaberis. Quapropter Maternum agonis nostri cooperatorem, tui officij successorem cõstitue, illumque de visitatione nostra ante diem exitûs sui certiorem redde. Et hæc dicens recessit.

S. Eucharius ei apparet.

Euigilans autem S. Valerius mox visum somnum beato Materno cæterisque fratribus, qui præsto erant, narrauit, & eis diem obitus sui lætissimo vultu instare prædixit. Sequenti verò die venerabilem Maternum ad sacerdotalem gradum prouexit, & de studio commissi ministerij diligẽter instruxit. Cumque per prædictum spatium, ob famam depositionis eius aduentantes fideles, verbo salutiferæ admonitionis instrueret, & eos ad salutem animarum suarum paternis visceribus incitaret; illucescente iam quinto die, oratorium ingressus, viaticum, quod ipse consecrauerat, accepit, & post hæc extensis inter discipulorum manus membris sacris, 4. Kal. Febr. beatum Deo spiritum reddidit. Cuius corpus colligentes discipuli, sacratissimo corpori sancti Eucharij coaptârunt, & in eodem sarcophago cum diuinis laudibus condiderunt.

Maternum sibi successorẽ cõstituit.

Viaticum accipit & decedit.

NOBILE CERTAMEN S. CONSTANTij, Perusiæ Episcopi, quod inuicto animo exegit: Anno Apartu virgineo 175. Soteris Rom. Pontif. 1. Marci verò Aurelij Imperat. 13. Ex eo quod extat apud Surium.

Vide Cæs. Baron Ann. Tom. 1.

29. Ianuarij. Constantij patria & genus.

IMperante Antonino, cui Pio cognomen erat, florebat Perusiæ, Barziorum familia, opibus & generis nobilitate admodum clara, & quod hæc omnia longè superabat, Christi insignibus egregiè nobilitata. Ex hac B. Constantius veluti odorifera cedrus è regali viridario natus est. Natum autem infantem parentes postquam artium omnium disciplinis & eximijs virtutibus imbuendum curassent, pia morte ex hac vita sublati sunt. Constantius itaque parentibus orbatus, sed diuinis pietatis operibus locupletatus, diuitiarum sibi à parentibus per manus traditarum maluit dispensationem quam possessionem suscipere; siquidem eas Christi pauperibus tanta animi alacritate largiebatur, vt nemini non adiumentum in quauis necessitate præstaret. Denique tam excellens virtutis specimen in omnibus ostendit, vt anno ætatis suæ trigesimo ad Episcopalis muneris functionem communi totius populi suffragio electus fuerit. Eam vero dignitatem tam eximia mansuetudine & vitæ integritate suscepit administrauitque, vt nec æmuli minimam in eo labem Episcopo vitandam deprehendere possent.

Benignitas eius in pauperes.

Episcopus eligitur annos natus 30.

Prima illi & præcipua cura pauperum, quibus largissima manu subueniebat, suasque ædes salutare quoddam refugium eis esse volebat. Cæteram verò plebem virtutum suarum odore fouebat, verbo exhortationis tanto animi feruore insistens

Multos ad Christi fidē conuertit.

sistens, vt gentilium multi ab impio idolorum cultu ad Christi seruitutem transirent. Hisce virtutum maximarum initijs, fama illius finitimas in regiones cum summa celebritate vagata est. Itaque mirari omnes doctrinam hominis, suspicere virtutes, obstupescere miracula, quæ quotidiè vir sanctus faciebat. Erat id temporis mulier quædam Attasia nomine. Hæc cum multos iam annos charissimo oculorum sensu careret, audita S. Constantij & vitæ sanctimonia, & miraculorum virtute planè diuina, non dubitauit ardenti ad eum fide accedere, & humi se ad eos pedes abijciens vim lachrymarum cum singultu profundens: Miserere, inquit, Domine calamitatis meæ, nam infœliciſſima ego, oculorum lumine orbata nullum huic tanto malo remedium inuenire possum; non carmna, non medicorum solertia, non ipsi denique dij deæque omnes, quibus ego vota sæpè nuncupaui, opitulari queunt. Te autem extremum spei meæ solatium nunc adij, vt per te merear tandem aliquando salutem reportare. Tum sanctus Constantius, qui cerneret mulierem non solùm oculorum, sed mentis etiam lumine esse priuatam, cupiens vtrique malo, vno & eodem tempore mederi, sic eam affatus est: O mulier, si spretis idolis, quorum vis ac virtus (quod in te ipsa experiris) planè nulla est, inducas animum, credere in Dominum meum Iesum Christum, is tibi potest pulsis tenebris, simul & corporis & mentis oculos aperire, aditumque ad vitam æternam patefacere. Illa verò, Fac, inquit, Domine, vt videã: iã credo Deũ tuũ Deũ esse verum. Hîc verò vir sanctus flexis genibus postquam ardentissimam cum lachrymis precationem fudisset, confestim optatissimam mulieri lucem restituit,

Cœca mulier opem ab eo poscit.

Attasiæ precibus S. Cõstantij lumẽ oculorũ restituitur.

& nulla mora interposita gaudentem & exultantem & Dei virtutem multis laudibus extollentem vitali vnda expiauit, & ad Christi seruitutem adiunxit. Huic miraculo alterum non minus insigne adiungere lubet.

Fuit per idem tempus Perusiæ vir, cui nomen erat Crescentius; hic vtroque pede ita contractus erat, vt non modo ambulare, sed ne baculo quidem innixus stare posset. Is igitur audita fama miraculorũ, quæ S. Constantius faciebat, lectica se ad eum deferri curauit. Quo perductus, hominem Dei rogare & obsecrare institit, negrauaretur suorum sibi pedum rectitudinem & firmitatem restituere. Huius calamitatis vir benignissimus misertus, oculis pariter ac manibus in cælum sublatis, Dominum Deum pro salute miseri illius precatus est. Vix orationem effatus erat, cùm ecce lux magna super infirmum è cælo dilapsa hominem vehementer exterruit, ita vt iteratis vocibus tremebundus Constantium compellaret. Cui Constantius: Res benè habet frater; bono animo esto. Deniq; abeunte luce apparuit homo sanus, & firmissimo pedum robore præditus. Quo ille beneficio permotus, statim baptismum magna pietate flagitauit: quod vir sanctus cùm ingenti cordis sui lætitia ei contulit. Nec ipse solùm, sed alij ad centũ viginti, eo ipso die baptismatis sacramentum à B. Constantio acceperunt.

Crescentio item eius precibus pedum sanitas restituitur.

102 Gẽtiles vno die à S. Constantio baptizãtur.

Quo rumore concitatus Marcus * Antoninus, qui Antonino Pio impi⁹ succesſerat, statuit Christianum nomen internecione delere. Cùm igitur alios aliò mitteret, tum verò etiam Perusiam, Lucium Consulem cum potestate summa destinauit, vt omnes Christi fidem profitentes suppliciis excarnificatos (ni deos gẽtium colere velint) inter-

* Aurelius. M. Antonini persecutio in Christianos.

interimeret. Igitur Lucius ciuitatem ingressus, cùm multa de admirandis Constantij virtutibus auditione percepisset, misit confestim nequitiæ suæ ministros, vt Constantium (qui apud Crescẽtium, quem sanitate donarat, precibus operam dabat) vinctum ad se perdncerent. Abierunt illi, & magna vi effractis foribus in domum irruentes Constantium vna cum Crescentio pias effundentem preces comprehẽderunt, vincieruntque; vinctos ad Consulem & Carisium ciuitatis illius Præsidem perduxerunt.

Constantius vinctus ad Luciũ Consulem deducitur.

Quos vt vidit Lucius Consul: Cupimus, ait, à vobis ipsis quænam sit vitæ vestræ conditio, audire; & an parati sitis ex Imperatoris decreto, relicto crucifixi vestri cultu, his, qui verè sunt dij, offerre libamina. Huic B. Constantius magno sanè animo hunc in modum respondit; Vitæ nostræ conditio, ô Consul, hæc est: vt omni tempore seruiamus ei, cui seruire regnare est, Domino nostro Iesu Christo. Imperatoris autem decreto hac quidem in re obtemperare nec possumus, nec volumus, neque enim rationi consentaneum est, vt posthabito creatore nostro ac redemptore Deo viuo & vero, sequamur eos qui non sunt dij, sed verè dæmonia. His ille auditis iussit, sanctissimi viri corpus loris crudelissimè cædi. Cumque vir sanctus in medijs flagellis Dominũ glorificaret, & deorũ vanitatẽ cõstanter argueret, & Consuli etiã insultaret. Præses Carisius iussit eũ vnà cúm Crescentio cęterisq; Christianis, in thermis vehementer calefactis includi. Dum autem firma custodia seruarẽtur, ecce cõcubia nocte splendor valdè admirabilis è cęlo effusus, totũ illũ locum illuminauit. Quo viso, loci custodes ingẽti stupore oppressi, ad eorum se pedes abiecêre, & impio

S. Constantius loris cæditur.

In thermis includitur cum aliis.

nefandorum deorum cultu abiurato, ad Christi confessionem accessêre; denique vxores & filios numero ferè quinquaginta ad Episcopum deduxerunt, qui à veteris vitæ delictis per baptisma expiatos, puros & innocentes Christo Iesu obtulit.

Quinquaginta fere in Christum credunt.

His peractis, milites importunis precibus vt libertatem reciperet, thermasque relinqueret vrserunt. At ille, Pugnam, inquit, quam hactenus desideratam, iam tandem nactus sum, subterfugiam? Non equidem hoc faciam; hic statui pro fide & pro Deo mori. Milites contra, cum lachrymis expostulabant, vt nouis tyronibus consuleret, ne semina fidei, quæ nuper in ipsorum corda sparsisset, perirent. Quibus vir sanctus tandem acquieuit, vnaque cum illis è balneis, atque etiam ex vrbe egressus, Monticellum venit, ibique paucis admodum diebus in præclaris fidei & pietatis exercitijs transactis, nouos Christi milites ad futura certamina mirificè confirmauit.

Constantia eius.

Venit Monticellum.

Interea Lucius & Carisius, rerum à militibus gestarum certiores facti, nouos furoris sui ministros huc illuc dimiserunt, vt à fuga retractos Episcopum eiusque sequaces confestim adducerent. Illi lustrabundi cuncta peruagantes, tandem ad Anastasij ædes peruenerunt, quas vno impetu irrumpentes non modo Constantium, sed Carpophorum virum clarissimum cum ipso Anastasio ad Carisium vinctos duxerunt. Qui furore incredibili incitatus, statim virum sanctissimum super ardentes prunas nudis plantis inambulare iussit, & carbones candentes in corpus eius vestimentis omnibus spoliatum conijci. At ille ignis istius ardorem, diuini amoris feruore facilè superauit. Quod cernēs Carisius, carceri eum mancipauit

cipauit, vt statuto die Consulis tribunali sisteret. B. interim Constantius res admirandas gerebat. Multitum fidelium, tum Paganorum noctu ad carceris fores ventitabant, & ægrotos ei varios offerebant, quos ab omni ægritudine mira facilitate liberabat. Cuius rei fama adducti non pauci, quotidiè relictis idolis, ad veri Dei cultum transibant, atque etiam ipsi carceris custodes crebra spectantes miracula, Christi fidem amplexati sunt.

Varios sanat ægrotos.

Custodes carceris cõuertuntur.

Nec multò pòst indignum iudicantes tantam tamque eximiam virtutem vilissimo carcere cõcludi, Episcopum licet inuitum è custodia in locum suburbij tutiorem duxerunt. Cumque ad Tyberim peruentum esset, & fama nunciaret Concordium & Pontianum (quibuscum arctissima ei intercedebat necessitudo) Assisij in vinculis teneri, nouo martyrij desiderio inflãmatus eò cõtendit, vt socius certaminis pariter cum eis de hoste triumpharet. Sed acceleranti forte fit obuiam sęua militum manus ab ipso Imperatore Spoleti tunc agente, in Christianorum destinata perniciem. A qua vir sanctus tentus & quis esset interrogatus, quoue tanta festinatione pergeret solitarius, intrepidè respondit. Sum equidem Constatius indignus Perusinæ ciuitatis Episcopus, Perusia venio, Assisium pergo, vt duos eximia pietate ac Christianæ fidei robore, Christi Iesu athletas in vinculis detentos inuisam. Illi tam libera confessione irritati, omissis blanditijs quas vir dominus spernebat, tantis eum cruciatibus affecerunt, vt semianimis in Christi confessione spiritum duceret. Et conuersus ad dominum: Accipe, inquit, spiritũ meũ, & requiescat in te domine, qui pro te, teipso iuuante, perpetim laborauit.

Educitur è custodia inuitus.

Capitur.

Magnifestat seipsũ.

Atrociter cruciatur.

Cõfortatur ab Angelo.

Hæc orantem Angelus Dei ſua ipſa præſentia conſolatus eſt, abſterſisque plagis nouo eum robore ad certaminis curſum viriliter peragendum donauit. Milites verò audito ſermone, quem cum angelo conferebat, ac nemine viſo, plagarumq; inſuper ſanitate ſtupidi, feſtinè eum Aſſiſium inde abduxerunt, ſocijsque martyribus aggregârũt. Paulò verò pòſt Imperatoris gratiam cum ſpe munerum capturi, Conſtantium & reliquos è carcere extractos Hiſpellum pertraxerunt, ibidemque in alteram vſque lucem fame & frigore propemodum enectos varijs modis ſub dio torquârunt. Hic verò angelus Domini ſacro antiſti ſecundum quietem apparuit, & præparatam martyrij coronam ſpoſpondit, & quidem Hiſpellanorum multi angelico permoti ſplendore conclamarunt, Magnus eſt Deus Chriſtianorum.

Hiſpellanorum multi ad Chriſtũ conuertũtur

Qua occaſione antiſtes Chriſtum voce maxima palam annunciauit: conteſtans deos deaſque omnes eſſe dæmonia, & inania ſimulachra. Nec in vanum adhibita conteſtatio, nam non pauci fidei lumine illuſtrati, ab infeliciſſimis dæmonum ſignis ad læta Domini caſtra tranſierunt. Quorum ſaluti dæmonum ſatellites inuidentes Hiſpello, Fulgineũ verſus trahunt, nihil non moliti, vt Cõſtantiũ à conſtanti Chriſti cõfeſſione abduceret. Sed cum ille omnes eorum fraudes & minas virtute diuina repelleret, & Chriſti gloriam cum dictis tum factis magis magisque illuſtraret, carnifices maiorum pertæſi certaminum haud procul ab vrbe Fulgineo ſtricto mucrone ceruicem illi præſciderunt. Erat tunc temporis Fulginei quidã Leuianus, vir inter cęteros Chriſtianos fide & bonorũ operum meritis pręſtans, qui nocturna viſione admonitus eſt, vt ſanctiſſimi illius corporis

Obtrũcatur capite S. Cõſtantius.

Leuianus monetur viſione nocturna, vt

poris curam susciperet, & omni cum honore, vt par erat, sepulturæ mandaret. Qui visioni obaudiens, protinus summa cum reuerentia illud humeris suis imposuit, sacrum pignus domum suam portaturus. Onusto autem, viri duo occurrerunt, qui à Christiana fide alieni, pietatẽ ipsius cachinnis prosequi, & Constantium maledictis insectari cœperunt. Qui sanè cachinni haud eis impunè constitêre: nam vterq; oculorum lumine subitò priuatus est, ipsa autẽ Dei vindicta principiũ æternæ vitæ illis effecta. siquidẽ propria calamitate edocti, supplices ad cælũ manus tẽdere, & Christũ Iesum vnũ solum verũ Deum confiteri tandemq; Leuiani opera ad sacrum martyris corpus ducti, primo eius contactu pristinum oculorum lumẽ recepêre.

Constantiã sepeliat.

Irrisores Cõstantij diuinitus puniũtur cęcitate.

Curantur contactu corporis sacri & Christo adhærẽt.

Insequenti verò luce duo à natiuitate cæci, pueri ductum sequentes miram eodem in loco odoris hausere fragrantiam, qui Leuiani monitis fuêre instructi, vt relicto idolorum cultu, veri Dei fidem amplecterentur, precibusq; S. Constantij oculorum lumen speʒarunt. Illi spe luminis inescati, repudiato simulacrorum cultu, Christo seardenti fide consecrârunt; opemq; S. Constantij haud inani fiducia semel iterũq; profusis lachrymis implorarunt; cuius intercessione desideratã à Domino lucem perceperũt. Fuit deinde sacrum illius corpus Perusiã delatũ, inq; suburbio, monẽte sic diuino numine, honorificè conditũ. Porrò Leuian⁹ & quatuor illi, singulari p Cõstantiũ beneficio affecti, extructo ibidẽ tuguriolo reliquũ vitæ cursum ꝑpetuę Christi deuouerũt seruituti, precib. ieiunijs, alijsq; pietatis operib, ad martyris tumulũ excubantes; cuius nomen miraculorũ gloria indies illustrius euasit.

Item alii cæci sanati.

Corpus S. Constantii Perusiã trãslatum & extra portam S. Petri sepultum.

Claret miraculis post obitum.

VITA

Vide Cæs. Baron. in Notatio. Martyr Rō. & s. Tom. Ann. Eccl.

## *VITA S. ALDEGVNDIS ABBATISSÆ primæ Malbodiensis, ex ea quæ est per Huchbaldum Elnonensem. Floruit sub Dagoberto Rege Francorum, circa annum Domini sexcentesimum quadragesimum.*

30. Ianuar.

ANno Dominicæ incarnationis circiter euoluto sexcentesimo trigesimo, imperante apud Constantinopolim Heraclio, & in Francia regnante Dagoberto Clotarij filio, Præsidentibus per successionem Pontificibus, Honorio, Seuerino Iohanne, Theodoro & Martino, orta est ex nobili admodum & regali prosapia, in pago Hainoensi, Virgo Aldegundis, patre Walberto, matre verò Bertilia. Quæ summa cura & vigilantia parentum enutrita, & sacris imbuta literis, cœpit in ipsis puellaribus annis, cælestis spōsi amore vehemēter flagrare. Erat ei soror natu maior Vvaldetrudis nomine, quę erat viro cuidā satis illustri Maldegario, cognomēto Vincētio legitimè copulata; qui postea miris quibusdam diuini amoris igniculis inflammatus, spreto mūdo, toto corde Christum Saluatorem secutus est; Vvaldetrudis verò pari pietatis studio excitata, rupta per consensum vtriusque carnali copula, Christo se totam in monasterio (quod ipsa in mōte, qui vocatur Castrorum locus, ædificauerat) consecrauit.

Patria & parentes Aldegundis.

Soror eius VValdetrudis.

Intereà Aldegundis, quæ adhuc apud parentes in medio honorum decursu versabatur, vt se illis exueret laqueis, tota mente annitebatur. Parens verò ad nuptias Regio stemmate dignas eam inuitabat, Hoc cum Vvaldetrudis auditione percepisset, vt sororem vnicè sibi charam eo periculo libera-

liberaret, à matre per literas eius præsentiam expetijt, specioso prætextu vt dulcissimo sororis colloquio, amori suo, quo in eam ferebatur, largius indulgeret. Et primò quidem annuit haud grauatè mater; sed mox fœmineis anxia curis, ne sororis hortatu à graui matrimonij iugo & seculi amore auocaretur, eam protinus reuocauit, ac nuptias regali splendore dignas proposuit. At illa quæ tota mente à carnali copula abhorrebat, primo quidem, ne parentum suorum voluntatē aspernari videretur, nuptias simulare, aurum, argentum, monilia & pretiosas vestes admittere, sed pia fraude ea omnia in pauperum vsus eroga re; corpus vero die noctuque affligere, & multis cum lachrymis Dominum precari, ne se à societate sanctarum Virginum auelli pateretur, Instabat interim nuptiarum dies, cum mater diuina prouidentia morbo correpta, paucis post diebus ex hoc mundo demigrat. Iuuenis vero (cui nomen Endo erat) nihilominus instare & vrgere; nihilq; omninò quæ ad eximium nuptiarum splendorem pertinere videbantur, intermittere. Quod cum audisset virgo, nocte quadam fugam iniit, & in loco nemoroso (qui Malbodius dicitur,) aliquot diebus delituit. Cumque fama increbuisset sanctum Amandum, atque venerabilem Antberum Episcopos, sanctitatis opinione claros, in monasterium Altimontis (in quo VValdetrudis quondam maritus Vincentius degerat) aduenisse, statim nudis plantis eo properauit, eorumque prouoluta pedibus sacro se velamine donari postulauit. Quod illi sanctus Amandus debito modo & ordine, cum insigni ceremoniarum sanctitate concessit.

Mater eam hortatur ad nuptias.

Illa ornamēta nuptialia in pauperes erogat.

Mater eius obit.

Virgo Aldegundis fugit nuptias & sponsum.

Accipit velamen à S. Amando Episcopo.

His igitur Aldegundis Christianæ militiæ donata

nata insignibus, ad locum priorem (cui ipsa Malbodio nomen impoſuerat) reuerſa eſt; & quia locus erat deſertus, denſisque admodum vepribus & arbuſtis obſitus, ante omnia eum diligentiſſimè expurgari, & egregijs habitaculis cum eccleſia, inſigni opere in honorem ſanctæ Dei genetricis exornari curauit; deindè paulatim admirabili vitæ ſanctitate & ſplendore virtutum ſuarum, alias non paucas Chriſti ancillas allexit, quæ libenter ſacris ſe ædibus, vt in omni vitæ ſanctitate Chriſto famularentur, incluſerunt. Inter cæteras fuêre duæ eius neptes, ſororis ſuæ Vvaldetrudis filiæ, quæ in omni vita, materteræ ſuæ virtutes ſummo ſtudio imitatæ ſunt.

**Monaſteriũ extruit.**

Præter alias omnes, quibus virgo ſancta in vita maximè admiranda fuit, virtutes præcipua fuit in pauperes prædita largitate, & egregio omnibus benignè faciendi ſtudio. Quamuis enim à primis annis huic virtuti vehementer dedita fuiſſet, & ingentes theſauros in pauperum vſus diſtribuiſſet, adeò vt nihil ferè quod inſuper erogaretur, ſupereſſe videretur, poſtquam tamen ſanctimonialibus induta veſtimentis, mundo eiusque pompis renunciaſſet, tam ardenter ad huius virtutis perfectionem exarſit, vt corraſis vndecunque ex aui proauique theſauris, pecunijs, pauperes & inopes ſuſceperit, & vniuerſa ipſis delegauerit, vili tantum veſtimento ex omnibus ſibi reſeruato. Sed Domini Saluatoris benignitas, vt in fide famularũ ſuarum animos corroboraret, non diſtulit præclaro ſanè miraculo oſtendere, quàm ſibi gratus eſſet terrenarum rerum pro ſui nominis amore contemptus

**Benignitas eius in pauperes.**

Eodem namque die, quo tam liberalis in pau-

peres

peres exſtiterat, ſole iam veſperam intrahẽte, cũ delaſſatas corporis vires fontana refocillare vellet, ſenſit ilico aquam vinum factum. Quæres Chriſti ancillas ad terrenarum rerum contemptũ ac benignitatẽ in pauperes pariter excitauit.

Aqua mutatur in vinũ.

Inter alia diuinæ conſolationis beneficia, non poſtremum fuit, quod angelica frequenter conſolatione contra aduerſa quælibet roboraretur, ita vt nulla vnquam grauiori triſtitia abſorpta fuerit. Cum nomen eius à peruerſis quibuſdam inertiotio deditis, maledictis proſcinderetur, & apud alios paſſim in ſiniſtræ ſuſpitionis diſcrimẽ adduceretur, illa fragilitate victa humana dolori ac mœrori nimium conceſſit, quam in medijs fluctibus huiuſmodi verbis angelus conſolatus eſt; Quid te maleuolorum conturbat inuidia, cum tibi ea ipſa cæleſtis gloriæ præmium adaugeat, illis verò nî reſipiſcant, gehennæ ſupplicium conciliet.

Conſolatur & confortatur ab Angelo.

Porrò dum nocte quadam in eccleſia attentiſſima mente precibus incumberet, meruit in ecſtaſi mentis eleuata, glorioſum ſancti Amandi ex hac vita tranſitum contemplari, & angelica viſitatione præmoneri, vt ſe ad eandem cæleſtis gloriæ coronam breui percipiendam pararet accingeretque.

S. Amandũ in ecſtaſi vidit ex hac vita excedere Anno Domini 661. teſte Baron. Tom. 8. Annal.

Vidit etiam alio quodam tempore humani generis inimicum triſtem valdè, & ſortem ſuam multis lamentationibus deplorantem; cumque illa quæreret, quid emolumenti ſperaret, quòd tot animarum millia ſecum in peſtem & in exitium ſempiternum pertraheret, reſpondit, acerbiſſimis ſe inuidiæ ſtimulis torqueri, quòd illuc Adæ filios aſcendere conſpiceret, vnde ipſe cum ſuis ſemper exulare cogeretur.

Inuidia diaboli in humanum genus.

Beata

Beata igitur Aldegundis frequentibus Angelorum confortata visionibus, cum obitus sui diē iam instare cognouisset, multis precibus & lachrymis, à Domino postulare non destitit, vt ab omni peccati contagione in hac vita per flagella & aduersa purgari mereretur, quò statim post hanc vitam conspectu Domini sui frui posset. Non distulit diuina bonitas præstare ei misericorditer, quod illa humiliter petere non cessabat. Nam non multò pòst, morbus, qui cancer vocatur, mammillam eius dexteram inuasit, & vsq; ad vltimum vitæ diem miserè depastus est. Quod illa non modò patientissimè, sed etiam cum magno animi suo gaudio tulit, atque diuinæ bonitati assiduò gratias egit, quod eam tanquam veram filiam suam dignis castigationibus in hac vita visitaret.

**Cancer morbus eam inuadit.**

In vltimo ferè vitæ conflictu frequenter ei Satan insidias struxit. Contigit quandoque eam ardentissima sitì cruciari, adeò vt putaret se ea planè confectam iri; cumque oratione sitim repulisset, vidit antiquum hostem tetra sanè & specie valdè horrenda, qui multis modis animum eius labefactare nitebatur. Dura tibi, dicebat, & arcta adhuc via superanda restat, nec tu tibi quicquam de perseuerantia polliceri potes. Cui Virgo: Dominus, inquit, mihi adiutor, non curo minas tuas; His dictis continuò dæmonem in fugam vertit. Inter hæc paruulus quidam, cuius vita ob morbi vehementiam in desperationem venerat, ei oblatus fuit, quem illa antè cornu altaris deponi iussit, vbi protinus integram sanitatem, non sine ingenti adstantium admiratione, recepit. Alius quoque mentis insaniâ cum extremo vitæ periculo laborans, in conspectum eius adductus fuit, cui illa

**Diabolus eã in extremis grauiter tentat.**

**Miracula eius.**

impresso crucis signo, & mentis & corporis sanitatem restituit,

Post hæc cum corporis languor magis magisque eam opprimeret, multi vtriusque sexus homines pietatis & religionis laude præstantes, visitationis gratia eam conuenerunt, cum eccè, tertia antè obitum eius die, splendor ingens nimia claritate refulgens supra domum, in qua sacra virgo Christi aduentum secura præstolabatur, apparet. Cumque præsentes insolitam visionem mirarentur, & soror eius Vvaldetrudis inter spem & metum dubia, quidnam præsignaret, tremebũda rei finem expectaret, sancta illa anima carne soluta cum ipsa luce, de hoc seculo ad Christum Iesum veram lucem migrauit. Sepulta autem est in villa, suæ quondam ditionis, quam Salram appellabant, vbi etiam vterque parens eius cum Vvaldetrude sorore magnificè sepulti requiescũt. Postea vero corpus eius translatũ fuit in municipiũ Malbodiũ q̃ ipsa à fundamẽtis construxerat; vbi nunc memoria eius præclaris admodum miraculis fulget, & plurima beneficia, diuinam opem dignè implorantibus, conceduntur.

Visio cælestis ante eius obitũ.

Moritur feliciter.

Claret miraculis post obitum.

*VITA ET MARTYRIVM SANCTORUM & mirabilium operum effectorum, Abbatum, Cyri & Iohannis, ex ijs quæ extant apud Simeonem Metaphrasten. Passi sunt hi sancti, Alexandriæ, anno nono persecutionis à Diocletiano Imp. excitatæ, quã fuit Christi Domini 310. sub Maximino In oriente Imperante.*

Vide Cæs. Baron. in Notatio. Martyr Rõ. Item Tom. 3. Annal. Eccles.

CYRVS, egregium martyrum decus, Alexandria oriũdus, professione medicus, cum res valdè admirandas non tam arte medi-

31. Ianuar. Patria Cyri.

ca quam diuina virtute efficeret, multorum ore, longè lateque celebratus, tandem & ipsi ciuitatis præsidi innotuit. Qui plusquam Vatinianoin Christianos odio debacchans, Cyrum comprehendi mandauit, vt eum pro sua tyrannide omnibus excarnificatum supplicijs morti traderet.

Cyrus abit in Arabiã.

Quod Cyrus cum audisset, statim relicta ciuitate in Arabiam abijt, non quidem eo animo quod tyrannidem præsidis suppliciaq; pro Christo inferenda expauesceret, sed vt quamplurimos infideles, exemplo vitæ & doctrina, à miseranda diaboli captiuitate, in Christi libertatem vindicaret.

Fit monachus.

Primum itaque vt in Arabiam peruenit, caput cute tenus rasit, sumptoque habitu monastico, cælestem in terris vitam imitari cœpit, eoque perfectionis ardentissimo pietatis studio peruenit, vt relicta planè medicorum arte, morbos & languores corporum, precibus & diuini verbi doctrina pelleret fugaretque. Ea res cum animos omnium in admirationem pertraheret, statim nomen eius in ea regione celebrari cœpit & tandē quoque ad aures Iohannis peruenit.

Operatur miracula.

Patria Ioannis.

Erat autem hic Iohannes patria Edessa oriundus, vir insigni admodum morum integritate præditus, & in Christianam religionem ita affectus, vt spretis contemtisque opibus, diuitijs, gloria, & auctoritate denique militari qua apud Imperatorem plurimum valebat, Hierosolymam profectus fuerit, indè verò sola Cyri fama commotus in AEgyptum venerit, vt cum eo vitæ cursum in Christiana Philosophia exigere posset.

Ioannes vir militaris. se iungit Cyro.

Fortè eo tempore cum persecutio grauius detonaret,

tonaret, tres virgines vna cum matre comprehen sæ, & in ciuitatem Canopum (Cui Syrianus cum potestate summa præerat) ductæ sunt, vt vel im puris dijs ibidem sacrificia offerrent, vel in acer bissimis supplicijs vitam finirent. Hęc cum ad aures Cyri & Ioannis delata fuissent, illi plurimum veriti, ne tenerrimæ virgines suppliciorum formidine deiectæ, Christi confessionem desererent eo properârunt. Theoctiste enim, quæ erat ætate maxima; decimum quintum annum nondum attigerat. Theodota autem, quæ eam sequebatur, agebat annum quartum decimum; Eudoxia autem omnium minima, annum vndecimum agebat. His ergo de causis Cyrus cum Ioanne timore affectus eo descendit; Non solum enim sexus ille & ætas tam tenera, suppliciorum metu, sed blanditijs etiam, quibus valdè obnoxia est, nullo negotio corrumpi potuisset. Accedebat his omnibus timor alius, qui eos de matris Athanasiæ erga filias compassione solicitabat vehementius. Itaque partim, vt virginibus animos ad certamen pro Christi nominis gloria fortiter subeundum adderent, partim etiam, vt simul præclarum confessionis suæ fructum perciperent, non dubitarũt se periculis exponere. Qui quidem vt ciuitatem ingressi sunt, & diuinis sermonibus virgines in constantia fidei confirmarunt, protinus ad Syrianum nomina eorũ delata sunt: quod scilicet duo quidam ignoti, quorum alter monastico, alter militari indutus habitu, comprehensas modo virgines, in Cæsaris iniuriam ad deorum contemptum multis sermonib⁹ adhortati fuissent, & ad quæuis supplicia pro Christi nomine perferenda acriter inflammassent.

Tres virgines Theoctiste Theodota, Eudoxia cõprehenduntur.

Athanasia mater cara.

Cyrus & Ioannes accusantur quod virgines ad constantiam hortarẽtur.

His auditis Syrianus suo eos conspectui offer-

ri iussit, quibus multis banditijs & minis persuadere conatus est, vt relicta fide, quam profitebantur, dijs immolarent. Cui Cyrus & Iohannes pari constantia in hunc modum responderunt, Nos, ô præses, paucis animi nostri sententiam aperire consueuimus. Scias igitur nullis nos vel minis, vel blanditijs à Christi confessione auellendos esse. Hæc Syrianus audiens iracundia vehementer commotus, primò quidem virgines adduci iussit, vt crudelissimo suppliciorum spectaculo virginibus terrorem incuteret, earumque fidem labefactaret. Nec mora. Cęsi primũ flagellis athletę, clauis contriti, lampadibus vstulati, vsta membra aceto & sale confricata, postremò bulliente pice pedes inuncti. Horrendum quidem fuit hoc virginibus spectaculum & intollerabile martyribus supplicium; sed tam virgines quam martyres pari constantia atque virtute in Christi confessione perseuerarunt. Vndè ab impotenti mentis suæ furore victus ipse Prędes, virgines vna cũ matre, nihil muliebre aut ignauè præ se ferentes, capitis sententia dãnauit; quã illę porrectis alacriter ceruicib⁹ glorioso certamine exceperũt.

Syrianus eos auertere à Christi cõfessione nititur.

Responsum martyrum.

Cruciantur martyres atrocissimè.

Eximia martyrum constantia.

Tres virgines cũ matre capite plectuntur.

Quibus feliciter coronatis, Præses omne suum studium ad subuersionem Cyri & Ioannis cõuertit. Et nunc quidem donis ac muneribus, nunc minis atque tormentis eorum constantiam pertentabat. Sed frustra fundamentum angulari lapidi Christo firmiter inædificatum conuellere nitebatur. Vndè plenus admirationis & eos capitis tandem sententia plecti curauit. Fuêre sacræ eorum reliquię in S. Marci Euangelistæ magno fidelium gaudio illatæ, vbi ad tempora vsque Theodosij quieuerunt.

Post varia tormenta similiter obtruncantur Cyrus & Iohannes.

Porrò à ciuitate Canopo distabat vicus quidam duo-

dam duorum stadiorum spatio, quem Manuthe nominabant. Hic erat malignorum spirituum insidijs omnibus infestus, quem Theophilus Præses Alexandrinus sæpenumero ab ea peste liberare voluerat, sed morte tandem præuētus, quod tota mente meditabatur, ad exitum perducere non potuit. Huic Cyrillus successit; qui cum pari diligentia in eam rem incumberet, & vota & preces ardenti studio Deo nuncuparet, vt viam modumque ostenderet quo malignorum hostium caterua ex eo loco profligare posset, Angelus Domini in visione ei apparens mandauit, vt sacra martyrum Cyri & Iohannis corpora vna cum sanctissimi Marci Euangelistæ reliquijs eum in locum transferret, quorum præsentia dæmones continuo in fugam verterentur. Hac itaque occasione sacræ martyrum reliquiæ vicesimo octauo mensis Iulij in Manuthe translatæ sunt, quarum aduentu maligni spiritus in fugam versi, & locus omnipotenti Deo cum maximo populi totius gaudio consecratus est.

Corpora eorum translata in vicum Manuthe.

## VITA S. MARCELLAE VIDVAE, EX ea quæ est per D. Hieronymum ad Principam virginem. Obijt Anno à Christo nato 410. Innocentij Rom. Pontif. 9. Honor. 16. Theodos. 3. Impp. paulò post vrbem ab Athalarico Gothor. rege expugnatam.

Epistola 16 Vide Cæs. Baron. Ann. Tom 5. & not. in marty. Rō.

MArcella Romanæ vrbis inclytum decus, illustri admodum orta familia, facta est. opibus & nobilitate contempta, paupertate & humilitate nobilior. Orba patris morte, viro quoque post nuptias septimo mense priuata est. Cumque eam Gerealis, cuius clarum in-

31. Ianuarij. Patria eius.

Maritum septimo à nuptijs mense amittit.

ter consules nomen est, propter ætatem & antiquitatem familiæ, & insignem, quod maximè viris placere consueuit, decorem corporis, & morum temperantiam ambitiosius peteret, suasque longæuus polliceretur diuitias, Albinaque mater tam clarum præsidium viduatæ domus vltro appeteret, illa respondit, Si vellem nubere, & nó æternæ me cuperem pudicitiæ dedicare, vtique maritum quærerem, non hæreditatem. Illoque mandante, posse & senes diu viuere, & iuuenes citò mori, eleganter lusit: iuuenis potest quidem citò mori, sed senex diu viuere non potest. Quæ sententia repudiatus, exemplo cæteris fuit, vt eius nuptias desperarent.

Secundas nuptias respuit.

Difficile est in maledica ciuitate, & in vrbe, in qua orbis quondam populus fuit, palmaque vitiorum, si honestis detraherent, & pura ac munda macularent, non aliquam sinistri rumoris fabulam contrahere. Sed quis vnquam de hac muliere, quod displiceret, audiuit, vt crederet? Quis credidit, vt non magis seipsum malignitatis & infamiæ condemnaret? Ab hac primum confusa gentilitas est, dũ omnibus patuit, quæ esset viduitas Christiana, quam & conscientia & habitu promittebat. Illæ enim solent purpurisso & cerussa ora depingere, sericis nitere vestibus, splendere gemmis, aurum portare ceruicibus, & auribus perforatis rubri maris preciosissima grana suspendere, fragrare musco mure, maritos ita plangere, vt tandem dominatu eorum se caruisse lætentur, quærantque alios, non quibus iuxta Dei sententiam seruiant, sed quibus imperent. Nostra vidua talibus vsa est vestibus, quibus arceret frigus non membra nudaret; aurum vsque ad annuli signaculum repudians, & magis in ventribus egeno-

Ephes. 5. Vestitus eius.

egenorum, quam in marsupijs recondens. Nusquam sine matre. Nullum clericorum aut monachorum (quod amplæ domûs interdum exigebat necessitas) vidit absque arbitris. Semper in comitatu suo virgines ac viduas, & ipsas graues fœminas habuit, sciens ex lasciuia puellarum sæpè de dominarum moribus iudicari, & qualis quæque sit talium consortio delectari.

Diuinarum scripturarum ardor erat incredibilis, & in lege Domini die ac nocte meditabatur. Illi erant moderata ieiunia, carnium abstinentia, vini odor magis, quam gustus, propter stomachum & frequentes infirmitates. Rarò procedebat ad publicum: & maximè nobilium matronarum vitabat domos: ne cogeretur videre quod contempserat; Apostolorum & martyrum basilicas secretis celebrans orationibus, & quæ populorum frequentiam declinarent. Matri intantum obediens, vt interdum faceret quod nolebat. Nam cum illa suum diligeret sanguinem, & absque filijs & nepotibus vellet in fratris liberos vniuersa conferre, ista pauperes eligebat, & tamen matri contraire non poterat; monilia, & quicquid suppellectilis fuit; diuitibus periturа concedens, magisque volens pecuniam perdere, quam parentis animum contristare.

psal. 1. Amat sacrã scripturam.

Obedientia.

Nulla eo tempore nobilium fœminarum norat Romæ propositum monachorum, nec audebat propter rei nouitatem, ignominiosum, vt tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere. Hæc ab Alexandrinis prius sacerdotibus, Papaque Athanasio, & postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimũ confessionis suæ portum Romã cõfugerant, vitam B. Antonij adhuc tunc viuentis

Marcella prima in vrbe Roma monasticã vitam profitetur.

monasteriorumq; in Thebaide, Pachumij, & virginũ ac viduarũ didicit disciplinam. Nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognouerat. Hãc multos post annos imitata est Sophronia & aliæ, quibus rectissimè illud Ennianum aptari potest: Vtinam ne in nemore Pelio. Huius amicitijs fruita est Paula venerabilis. In huius cubiculo nutrita Eustochium virginitatis decus; vt facilis æstimatio sit, qualis magistra, vbi tales discipulæ.

Annis igitur plurimis sic suam transegit ætatem, vt antè se vetulam cerneret, quam adolescentulam fuisse meminisset, laudans illud Platonicum, qui Philosophiam, meditationem mortis esse dixit; Sic ergo ætatem duxit, & vixit, vt semper se crederet esse moriturã. Sic induta est vestibus, vt meminisset sepulchri, offerens hostiam rationabilem, viuam, placentem Deo.

Meditatio mortis.

Roman. 13.

Denique cum & me Romam cum sanctis Pontificibus Paulino & Epiphanio ecclesiastica traxisset necessitas, & verecundè nobilium fœminarum oculos declinarem, ita egit secundum Apostolum importunè, opportunè, vt pudorem meum sua superaret industria. Et quia alicuius tunc nominis esse existimabar super studio scripturarum, nunquam conuenit, quin de scripturis aliquid interrogaret; nec statim acquiesceret, sed moueret è contrario quæstiones, non vt contenderet, sed vt quærendo disceret earum solutiones, quas opponi posse intelligebat. Quid in illa virtutum, quid ingenij, quid sanctitatis, quid puritatis inuenerim, vereor dicere, ne fidem credulitatis excedam, & tibi maiorem dolorem incutiam, recordanti quanto bono caueris. Hoc solum dicam, quod quicquid in nobis fuit longo studio congre-

2. Timoth. 4

Scrutatur diligenter scripturas Marcella.

congregatum, & meditatione diuturna quasi in naturam versum, hoc illa libauit, didicit atque possedit; ita vt post profectionem nostram, si de aliquo testimonio scripturarum esset oborta contentio, ad illam iudicem pergeretur. Et quia valdè prudens erat, sic ad interrogata respondebat, vt etiam sua non sua diceret, sed vel mea, vel cuiuslibet alterius; vt in eo ipso, quod docebat, se discipulam fateretur. In nostrum locum statim audiuimus te illius adhæsisse consortio, & nunquam ab illa ne transuersum quidem vnguem, vt dicitur, recessisse. Eadem domo, eodem cubiculo vsum, vt omnibus in vrbe clarissima notum fieret, & te matrem, & illã filiã reperisse. Suburbanus ager vobis pro monasterio fuit, & rus electum pro solitudine; multoque ita vixistis tempore, vt ex imitatione vestri, & conuersione multarum, gauderemus Romam factam Hierosolymam. Crebra virginum monasteria, monachorum innumerabilis multitudo, vt pro frequentia seruientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat, esset postea gloriæ.

Prudentia eius.

Monachorũ Romæ frequentia.

In hac tranquillitate & Domini seruitute, hæretica in his prouincijs exorta tempestas, cuncta turbauit, & in tantam rabiem concitata est, vt nec sibi, nec vlli bonorum parceret. Et quasi parum esset, hic vniuersa mouisse, nauem plenam blasphemiarum Romano intulit portui. Tunc sancta Marcella quæ diu se cohibuerat, ne per æmulationem quippiam facere videretur, postquam sensit fidem Apostolico ore laudatam, in plerisque violari, ita vt sacerdotes quoq; & nonnullos monachorum, maximeque seculi homines in assensum sui traheret, ac simplicitati illuderet Episcopi, qui de suo ingenio cæteros æstimabat, publicè

S. Marcella hæreticis viriliter restitit.

restitit: malens Deo placere, quam hominibus. Damnationis hæreticorum hæc fuit principium, dum acciti frequentibus literis hæretici, vt se defenderent, venire non sunt ausi; tantaque vis conscientiæ fuit, vt absentes damnari, quam præsentes coargui maluerint. Huius tam glorioſę victoriæ origo Marcella est; tuq; caput horum & causa bonorum, scis me vera narrare, quem nosti vix de multis pauca dicere, ne legendi fastidium faciat odiosa replicatio. Dum hęc aguntur in lebus terribilis de occidente rumor affertur, obsideri Romam, & auro salutem ciuium redimi, spoliatosque rursum circundari, vt post substantiam vitam quoque perderent. Capitur Vrbs, quæ totum cepit orbem; imo fame perit, ante quam gladio, & vix pauci qui caperentur, inuenti sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies, & sua in uicem membra laniârunt, dum mater non parcit lactenti infantiæ, & suo recipit vtero, quem paulò ante effuderat. Nocte Moab capta est, nocte cecidit murus eius.

Roma capta à Gothis. Valida ibidē fames.

*Quis cladem illius noctis, quis funera fando*
*Explicet? aut possit lachrymis aquare dolorem?*
*Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos;*
*Plurima perque vias sparguntur inertia passim*
*Corpora, perq; domos, & plurima mortis imago.*

Cum interim, vt in tanta confusione rerum, Marcellæ quoque domum cruentus victor ingreditur.

Intrepido vultu excepisse dicitur introgressos; cumque poscereturaurum, & defossas opes vili excusaret tunica, non tamen fecit fidem voluntariæ paupertatis. Cæsam fustibus flagellisq; aiunt non sensisse tormenta, sed hoc lachrymis, hoc

Marcella' cę ditur fusti. bus & flagel lis.

hoc pedibus eorum egisse prostratam, ne te à suo consortio separarent, ne sustineret adolescentia, quod senilis ætas timere non poterat. Christus dura corda molliuit, & inter cruentos gladios inuenit locum pietas; cumque & illam & te ad Apostoli Pauli basilicam Barbari deduxissent, vt vel salutem vobis ostenderent, vel sepulchrum, in tantam lætitiam dicitur erupisse, vt gratias ageret Deo, quod te integrã sibi reseruasset, quod pauperẽ illã nõ fecisset captiuitas, sed inuenisset; q egeret quotidiano cibo, quod saturata Christo non sentiret esuriem, quod & voce & opere loqueretur. Nuda exiui de vtero matris meæ, nuda & reuertar. Sicut Domino visum est, ita & factũ est. Post aliquot dies sano, integro, vegetoq; corpusculo obdormiuit in Domino, & te paupertatulæ suæ, imò per te pauperes reliquit hæredes, claudens oculos in manibus tuis, reddẽs spiritũ in tuis osculis, dum inter lachrymas tuas illa rideret, conscientia vitæ bonæ & præmijs futurorum.

Iob. 1. Reddit animam.

FEBRVA-

# FEBRVARIVS.

## MARTYRIVM S. IGNATII, EPISCOPI Antiocheni, B. Iohannis Apost. & Euangelistæ discipuli. Ex eo quod extat apud Cæsarem Baron. Passus est Anno à Partu Virgineo 110. Anacleti Romani Pontif. 8. Traiani verò Imperat. 11.

Ann. Tō. 2.

1. Februarij.



GREGIA planè ecclesiæ columna S. Ignatius, tanta morum innocentia & ingenij candore à teneris fuisse cō memoratur, vt Saluator noster Iesus simplici & syncero pueri delectatus ingenio, eum suis ipse manibus sublatum exhibuerit, atque simplicitatem & integritatem discipulis ostendere aut commendare volens, dixerit: Nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cœlorum. Cæterum Apostolica imbutus doctrina, eximiaque vitæ sanctimonia excultus, anno Redemptoris septuagesimo primo Euodio Episcopo Antiocheno ex hac vita sublato, subrogatus fuit: eamque ecclesiam annos admodum quadraginta insigni virtutum maximarum splendore administrauit, multisque ac varijs persecutionibus exagitatus, tandem felici cruore ipsam Romanam ecclesiam consignauit. Anno Saluatoris nonagesimo tertio, Imperante Domitiano, ipsis persecutionis exordijs, cum illustriores in ecclesia ad supplicium quærerentur, ipse antè omnes Ignatius partim exilijs, partim custodijs, partim vinculis diuexari cœpit. Postquam verò Traianus ad Romani gubernacula Imperij euectus fuit,

Hæc Nicephorus hist. Lib. 2. ca. 3.

Mathęi 18.

Euseb. in Chron. & hist. lib. 3. cap. 16.

Succedit Euodio in Episcopatu Antioch.

Baron Ann. Tom. 1. Ignat. Epist. 4. de se ipso ad Mariam Cassobolitē scribens.

fuit, partaque de Schytis victoria rebus per omnia tranquillis frui cœpit, insano in Deorũ cultum amore exardescens, acerrimum Christi fidelibus persecutionem mouit, sacrilego per omnes regni fines mortis proposito edicto qui ad eorũ sacrificia non properarent. Hoc furore accensus venit Antiochiam tyrannus, ad quem ilicò celeberrimum virtute atque doctrina Deiferi Ignatij nomen delatum fuit. Nec mora. Citatus imperio Traiani in Senatum Episcopus, primò ingentibus promissis ad eorum cultum inuitatus est. Quibus in vanum adhibitis; succesſêre minæ & terror tormentorum, quæ pari constantia ab inuicto animo repudiata fuêre. Quinimmo in ardentem glorioſi certaminis cupiditatem erectus, incredibili animi libertate Deorũ vanitatẽ redarguit; prorsus vt tyrannus rebus suis diffidens, tetrum eum in carcerem compingeret, ac varias apud animum suum cogitationes pertractaret, quibus potissimum fatigatum supplicijs morti traderet. Visum tandem est sceleratæ menti, bestiarum eum obijcere feritati; & ne qua martyrij gloria à Christianis celebraretur, Romam eum er Senatusconsulto amandandum statuit; prauam adductus in spem, quod nomen eius eo locorum interuallo perpetua obliuione sepeliretur. Sed fuit hoc reuera Dei consilium, qui eò virum glorioſo certamine coronari voluit, vt Romanorum impietas, quæ acrius quam alijs in locis vigebat, maiore pietatis vi expugnaretur. Ideo enim & Apostolorum principes, & post eos Ignatius ibi fuerunt immolati, vt ciuitatem illam idolorum cruoribus pollutam, proprio sanguine abluerẽt, & operibus ipsis resurrectionis Iesu Christi testimonũ adferrent, demonstratis ijs, qui Romæ degebant

Traiani infideles acerrima persecutio.

S. Ignatius Antiochiæ à Traiano cõprehẽditur.

Mittitur in carcerem.

Dei cõsilio Romæ patitur Ignatius.

Hæc Chrisost. serm. de Ignatio tõ. 5. in fine.

gebant, se præsentem vitam tanta cum voluptate nunquam fuisse despecturos, nisi persuasissent sibi omninò quod ad Crucifixum Iesum essent accensuri.

S. Ignatius ipse sibi vincula imponens mirificè in eis gloriatur.

Igitur lata in eum mortis sententia, primo quidē alta voce Deo gratias egit; deinde maiore voluptate & gaudio ipse sibi vincula imposuit, quæ adeò glorioſa duxit, vt ad Ephesios hæc de eisdem scriberet: *Romam vinctus abducor nouissimus fidelium eorum, qui ibi sunt, qui ad honorem Dei hæc gesta re catenas dignus habitus sum. Hîc enim spes mea, hîc mea gloriatio, hîc meæ indeficientes diuitiæ*

Romam ducitur à decē militibus.

Itaque mirificè sibi placens in vinculis decem traditus est militibus, qui eum Romam perducerent, tāta feritate & barbarie viris, vt decem leopardis se alligatum fuisse scribat; qui etiam beneficio affecto, peiores fiebāt. Hacq; tam sæua militum custodia circundatus, æstiuo tempore Antiochia abductus, mense demum Augusto Smyrnam maritimam Ioniæ ciuitatem, peruenit; vbi sanctum Polycarpum eius ciuitatis Episcopum; incredibili vinculorum gaudio exultans, salutauit.

Ignatius Epist. 15.

Smyrnæ Polycarpum salutat.

Fuit autem ipse non modò à sanctiſs. Polycarpo omnibus, quibus licuit, officijs perhumaniter acceptus, sed à cunctis, quæ in via erant, ciuitatibus & magno commeatu & precibus ac legationibus adiutus. Vndique enim & episcopi, & presbyteri, & diaconi, nec non & reliquum vulgus ad eū cōfluebāt, qui haud vulgarē ex ipso cōsolationem percipiebant, cernentes martyrem tanta alacritate ad mortem currere, vtpote qui ad regna cælorum proficiſceretur.

Chrysost. Orat de trāſl. S. Ignatii.

Porrò mora illa, quam Smyrnę nectebant custodes

stodes, inprimis benè vsus fuit Ignatius, ad omnes Ecclesias, à quibus honestissimas in via accepe rat legationes litteras dirigens; quibus cum ad pietatem retinendam, tum ad ecclesiasticam disciplinam conseruandam singulas hortatus est. In ea verò quam ad Romanos dedit, quam ardenti flagrârit martyrij desiderio, ipsa luce clarius patet. *Ego enim, inquit, omnibus ecclesiis scribo, quod voluntarius morior, si modò vos non prohibueritis. Obsecro vos, ne intempestiua beneuolentia me complectamini. Sinite me ferarum escam fieri, per quas licebit Deum adipisci. Frumentum sum Dei, dentibus ferarum molar, vt mundus Dei panis inueniar. Fruar bestijs mihi paratis, quas opto truculentiores mihi inueniri; quas & blanditijs demulcebo, vt crudelius me deuorent, non vt quosdam metuentes non attigerunt. Et illæ si sponte nolint ego illas vi adigam. Ignoscite mihi, quid mihi sit, ego noui: Nunc incipio discipulus Christi esse, cum nihil expetam aut visibilium, aut inuisibilium, vt Iesum Christum assequar. Ignes, cruces, ferarum concursus, sectiones, lanienæ, ossium dissectiones, membrorum concisiones, totius corporis solutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodo vt Christum nanciscar. Nihil me iuuabunt fines mundi, nec regna huius seculi; melius est mihi emori propter Iesum Christum, quam imperare finibus terræ.*

S. Ignatius vinctus ad omnes ecclesias scribit.

Perfecta Ignatio ad mortem.

Smyrna tandem abductus S. Ignatius Troadem delatus est; vbi & aliquantisper permissus agere, alias ad diuersos scripsit epistolas. Tunc enim ecclesiæ Philadelphiæ episcopus (vt alij fecerant Smyrnæ) Ignatium Troade conuenit, cunctisque humani-

Venit Troadem, vbi eũ Episcopus Philadelphæ inuisit.

humanitatis officijs prosecutus est. Et quidem ad miratione digna res est, hominem vinctum ferali militum custodia septum, ad bestias damnatū, vel Romæ damnandum, perindè ac si non ad pœnas, sed ad triumphum duceretur omnium ecclesiarum, per quas transiret, & quæ de illo audissent, omnibus omnium acceptum officijs & honoribus cumulatū. Quæ quidem vt sibi liceret in sanctissimum virum conferre, quemq; ipsorum à truculentis militibus eius custodibus ingenti redemisse pecunia certissimum existimamus, hasque moras in diuersis locis vario prætextu dilatas, auarorū custodum fuisse nundinas, in quibus tali occasione corraderent, quantas vellent pecunias; cum tamen vt (idem ait Ignatius) beneficijs affecti redderentur crudeliores; nimirum vt eo carius venderent, quod nulli parcentes impensæ, Christianos, auctione eiusmodi pietatis officia libenter redimere intelligerent.

Hæc Baron. Ann. Tom. 2. Anno 109.

Epist. 11.

Cæterum Ignatius Troade naui vinctus impositus Neapolim appulit: indè Philippos perductus, nihil antiquius habuit, quam vt ad suos Antiochenos scriberet. Indè etiam ad Heronem eiusdem ecclesiæ Antiochenæ diaconum virtute clarissimum litteras dedit, in quibus & vaticinatur, fore vt sibi in ecclesia Antiochena succederet. Philippis etiam scripsit ad Tarsensem ecclesiam, quæ nouissima omnium epistolarum fuisse videtur. Inde namque recedens per Macedoniam terrestri itinere Dalmatiam versus à custodia militari perductus est. Tranmisso autem mari Adriatico nec non Tyrreno Puteolis incredibili fidelium studio vnà cum militibus exceptus fuit, quibus diuini verbi semine vt reliquis ecclesijs, impartito, tandem Romam appulit: Præfecto

Philippis scribit ad Antiochenos.

Venit Romam.

fecto vrbis, cui sistebatur, se promptum paratum que, magna animi alacritate & gaudio, ad glorioſum martyrij certamen ſubeundum, oſtendens. Et quidem Præfectus litteris inſtructus Imperatoris ſuæ tyrannidi nequaquam defuit. Vt enim feſtus & Romanorum celeberrimus aduenit dies, agonothetam in medium theatrum produxit Theophorum, Deo, Angelis & hominibus ſpectaculum, longè glorioſiſſimum. Vniuerſa ciuitas in populum effuſa, mira denſitate theatrum compleuerat, ardenti ſpiritu & oculis iam ſpectaculum amantibus, Syriæ Epiſcopum cum feris pugnaturum expectans; cum eccè Ignatius, generoſo & inflexibili animo, (vtpotè ea ipſa, quam pro Chriſto ſubibat, ignominia mirificè ſibi placens) in mediam orcheſtram prodiens, huiuſmodi ad populum Romanum orationem inſtituit; Viri Romani, & præſentis huius certaminis ſpectatores, non equidem vt homo maleficus & ſceleris alicuius damnatus, hoc certamen tam confidenti animo ſubeo: ſed vt Deum aſſequar, cuius incredibili deſiderio flagro. Sum namque eius frumentum, & beſtiarum molor dentibus, vt purus eius panis efficiar. His dictis dimiſſi leones ingenita feritate in eum irruentes ſubitò delacerarunt, deuorârunt que, ſolis oſſibus aſperioribus relictis, quæ maximo deinde fidelibus gaudio fuêre atque ſolatio. Dimiſſo enim theatro Chriſtiani ſacra martyris oſſa, reuerenter collecta, in loco ſuburbano, vigeſimo decembris condiderunt.

S. Ignatius producitur in theatrum.

S Ignatij ad populũ Rõ. oratio.

Dilaceratur à leonibus.

Porrò Syri, qui pugilem ad martyrium comitati fuerant, ſuſceptis eius ſacris reliquijs Antiochiam ouantes magno gaudio retulerunt.

Reliquiæ eius Anti chiam transferuntur.

*Ademerat quidem eum Deus exiguum ad tempus, sed maiore cum gratia restituit. Et quemadmodum pecuniam mutuantes cum fœnore ea reddunt qua acceperunt, sic etiam Deus pretiosum hūc thesaurum paulisper suscipiens, vt ostenderet Romæ, maiore cū gloria eum retulit. Emiserant eum Episcopū, & martyrem receperunt. Emiserant cum precibus, & cum coronis susceperunt; nec illi soli, sed cūctæ quæ interiectæ erāt ciuitates. Quomodo enim eas affectas fuisse existimandū est? quē voluptatis fructū perceperint? quātā lætitiā exultauerint? q̄ fausta vndiq; acclamatione coronatū amplexatæ fuerint? Quemadmodū pugilē generosū, qui omnes deuicerit aduersarios, spectatores è cauea cum plausu consurgentes, sublimē statim excipiūt, nec terrā attingere patiūtur, sed humeris sublatū, innumerabilib. laudib⁹ exornātes domū reportāt, sic quoq; sanctū illū oēs ex ordine ciuitates ab vrbe relatū suscipiētes humerisq; gestātes, Antiochiā vsq; sunt comitatę, martyrē coronatū celebrātes, diabolū diridētes, q̄ è contrario illi versutia succesisset. Et tūc q̄dē cūctis illis ciuitatib. profuit, documētoq; fuit, & patriā hāc vsq; in præsētē diē locupletauit. Et q̄dē hoc honore sacrosāctę reliquiæ Antiochiā platę, in suburbijs ad portā Daphniticam positæ fuere, vbi permultis, magnisque coruscasse miraculis idem Chrysostomus testatur his verbis: Non aliter quam thesaurus quidam perpetuus, qui quotidiè exhauritur, & nunquam deficit, sic etiam beatus hic Ignatius cunctis ad se accedentibus benedicens, fiducia & strenua alacritate, magnaque fortitudine plenos remittit domum. Quisq; enim cum fide ad eum accedit, magnis afficitur beneficijs. Sanctorum enim non modo corpora, sed*

Hæc Chrysost de reliquiarum translatione S. Ignatii serm. 5. in fine.

Claret miraculis post obitum.

Videas ex his quanti fecerint Christiani huius tēporis (omnes haud dubiū Apostolorū discipuli) reliquias Sanctorum martyrū dū sæuiente licet persecutione, nihil veriti inuidiam sęuiti-

sed ipsi loculi & monumenta spirituali gratia conferta sunt.

amque Gentilium, nec viarum pertæsi difficultates & longitudinem, Roma Antiochiam vsq; eas magna veneratione & lætitia retulerunt, & loco honestissimo collocarũt.

In locum Ignatij subrogatus fuit Antiochenis Hero eiusdem ecclesię diaconus ad quem exstat ipsius Ignatij, hoc præmonentis epistola. Porrò vt intelligamus ipsis Apostolorum temporibus sanctorum inuocationem à sanctis patribus vsitatam fuisse, non erit absre ipsius Heronis precationem ad S. Ignatium iam martyrio coronatum hic reddere.

Oratio Heronis Antistitis Antiocheni ad S. Ignatium.

*Sacerdos & assertor sapientissimi Dei Ignati, immaculata stola indute, perenni fonte saturate, cum Angelis laudem canens, primogeniti certe amice, à peccatis liberate: agonista constitutus in stadio veritatis, acquisisti pretiosam salutem, confudisti Traianum & Senatum Romæ, prudentiam nunc non habentem; domesticus nunc factus es Christi in dilectione, fide, & vita. Memor esto mei filij tui Heronis, vt & ego ex hac vita exiens, sanctis connumerer, vt dignum nomen merear adipisci: & de iniusta statione atque à Deo aliena extraneus inueniar. Ter quaterque beate qui ad talia peruenisti pater Ignati, currus Israel, & auriga eius. Euasisti mortẽ fugiendo, & de terrenis ad cælestia euolasti, coronam deificam & magnam meruisti, & in amabili Dei agone vicisti; Memento eius [quem nutriuisti, beate Martyr, & præsta mihi colloquium sicut prius faciebas.*] Hucusque Heronis precatio ad sanctum Ignatium.

Porrò Romani fideles, iam aliquo temporis interuallo sacris S. Ignatij destituti reliquijs, in luctu ac lachrymis versabantur, suam ipsorum facilitatem damnantes, quod sacrum thesaurum alio transferri permisissent. Quos pius Ignatius, secundum quietem apparens consolatus fuisse, luctumque omnem in perpetuum gaudium conuertisse scribitur.

Consolatur Romanos S. Ignatius post martyrium.

Traianus autem & glorioſum Ignatij certamẽ

& sacro.

& sacrosanctam Christianorum vitam edoctus, quod scilicet legum obseruantes ab omni tantum impietate abhorrerent, quodque antelucio surgentes pijs precibus & hymnis Christum celebrarent, ac cibi potûsque parcissimi castam cum primis vitam adamarent, harum, inquam, rerum instructus, nouo dicitur cauisse decreto, vt Christiani exquirerentur quidem, sed nulla affecti iniuria, integra libertate, publicæ tantum functionis incapaces, fruerentur. Atque ita quidem pretiosa Ignatij mors multorum conciliatrix bonorum extitit. Neque tamen ea propter martyris sui necem Deus inultam reliquit. Traiano enim Antiochiæ agente, atrox & funestus terræ motus ipsam Antiochiam insigni & publica clade vastauit, vicinis vrbibus atque populis eadem calamitate penè absumptis. Vix vlla natio aut ciuitas à detrimento & clade immunis exstitit. Confluxerant enim eo milites, & complures priuati: alij vt iura acciperent, alij videndi Imperatoris & spectandorum ludorum gratia, quos dam legationis officium, merces, & priuata compendia traxerant. Motum terræ fulmina primum anteceſſerunt, tum venti insoliti & peregrini vehementius spirauêre. Maria deindè, magno & repentino oborto fragrore, feruescere, fluctus intumescere, æstus vehementius & violentius insurgere terra omnis succuti, domus, ædificia contrario ictu quassari, dissilire alia, & supernè assultantia tecta concidere crepitus audiebatur ingens & horribilis. Mœnia contrario pulsu, modo huc, modo illuc, nutantia, confringi & ruere, mare ipsum turbine contorquebatur, terra aurè vbi ædificia non erant maxima, compulsa motu assultabat.

Plinius secũdus hæc ad eũ scripsit.

Vindicta diuina de nece S. Ignatij.

Scribit hæc Dio in Traiano.

Horrenda tempestas.

Terra

Tetra omnia erant simul contrita ligna, collisa vasa fictilia & saxa aceruatim magno cum stridore proruebant. Puluis densus atque concretus excitari: tantaque obducta caligo cunctos oppresserat, vt alterum videre, alloqui, & audire, minime cuiquam immò ne sperare quidem; ingruente vento ac puluere, liceret. Multi mortales extra domum vitæ periculũ adiêre, præcipites tectis erumpebant, & velut agmine fugientes in aceruos cogebantur; qui omnes ceu è præcipiti loco deiecti, collisi sunt; non pauci adhuc mutulato corpore abiêre. Arbores radicitus conuulsæ procubuerunt. Ingentem turbam prostrata tecta & subuersi muri obruêre: primo impetu: densi alius super alium incidentes extinguebantur. Si qui verò lacero corpore, vel lapide, vel ligno cõuerberati cessissent, hi profecto omnium miserrimi erant, vtpote quibus aut viuere, aut subitò mori negaretur. Non simplex fuit clades, siquidem de tantorum mortalium numero vix sine nota vnus aut alter euasit. Videre erat hunc confracto humero, illum amissis brachijs fugere; complures capite adempto iacebant, quidam elisso pectore sanguinem euomebant, inter quos Pedo Consul, qui tamen haud multo post animã emisit. Atque vt semel omnia complectar, nullum non calamitatis & miseriæ genus mortales istisustinuêre. Sed diutius noctu & interdiu, (id a, gente fato) terra contremuit. Tunc vitæ dubij & pauore consternati miseri, tanto malo remedium & effugiũ inuenire non poterant; oblæsi tectorum casu passim moriebantur, & quanquam fornices & concamerata atque vacua loca, prout casus adegerat, tum peristilia, pensilesque horti intercedente ligno, à morte quosdam seruassent.

Calamitas summa in vrbe Antiochena.

Hi tamen omnes durante motu, fame & inedia, priusquam opem quis ferre posset, confecti fuêre.

Desinente tremore quidam ruinas ascenderunt: tunc mulieris vox & infantis vagitus auditus est, matrem & filium ruinæ oppressérant; mirandumque fuit quo pacto alendo puero lac sufficere potuerit. Sed & mater & filius è terra incolumes educti sunt. Dum verò accuratius pertrita cadauera, & collapsas domos rimarentur, alter infans inuentus est, qui matris mortuæ vbera adhuc sugeret. Omnibus autem qui à clade & ab excidio superfuerant, salus ingrata & vita molesta exstitit, cum luctuosum vbique casum, totosq; obrutos mortales cernerent. Hac communi ac miseranda populorum strage miserrima & infelicissima tunc Antiochia afflicta fuit. Traianus verò tam fœdo diroque periculo per fenestram domûs quam habitabat, vix ablatus est, accedens enim fortè quidam humana maior effigie, illum inter exiguos tectorum lapsus incolumem subtraxit. Sed tanta deinceps Cęsarem formido tenuit, vt cum iam aliquot dies tremor quieuisset, in hippodromo sub diuo, & in publicis tabernaculis vitam ageret. Mons Casius ita concussus est, vt nutante cacumine quasi conuulsus in subiectas vrbes labi existimaretur; subsedêre & alij mõtes, quin etiam aquarum fontes non ante visi emicuêre, fluuij quoque defecerunt.] Hæc Dio qui cautam immanissimæ cladis vel non intellexit, vel dissimulauit. Auulsa enim ab ea semel, ingenti illa & animata columna, cuius virtute inuisibili quodam modo, innitebatur vrbs illa, ipsam in terrã prosterni, omniq; ex parte corruere necesse fuit. Hisce namq; cladibus Deũ vlcisci soli-

Traianus Imp. periculo ereptus deinceps assiduè formidolosus.

Ignatium] intelligit.

Causa immanissimæ cladis vrbis Antiochenę

Quod

tum neces sanctorũ, cõplura exempla declarant. Quod verò ad Christianos Ecclesiæ Antiochenæ spectat, nequaquam eos putamus ijsdem cum Gentilibus affectos malis esse. Etenim si ex his quæ post multa secula sub Leone Imp. eidem ciuitati terræ motu iterum prostratæ horribilia contigerunt, argumentum sumendum est. Hæc obuentura mala Christianos minimè laruisse putandum. Sed sicut tunc ea fuerunt anteà diuinitus reuelata, ita etiam nunc præmonitos fuisse fideles, credendum est. Nam si Traiano, ne periret, occulto Dei iudicio, quomodocunque acciderit, consultum fuit; sanè quidem metuentibus se dedisse significationem, vt fugerent à tabernaculis hominum impiorum, ne inuoluerentur supplicijs eorum, æquum est existimare. Certè magnum illum Heronem, eius ciuitatis Episcopum, his malis superuixisse, & multis annis eam ecclesiam administrasse certissimum est.

Christiani putãtur immunes à malis fuisse. Anno Domini 458. Leo Imp. 2.

Psal. 59. Num. 16.

Porrò vt ad Ignatij res gestas reuertamur, si quis eius temporis Orientalis ecclesiæ faciem propemodum viuam inspicere velit, is eius epistolas euoluat. Magna sanè Dei prouidentia factum est, vt numeratę omnes epistolæ ab Ignatio scriberentur: sed admirando planè diuino consilio procuratum est, vt, inter tot tantaque naufragia scripturarum, eædem ad nostram ætatem incorruptæ atque integræ seruarentur. Elucent enim in ijs, & velut in tabula quadam eruditæ manus penicillo habentur expressa non solum ecclesiastica disciplina & mores, sed & Apostolicæ, de quibus hoc tempore tanta est controuersia, traditiones. Quæ enim Petrus & Paulus Antiochenos docuerant quæ ijdem atque

Eximia vtilitas Epistolarum S. Ignatij.

Ioannes tradiderant Asiæ ecclesijs, quas ad pietatem instituerant, quæ eædem ecclesiæ tradita susceperant atque seruarant, hæc eadem suis epistolis Ignatius memorans & inculcans illis custodienda præscribit. Certum quidem esse & per omnia exploratum haberi debet, ea sua prædicatione Apostolos alumnas ecclesias docuisse, quæ his temporibus ipsæ seruasse reperiuntur, quæ & Ignatius ne præterirent, admonuit. nam & Eusebius ait nihil aliud conatum esse Ignatium suis epistolis, nisi vt Apostolicas traditiones illis consignatas relinqueret. Ait enim; deinde hortatus est vt Apostolorum traditioni mordicus inhærescerent; quam quidem asseueranter testificatus quo tutius posteritati seruaretur necessario scriptis mandandam existimauit] hęc Eusebius. Quę igitur ipsi Apostoli, vel Apostolorum discipuli docuerunt ecclesias, illa esse germana atque legitima, ab omnibus seruanda, nemo iure poterit dubitare. Quamobrē eiusmodi fortissimo argumentandi genere aduersus hæreticos vsus est Tertullianus, dum, eos prouocans ad ecclesias Apostolicas id ratum firmumque habendum ostēdit, quod ecclesiæ ab Apostolis institutæ seruarent; Cum igitur vsque ad Traiani tempora, omnium testimonio vixisse noscantur Apostoli; cuius anno tertio Ioannes Euangelista, ad quos Ignatius scribit, curauit ecclesias, necesse est, vt pariter dicamus, quæ ab illis seruari laudat Ignatius, & quę vt retineant atque custodiant, idem admonuit, eadem esse Apostolicam traditionem, ac proinde Catholicam disciplinam, cui vt omnes rebelles se quandoq; submittant, precibus non minus ac lachrymis, quam argumentis à Deo impetrare contendamus.

Eusebius hist. l. 3. c. 30.

Documenta & traditiones Apostolorū fideliter seruandæ.

De præscript. c. 36.

MARTYRI-

## MARTYRIVM S. PIONII SMYRNENSIS Ecclesiæ presbyteri, ex Metaphraste & cap. 14. lib. 4. hist. eccles. Eusebij conscriptum. Passus est autem anno Saluatoris 254. Sede vacante, Decij Imperatoris secundo.

Vide Cæs. Baron Ann. Tom. 2.

1. Februarij.

EXIMIA planè fidei virtute & constantia vir sanctus Pionius Smyrnensis ecclesiæ presbyter, fidem quam eiusdem ecclesiæ Episcopus Eudemon miserando admodum lapsu exulem fecerat, gloriosa confessione vna cum socijs pro viribus restituere conatus est. Pridie enim diei natalis S. Polycarpi (quæ ex maiorum institutione solennis erat) cum præuideret se ad gloriosum certamen à satellitibus rapiendum, spontanea catena, velut tessera militari qua dignoscerentur à refugis, qui scutum turpiter abiecissent, nobiliter insignitus, Christum prædicans, in medium prodijt. Erant ei socij certaminis Sabina & Asclepiades, qui ieiunio & instanti oratione parati sumptis tribus catenis connexis ijsque collis suis iniectis domi expectabant. Iniecerant autem sibi ipsi catenas tum ne ab amicis abducerentur: tum ne posset aliquis suspicari, se (vt reliquos) ad ea quæ idolis essent immolata, comedenda deduci velle: & vt omnes intelligerent, se statim in carcerem duci decreuisse. Itaque precationi pariter intentis superuenit Polemo AEdituus cum satellitibus suis vt homines Christianos quæreret, eosque ad immolandum idolis, & comedendum ex ijs quæ fuissent immolata, perduceret. Et AEdituus: Nostis plane decretum Imperatoris, quo vobis iubetur vt dijs sacrifice-

Corruente Episcopo S. Pionius pro fide certat.

Solennitas S. Polycarpi.

Spontanea sumit vincula.

Sabina & Asclepiades socij S. Pionij.

tis? Cui Pionius: Nouimus, inquit, mandata Dei, quibus imperat, vt ipsum solum adoremus. Tum Polemo. In forum, inquit, venite, illic edicto obtemperaturi, Cui Sabina & Asclepiades: Nos, inquiũt, Deo viuẽti obtẽperamus. Nec mora. Volũtario catenarũ pondere onerati, nulla adhibita vi in forum deducti sunt, populo rei nouitate ad spectaculum denso impetu confluente.

Comprehẽdantur à Polemõne Æ. dituo.

Tum Polemo Imperatorum edictis explicatis, simulachra eis adoranda proposuit. At Pionius hilari ad populum vultu conuersus extenta manu, causam suam defendit, & ingenua sermonis libertate fastum Iudæorum atque Gentilium Christianis insultantium cùm è sacro eloquio, tum è Gentilium quoque scriptis redarguit.

Pionius Iudæos & Gentiles redarguit.

Cum autem Pionius verba illa repeteret: Deos vestros & auream statuam nolumus adorare: quidam forenses, qui circumstabant, vna cum Polemone blanditijs agere cœperunt, suadentes Pionio vt ipsis morem gereret, ne vitam virtutibus ornatam & iucundam lucem crudeli morte perderet.

Ad quæ martyr: Est quidem hæc lux non iniucunda, fateor, sed altera illa, cuius gratia in hanc immissi sumus, infinitis sanè partibus iucundior quam nullo vnquam tempore tenebræ inuoluent.

Hæc aliaque, multa suauitate differentem Pionium, populus audiendi studiosus in theatrum admitti vehementer expetijt, sed quidam ducis studiosi tumultum verentes, summo, ne id fieret, studio, Polemo persuasêre. At Polemus, cum frustra se Pionium ad dijs sacrificandum impellere videret, quin, inquit Pioni, templum saltem ingredere

gredere, & Pionius, hoc, inquit, dijs vestris non expedit. Polemo verò, Persuade, inquit, hoc nobis Pioni. Vtinam (inquit ille) vobis persuadeam, vt abiurato inanium deorum cultu, Christi fidem suscipiatis. Tunc illi, soluto risu. Tu verò nè id feceris, inquiunt, nè viui comburamur. Grauius atque acerbius est, inquit Pionius, supplicijs ignis sempiterni, nullo vnquam refrigerio temperandi, addici. Quo dicto, Sabina Pionio arrisit. AEdituus verò & satellites; tune, inquiunt, rides? Ita Deo placet, inquit illa: Christiani enim sumus: & qui firma stabilique fide Christo coniuncti sunt, perpetuo iucunditatis risu replebuntur.

Sabinæ virile pectus.

Tum rursus inuictum Pionij animum blanditijs lenire Polemo contendens, quin nobis, inquit consentire Pioni. Cui Pionius, Cum ego, vt dixi, sanctissimis Christianorum sacris initiatus sim, impio deorum cultui suffragare nequeo, quare si tibi visum est, tormenta in me exerce. Cui Polemo, Cuius, inquit es ecclesiæ? respondit martyr, Catholicæ, præter quam apud Christum alia nulla est.

Pionij virilis vox & notabile responsum.

His peractis, Sabinam vinculorum sociam accessit, quæ ob priorem persequutionem sub Imperatore Gordiano excitatam, Theodota appellata fuit, cum qua quæstione instituta sermonem habuit, sed cum responsum, præclara martyre dignum retuliſſet, ad Asclepiadem conuersus est; à quo simili constantia repulsus, animum ad supplicium immanitatem conuertit. Et statim qui dem cum multiplici omnium, qui eos sequebantur irrisione, in carcerē reducti sunt, in quo eccle się presbyterū Linū & Macedoniā ex vico Carina mulierē, nec nō & Phrygū quendā, Eutychianum nomine

Martyres in carcerem reducuntur.

nomine, hæreseos pestilenti contagione misere infectum, reperêre. Cum autem à fidelibus multa ijs ad vitam commodè transigendam conferrentur, illi, quo liberius in cælestium rerum consideratione versari possent, cuncta repulêre; quæ res non minimam carceris Præfecto admirationem attulit. Multi etiam gentilium eò confluebant; vt martyres suis suasionibus, ab imminenti mortis periculo eriperent, sed tanta illi virtutis opinione semper egerunt, vt summam omnibus sui admirationem relinquerent. Introibant etiá illi, qui per vim ad impium idolorum cultum pertracti, & humano timore adducti, prævaricati erant, magnum flerum excitantes. Hos lugebat Pionius, & varijs humanitatis officijs, iucundis etiam ac gratis consolationibus erigebat, confirmabat, ac multis sacræ scripturæ verbis, ad salutarem peccatorum pœnitentiá acriter exstimulabat. Vixque verba finierat, eos rogans vt è carcere egrederentur; ædituus Polemo, & Theophilus equitum Magister superuenerunt, & statim, Ecce, inquiunt, Eudemon Præsul vester immolauit, quare & vos obtemperate. At cum Pionius & prudentia & constantia sua dignum dedisset responsum, laqueo collo eius iniecto, ab Hipparcho tanta sæuitia, vt propemodum suffocaretur, cum Sabina & socijs reliquis in forum tractus est. Cumque magna se voce Christianos esse testarentur, Pionium sex ministri manibus pedibusque cædentes, ad templum impulêre. Sed cum frustra in eo operam consumerent, sublatum humeris antè aram vbi Eudemon idolis sacrificârat deposuêre. Tunc Lepidus: Cur, inquit, vos, ô Pioni, non immolatis? Respondit Pionius. Quia sumus Christiani. Lepidus subiecit: Quem Deum colitis

Pionius in carcere erigit lapsos.

Pionius per vim ad templũ deorum trahitur.

colitis;Eum ait, Pionius qui fecit cœlum terram,mare,& quæ in eis sunt Quis igitur,inquit, Lepidus,fuit crucifixus?is respondit Pionius, quẽ Deus pater misit ad salutem mundi. Principes hic valdè clamantes riserunt; & Lepidus ipsum detestabatur. Clamabat autem Pionius. O iudices inquiens, pietatem colite & iustitiam obseruate, legibusque vestris parete. Nos, quia impijs parere decretis nolumus, puniẽdos censetis, & vos item à legum vestrarum præscripto receditis. Iubent enim non vt cogatis nos, sed vt puniatis, quare ignem accendite & ingrediemur.

Admirandæ pietas martyris.

Hac martyris constantia magis irritati coronas illis imposuerunt, quas illi protinus discerptas abiecêre. Qua contumelia prouocati, denuò carceris eos damnarunt. Tum satellitum vnus cæteris crudelior arreptum deducere festinans Pionium grauissimas eius capiti plagas imposuit quas ille quidem patienti ac hilari animo excepit, at percussor non pari felicitate inflixit; Subitò enim tumore manuum ac laterum correptus, vix respirare potuit. Quæ dum fiunt Proconsul Smyrnam delatus, ilicò inuictum martyrem iudicio sisti voluit. Ille certaminis auidus decertauit egregiè, fideles pariter atque infideles ad vnius Dei timorem amoremque adhortans. Perseueranti deinde confessione Catholicam fidem astruens, vngulis crudeliter concisus est, nulla tormentorum vi Proconsuli cedens, qui lata sententia viuum eum igni adiudicauit. Prolata verò sententia, martyr incredibili alacritate in stadiũ venit & in cœlum suspiciens. Deo qui se talem conseruasset gratias egit, abiectisque vestibus super lignum se extendit, militique se figendum tradidit. Confixo autem satelles instituit, vt sceleratos

Dire cruciatur.

Damnatur igni.

leratos honores dijs deferret. Recusantem, & impietatem contenta voce redarguentem, iam ligno suffixum, ministeri erexit. Erecto Metrodorus quidam è secta Marcionistarum à sinistris collocatus fuit; vterque Orientem spectans. Cumque lignorum strue vndique congesta, pyra accenderetur, Pionius clausis oculis tota mente Deo intendebat; ita vt turba eum animam egisse suspicaretur.

Metrodorus hæreticus vna cũ S. Pionio patitur.

Sed ille facto precandi fine, flamma iam in altum ascendente & sacrum corpus lambente, oculos aperuit, hilarique vultu vltimum, AMEN, pronuncians, quiete & sine vlla doloris significatione, tanquam eructans, beatum DEO spiritum tradidit, dicens: Domine suscipe animam meam. Felix plane qui integer vitæ scelerisque purus, per angustam portam, ad ampla cœlorum spatia peruenit.

Tradit spiritum.

Nec caruit immenso gloriæ miraculo sacrum illius corpus, quod, extincto demum igne, vigẽti pulchritudine decorũ apparuit. Nam & pristina aurium mollities, & capillamenti dignitas, cum prima barbæ, quæ solet esse iuuenibus, lanugine, in corpore permanebant: ipsa interim facie tam admirabili gratia splendente, vt

Corpus eius ab igne manſit illæsum & mirè decorum.

vt fidei extorres cõscientiæ stimulis verberati, conterriciique discederent: Christiani verò, sumpto maiore fidei robore, mirifice exultarent.

VITA

## VITA S. EPHRAEM SYRI EX CAESARIS Baronij 3. & 4. Tomis Annalium Ecclesiast.

*Obijt diem extremum, Anno Restauratæ Salutis 378. Damasi Papæ 12. Valentis Imperatoris 15. post mensis vnius spatium à S. Basilij migratione.*

B. Ephræm Nisibi ciuitate Syriæ oriundus, parentes Christianos, ingenita naturæ præstantia, morum probitate, ac tenera vitæ sanctimonia, plurimũ exhilarauit. Nam admodum adhuc puerulus, miro naturæ instinctu ad omnẽ virtutis exercitationem propendens, primo Iacobo Nisibitæ antistiti adhęsit: à quo minimè vulgarẽ hausit scripturarum cognitionem; discendi studio ita deditus, vt nulla voluptate ab eius amore auelli posset. Nec defuit ieiuniorum ac vigiliarum patientia, qua roboratus mente in cœlis perpetuo versabatur. Et quidẽ solitudinis amicus in desertis plerũq; locis de secundo Christi aduẽtu philosophabatur: pane lachrymarũ vberrimẽ se satiẽs. Vrbes & oppida illi carceres erãt, q̃ non nisi necessitate coactus ingrediebatur. Die quodã Edessã venienti inimicus per mulierẽ insidias struxit, quas insita pietate non modo elusit, sed & impudicã à dæmonis famulatu ad Christi seruitutẽ ꝓtraxit. Prospiciẽs nãq; ꝑ fenestrã satis penulãter, Benedic, inqt, abba. Cui Ephræm, Dominus tibi benedicat. Et illa; Ecqd tuo cibo deest. Respõdit sanctus; Tres lapides, & parũ luti, vt hęc fenestra obstruatur. At illa libidinoso afflata furore, adulterinæ veneris præclusos captabat aditus. Ephræm interim frustra diuinas voces & Dei timorem occinente.

1. Februarij. Patria eius.

Fit discipulus Iacobi Nisibitæ Episcopi.

Degit in locis desertis.

Meretrix' illius pudicitiæ insidiatur.

Igitur

Igitur vir ſanctus ſæui amoris flamma totã eam miſerè ambuſtam cernens, ita compellauit; Si noſtris amoribus perfrui omnino decreuiſti, age fiat in loco à me deſignando. Auide hoc dictum arripuit meretricula quæ à viro ſancto in publicum inuitata vehementer erubuit, aſſerens eum locum pudoris eſſe atque ruboris. Tum Ephræem: Itane verò inquit, Tu oculos hominum ſcelere pollutos erubeſcis, ſatisque eſſe iudicas ad prauos animi motus comprimendos, animumque in officio continendum, & illos omnipotentis Dei totius puritatis oculos; omnia luſtrantes, & intimos animi noſtri receſſus excutientes, non vereberis? Tu vilis homuncionis, breui temporis ſpatio in fauillam & cinerem redigendi, iudicium formidas, & ſummum illud incorruptũque æternę ſapientię iudicium non perhorreſces? Hæc aliaque viri ſancti monita ita impuram mulierem perculerunt, vt non modo ab inſana carnis libidine ad puritatem rediret, ſed etiam integram ſcelerum omnium confeſſionem vberrimo cum imbre lachrymarum faceret. Quinimò toto corporis habitu in terram proſtrata, viam vitæ à viro Dei ſibi demonſtrari petijt, quam ille, ne denuo ad prauas animi cupiditates oblata peccandi occaſione deflecteret, ſaluberrimis inſtructam monitis monaſterio incluſit.

Reuocat meretricẽ à vita ſcelerata.

Ephræm eã monaſterio includit.

Hiſce alijsque pietatis operibus gnauiter vir ſanctus incumbens, nihil poſt mentis in Deum puritatem prius habuit, quam vt pauperibus benigne faciendi ſtudio ſuccurreret. Itaque ipſe pauperum omnium pauperrimus egentium inopiam hac ratione liberaliter ſubleuabat. Dulciſſimus naturæ eloquio, diuitum ædes circuibat, nullo negotio, tum ſanctimoniæ opinione, tum dicendi

Benignitas eius in pauperes.

dicendi præstantia, distentos eorum locellos in sinus pauperum excutiens. Nullo non tempore, charitatis ac pietatis operibus incumbebat, cum ecce cælesti oraculo ad S. Basilium, contra Valentem Imp. pro ecclesia strenuè decertantem, conueniendum inuitatur. Fortè namque diuinarum rerum contemplationi intento vox cælitus insonuit; Surge, ô Ephræm; & comede cogitationes & sententias. Anxiè verò interroganti, vnde comederet ait; Ecce in domo mea vas splendidum & magnificum, quod tibi cibum suppeditabit. Post hæc plenus admirationis templum adijt, conscensoque sensim vestibulo, vidit in sanctis sanctorum vas electionis coram armento ouium præclarè extensum, verbisque maiestate plenis exornarum atque distinctum, omniumque oculos in illud defixos. Vidit ecclesiam ab eo spiritu vegetatam; eiusque in viduas ac orphanos potissimàm benignitatem. Vidit apud eum fluminis instar lachrymarum fluenta, & vellus vitæ, cunctis quasi aureos radios diffundens; ipsum autem pastorem pennis spiritus sursum pro nobis preces sustollentem, filumque orationis deducentem. Vidit ab ipso ecclesiam ornatam & dilectam aptissimè compositam. Prospexit ab ipso doctrinâ Pauli manare, legem Euangeliorum & timorem mysteriorum. Prospexit ibi vtilem ac salutarem sermonem ad ipsum vsque cœlum fideliter tollentem se, vniuersumque illum cætum splendoribus gratiæ renidentem. Peracto autem auditorio S. Spiritu reuelante, Basilius Ephræm adesse cognouit, Qui benignè accersitum, per interpretem interrogauit. essetne Ephræm, qui collum præclarè inclinatum iugo salutaris verbi subiecisset. Respondentem verò se eundem esse, sancto

Visio S. Ephræm qua ipse de se cõscripsit.

imprimis osculo consalutauit, mensamque epulis cælestibus & immortalibus refertam sententijs instruxit. Volunt nonnulli tunc temporis S. Basilium eam Ephræm fuisse gratiam impertũ, vt græcè dicta intelligeret pariter & loqueretur; sed quoniam ipse sanctus Ephræm, qui Basilium per interpretem sibi fuisse locutum testatur, nihil de his scribit, libentius ea referre prætermittimus. Quin & illud quod Presbyter à S. Basilio ordinatus dicatur, cum veritate pugnat: nam præter alia non fuit Basilij iuris, Syrũ hominem ordinare.

Resistit hæreticis S. Ephram. Apollinaris hæreticus.

Cæterum vt ad præclaras Ephræm actiones redeamus, non erit abs re qua prudentia hæreticorum fraudibus restiterit, explicare. Erat eadem illa tempestate Apollinaris quidam pestilenti doctrinæ suę contagione sana dogmata inficiens, virusq; per varias ecclesias fraudulenter dispergens. Porrò deuexa planè ætate vir, duobus libris sceleratam doctrinam complexus fuerat, quibus in omni disputationis congressu maximè nitebatur. Erat autem muliercula quædam eius animo, & voluptatibus, vt ferebatur, deseruiens quæ eosdẽ fortè libros suã in custodiã habebat. Quod cũ B. Ephræm minimè lateret, ille persona discipuli Apollinaris assumpta, confidenter mulierculam adijt, librorum facultatem ab ea postulãs. Fingebat enim ijs ad hęreticorum opiniones (sic enim orthodoxos appellabant) confutandas sibi inprimis opus esse. Itaque mulier tradidit, ac sanctum Ephręm aduersus impostorẽ contraria impostura obarmauit. Tunc magnus hic Iacob, prophano Esau, hoc modo supplicãtato, sacrilegis illius primogenitis feliciter extortis, statuit execrandum hominẽ ad publicum prouocare certamen, impietatis

pietatis tenebras clarissima veritatis luce excussurus. Sed muliercula importunis clamoribus libros repetens, illum tunc quidem impediuit successum: quem tamen alia via modoque vir sanctus promouit. Librorum namque folia glutine interlinens alterum, ita coniunxit alteri, vt sine præsenti interitu nullatenus diuelli se paterentur. Igitur horum omnium insçius Apollinaris, solito animi tumore in certamen prodijt librorum suorum argumentis confisus. Itaq; ipso disputationis exordio labilem infirmæ senectutis memoriam causatus, mutos pro defensione protulit magistros; quorum alterum summa cũ grauitate apprehendens: hic, inquit, oratorio pro me munere apud vos fungetur. Illo autem pertinaci glutine trunco permanẽte; alterum arripuit: qui pari ratione hominis insaniam elusit. Quæ res hominem tumore hæreseos inflatum tanta animi ægritudine & pudore depressit, vt tabe paulatim consumptus, inglorius expiraret.

Vide vt vir sanctus tractauerit libros hæreticos.

Obitus Apollinaris hæretici.

Et hoc quidem modo superbum Goliad pius ac humilis deiecit Dauid, qui tantus sui contemptor extitit, vt minimè dubitauerit simulata etiã insania honorum dignitatumque cathedras subterfugere. Cum enim quidam eũ episcopali munere dignissimum rati, comprehendere conarentur, ille eiusmodi culmen fugibundus, in forum curritare, atque incomposito corporis habitu incedendo, veste lacerare, cibum palam capere, denig; manib. pedibusq; furias simulare. Quo sanè spectaculo tam admirabili confusi prensores, dilapsi sunt. B. verò Ephræm idoneũ tempus fugę nactus, ritisper latitauit, dũ alter eius loco antistes creatus esset. Vtinam Paulinus sancti viri discipulus magistri sui vestigijs institisset, ac pia monita

Simulat insaniam ne fiat Episcopus Sozom. lib. 3. ca. 15.

ad aures misisset; vtinam desiderijs suis habenas iniecisset, fortè magistri gloria haud imparicha-
ruisset. Fuit hic Paulinus presbyter, beati E-
phræm diaconi discipulus, acris valdè ingenij
vir, diuinarumque doctissimus scripturarũ Chri-
stianæ eloquentiæ præstantia cumprimis polle-
bat plurimum. Hunc beatus Ephræm exstudijs &
vulgari sermone noua inuestigare præsentiscens,
& in barathrum hæreseon tendere aduertens, pijs
ac salutaribus monitis instruebat, vt adamatos
iam plus satis honorum & dignitatum scopulos
declinaret: & tumentes cogitationes deprime-
ret. At ille more & ingenio omnium hæreticorũ,
primatus amore & nominis inescatus, à Catholi-
ca se ipsum præcidit ecclesia, multa ab obitu ma-
gistri, in fidei ruinam, inani conatu, scriptitans.

Paulius discipulus S. Ephræm amore dignitatum fit hæreticus. Gennad. de viris illust. cap. 3.

Porrò vir beatus omni virtutum genere cla-
rus, cum iam finem laborum adesse cerneret, per
egregiam ad proximè astantes fratres orationem
habuit, quæ ea de causa Testamentum Ephræm
est appellata, vtpotè quod illa diuinam hæredita-
tem sanctis admonitionibus consignatam, suis
possidendam reliquit; cum inter cætera de vitan-
dis hæreticis plurima inculcauit, nominans in-
ter alios Vitalianos illos, nimirumqui à Vitale
Antiocheno Apollinaristarum Episcopo ita vo-
cati erant. Rursum vero inter alia istius testamen
ti monita, illud fuit, quod perfectæ humilitatis
quam viuẽs præ cæteris virtutibus excoluit, egre-
gium specimen dedit, dum magna contestatione
prohibuit, nè exhiberi solita sanctis viris fum-
ptuosa funera, exanimi suo corpori impende-
rentur; cum tamen illa postrema, quæ à S. eccle-
sia pro salute animarum præstari solent, officia,
nempe preces & sacrificia ea sibi impendi solici-
tum

Testamentũ Ephræm.

Monet vitandos hæreticos.

S. Ephræm vita fungendus, pro is preces offerri ad Deum iubet.

tius Postularit his verbis: *Hortor vos vt loco suauis aromatum odoris, vestris me adiuuetis orationibus, in ipsis continuè mei memoriam facientes.* Hæc ipse, qui tamen respuit cætera, quæ honoris essent, defunctorum corporibus exhiberi solita, quod se illis indignum penitus iudicaret, vtpotè qui se (vt ibi præfatus est) scelestissimum peccatorem existimaret, cum alioqui sanctissimus esset. Tale vltimis illis verbis, quorum maior cæteris in vnoquoque ratio haberi solet, quasi testamento & fide publica consignatum postremum reliquit elogium, non suis tantum Edessenis, sed vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ Magnus Ephræm. Qui (vt inquit sanctus Hieronymus) ad tantam venit claritudinem, vt post lectionem scripturarum publicè in quibusdam ecclesijs eius scripta recitentur. Quis igitur sanæ mentis homo non auscultandum, tanto viro potius iudicarit (etiam si cætera innumera ea de re testimonia minimè suffragarentur) quam Nouantibus vnà cum fide patrum traditiones Ecclesiæ conuellentibus?

Profundissimæ humilitatis indicium.

De Scriptorib. ecclesiast. in Ephræm.

## *VITA S. BRIGIDAE VIRGINIS*

*Scotice, ex ea quæ est apud Fratrem Laurentium Surium. Obijt autem Anno Domini 521. Hormisdæ Papæ 8. Iustini Imp. 4.*

Vide Cæs. Baron. Ann. Tom 7. Eccleſiaſt.

FVIT apud Hybernos vir quidam Duptacus nomine, genere Laginensis, qui ancillam quandam emit Brotsech nomine, spectata inprimis probitate, & morum integritate amabilē, cuius impudico captus amore, clandestino amplexu ea abusus est: ita vt paulatim intumescente vtero, haud dubia spes prolis appareret.

1. Februarij. Patria & parentes eius.

Quare commota inprimis coniunx, ancillam domo extorrem fieri voluit, ne chara sua soboles, indignum aliquid à peregrino partu pateretur. Maritus igitur, quanquam vitiatam à se puellam, ea insuper contumelia indignam putaret, vxoris tamen importunitate superatus, eam cuidam mago vendidit, apud quem, non multò post peperit: proliq́ue Brigidæ nomen imposuit. Interea virguncula, haud contẽnenda specie, pueritiæ annos excedente, accidit vt sanctitatis futuræ gloria, per eximia quendam sanctimonia virum innotesceret. Qui nocte quadam, in domo magi orationi intentus, globum ignitis radijs coruscantem, capiti eius imminere vidit. Accesit quod virgo impuri magi cibos, vel sumere nequiret, vel sumptos protinus euomeret. Quare suæ sibi impuritatis conscius magus, vnam ex armento vaccam segregauit, quæ cibatui, cæteriq́ue puellę necessitatibus deseruiret. Illa vero seuera sobrietate sibi rigida, magno studio pauperum inopiæ consulebat. Contigit autem die quodam, vt magus, prodiga illius liberalitate, butyrum penè omne in pauperes exhaustum inueniret, subitoq́ue in eam furore excandesceret. At illa furoris iacula sanctis suis precibus excipiens, mox vas inane butyro mirificè redundare fecit. Quo miraculo permotus magus, & stupore defixus, execradan impietate relicta Christo nomen dedit, puellamq́ue & integra libertate & duodecim insuper vaccis egregiè dotatam, vnà cum matre ad Duptacum remisit.

Mater Brigidæ venditur mago.

Visio viri sancti de Brigida.

Brigida benigna admodu in pauperes.

Magus miraculo S. Brigidæ conuertitur ad Christum.

Ibi verò maiore libertate pauperum suscepit curam, ita vt obuia quęlibet, cęco in Christi membra amore, erogaret. Quod cùm patris substantiam

Maxima eius in pauperes liberalitas.

tiam indies extenuaret, ille eam regi venalem obtulit. Inter alia vero in pauperes à se distributa, etiam parentis gladium alienauerat. Quo cernito rex, eâ interrogauit, cur gladium parentis pauperi dedisset. Respondit illa: Non equidem pauperi, sed Christo eũ dedi. Et si quidem te Dominum meum Regem, parentemque vna cũ vestris facultatibus Deo offerre possem, nihil cunctarer. Quo responso, Rex perspecta puellę indole, ait ad Duptacum; filia tua maior est, quam vt vel abs te vendi, vel à me emi debeat; deditq; virgini gladium quem patri, pro eo quem sustulerat, traderet.

Respuit matrimoniũ.

Accidit autem post hæc vt ab amicis ad matrimonium solicitaretur, quod cum illa prę virginitatis libertate toto animo respueret, non dubitauit ardentissimis precibus aliquam à Domino corpusculo suo deformitatem postulare, vt ea deterriti adolescentes à procandi libidine abstinerẽt. Nec defuit illi⁹ precibus Dominus, crepuit enim oculus eius & instar aquæ liquefactus est. Quo aspectu procis recedentibus, illa tribus stipata puellis, recta ad Antistitem Machillam Patritij discipulum tetendit, à quo sacrum velamen non sine sanctitatis miraculo suscepit. Pes enim altaris ligneus ad primum manus eius contactũ mirabiliter vtruit, & oculus pristino decore conspicuus apparuit.

Suscipit sacrum velum à Machilla episcopo.

Quam stupendis deindè & egregijs virtutum operibus eximiam eius sanctitatem Dominus comprobauerit, infinitum foret persequi. Leprosus quidam & morbi sui & extremæ paupertatis dolore cõfectus, vaccam sibi donari petijt. Sed cũ virgo sancta vaccam non haberet; Visne, inquit,

potius vt à Domino lepræ tuæ curationem postulemus? Illo, nihil sibi optatius in vita accidere

Leprosus curatur.

posse, respondente, virgo aqua benedicta corpus eius conspersit, moxque ab omni impuritatis contagione liberatum est. Duo Britones oculorum lumine destituti, leproso ministro ductore, salutem sibi eius precibus restitui postulabant. At illa in domo hospitali cibum eos sumere, patienterque Dei misericordiam præstolari iussit. Illi vero indignatione commoti. Tuæ, inquiunt, gentis ægros sanas, nos verò aduenas & peregrinos repellis. Illa audito conuitio, aqua eos benedicta adsperſit, qua cæcis lumen, leproso integram

Item Duo cæci & leprosus.

corporis munditiam restituit. Mulier quædam pomorum munus sanctæ virgini afferebat, erantque leprosi eodem temporis momento stipem ab ea petentes, quibus Brigida oblatum pomorũ munus tradi iussit. At mulier sibi ea seruare voluit, afferens non se leprosis, sed illi & virginibus eius poma attulisse. Sancta verò, praua mulieris voluntate commota. ô mulier, inquit, quia hoc misericordiæ officium impedire voluisti, noueris arbores tuas æterna sterilitate damnatas. Abijt mulier, & perpetuo arborum suarum fructu

Arbores sterilescunt.

fraudata est.

Fœmina quædam non minus impiè quam impudẽter se filium ex Episcopo Broone suscepisse mentiebatur, hanc sancta Brigida cùm accersiri iussisset, & ori eius salutare sanctæ Crucis signũ impressisset, ilicò caput cum lingua procacis mulieris magno tumore inflatum est. Deinde simili modo infantis consignans linguam, Dic nobis, ait, infantule quis tuus pater est? Stupenda res, aperto ore per eum qui quondam Balaam asinæ

Infans loquitur. Num. 22.

loquendi præstitit facultatem, ait infans. Nequa-

quam

quam Episcopus Broon, sed vilis ille homuncio, qui extremo in populo sedet loco, parés me? est.

Insignis cuiusdam Principis filia perpetuo castitatis voto se Deo obstrinxerat, hanc pater inuitam ad coniugium compulerat, sed cum iam epulis magno sumptuum apparatu instructis, nuptiarum instaret tempus, virgo diuino concitata spiritu ad sanctam Brigidam confugit. Eam vero pater equitatu suo insecutus est, sed Brigida solito crucis signo terræ impresso ita vim eorum repressit vt vlterius (dictu mirum) gradum inferre nequirent; atque hoc signo & pater saniorem mentem, & virgo castitatis votum Deo consecrauit. Crucis virtus.

Cum quodam tempore sacrosancta se Brigida Eucharistia de manu Episcopi sumpta refecisset, vidit in calice quem episcopi minister manu tenebat, hirci vmbram; qua visione commota sane virgo, ex eodem bibere renuit, causamque Episcopo indicauit. Vocauit protinus ministrum Episcopus, & blandis eum verbis ad occulti sceleris confessionē inuitauit. Fassus est igitur se furto hircum abstuliſſe, iustaque admissi criminis satisfactione peracta, deforme in calice portentum nunquam deinceps virgini apparuit. Miraculum in calice.

Mulieris quædam è Scotia admodum nobilis filia, à primò ortus sui die muta, die quadam cum matre ad sanctam Brigidam venit; cuius manum virgo sancta apprehendens, interrogauit eam, Velletne Christi amore corporis seruare castitatem? protinus (res stupenda) soluto linguæ vinculo, respondit se omnibus illius iussis prompta obtemperare voluntate, paratam esse. Sanat mutam.

Quodam tempore, nouem inter se viri, in hominis, cuiusdam necem nefanda coniuratione

conſpirârant. Hos virgo ſancta ab immani ſcelere reuocare conata, cum eius preces & conatus ad aures non admitterent, ſupplicem ſe ad Dominum pro tetra caligine à mentibus eorum pellenda contulit; & ecce cum dies nefando ſceleri deſtinatus adeſſet, mente furibunda & cæco impetu in hominis ſpeciem irruunt, multiſque vulneribus, vt exiſtimabant, conciſo relicto, ad Brigidam pergunt; ſed cum ab ea vmbram ſe, non hominem mactaſſe intellexiſſent, ſalutari dolore concuſſi ad meliorem frugem redierunt. Et his quidem alijsque quam plurimis magnæ ſanctitatis operibus illuſtris virgo, quandâ è ſuarum grege puellarum alumnâ ad ſe vocans, ei obitus ſui diem aperuit, quo adueniente felicem Chriſto ſpiritum reddidit anno ſalutis 521.

Hominem à crudeli nece præſeruat.

Moritur.

## *VITA S. SEVERI EPISCOPI RAVENNATIS, ex ea quæ eſt apud Fratrem Laurentium Surium. Emendata ad Cenſuram Cæſ. Baronij.*

*Floruit anno Domini 347. Iulij Papæ II. Conſtantij & Conſtantis Imppp. II. Interfuitq; Concilio Sardicenſi.*

Vide Cæſ. Baron. in Notatio. Martyr Rõ. & Tom. 3. Annal.

AGapito Rauennatis eccleſiæ Epiſcopo vitæ munere functo, cum de nouo antiſtite creando magnatũ nobiliumque illuſtre conueniſſet concilium, accidit res diuina prouidentia digna, quę hominẽ plebeium & ingloriũ ad illud honoris faſtigium mirabiliter euexit. Erat enim Rauennæ vir quidam Seuerus nomine obſcuro loco natus, ſed illuſtri pietate conſpicuus, qui parce ac duriter textrili nimirum opere victum ſibi parabat. Hic cum reliqua populi multitudine de nouo antiſtite ſuſpenſus ſordido vi-

1. Februarij S. Seuerus ſuccedit Agapito.

S. Seuerus ante epiſcopatum extitit textor.

lique

lique amictus habitu, fortè post templi ianuam latitabat: solitario loco ad precum suarum attentionem de more vsus. Illo autem orationis studio ardenter incumbente, columba quædam niue cādidior in caput eius descendit, quam manuum suarum strepitu ita abegit, vt tamen secundo & tertio reuolaret, & certo quasi miraculo viri innocentiam & columbinam simplicitatem omnibus proderet. Quid multis? populus clarissimo diuinæ virtutis testimonio excitatus. Seuerum vna voce Episcopum postulauit, obtinuitque. Productus enim ex loco obscuro in illustrium virorum concionem summa omnium voluntate ad eum dignitatis gradum euectus fuit, lætaque gratulatione inunctus in cathedra collocatus. Quā ille nequaquam animo plebeio, sed generoso & Spiritus sancti charismatibus instructo conscendit, eaque modestiæ & sapientiæ laude administrauit, vt prioris haud immemor conditionis verum se omnium seruum declararet. Fuit autem continuæ mentis in Deum eleuatæ; ita vt nihil cū terrena concretione commercij habere videretur.

Innotescit miraculo per columbam.

Fit Episcopus.

Humilitas eius.

Erat ei filia vnica, quæ in floro ætatis extincta, ab amicis & cognatis in momumentum matris inferebatur. Sed cum sarcophagi angustia eam commodè non admitteret, reuersi ad Antistitem, quid facto opus decernat, quæsierunt. Ille ad momumentum veniens, vxoris quondam suæ corpusculum ita affatus est; Mulier cur non das locum filiæ tuæ? Accipe quod quondam vtero gestasti. Stupenda res. Cadauer ad hanc beati viri vocē in alteram sarcophagi partem magna celeritate se recepit, filiæque quiescendi spatium apud se concessit.

Affatur vxoris defunctæ corpus, eiq; obedit.

Ac

Obitus eius admirãdus.

At omni admiratione maior fuit sanctissimi viri obitus, qui postquam annorum & virtutum insigni proiectus canicie, vltimum vitæ diem instare intellexit, primò quidem contra hostiles impetus sacramẽtorum virtute se roborauit,

Munit se sacramentis ac precibus.

munijtque assiduis precibus ac lachrymis, deindè cura omni ad commissum sibi gregem conuersa,

Subditis Catholicam fidem, verãq; charitatẽ cõmendat.

Catholicæ fidei integritatem & fraternam charitatem luculenta adhortatione eis inculcauit. Quibus summa cum pietatis significatione ritè peractis, suum sibi monumentum aperiri iussit.

Viuus ingreditur sepulchrum ibidẽ que expirat.

Quo aperto cõiugem inter & filiam se medium collocauit, fusisque aliquamdiu ad Deum precibus, stupente populo & in lachrymas effuso, sanctam suo Creatori animã reddidit.

Claret miraculis post obitum.

Eximia illius sanctitas, & vitæ castimoniæ, præclaris in vita operibus testata, miraculorum à morte haudquaquam expers fuit.

*INSIGNE MARTYRIVM B. TRYphonis, ex eo quod est per Simeonem Metaphrastem conscriptum. Agonem autem compleuit Nicæa, Anno Incarn. verbi 254. Sede Pontificia vacante. Decij verò Roman. Imperat. 2. sub Aquilino Præside.*

Vide Cæs. Barõ. Tom. 2. Annal.

BEATVS Tryphon è Phrygia vico Campsade, qui est vicinus ciuitati Apameæ, oriundus, pius admodum, à pijs parentibus filius,

1. Februarij.

ab ineunte ætate insigne sanctitatis testimonium

Patria eius.

clarissimorum miraculorum operatione à Deo

Claret quãplurimis eximijs miraculis.

meruit accipere; adeò vt dæmonia solum Tryphonis nomen horrerent, cunctaque hominibus infesta, eius virtute, relictis hominum quæ obsidebant, corporibus, in intima deserti penetralia

recede-

recedere cogerentur. Vnum ex infinitis, è quo euidens sanctitatis eius virtutisque ratio constare potest, in medium adferam.

Anno 225. Gordiano post mortem Augusti, Romani imperij sceptra tenente, vnica eiusdem Imperatoris filia cùm liberali specie & eximia corporis pulchritudine, tùm verò ingenio & maximarum artium doctrina omnibus admiranda erat; quapropter parentes magna cura prouidebant, vt eam ab omni impuræ carnis libidine castam integramque seruarent. Sed accidit; vt execrandum Dæmonium eam inuaderet, tantaque in eam sæuitia debaccharetur, vt miserabilem valde parentibus luctum adferret. Cumque sapientum, medicorumque omnium vndique exquirerentur consilia, eaque omnia in nihilum recidèrent, pater assidua animi ægritudine totus intabuit, donec ipse malignus spiritus, diuina proculdubio potestate compulsus, suum inclamare expulsorem, puellæque curatorem inuitus cogeretur, nisi inquiens, Tryphon aduenerit, non cedam. Quo cognito, Imperator missis in omnes terrarum partes famulis, Tryphonem inquirit, & multis quidem è varijs locis hoc nomine adductis, spe sua se frustratum sensit, donec in vico Campsade verus inuentus Tryphon nunciatur.

*Filia Gordiani Augusti atripitur à dæmone.*

Igitur ætatis suæ anno 17. magna equorum stipatus caterua Romam destinatur; atque vt eius aduentum præsensit malignus, maiori crudelitate, & inconditis clamoribus, omnibus viri sancti virtutem denunciat. Adhuc, inquit, tres dies, & aderit Tryphon, qui diuina in nos dominatur potestate. Et sic eam miseris modis diuexatam reliquit. Tertio verò, ab excessu eius die, venit sanctus Romam, maximisq; à Gordiano honoribus exceptus

*Tryphon anno ætatis suæ 17. Romam mittitur.*

exceptus, rogatur vt dæmonem oculis omnium videndum producat. Itaque sex diebus ieiunio & precibus intentus, illucescente iam septimo, adest cum tota nobilium familia Imperator, impium filiæ suæ tortorem videre desiderans. Tunc sanctus diuino repletus spiritu Tryphon. In nomine, inquit, Iesu Christi, ostende, omni dolo & nequitia plene dæmõ, turpitudinis & imbecillitatis tuæ opprobrium; & eccè canis aspectu sanè horribilis defixo in terram capite apparuit. Cui mox Dei seruus: Dic (inquit) ô generis humani hostis, quis tuę potestati hanc tradit puellam? Et dæmon diuina compulsus operatione: Nullam (inquit) nos potestatem in eos, qui debitis Deum laudibus prosequuntur exercere possumus. At qui flagitiorum omniũ turpitudine sanctum Dei nomen polluere non verentur, iusto illi iudicio nostræ crudelitati traduntur. Hoc audito responso Imperator, & quotquot eum corona cingebat, ingenti sunt horrore perfusi, & magna quidem infidelium turba Christo nomina dedit, fideles autem in fidei constantia confirmati summis in cœlum laudibus Dei bonitatem iustitiamq; extulerunt. Sed & Imperator tam præclaro à Dei seruo beneficio affectus, donorum honorumque magnificentia egregiè ornatum, domum remisit; quæ omnia S. Tryphon in egenorum inopia subleuanda, magno pietatis studio contulit.

A Tryphone adiuratus.

Dæmon apparet in specie carnis.

In quos obtinet vires Satan.

Multi ad Christi fidẽ conuertũtur.

Mortuo autem Gordiano, & Philippo execrandæ impietatis viro subrogato; eoque in bello Troglodytarum infelici marte pugnante, extincto, succedit Decius, vir sua crudelitate, & inaudito in Christianos furore cæteris superior. Vnicam enim tantum sub pectore assiduo hanc curam coquebat, quomodo Christianum nomen ad inter-

Deciana persecutio.

internecionem delerer. Igitur belli mentione penitus sepulta, innocentes vndique Christiani, ad rotas & catapultas omneque suppliciorum genus conquirebantur. Inter quos sanctus Tryphon sanctitatis fama nusquam non planè notus, cum intellexisset imperatori o edicto se à Præfecto Aquilino inquiri, alacri, & confidenti animo se eius satellitibus sistit; à quibus ad excelsum Aquilini tribunal deductus, & ab eo de patria, nomine fortuna & religione interrogatus, in hunc fere modum respondisse scribitur. Est mihi nomen Tryphon. Patria vicus Campsades, vicinus ciuitati Apameæ, fortuna autem apud nos, nec est, nec dicitur, qui Dei prouidentia, & mirabili sapientiæ eius ratione & ordine, omnia fieri credimus. Sum vero & moribus & vitæ educatione liber, vni soli Christo seruiens. Christus enim mihi religio. Christus mihi gloria, Christus mihi lætitiæ & gloriationis corona est, pro quo vitam hanc caducam & fragilem fundere, non modo mihi gloriæ, sed summæ etiam voluptati erit. Cui Aquilinus, nisi ab hac mente discesseris, ò Tryphō, ego corpus tuum varijs excarnificatum supplicijs, igni comburendū tradam. Cui S. Tryphō; Tu mihi ignem breuissimo temporis spatio extinguendū minitaris? At ego tibi ignē in omni seculorū æternitate impijs præparatū huic oppono, quē tu Aquiline nisi veritatis lumē, pulsis erroris & impietatis tenebris, in te receperis, nulla potētia euidere potes. Hac eius animi altitudine grauiter cōmotus Aquilin⁹, iubet Christi martyrē, manibus post tergū reuinctis, tribus horis crudelissimē cædi, cæsumq; denuo ad deorum sacrificium inuitat. Tū Tryphō maiori animi cōstantia & fortitudine, quasi plagas omnino nullas accepisset, de co-

Tryphon vltrò se præfecti satellitibus offert.

Præclara eius cōfessio.

Tribus horis cæditur.

de eorum vanitate, & execranda eorum, quibus colebant, impietate, & acerbissimis, omnibus qui in nefando scelere ad vltimum vitę spiritum persistunt, constitutis à summo Iudice supplicijs, præclara oratione disseruit. Qua, tantum abest, vt impietatis suæ tenebras agnoscere voluerit Aquilinus, quin potius furore mentis accensus, maiori martyrē supplicio dignum iudicauerit.

Acerbissimū martyris supplicium.

Venatum igitur iturus, vinctum sequi se martyrē iubet. Crudele sanè spectaculum. Currebat, vel potius raptabatur, nudis pedum plantis per niues & frigora, & equorum frequenter calcibus ictus, laceras sacri sui corporis carnes per terram trahebat. Quid hîc faceret martyr Christi, Vni solique Deo intentus. Domine psallebat, perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea, addebatque, Domine ne statuas eis hoc peccatum. Peracta autem venatione Aquilinus accersito martyre inquirit, velletne his fatigatus suppliciis dijs sacrificare. Martyr cum se dignum responsum dedisset, in carcerem recludi iubetur, Aquilinus verò ad finitimas est regiones profectus. Cùmque rursus Nicæam venisset martyrem iterum de voluntatis suæ proposito percunctatur, sed cum maiori animi constantia in Christi fide & amore firmatum intelligeret, nouis eum supplicijs aggreditur. Et primò quidem pedibus acutos clauos infigit, deinde verberibus acerrimè fatigatum, per mediam ciuitatem exagitari iubet. Cùm autem nec sic quidem inuictam animi virtutem remiteret, reuinctis post tergum brachijs, iterum virgis fatigari, & ardentes lateribus eius faces adhiberi iubet. Tunc omnipotēs & misericors Deus, qui saluos facit sperantes in se, diuino quodam, fulgentis coronæ splendore

Psal. 16. Act. 7.

In carcerem recluditur.

Noua supplicia adhibentur.

Psalm. 16.

quæ

quæ martyrem ornabat, athletæ sui certamen comprobauit. Qui sanè splendor astantium animos & oculos ita perstrinxit, vt protinus in terrā prostrati, aliquid de sæuitia remittere cogerentur. Martyr verò præsenti Dei auxilio confirmatus, in pulcherrimo confessionis suæ certamine multo magis exardescebat.

Blanditiæ tyrannus adhibet.

Postremò Aquilinus, nullis constantiam martyris supplicijs frangi posse animaduertens, ad blanditiarum insidias conuersus: Quin tu, inquit, ô Typhon magno sacrificas Ioui, & ego te multis magnisque honoribus & muneribus affectum dimittam. Cui Typhon ô insensate, inquit, Annè satis tibi est solū te ad sempiternum animę interitum ferri præcipitem, nisi me etiam eisdem irretitum laqueis tecum abripere contendas. Sed nūquam (mihi crede) eo amentiæ me pertrahes, vt spreto Deo creatore ac Domino meo Iesu Christo, ad impium simulachrorum vestrorum cultū deficiam. Videns ergo Præfectus oleum se & operam perdere, lata mortis sententia, capitis eum damnauit. Ad locum ergo martyrij milites eum deducunt. Martyr autem vultu ad Orientem conuerso, clara voce, immensas Deo gratias egit, & omnibus, qui eius memoriam sacrificiorum oblatione agerent, à Deo copiosa beneficia flagitauit. Hac oratione completa, antè sacram Deo animam tradidit, quam gladio feriretur. Fratres autem, qui ad præsens martyris certamen confluxerāt, magno pietatis studio, sacras eius reliquias, ciuitatis suæ custodes, sepelire ardebant: sed in somnis admoniti sunt, eas in vicum Campsadem transferre. Et hoc quidem fine, B Tryphon à tenebris Deo consecratus, postquam multos ab animæ & corporis morbis curasset, &, varia supplicio-

Capite damnatur.

Feliciter ex ire corpore.

Translatio reliquiarū eius.

rum genera, inuicta virtute superasset, agonem suum compleuit: iustitiæ corona in cælesti patria redimitus.

*FESTVM PVRIFICATIONIS B. Mariæ Virginis, Deigenitricis, quod quidem sub Iustiniano Imp. Constantinopoli celebrari cœptum esse, tam a Græci, quã b Latini testãtur auctores. Constat autem Gelasium Romanum Pontif. qui annis triginta antè Iustiniani tempora, Romanæ ecclesiæ præfuit, circa Annũ Domini videlicet c 496. huius Dei celebrandæ, in Occidentali ecclesia, aperuisse viam, dum Lupercalia, mense Februario agi solita, Romæ ad ea tempora permanentia, legibus ecclesiasticis abrogauit. Vnde & iurè opinatur, abrogatis Lupercalibus Romæ eiusmodi fuisse solemnitatem introductam, eandemque paulò post, Iustiniani temporibus, Orientalem ecclesiam, ea occasione, recepisse.*

a. Niceph. hist l. 17 c. 28.

b Paul. Diacо seu potius Ioan. Diacо in hist. miscel. anno 13. Iustiniani Imp.

c Vide Cæs. Baron. Ann. Tom. 6. in Ecclesiast.

Varro l. 5. de ling. Lat.

Hęc & plura Cæs. Baron. not. in martyr. Rom.

2. Februarij.

REDEMPTOR ac Saluator noster, vt cõmuni mortalium morbo, eique grauissimo, adeoque vitiorum omnium fonti, quem superbiam dicimus, mederetur, admirandis ac planè stupendis in vita se modis, abiecit. Et primò quidem è Patris sinu descendens, nostræ mortalitatis carnè indutus, verè hominem inter homines se esse demonstrauit, humanæ naturæ subiectus miserijs. Octauo verò suæ natiuitatis die, legem subijt circuncisionis, peccatoris etiam præ se ferens imaginem, vtpotè communi peccatorum, qui sub lege nascebantur, cauterio patienter adustus. Nec multo post, quadragesimo videlicet

Ex his quæ habet Canisius tõ. 2. l. 4. c. 11. contra Cẽturiatores Magdeburgicos.

Quam ob causam sese Christus humiliauerit.

Item quibus modis.

licet, à natali, die, rursus se legis Mosaicę obseruatorem, simulque pauperem euidenter ostendit: vtpotè qui inter pauperum filios, ac primogenitos, qui peccatores ex peccatoribus nascebantur, in templo & offerri & redimi non est dedignatus. Exinaniuit planè semetipsum, & serui formã accepit, suamque Deo Patri obedientiam perpetuò declarauit, qui in forma Dei æqualis omnino ei erat. Igitur & suos parentes excitauit, vt legem de primogenitis offerendis obseruarent, seseque ipse pueris alijs libenter exæquauit, ac vna cum matre lustranda templum petijt Hierosolymytanum. Philip. 2.

Etenim si qua mulier' primogenitum apud Iudæos peperisset, quoniam' immunda reputabatur, post partum quadraginta diebus à sacris abstinebat, & ad peccati expiationem templum adire, suumque filium sacerdoti ad altare offerre debebat. Quæ si dives esset puerpera, Agnum ac turturem, si verò pauper, duos turtures vel pullos columbarum oblationis loco pendebat; quinque autem siclis redimere primogenitum poterat. Leuit. 12. Leuit. 27.

Magna hæc sanè deiectio filij Dei, ob quam & seruus idem à Prophetis dicitur, qui cum veteri legi nihil omnino deberet, sed eius Dominus ac longè innocentissimus solusque primogenitus & à peccato peccatique facultate immunis foret, tamen Iudaicam & Circumcisionem, & oblationem inter pueros vltrò suscepit, simulque domum sui Patris publicè honorauit, &, secundum Prophetæ vocem, impleuit gloria. Etenim Virgines illic manibus oblatus, gratissima Deo Patri Esai. 42. Zachar. 8. Aggæi 2.

hostia fuit, vtpotè finis ipse legis ac veterum sacrificiorum. Deinde suo conspectu non solum Simeonis & Annæ, sed & multo plurium, Emaus-lis aduentum expectãrium, diuturnis votis satisfecit, magnamque veræ fidei lucem, vt antea nũquam, in multorum animis excitauit.

Sed veniamus ad nostram Puerperam, quæ suum hodie puerperium absoluit, suum filium in templum intulit, suum munus sacerdoti obtulit, suum primogenitum redemit, suam à Simeone tum benedictionẽ tum prænonitionẽ accepit. Atque vt de illius in templum ingressu primum agamus, quis dubitet obsecro, Virginem matrem non minus quam Simeonem in spiritu templum illud celeberrimum petiuisse, & cum singulari quodam desiderio, animique præparatione hunc expectasse diem, & cum gaudio quodam excepisse? Felix puerpera, quæ, vt cum fide obedientiaque perfecta Dei legem impleret & ceremonias obseruaret è longinquo accessit (Hierosolymis enim nõ habitabat) sacram ædem primùm adiit, gratumque in ea Dei cultum, cùm sæpè aliàs, tum hoc die diligenter absoluit. Non dubium quin animus illi præsagierit (nam & rerum futurarum sæpè conscia fuit) Deum efficaciter operaturum, vt Messias populo Israelitico cum fructu insolito manifestaretur. Certe noui & ingentes fidei, spei, charitatisq; motus in Virgineo pectore fuere excitati, & tam sancta mater sibi imprimis gratulata est, quod non pro se tantum, sed & communi omnium aliorum nomine tale sacrificium ac munus offerre posset, quale cunctis sacrificijs muneribusque longè præstare, immò sacrificiorum & sacramentorum & historiarum omnium scopum ac finem esse, certissimè intelligebat.

Caterum

Cæterum quis oratione vlla cõsequatur, quàm pulchrè Mariæ personam puerperæ sumpserit, quantoque studio ad talem personam spectantia præstare curarit, vt solidum & perfectum suæ obedientiæ fructum reportaret? Nam non vulgarem secuta morem, nec ex timore legis, sed singulari veræ pietatis diuinique cultus & obedientiæ sanctæ amore incensa, & spiritualibus desiderijs plena, cum fide perfecta legem sibi implendam esse putauit. Igitur talis, tantaque mater vltrò se deijcit, cupitque ac studet ad vnguem obseruare, quæ vilis alia muliercula & abiecta, tum ex lege, tũ ex consuetudine Iudaica post partum statо tempore in templo peragebat. Quid autem legi mulier illa debebat, quam vt legislator exciperet, significanter hoc modo sanciuit. Mulier si susceptо semine masculum peperit, immunda erit septem diebus? perindè ac si tacitè indicaret, futuram aliquando fœminam, quæ sine viri semine, hoc est virgo pareret ab hac lege prorsus eximenda. Quid Mariæ cum alijs puerperis commune, quę à viri contactu se semper abstinuit? de Spiritu sancto concepit, nullum parturientis dolorem experta est? Quomodo lex purificationis illam teneret astrictam, quæ nihil sordidum attraxit, nihil expurgandum habuit, cum alias, tum in ipso etiam partu, atque puerperio pura semper & immaculata? Cur alijs fœminis sese aggregaret, quam tot muneribus, ipsoque gratiæ fonte summus Deus præ mortalibus omnibus locupletarat? Postremò, quid referebat de filio redimendo solicitam esse, quæ ipsum mundi Redemptorem, ipsum æternum Dei filium, hæredem ac Dominum bonorum omnium apporaret? Igitur vt perpetuum imitandæ colendæque humilitatis &

Virtutes B. Virginis.

Leuit. 12.

obedientiæ exemplum haberemus, non diuitibus, sed pauperibus iungit sese, tam egena domi, vt agnum araniculum in holocaustum offerre aut donare non posset; neque contubernium vulgarium puerperarum, quamuis immundæ & abiectæ forent, refugit, sed vnà cum his accedit & offert, quod potest munusculum; Dei ministros honorat, nihilque à se alienum putat, quod ad legis ritum colendum, & calumniæ occasionem fugiendam pertineret.

O faustum lætumque diem', siue Hierosolymitanis, qui natalem Christi tunc primum agnouisset, & in templo celebrasse videntur, siue iusto Simeoni, cui nullus in omni vita dies iucundior exortus est atque beatior; siue Mariæ parenti, quæ Messiæ Mater hodiè primum longè honorificentius quam pridem in Zachariæ domo, prædicata, ac à multis etiam agnita meritò videatur. Cum enim Simeon vt senio, sic etiam auctoritate grauis & venerandus Mariæ palam benedixit, eamque verbis lætis simul & tristibus peculiariter affatus est, quis ambigat, multorum illic oculos & animos in sacram virginem fuisse conuersos, qui nõ modo celebratum ab eo Messiam, vt par erat, gratissimis animis exciperent, sed huius quoque matrem præsentem agnoscerent? tantoque magis suspicerent, quanto mirabilius eximia quædam sanctitas in illius facie, oculis & moribus perpetuo reluceret? Porrò sanctissimum Mariæ pectus, hoc die nouo & incredibili gaudio fuit perfusum, quod ignotus vel paucis certè cognitus hucvsque Messias; tam celebres in templo præcones inueniret, tam præclaris titulis exornaretur, tam luculenter Israelitis omnibus, velut digito demonstraretur, tamque mirificè complectendus demum

demum omnibus offerretur. Quid enim Virgini magis cordi ac voluptati esse posset atque veram Christi filij cognitionem, quę hactenus apud Israelitas tantum non extincta iacebat, in multorum cordibus excitari & accendi? neque à Simeone Propheta viros sed etiam ab Anna Prophetissa mulieres Euangelicam concionem audire? Quam etiam neque frustra, neque apud paucos habitam esse sit probabile, & Ildephonsus plurimos è sanctis, qui tunc Hierosolymis degebant, Domino, à parentibus in templum deportato, ad fuisse testatur? Neque tacuit Euangelista, quod Anna hoc ipso loco ac tempori superueniens confitebatur Domino & loquebatur de illo, non paucis, sed omnibus qui expectabant redemptionem Israel. Tales verò permultos in amplissimo populo, & in tam frequenti vrbe fuisse verisimile est, qui post auditum Simeonis & Annæ testimonium non potuere summo Deo non gratias ingentes agere, quod Messiam tamdiu sibi & alijs exoptatum, tandem suis oculis contemplarentur. Valeat igitur cum suo commento Sarcerius, cum docet vnum Simeonem expectasse consolationem Israel, & vidisse atque agnouisse Christum, pauciſſimos verò tum fuisse, qui non pro ridiculo æstimârint omnes de Christo promissiones. In eodem errore Coruinus, Spangenbergius, alijque plures Nouatores versantur, qui nullos alios nisi Simeonem & Annam, aut certè pauciſſimos, Christum cognouisse, ac de illo curasse comminiscuntur.

Luc. 2.

In sermone de purificat. B. Mariæ.

In Postillæ circa festum purificat.

Quinetiam non modo ex veteribus hæreticis Arriani & Heluidiani hic irruunt, verum & Nouatores institutas ob Mariæ purificationem ferias

calumniantes, Euangelica historiæ verba in sensum peregrinum falsumque detorquent. Et quidem Arriani (vt refert Cyrillus Alexandrinus) Mariam Deiparam, instar aliarum puerperarum, quæ lege tenebantur, purificationis sacrificio ac ritu indiguisse afferere non sunt veriti; atque vna cum illis in templo expiatam fuisse tradiderunt. Quem errorem crassum profecto ac pudendum Mosaicæ legis verba non obscurè subruunt, ac refellunt, cum non aliam mulierem siue puerperam, nisi quæ suscepto viri semine concepisset, ad solennem illum purificationis ritum astringant; nimirum vt illa partim corporali, partim spirituali immunditia liberaretur; & homines simul ad memoriam vitiosæ generationis, quæ tum parentes tum filios commaculat, certoque proindè eget remedio, reuocarentur. At neque corporalis neque spiritualis immunditia Deiparam polluere & expiationem aliquam flagitare potuit, quoniam vt carne sic & spiritu omni ex parte pura esset & incontaminata, quæ sola inter mulieres & puerperas benedicta, benedictum ventris sui fructum in lucem simul & templum attulit. Non ergo filius, qui nobiscum Deus est, non Mater quæ Spiritu sancto operante peperit victimis hostiarum, quibus purgaretur indigebat, sed vt nos à legis vinculo solueremur, sicut Dominus Christus, ita beata semper Virgo Maria, legi est sponte subiecta. Docet interim hoc præclaro exemplo suo Maria, quum vltrò se legi subijcit, omnesque ritus legis diligenter obseruat, magnam aliorum præsertim imbecilliorum fratrum rationem habendam esse, ne Christiana libertate cuiquam offendiculo turpiter abutamur. Docet ad sinceram & officiosam charitatem pertinere, vt de iure

Lib. ad religiosiss. Reginas.

Quid doceamur exeplo B. Virginis.

Vera charitas.

de iure nostro aliquando cedamus, nostroque incommodo alienum commodum promoueamus, & inprimis quæ sunt pacis & ædificationis sedulò custodiamus. Docet spiritualem purificationem, si mundi esse cupiamus, humilitate & obedientia nobis comparare. Docet cum laude nonnulla præstari & in diuino cultu rectè adhiberi, quæ alioquin diuinitus præcepta & in sacris literis expressa non sunt. Docet ecclesiæ ministerium publicum honorare, sacros cœtus & ritus piorum libẽter adire, ac demum sacerdotes templi ministros nostro sumptu alere, & ex animo reuereri.

Nunc ad ferias veniamus, quæ à veneranda antiquitate institutæ, hactenus ab ecclesia religiosè obseruãtur, solennibusque publicè cohonestãtur ceremonijs; ab aduersarijs verò rident ur ac subsannantur ceu ethnicam imitationem ac superstitionem Catholicis petulanter exprobrãtibus. Sed tetra calumnia, optimis maioribus nostris sanctissimisque patribus intentata quam iniqua sit, omnibus eruditis ac pijs satis superque cõstat, qui non ignorãt quo fine Ethnici, quo ue instituto Catholici cereorũ vsum illum percelebrem sumpserint. Ethnici enim mense Februario Romæ suas lustrationes habebant, totamq; vrbem annuis & prophanis ritibus de solenni more purgabant. Quæ idololatrica lustrandi consuetudo, quum initio non facilè abrogari posset, à Christianis in alium ac meliorem vsum prouidè & religiosè translata est, nimirum vt eodem mense, dies Deiparæ sacer, & purificationis eius memoria in ecclesia celebraretur, tumque Clerus & populus pium publicumque conuentum institueret, in quo spiritualia cantica

Ethnicorũ superstitio, ritè conuersa in pium Christian. vsum.

modularetur & cereos ardentes à pontifice meditos deferret, ſicut antè nongentos annos Beda & Ildefonſus memoria prodiderunt. Itaque mos ethnicus optima ratione cum Chriſtiano ritu commutatus eſt: & quod à ſtultis Idolorum cultoribus ad honorem Cereris & Proſerpinæ agebatur, id prudenter ad honorem laudemque Mariæ Virginis conuerſum eſt. Deinde qui per Chriſti gratiam ſunt purificati, hac cęremonia monentur, prudentes illas virgines imitari, quæ vt Euangelica docet parabola, non ſine lampadibus accenſis ad Chriſti ſponſi nuptias ingrediuntur. Præterea dum candelas in manibus geſtamus, extremo monemur ſigno, ipſum verum lumẽ quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, fidei vlnis amplecti, & cum iuſto illo Simeone confiteri; paratum antè faciem omnium populorum lumen ad reuelationem gentium. Poſtremò hęc Cæremonia admonet nos verę fidei de conſeruata Mariæ virginitate, virgineoque partu, quem hæretici ſacrilegè calumniantur. Sicut enim apes ceram cum melle virginali producit opere, ſic Maria virgo Chriſtum Deum & hominem ſalua vteri ſui genuit integritate. Apes namque neque vllo concubitu miſcentur, neque libidine ſoluuntur, neque vllis partus doloribus concutiuntur. Et ſubitò tamen magnum filiorum examen emittunt.

In lib de tẽporibus, & Idelf ſerm: de Purif. B. Mariæ.

Matthæi 25.

Quid doceamur cereorũ geſtatione. Ioan. 1.

Lucæ 2.

Simile. Apum conditio.

Quare pium hunc luminarium vſum, cum veteri orthodoxa eccleſia conſtanter retineamus, quæ in ſolemnibus precibus ad Deũ fuſis hoc die ſuã nobis mentẽ explicat, ne quis fortaſſe aliter quam par eſt, de hoc eius inſtituto, ſentiat ac calumniosè loquatur. Precatur igitur omnium rerum Creatorem Deum qui liquorem per operam

Quid hodie eccleſia à Domino Deo petat.

ram apum & cerei perfectionem mortalibus prouenire concedit, vt ipse vtilem & salutarem candelarum vsum nobis præbeat, iustique Simeonis in hoc Christiano cœtu faciat imitatores. Precatur vt omnes Spiritus sancti gratia illuminati atque edocti, æternum lumen Christum veraciter agnoscant, & fideliter diligant. Precatur vt qui candelas hoc ipso die in manibus deportant, suum auctorem cantando laudare, & sancto igne dulcissimæ charitatis accendi, atque in templo sancto cælestis gloriæ aliquando repræsentari possint. Precatur denique, vt sicut hæc luminaria igni visibili accensa, nocturnas depellunt tenebras, ita corda credentium inuisibili igne, id est, sancti spiritus splendore illustrata, omnium vitiorum cæcitate careant, & purgato mentis oculo, ea quæ Deo sunt placita, suæque saluti vtilia, rectè cernant, ac tandem post huius sæculi caliginosa discrimina, ad indeficientem lucem tanquam portum optatum perueniant.

## *VITA ET RES GESTAE SANCTI Cornelij Centurionis, & episcopi Cæsarienſis ex Metaphraste. Creatus est Antistes Anno à partu Virgineo quadragesimo primo, Caij Imperatoris tertio.*

Vide Cæsar. Baron. Ann. Tom. 1.

PERACTO Redemptionis nostræ à Saluatore in terris mysterio, & carne illa victrice ad dexteram Dei gloriosè collocata, inter alios gentiles salutari numinis diuini timore illustratos, præcipua virtute enituit Cornelius Italicæ cohortis, Centurio, qui diuini

2. Februarij.

Pietas eius.

diuini numinis cultor assiduus, egregia benignitatis opera in egenos & calamitosos edebat: multisque precibus & lachrymis rectum salutis iter inuestigabat. Cui dulci fortè consideratione diuinæ bonitatis absorpto Angelus Domini hora diei nona imminente adstitit, asserens orationes & eleemosynas eius Deo cumprimis gratas accidisse, quapropter mitteret confestim viros in Ioppen ad Simonem Petrum, qui viam vitæ ei demonstraret. Quo quidem Dei exposito mandato Angelus euanuit; ipse verò plenus gaudij & exultationis in Ioppen quosdam destinauit cum nota pietate ac fortitudine milite qui Simonem requirerent.

Angelus ei apparet. Actor 10.

Bona opera Deo grata.

Visio D. Petri.

Interea ne Petrus gentilium consortia abominans, hominem alienigenã fortè repudiaret, cœlesti visione monitus est, vt & gentiles ad fidem venientes exciperet, lustratosque in Christi ecclesiam reciperet. Cum enim, stimulante fame, necessariam corporis refectionem meditaretur, subito mentis excessu vidit aperto cælo vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initijs submissum in terram descendens, omnium quadrupedum, serpentum terræ, & volatiliũ cæli inprimis locuples. Statimque subsecuta vox; Surge inquit, Petre occide & manduca. At Petrus religione tactus ait; Absit Domine, quia immundi hactenus manducaui nihil. Et vox ad eum secundò: Quæ Deus purificauit, tu caue immunda dixeris. Tertiò visione hac oblata, vas continuo in cœlum receptum est. Stupente autem petro & visionis ordinem apud cogitationes suas voluente, adfuêre missi à Cornelio nuncij, qui expositis mandatis, Petrum, visionis mysterium iam intelligentẽ, vnà secum Cęsareã postridiè abduxerunt.

Venien-

Venientem Cornelius qua par erat animi pariter & corporis excepit humilitate, eius ad genua prouolutus. Quem Apostolus eiusmodi honoris insolens, protensa continuò erexit manu, contestans & se hominem esse communis haud quaquam expertem infirmitatis. Enimverò suæ potestatis haud oblitus, luculéto & planè diuino (vt credere par est) ad Cornelium eiusque familiam sermone differuit, immensas diuinæ gratiæ diuitias, quas suo in terras aduentu Christus nobis attulit, eis exponens inculcansque, tanto operę fructu, vt non modo Cornelius, sed & auditores reliqui digni haberentur, qui vitalibus expiati aquis in sortem filiorum Dei reciperentur.

Baptizatur Cornelius cũ alijs.

Igitur hoc sacramento fidei nouus Christi athleta roboratus, exurgente tunc vasta illa & immani persecutionis procella secũ, qua & Stephanus sublatus, & Apostoli in varias orbis terrarũ oras dispersi fuère, Cornelius post graues diuersis in locis exantlatos labores cum Petro & Timotheo tandem venit Ephesum, vbi à laboribus nõnihil respirantes consilium inière, quis Scepsæorum ciuitatem diro simulachrorum cultu conflictantem liberaret. Quid multis? missa sorte eaque Cornelio fauente, is mira animi alacritate eò contendit, dictis pariter ac factis ciuitatem illam à miseranda dæmonis captiuitate in Christi libertatem vindicaturus.

Perfectio in Christianos

Cornelius venit Scepsim.

Præerat tum temporis ciuitati illi, Demetrius quidam, vir Philosophicis disciplinis egregiè imbutus, sed odio in Christianos flagrantissimus. Is audito Cornelij aduentu, statim eum suo conspectui præsentari iussit, & vndè veniret, quæuè causa aduentûs eius foret, & quibus potissimum studijs deditus esset, exactè quæsiuit. Cui Cornelius sine

Demetrius ciuitatis præfectus, Cornelium examinat.

us sine vllis verborum ambagibus. Sum, inquit, Seruus Dei viui; Missus autem huc veni, vt tuæ profundissimis ignorantiæ tenebris, ad clarissimam veritatis lucem deducam. His auditis Demetrius ira ilico repletus, per Deos omnes, inquit, nisi moderatum & congruum responsum dederis, non parcam senectuti tuæ, neque canitiem tuam reuerebor. Dic igitur cui milites, & quanam de causa huc accesseris.

Cornelij præclarum responsum.

Tum Cornelius; Si libet (inquit) meâ scire militiam, sum quidem dignitate Centurio, sed gratuita Christi Iesu Dei mei benignitate, ad eius militiam & æternam cælestis gloriæ hæreditatē vocatus sum. Cumque te, & vxorem, & vniuersam denique familiam miseranda Diaboli captiuitate vinctos teneri intellexissem, veni protinus vt vincula vestra soluerem, & in libertatem asserem. Ad hæc Demetrius; Video te, inquit, iam senio confectum & magna me tui capit miseratio. Quare (vt paucis tecum agam) missos facito sermones istos, & dijs sacrifica. Sin parere recusas ego te supplicijs & tormentis parere cogam. Et quis quæso deorum te è manibus meis eripere poterit? Ille autē, potest certè, (inquit) Deus, me nō solū à vestra me tyrānide liberare, sed simulacra vestra, quę vos Deos dicitis, in puluerē atq; cinerē redigere. Vnus enim est in cælo & terra Deus, cui omnia deseruiūt, cuiq; soli iugē sacrificiū offerre præcipimur. Sin autē aliter tibi videtur, eos, quos tu dicis deos, quæso ne mihi ostendere graueris.

Demetrius minatur supplicia.

Hæc cùm audiuisset Demetrius, incredibili gaudio repletus sperabat fore, vt Cornelius dijs sacrificaret. Protinus igitur fuit ab ipso Demetrio & cōiuge eius Euāthia & filio eius (q̄ patris similiter nomē obtinebat) & magna insuper gentilium

tilium turba, cum multis honoribus in templum Iouis deductus. Quod simul ac ingressi fuissent, Cornelius fixis in terram genibus, & vultu ad Orientem conuerso, Deus, inquit, Deorum & Domine dominantium, qui répore Danielis famuli tui Belũ euertisti, & draconem sustulisti, & ora leonum obstruxisti, tu quoq; nunc ostẽde brachiũ tuum cum potentia, vt simulachris his virtute tua cõtris, populus ad nominis tui sanctissimi agnitionem veniat. Hæc cũ Dei seruus precatus esset, templo cum Demetrio & reliquo comitatu egressus est. Euanthia autem cum filio moram ibidem traxit, cum eccè ciuitas vniuersa maximo repente terræ motu concutitur, & templum horribili fragore ad terram prosternitur.

Daniel. 14. & 6.

Cornelius precibus tẽplum Iouis euertit.

Demetrius, visa templi euersione, non mediocriter obstupuit, atque, vt immanissimũ de Cornelio supplicium sumeret, concilium indixit, eumque suo tribunali sisti iussit. At Cornelius gaudio incredibili exultans, cum pedem in conspectu iudicum intulisset, interrogationem præuenit: Vbi nunc sunt, inquit, ô Demetri magni tui dij? Ille autem præcipiti furore agitatus. Quænam inquit, hæc est magicarum tuarum artium potentia, quibus templum euertisti? Sed præsto erunt supplicia, quæ te tuasque artes magicas in nihilum redigent. Et statim consultatione habita, iussit virum sanctum sub vespera manibus pedibusque atrociter ligatum, tota nocte in custodia suspendi.

Cornelius in carcere ligatus suspẽditur.

Dum hæc peraguntur, venit quidam ex domesticis, qui Demetrio vxoris & filij interitum (nõdum enim quicquam de eorum oppressione in templo perceperat) nunciabat. Audito igitur tam miserando vxoris & filij interitu, scidit vestimẽta sua

Vxor Demetrij cũ filio, in templo Iouis euersa, oppressa æstimata.

sua, totumque se gemitibus & fletibus tradidit. Interim verò suis mandauit, vt quantocyus cadauera inquirerent, atque ad se deferrent, vt ea sua manibus in sepulcrum inferret. Nemo erat qui Euanthiam & filium eius Demetrium, procerum extinctos non putaret, cùm Barbatus, deorum quidem Pontifex (cui templi purgandi cura commissa fuerat) eam inter aceruos lapidum cum filio voces huiusmodi edentem audiuit; Magnus Deus Christianorum, qui nos per famulum suum Cornelium de periculo mortis eripuit. Has voces cùm ministri audijssent, protinus cum Barbato pontifice ad Demetrium recurrerunt, & singula quæ audiuerant, diligenter renunciarunt. Ille cum accepisset coniugem, cum filio superstitem esse, summa celeritate ad custodiam abijt, vbi præter opinionem Cornelium vinculis solutum (Angelus enim Domini eum soluerat) & ambulantem offendit. Erat cum eo non minima hominum multitudo, qui omnes ad pedes eius prouoluti sunt; & Demetrius voce magna exclamauit; Magnus est Deus Christianorum. Serue Dei altissimi, credimus in Crucifixum, quem tu prædicas, si veneris & vxorem meam cum filio incolumem è ruina templi eduxeris. Cui Cornelius; Accipite, inquit, prius Christi signaculum, & tùc desiderio vestro satisfaciam. Nec mora. Omnes eodem in loco à peccatis suis per baptismi gratiam expiati sunt; & Cornelius indè cum eis ad templi ruinam egressus, fusa ad Deum oratione terram, quæ Euanthiam & Demetrium filium operiebat, diuisit, eosque saluos planè & incolumes eduxit. Eo miraculo ducenti & septem, præter priores, Christo nomina tradiderunt.

Viua cum filio reperta credit in Christum.

Cornelius ab Angelo vinculis solutus.

Demetrius cum alijs credit & Baptizatur.

Et Cornelius quidem postquam deinceps Gentiles

tiles plurimos à pestifero errore liberasset, & ad Christi seruitutem adduxisset, vniuersamque ciuitatem illam diuini numinis cognitione illustrasset, plenus dierum & bonorum operum, lubens, inter suorum complexus & lachrymas spiritum Creatori tradidit. Excedit è vita.

Funus fuit à Demetrio & Euanthia vxore & Christianis omnibus in templum (quod Demetrius quondam coniugi suæ propè templum Iouis euersum construxerat) cum hymnis & cereis illatum, & in locum summo cum honore depositum. Cereorum vsus apud Christianos peruetustus

Non multò post, rubus quidam maximus sponte è terra natus locum suis ramis ita in orbē texit, vt nemo præter eos, qui sepulturæ interfuerant, facilè monumentum illud inuenire posset. Miraculum.

Postquam autem Demetrius, & coniunx eius, cum vniuersa Centurionis familia, sacra morte è præsenti vita ad meliorem translati fuissent, cœpit monumentum illud multis anteà miraculis clarum, paulatim apud homines in obliuionem venire, donec Syluanus Troadis Episcopus, vir eximia pietate & virtute præditus, in Scepsiorū aliquando ciuitatem veniisset, cui Cornelius in somnis apparens mandauit, vt templum in loco, qui Pandochium dicitur, ædificaret. Interim locus ille, qui sanctissimis Cornelij reliquijs sanctificatus, & rubi etiam miraculo clarus erat, plurima ægris hominibus beneficia suppeditabat, cum tamen populus ignoraret, an rubi illius, an verò sacrarum reliquiarum (quas ibidem reconditas ignorabant) virtute prouenirent. Monumentum eius miraculis clarum.

Cornelius Syluanō apparet.

Episcopus itaque assumpto Clero, mane ad locum properauit, & rubum multiplicatis operis, radicitus extirpauit, & loculos reliquiarum inuenit. Iam verò inuentis reliquiis, vnica hæc

animum eius cura stimulabat, quomodo aut quibus medijs templum construeret, cùm Cornelius hac eum quoque solicitudine liberauit. Erat quidam Eugenius, vir diuitiarum existimatione ciuilè princeps, cui Cornelius similiter apparuit, præcepitque vt in ædificationem templi aliquam diuitiarum suarum summam conferret, & ipse per se opus quoque vrgeret, vt sine mora ad perfectionem deduci posset. Hoc accepto à viro sancto Eugenius mandato, ad Syluanum abijt, & lætus sumptus omnes ad nouam fabricam necessarios suppeditauit, factumque est summo vtrauque studio & diligentia, vt opus ad iustam altitudinem breui temporis spatio perueniret.

Item Eugenio viro diuiti.

Templum ei constructum.

Templo itaque constructo, Syluanus cum Eugenio & ingenti clericorum multitudine venerunt, vt sacras reliquias eò transferrent. Res profecto hactenus inaudita. Cum Syluanus & clerus hymnis & canticis de more præirent, capsa, quæ sacris reliquijs diues erat, nullo omnino vel mouente vel tangente, protinus subsecuta est. Stupent omnes rei nouitatem; cumque vix miraculo fidem adhiberent, neque tameu oculati testes ei derogare possent, vnanimi voce simul omnes exclamarunt; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, qui per famulum tuum Cornelium virtutem & omnipotentiam tuam nobis aperuisti. Postquam autem in templum lachrymis omnes præ lætitia infusi peruenissent, illi quidé hinc & illinc constiterunt, & capsa per medios illorũ gradiés prope arã se collocauit, ex quo loco nullis machinis moueri, nec in arã ipsã (vti cõstitutũ erat) trãsferri potuit. Eo miraculo reliqua Gentilium turba, quæ cæcis adhuc tenebris inuoluta erat, ad Christum accessit, & Cornelium, vel potius

Insigne miraculum.

Res planè admiranda.

Gentiles cõuertuntur ad Christi fidẽ.

potius Dei bonitatem & virtutem in Cornelio, diuinis honoribus affecit.

Mortuo autem Syluano, Troadensium quidem Episcopatum Athanasius, Scepsæorum autem Philostorgius suscepit, qui vt omnibus Cornelium commendaret, atque præclaras eius virtutes sempiterna memoria posteritati consecraret, pictoricidim mandauerat, vt viuam eius effigiem, quantum fieri posset, artificio suo exprimeret. At pictor (qui Eucratius dicebatur) cum esset iniquo erga Cornelium animo affectus, mandato Episcopi exagitatus, voces parum honorificas in sanctum euomere cœpit, sed fructum scelere suo dignum recepit. Nam de repetè ex altissimis scalarum gradibus, quos conscenderat, decidens, tanta & tam misera plaga affectus fuit, vt vermes non sine magno astantium horrore ex ore eius prorumperent. Iamque nulla vitæ spes misero relicta erat, cùm Cornelius sequenti die apparens, dextera eum apprehendit, & ab omni corporis infirmitate liberum dimisit. Fuit hoc superioribus sanè miraculis non inferius, nam & salutari plaga linguæ eius intemperantiam castigauit, atque vna cum corporis, mentis quoque, quæ multo præstantior est, sanitatem ei contulit.

Victor autem ex eius conspectu viuam imaginem insigni artificio expressit, & deinceps, vt par erat, summa veneratione prosecutus est.

Vltio cœlestis in maledicum.

Sanatur maledicus ope Cornelij.

Vsus imaginum in Ecclesia antiquus.

# VITA S. LAVRENTII, ARCHIEPISCOPI DOROVERNIENSIS 2. EX EA QUAE EST PER VENERAB. BEDAM LIB. 2. HIST ANGLICANAE CAP. 4.

*Claruit maximè anno Domini 614. & sequentibus.*

Vide Cæs. Baron in Notatio. Martyr Rō. & Tom. 8. Annal. Eccle.

2. Februarij Laurentius creatur archiepiscopus Cantuarien sis.

SAnctus Augustinus Angliæ Apostolus, prudenter volens ecclesiæ suæ prospicere, antè quàm è viuis excederet, Laurentium successorem sibi consecrauit. Qui sanè non segniter & piæ operationis exemplo, & doctrinæ verbo nouam non modo ecclesiam conseruare, sed & veterem, Britaniæ nimirum & Scotiæ incolas, pia pastoralis officij solicitudine fouere studuit.

Eius solicitudo tanto pastore digna.

Cumque eos ab vnitate Ecclesiæ, quæ per totum terrarum orbem diffusa est, in Paschatis celebritate obseruanda, recedere cognouisset (A decima enim quarta luna, vsque ad vicesimam Dominicę Resurrectionis diem obseruandum putabant) data cum coepiscopis suis ad eos Epistola, ad vnitatem & concordiam totius ecclesiæ reuocauit. Hæc res quàm ecclesiæ isti vtilitatem attulerit, multa deinceps tempora testata sunt. Vnum autè contigit huic Sancto in vita notatu dignissimum, Cùm Britaniam relinquere decreuisset, nocte ipsa stratum sibi in Apostolorum Petri & Pauli fabrica parari iussit, in quo post multas, non sine magno lachrymarum imbre, pro statu ecclesiæ fusas ad Dominum preces, sopore oppressus decubuit; & eccè mox Apostolorum Princeps districta flagellorum cæde in strato cubantem mactauit; & vultu toto ad seueritatem conuerso, quæ relinquendi gregis, Christi sanguine redempti, eiusque curæ commissi, causa sit inquirit.

Flagellatur ab Apostolorum principe.

Itanè

Itanè (inquiens) officij tui memoriam depoſuiſti? & mei oblitus exempli, qui vincula & verbera, & carceres, & ſupplicia varia, ipſam denique mortem pro Chriſti paruulis mihi commiſſis lubens perculi, fugam meditaris? His B. Petri flagellis & monitis inſtructus Laurentius manè facto ad Regem contendit, & reiectis veſtimentis, quantis eſſet verberibus conciſus, oſtendit. Miratus eſt Rex, & cauſa plagarum cognita ſalutari diuini iudicij timore perculſus idololatriæ cultum execratus eſt, illegitimo connubio reſciſſo, ſumma animi veneratione Chriſti fidem ſuſcepit. Nec his contentus Mellitum & Iuſtum epiſcopos, ab exilio reuocauit, & ſuſceptam fidē prēclaris admodum pietatis iuſtitiæque operibus declarauit. Sub cuius fœlici regimine beatus Laurentius laboris ſui mercedem à Domino recepit, ſepultus in monaſterij templo Petri Apoſtoli iuxta Auguſtinum, die 4. Nonarum Februariarum.

Rex ad Chrī ſtum cōuertitur.

*VITA S. IOHANNIS, DICTI ELEEMOSYNARII, Archiepiſcopi Alexandrini, ex ea quæ eſt per Leontium, Epiſcopum Neapolis Cypri, & apud Metaphraſten. Deſiit ab humanis Anno reſtauratæ ſalutis 592. Pelagij Papæ ſecundi, 4. Iuſtini Iunior. Imp. 16. & vltimo. Præfuit verò ſedi illi Annis vndecim.*

Vide Cæſ. Baron. in Nota. Martyr. Rom. 23 Ianua. Idem Tom. 7. Annal. Eccleſ.

IOhannes hic qui ob eximiam in pauperes benignitatem, Eleemon, id eſt miſericors vocatur, inſula Cypro oriundus, patrem habuit illuſtri loco natum; Epiphanium nomine; cui, propter præſtantem virtutis opinionem, inſulæ iſtius gubernacula commiſſa fuêre. Matrem verò cum animę, tum corporis pulchritudine conſpi-

3. Februa. Qui eius eſt natalis dies Patria S. Iohannis, & parentes.

cuam, & tali marito dignam. Huic tam præclari cum obtigissent Iohanni parentes, nullo modo degenerem præbere voluit, sed summis ingeni viribus eam in rem semper incubuit, vt nouo etiã aliquo virtutis splendore genus suum illustraret.

Ducit vxorẽ

Et quidem postquam optimis imbutus disciplinis ad maturam ætatem peruenisset, coactus est à parentibus (quorum voluntati refragari nefas esse putabat) matrimonij se legibus subdere, adeo vt quamuis tota mente corporis & animæ castitatem amplecteretur, patris nomen sortiri debuerit. Sed fuit hisce matrimonij vinculis, bre-

Mors liberorũ & coniugis.

ui post tempore, per mortem vxoris & filiorum liberatus, quæ res ei præclaram virtutis exercendæ materiam præbuit, nam statim curarum inanium sarcina deposita, Christo se totum consecrauit, ita vt mente assiduò in cælestibus versaretur, & opes, quas possidebat ampliſſimas, ambabus, quod aiunt, manibus indigentibus largiretur.

His itaque benignitatis operibus, cum apud omnes non modo priuatos & principes, sed ipsum etiam Imperatorem, qui tunc Romanorum sceptra tenebat, clarus euaderet; Alexandrina ciuitas, quæ tunc temporis suo antistite orbata erat,

Fit Episcopus Alexandrinus inuitus.

virum hunc sibi ab Imperatore præfici postulauit. & tandem vel inuitum multisque obtestationibus reluctantem, id fastigium honoris ascendere coëgit. Itaque Marci successor constitutus summis viribus & diuini verbi prædicatione laborauit, vt fidem patrum, quæ post Marci mortem non

Petrus Cnaphæus hæreticus.

parum hæreticorum perfidia labefactata erat, ad primam puritatem reuocaret. Erat Petrus quidã Cnaphæus, qui scelere & audacia ante alios insignis, nouum impietatis dogma in eam Ecclesiam inuexerat, quo omnibus persuadere conabatur,

Christi

Christi diuinitatem cum sacratissima eius humanitate nequaquam pœnarum, quas pro nobis in cruce pertulerat, expertem fuisse. Hanc impietatem S. Iohannes summa contentione sustulit & hæresim profligauit.

Nec eo beneficio Ecclesiam affecisse contentus, cum sola septem orthodoxorum oratoria instituisset, vt populum ad ardentius pietatis studium excitaret, ea ad septuaginta multiplicauit, quibus omnibus viros eximia pietatis & eruditionis laude præstantes præfecit, vt populum cum doctrina, tum exemplo in officio continerent, & hæreticorum perfidiam funditus extirparent. Fuit verò ante omnia, incredibili benignè faciendi studio deditus, prorsus vt nunquam eam disciplinam, præcæteris pietatis operibus, negligere vellet. Pupillis in rebus afflictis opem afferebat, viduarum causam suscipiebat, iniuria oppressos sublevabat, iudiciorum æquitatem strictissimè à iudicibus conseruatam cupiebat, atque diligentissimè præcauebat, ne quis munerum cupiditate iudicium subuerteret. Xenodochia, Nosocomia, & Prochotrophia plurima extruxit, eisque sufficientem frumenti copiam assignauit. Fœminis pauperculis vterum ferentibus, septem in ciuitate domos attribuit, & omnia quæ parturientibus necessaria sunt, abundè suppeditauit. Denique tanta tamque excellens fuit, eius erga vniuersos misericordia, vt domi, foris, & vbiuis terrarum pauperes quæreret, quibus aliquam benignitatis suæ opem exhibere posset.

Mirè auget sacras ædes.

Summum eius pauperibus benefaciendi studium.

Eo tempore Persę Syriam vniuersam populati erant, & horrenda cędę terram omnem cruentauerant, quorum manus qui euaserant, Alexandriam cõfugerant; quos vir sanctus omnes hospitio &

Liberalitas eximia in omnes.

tio recepit,& vnumquemque pro sua dignitate splendide & liberaliter educauit.non ad indigentium respiciens multitudinem,sed ad eum,qui aperit manum suam & omne animal implet benedictione. Cum Rasmisæus dux exercitus Chosroë, vastitatem sacris locis intulisset, vir Dei statim eò destinauit Cresippum quendam insigni pietate virum,cum maxima frumenti copia & incredibili auri & argenti quantitate, vt sanctissima loca restauraret, & afflictum Dei populum præsenti annona consolaretur. Pauperes & mendicos Dominos suos appellabat; eosque solos esse dicebat,qui ei opem ferre, & Christi gratiam cõciliare possent.

Multum auri & frumenti mittit Hierosolymã.

Vt primum in episcopali cathedra constitutus fuit, singulatim nomina eorum, quos pauperes vocabant,describi iussit, inuentique sunt in vna ciuitate Alexandrina septem millia & quingenti,quibus singulis alimenta quotidiana suppeditauit. Deinde quo afflictos & iniuria oppressos subleuaret, consolareturque, quarta & sexta cuiuslibet hebdomadæ feria,in templi porticibus, cum viris alijs prudentiæ & iustitiæ opinione præstantibus sedens,liberum cuiuis ad se accessum præbebat. Porrò præclaram illam & sempiterna memoria dignam sententiam suorum auribus frequenter inculcabat. Si nobis, inquiẽs, mortalibus rectà ad Deum, etiam deprecatore nullo,accedere,eumque pro cunctis necessitatibus exorare licet,quanto magis faciles ad nos aditus nostris conseruis præbere, præsentemque pro viribus opem præstare debemus? fixa enim manet & inconuulsa Domini sententia;Eadem mensurã nobis remensum iri,qua fratribus nostris mensi fuerimus.

Pauperes singulatim in ciuitate describit.

Sententia memorabilis.

Matt.7.

Cùm

Cum esset natus annos 15. in Cypro versanti nocte quadam, puella quædam eximia pulchritudine in somnis apparuit, & alto sopore depressum percusso latere excitauit. Cuius præsentia stupefactus Iohannes, protinùs quænam esset, & vnde veniret, quæsiuit; Cui illa: Sum, inquit, prima magni Regis filia. tu verò si stabili amicitiæ fœdere mihi copulari velis, ego te vicissim ad summi Regis iucundissimam familiaritatem adducã. Nulli enim maior est apud eum, quam mihi fiducia; quoniam ei, vt è cælo in terram descenderet, ego persuasi. Hæc cum dixisset, statim euanuit. Ego verò postquam ad me redijssem, cœpi attentissima mentis consideratione pertractare, quænam illa virgo esset, nec aliud iudicare potui quã eam ipsam misericordiam esse quę sola Deum ex throno regni sui ad humanitatis nostræ substantiam assumendam in terram traxisset. Itaque his cogitationibus totus absorptus, primo diluculo, solus ad ecclesiam tetendi: atque in ipso itinere cum pauperem quendam nudum & frigore vehementer afflictum obuiam habuissem, propria statim me veste exui, eamq; ei benignè suppeditaui, eo magis vt certum aliquod visionis meæ indicium caperem. Prius verò quam templum ingrederer, vir quidam candidatus ad me accedens, tradidit mihi auri nummos centum alligatos. Hæc, inquiens, accipe, ô amicè. Ego autem etsi eos lubenter accepissem, mox tamen pœnitentia ductus, quasi eo munere quibusdam auaritiæ sordibus inquinatus, horrui & conuersus, ei, qui dederat, restituere volui. Sed is protinùs euanuerat. Tunc verò intellexi, nequaquam me falsis rerum imaginibus delusum fuisse; sed ea omnia diuina prouidentia, quæ me ad concussam sui fiduciam excitare

Visio eius.

Vide Dei benignitatẽ in misericordes.

tare volebat, gesta fuisse. Ab illo igitur tempore summo studio benignè faciendi disciplinam colere cœpi, & re ipsa didici, opes illas quæ in Christi pauperes conferuntur, nulla largitate exhauriri posse.

Huius eximiam benignitatem cum pauper quidam considerasset, vilissimo indutus habitu se in conspectu viri sancti dedit, & lugubri voce aliqp paupertatis suæ ab eo solatium postulauit. Cui protinus vir Dei sex nummos dari iussit. Ille ijs acceptis, rursus mutato habitu per aliam viam accessit, & stipem ab eo mendicauit. Cui iterum Sanctus sex nummos tradidit. Cùm verò tertio eadem fraude accederet, distributor Patriarchæ innuit, vnum illum & eundem esse, qui paulò antè sex bina vice nummos accepisset. Tum Patriarcha, da, inquit, ei nummos duodecim. Fortassis enim omnipotens Deus & Dominus meus animi mei fiduciam probare vult.

Aduens quidam tentat eius animum.

Mercator quidam à summis diuitijs ad extremam inopiam redactus, à viro sancto solatium aliquod petebat, cui quinque libras dari iussit. Cumque eas naufragio amisisset, secundo ad Patriarcham accessit, & miseriam suã multis lachrymis ei exposuit. Quem vir sanctus postquam suauissimis verbis ad pietatem hortatus fuisset, addidit; Certè, si eas quas tibi ex ecclesiæ thesauro suppeditaueram pecunias, non adiunxisses ijs, quæ tibi iniquitate reliquæ fuerant, nunquam earum iacturam passus fuisses. His dictis decem auri libras ei tradidit, addens ne eas cum alijs pecunijs miscere præsumeret. At ille accepto tanto auri pondere lætus abijt, & nauem pretiosis onustam mercibus alto mari commisit, sed priores omnes calamitates postrema lógè superauit.

Mercatoris ad inopiam redacti paupertati succurrit.

Misera-

Miserabili namq; naufragio, onus cum ipsa naue fluctibus haustum est, atq; mercator desperatione fractus, violētas sibi manus inferre voluit. Quo cognito vir sanctus eum ad se vocauit, atq; à tanto scelere prohibuit, affirmans nulla alia de causa tantis malis eum oppressum fuisse, quam quod bonis & naue iniustè acquisitis rem gereret, & auidius quam par esset, lucri cupiditati inhiaret. Obserua 16 mirabilem. Hæc cum dixisset, tradidit ei vnam ex nauibus Ecclesiæ, viginti millibus modiorum fruméti onusta. Qua secundo vento ex Alexandria nauigans, post varias tempestates, viginti dierum totidēq; noctium, superatas, cum nēmo eorum qui in naui erant, vel ex astris, vel ex regionis indiciis cognoscere posset qua in orbis plaga versarentur, tandem ad insulas Britānicas delati sunt. Quo cū appulissent, inuenerunt homines regionis illius crudelissima fame confectos: vnde factum est, vt non mediocre ex aduecta frumenti copia lucrum reportarēt. Porrò pretium illius, partim in auro, partim verò in stanno, cum eis persolutū fuisset, atque illi rebus ex animi sententia gestis prospero cursu indè nauigantes Decapolim perueniissent, ibidemque Nauclerus quadraginta stāli libras cuidam suo familiari aurifabro vendidisset, ille paulò pòst præter opinionem illud ipsum argētum inuenit esse purissimum. Qua de re admiratione perculsus, arbitratus est Nauclerum fraudem & dolum machinari, prorsus, vt eū probris grauissimis insectaretur, At Nauclerus nullius sibi fraudis conscius, cum probum argentum esse videret; Certè, inquit, hoc ipsum stannū Patriarchæ precibus in argētum mutatū est, quod illi minime nouum aut alienum est. Stannum mutatur in argentum.

Erat vir quidam nobilis, qui sceleratorum homi-

hominum insidijs & furto, ad extremam inopiam deciderat. Huic vir sanctus die quodam quindecim libras auri dari iussit. At illi, qui erogandis eleemosynis ab eo præfecti fuerant, contra mandatum quinque tantum ei suppeditârunt. Forte eo tempore Iohanni ex ecclesia redeunti, vidua quædam opulenta domum quingentarum librarum obtulit. Quo oblato protinus vir sanctus cognouit ministros non eam auri quantitatem viro illi nobili erogasse, quam præceperat. Illos igitur ad se vocatos hortatus est, vt animos suos prauæ cupiditatis vinculis constrictos soluerent, & diffidentiam abijcerent, liberaliterque pauperum inopiæ consulerent. At illi miro mentiendi artificio in omnes se partes versabant, & non minus constanter quam impudenter ita se rem habere pernegabant. Tum vir Dei, aduocata pia illa matrona; Dic mihi, inquit, ô mulier, tantumne pecuniæ ab initio Deo offerre statuisti? Illa verò corpore & mente tremebunda, diuinam virtutem in Patriarcha reconditam venerans. Reuera, inquit, Domine, mille & quingentas, in ea quam tibi tradidi charta, libras scripseram, & paucis post diebus, mille, nescio quo modo, sua sponte deletas inueni. Hinc ego Deo non placere iudicaui, vt plures quingẽtis offerrem. His auditis ministri maximo metu correpti, ad sancti se pedes abiecerunt, & multis cum lachrymis scelus suum profitentes, veniam postularunt.

Nota rem admirandã.

Huic tam munifico animo malignus inuidens, summis inuidentiæ stimulis Patricium Nicetam concitauit, vt rem, sua sanè virtute indignam, cogitaret, diceretque. Accedens namque ad virum sanctum. Cum, inquit, certò nobis constet, rem publicam extrema quadam pecuniæ inopia periclitari

Nicetas Patricius non recte mouetur.

clitari æquum est, vt ea, quæ tu nulla mente, sed temeritate quadam profundis, ad ærarium publicum deferantur, & ad communes reipublicæ vsus prudenter vtiliterque expendantur. Multis enim pecunijs Imperator indiget, si gubernacula reipublicæ salua conseruare velit. Cui Iohannes; Cessa inquit, nunquam ego tantum in me iscelus committam, vt ea, quæ cælesti Regi consecrata sunt terreno Imperatori prodam. Tibi vero si aliter videtur, accipe quæcunque voles: mea autem voluntate nequaquam probabitur. Patricius nihil his commotus, ingẽti seruorum stipatus multitudine, ecclesiæ thesaurum inuasit, & quidem vniuersum, solis centum libris relictis, secum abstulit. Patriarcha ei respõdet.

Interim dùm hæc fiunt, afferuntur ad Patriarcham noua munera, mellis videlicet aliquot amphoræ, quarum Patricius (qui hæc eadem videbat) vnam sibi à Patriarcha, gratissimum munus, donari postulauit. Patriarcha autem iussit eum, cuius fidei commissæ erant, eas aperire, & ecce, non melle sed auro optimo scaturire visæ sunt. Tum Patriarcha, missa ad Patricium earum vna cum litteris, monuit eum, vt ex eo munere disceret, quanta esset Dei erga fideles seruos suos benignitas, quæ nunquam ab hominibus in angustias redigi posset. Patricius autem stupenda rei admiratione captus, protinus surrexit veniam petiturus, & ablatos ecclesiæ thesauros, cũ amphoris, & trecentis insuper de suo additis auri libris, restituit. Mel mutatur in aurũ. Nicetas agnoscit erratũ suum.

Cùm magna multitudo eorum, qui manum Persicam effugerant, Alexandriæ degeret, & vir sanctus extrema pecuniæ & alimenti inopia laboraret. Clericus quidam, qui propter secundas nuptias

nuptias sacris constitutionibus diaconatus gradum ascendere prohibebatur, callidè sanctissimi viri angustijs, ad eum gradum consequendum, vti cogitabat. Nam cum esset dives admodum, & in summa frumenti inopia, ipse ingentem vim domi reconditam haberet, obtulit eam cum centum & quinquaginta auri libris Patriarchæ, eo fine vt eum diaconatu dignum iudicare vellet.

**Constans Patriarchæ fiducia in Deum.**

Sed vir Dei, Licet ex necessitate legis quoq; translationem fieri posse non ignoraret, nè tamen eo facto suam in Deum fiduciam minueret, necessitate ea vti noluit, sed auxilium & opem in rebus afflictis ab vno & omnipotenti Deo expectauit. Nec fuit diu sua spe frustratus; nam vix clericum saluberrimis monitis instructum à se dimiserat, cum duas è Sicilia ecclesiæ naues frumento onustas, in portum appulisse nunciatur; quibus & præsenti necessitatis periculo liberatus, suis & afflictis ecclesiæ rebus abundè succurrit.

Magna fuit hæc viri sancti in Deum fiducia, magna in egenos benignitas. Neque tamen sola misericordię virtus eum Deo hominibusque gratum & admirabilem fecit, sed & patientię & mansuetudinis laus, quæ cæteris virtutibus, in eo minor non fuit, mirificè in omnibus eius actionibus eluxit. Erant duo ipsius clerici, quos propter enorme aliquod peccatum excommunicationis, vt vocant, fulmine ferierat, & ab ecclesiæ corpore segregauerat; quorum vnus, moribus & ingenio efferatus, non modò non ad mentem redire volebat, sed nouis quibusdam sceleribus in apertam pestem & perniciem ruebat. Cuius vir sanctus misertus, cum die quodam solenni sacris mysterijs assisteret, & hominis illius miserimi recordaretur, protinus relicto incruento altaris myste-

**Patientia eius & mansuetudo.**

mysterio, clericum adijt, atque eius se pedibus prouoluens, obnixè seueritatis suæ in eum veniam postulauit: qui, licet mente in scelere multo tempore obdurata fuisset, adeò tanti viri humilitate & mansuetudine fractus est, vt profuso lachrymarum imbre, scelus suum libenter agnouerit, & ad meliorem frugem statim redierit.

Clericum multo tempore in peccatis obdura tum, ad mentem reducit.

Sacrarum autem literarum studio, indefessa mente, incubuit, eoque ardentius quo acrius illi aduersos hæreticos certamen incumbebat. Certè ea fuit vir sanctus mentis in Deum puritate prædictus, vt etiam in familiari colloquio, nihil ferè aliud, quam quæ ad diuini amoris igniculos excitandos faciebant, ex sacro eius ore prodiret. Mortis verò memoriam vt sine vlla intermissione recoleret, quid fecit? Curauit sibi monumentum extrui, illudque semper imperfectum reliqui. Deinde eos, qui operi præfecti erant, in diebus solennioribus in conspectu omnium prodire, cum hac admonitione; Monumentum tuum, ô Domine in hodiernum vsque diem imperfectum est. Iube ergò vt aliquandò iam perficatur. Incertum enim est qua hora mors ventura sit. Hac ratione vir sanctus in salutari diuini numinis timore, corpus simul & mentē cōtinebat.

Studiū sacrarum literarum.

Puritas mētis.

Mortis memoria;

Porrò cùm nullo studio magis quam beniuolentiæ in omni vita deditus esset, tum alios ad eandem virtutem & verbis & exemplis, diligenter exercendam inducere conabatur. Hinc in quotidiano congressu, eleemosynę virtutem omnibus commendare, & exempla plurima referre solebat; quæ, quoniam maximam voluptatem cū insigni vtilitate cōiunctā habēt, nō pigebit hic ea adscribere. Hoc autē inter alia memorabile est.

quod

quod à fideli quodam & veritatis amante Cypri se audiuisse narrabat.

**Exemplum memorabile Petri publicani.**

Cùm essem, dicebat, in Aphrica, habitabam apud quendam publicanum, virum quidem valde opulentum & splendidum, sed adeò tenacem & in pauperes durum, vt eum eiusque domum & familiam, diris omnibus frequenter deuoueremus. Accidit autem, vt hyberno quodam tempore ingens pauperum multitudo ad solis radios (quibus membra rigentia fouere solent) conueniret, cumque diuitum & suorum benefactorum nomina recensèrent, & beatos eos prædicarent, qui benignè faciendi disciplinam in hac vita exolunt, fortè etiam in hunc publicanum dominum meum, post varia colloquia vtro citroque habita, inciderunt, quem cum omnes auarũ, durum, & tetricũ esse clamarẽt, & quidã etiã execrarẽtur, vnus eorum in medium prosiliens: Vos (inquit) hominem illum nulli vnquam mortalium misericordiam ostendisse dicitis. Nunc igitur quo munere ego à vobis donandus sum, si hodie ab eo misericordiam consecutus fuero? Cumque ea de re inter eos certaretur, & certo pretio pactum fuisset, abijt mendicus ille tristi & lacero admodum habitu deformatus, vt eo hominem durum, & pauperes vel solo aspectu auersantem, flecteret, & ad misericordiam tribuendam prouocaret, cùm autem hoc modo è regione domus illius staret, fortè pistor mulum panibus onustum introduxit. Tum publicanus graui iracundia ex solo pauperis aspectu commotus, arreptum ex mulo panem, tanquam lapidem in pauperem iecit, quem ille protinus arripiens, ad socios attulit, affirmans se eum ab ipsis publicani manibus accepisse.

Vix

Vix biduum præterierat, cum publicanus lethifero correptus morbo ad extrema deducitur. In ipsa autem fœuientis morbi vi, in ecstasin mentis raptus, vidit se ad tremendum Dei tribunal vocari. Cumque hinc candidissimi Angeli, illinc verò terrimi cacodæmones, omnes actiones eius ad trutinam reuocarent, & iusta lance expenderent, vidit lancem alteram pondere iniquitatis propriæ penitus depressam, alteram verò bonis operibus prorsus vacuam. Cumque dæmones præualerent, & sempiternis eum supplicijs dignissimum clamarent, Angeli vnicum illum panem protulerunt, & lancem iam penè inclinatam nonnihil subleuarunt. Tum conuersi ad publicanum; Citò inquiunt, te hinc proripe & vnico huic pietatis operi, quo solo, æternæ mortis periculum in præsenti euadis, alia quamplurima adijcere festina. His dictis publicanus sibi redditus, vehementer obstupuit, & frequenter hæc verba secum repetebat: Papè, quanta est virtus eleemosynæ; si enim vnicus panis, & is quidem per iram proiectus, tantum potuit, quid veram benignitatem, et intimis misericordiæ visceribus profluentem apud misericordiarum Dominum posse credendum est? Nec mora, adeò est publicanus ille in virum alterum protinus mutatus, vt non modo sua omnia, sed se ipsum etiam totum pauperibus largitus sit.

Visio Petri.

Eleemosynæ efficacia.

Mutatur in virum longe aliū publicanus.

Iuuati enim aliquando ad telonium, nudus quidam ex naufragio nauta occurrit, cui statim vehem propriam, delicatam sane & pretiosam largitus est. Eam verò nauta paulò pòst venalem in foro exposuit, vt eius pretio de rebus sibi necessarijs, vtilius commodiusque prouideret. Publicanus autem visa veste, vehementer indoluit,

quòd existimaret donum illud apud nautam non benè collocatum esse, tantoque est affectus mœrore, vt somnus eum inuaderet, opprimeretque. Intereà vidit ad se virum quendam insigni specie præcellentem accedentem, eaque ipsa veste, quam nautæ dederat, indutum sibi dicentem: Cur (inquit) chare Petre (hoc enim publicanus nomen erat) animo ita angeris, & cruciaris? Agnoscisne vestem hanc? Cumque is affirmasset se agnoscere: Ecce (inquit) ex quo tu mihi eam præbuisti, ea perpetuo vtor. Tum Petrus è somno excitatus: Benedictus, inquit, Deus. Si Christus in numero pauperum & inopum computari non erubescit, quid restat, nisi vt rebus meis omnibus distributis, ei quam simillimus fiam? Nec mora. Vocato ad se domus suæ procuratore, eum conuenit, vt quod mente agitabat, summo silencio compressum teneret. Cumque ille iureiurando se obstrinxisset: Vade, inquit, & has decem auri libras pauperibus distribue, cæteraque omnia largire, & me postremò tanquam mancipium Christiano alicui in sancta ciuitate diuende, pretiumque similiter pauperibus dato. Procurator his auditis vehementer obstupuit, & domini sui mandato coactus, inuitus tamen eum cuidã aurifici, Zoilo nomine, triginta nummis vẽdidit, preciũq;, vt iussus erat, egenis distribuit. Mira sanè fuit hęc mutatio dexteræ excelsi in Petro; qui ab illa miserãda idolorũ seruitute, auaritia inq; adrãtũ benignitatis studiũ peruenit, vt nõ modo le suaque omnia propter Christũ, cuius amore mirificè flagrabat, pauperib. largitus sit, sed cõtumelijs etiam, quas in quotidiano ministerio à procacibus quibusdã pueris accipiebat, incredibiliter delectabatur. Cumque interdum animi ægritudine opprel-

Videt Christum in somnis.

Obserua Christi bonitatem.

Petrus sua sponte venditur 30. nũmis.

Auaritia Idolorum seruitus.

Multa patitur.

oppressus (quæ est humanæ fragilitatis conditio) affligeretur, toties illi Christus veste illa, quam nuper largitus fuerat, indutus, & precium quo diuenditus erat, in manibus ferens, assistebat, iubēs eum bono animo esse, tempus namque breui affuturum, quo omnia illa cum fœnore reciperet, & sempiternis cœlestis regni delicijs frueretur.

Christus est in aduersis consolatur.

Accidit interim, vt quidā è regione Petri, voti & adorationis causa sacra loca inuiserent; quos Dominus eius (quia eiusdem cum eo artis erant) summa humanitatis & beneuolentiæ significatione hospitio excepit, quibus Petrus ex officio cū ministraret, fortè ab ijs agnitus fuit. Cumq; admiratione quadam defixi, inter se disputarent, quomodo vir senatorij ordinis, & dignitatis splendore nulli secundus, ad tantam seruitutem redactus esset, & Imperatorem non mediocrem ex eius absentia dolorem hausisse dicerent, Petrus his auditis, statim disco, quē gestabat manibus, humi proiecto, se in pedes coniecit: fugamque arripiens, cum ad fores, quas adolescens quidam, ab ipsa natiuitate surdus & mutus custodiebat, veniisset. Heus, inquit, in nomine Christi Dei nostri, audi me, & aperi. Ille autē. Sicut iubes, respondit, faciā statimq; aperuit. Et Petrus quidē hoc modo elapsus est; adolescens autem incredibili gaudio exultans, conuiuis omnib. miraculū indicauit. Vidi enim, dicebat, ex ore ipsius Petri flammā ignis, ad aures meas procedentē, cuius virtute beneficium hoc, quod cernitis, consecutus sum.

Vide peregrinationē voti & adorationis causa.

Petrus sanat surdum & mutum.

Hæc aliaq; Iohannes noster, cuius lingua, pedes & manus misericordiæ operibus abundabāt, alijs narrare solebat, & quacūq; ratione poterat, ad beneficentiam omnes prouocabat: nullaque re magis, quam assidua memoria patrum illo-

rum, qui benignitatis laude præstantissimis tribuentur, delectabatur. Cum aliquando incidisset in vitam Serapionis Sidonij, non cessabat virum illum admirari. Is enim tam ardenti studio misericordiæ opera exercebat, vt cùm aliquando pauperem sibi obuiam habuisset, confestim ei pallii traderet. Deindè cùm occurreret ei alter, frigore propemodum concretus, interiore se tunica nudauit, eamque benignè ei obtulit, atque hoc modo ipse totus nudatus, sacrosanctum Euangelij codicem auidis vlnis amplectebatur. Interrogatus autem à quodam quis eum nudasset: Hoc (inquit) Euangelium. Postremò nec ipso Euangelio pepercit, sed eo diuendito, precium illius pauperibus erogauit.

Serapij Sidonis in pauperes liberalitas.

Harum rerum consideratione animum assiduò pascebat, & alios ad misericordiæ virtutem inducere laborabat. Erat eo tempore Troilus Episcopus, homo vnus omnium auarissimus, & cupiditate insatiabili turpissimè inquinatus. Hùic vt ab ea peste liberaret, die quodà secum ad Prochotropium suum assumpsit. Cumque non ignoraret eum triginta auri libras in loculis gestare: Sunt, inquit, à te hodie curandi, sanctissime Troile, nostri in Christo fratres. Ille autem eo sermone pudore motus, vt auaritiæ suspicionem euitaret, iussit seruum singulis pauperibus nummum vnum præbere. Cumque ficta benignitatis specie loculos exhausisset, domum reuersus, subito horrore correptus, ex animi ægritudine in febrim incidit. Patriarcha autem cùm probè admodùm animi eius tenacitatem, & ex ea morbi causam cognouisset, ad ipsum venit, & subridens: Ne, inquit, existimes ô Domine me ex animi sententia locutum fuisse, & te pecunijs tuis spoliare voluisse

Vide quid possit auaritia in hypocrita.

isse. Nam salua tibi tua pecunia permanet; ego enim cum pecunias ad manus non haberem, eas à te mutuo accipere volui. Hæc cum diceret, triginta ei libras auri restituit, & simul vim febris extinxit. Tunc Iohannes postulauit ab eo, vt hanc restitutionem optima fide factam, chirographo confirmaret. Fecit ille lubens quod Patriarcha postulabat, sed cum Deus Episcopi illius animũ atq; tetra peste sanare decreuisset, non multo post raptus in ecstasin, visus sibi videre est domũ quandam magnificam, incredibili sumptuum splendore ornatam, cum huius tituli inscriptione: Mansio & requies æterna Troili Episcopi. Cuius tituli inspectione tanto gaudio exultabat, vt vix mentis compos putaretur. Sed mox vidit virum quendam ætate & grauitate venerabilem aduentantem, deiectoque priori titulo, alium huiusmodi substituentem: Mansio & requies æterna Iohannis Archiepiscopi Alexandrini, empta triginta libris auri. His ita peractis è somno euigilãs obstupuit, & auaritiæ suæ pestem agnouit, mutataque mente & moribus summo studio ad benigne faciendi disciplinam se conuertit.

Visio Troili.

Troilus ex auaro redditus benignus.

Post hæc accessit ad eum mulier quædam, aliqua fortassis iniuria à genero affecta, eius opem contra vim & potentiam implorans. Cumque non paucis stipatus, comitibus eo tempore ad Cyri & Iohannis, diuinorum martyrum templũ properaret, comites hortati sunt eum, vt iudicij examen vsque ad reditum differret. Quibus ille: Quomodo quæso (inquit) Deus meus attendet preces, si ego pauperculæ huius supplicationem differo? Quis autem fideiusserit, fore, vt vsque in diem crastinum viuam, & non, si antè moriar, futurum me apud Deum inexcusabilem, propter

eius supplicationem. Hæc cum dixisset, nequaquã antè, ex eo loco recessit, quam iustum mulieri dicium reddidisset. Cùm audiuisset filium cuiusdam, cuius eximia in pauperes fuerat benignitas, parente orbatum & ad magnam inopiam propter nimium patris benefaciendi studium redactum esse quendam iurisperitum clanculum euocauit atq; mandauit, vt in veteri charta, testamentum viri cuiusdam nomine Theopempti, conscriberet, quod ostenderet patrem pueri illius, & magnum illum Iohannem veros & germanos consobrinos esse. Deindè iussit, vt puero illi testamenti formam exhibeat horteturque vt audacter ad eum accedat. Facta sunt hæc sicut mandauerat, & ipse iuris peritus cum adolescente ad Patriarcham venit, scriptumque testamentum exhibuit.

Mira eius benignitas erga pauperem adolescentem.

Confessus est ille cognationem, puerumque peramanter amplexans, non modo pecuniis muneribusque, sed & possessionibus haud contemnendis locupletauit: iunctumque matrimonio illustri cuidam fœminæ Alexandrinæ, ex abiecto insignem, ex paupere diuitem, ex obscuro nobilem reddidit.

Fuit autem vir hic sanctissimus, studiosus admodum alienæ famæ custos, & in iudicio damnationis ferendo tardissimus. Iuuenis quidam impudicus virginem quandam Deo sacram ad libidinis suæ intemperantiam allexerat, & secum Alexãdria, cum maximo totius ciuitatis scandalo, Byzantium abduxerat. Nemo non erat qui iuuenem illum æternæ perditionis filium & sceleſtum, & sacrilegum appellaret. Quod cùm vir sanctus audiuisset, grauiter reprehendit facilem illam damnandi voluntatem. Nolite, inquit, ô filij, nolite tanta

Iohannes studiosus custos alienæ famæ.

Monet temeraria iu-

tanta facilitate de proximo iudicium ferre. In duo namque grauissima mala incurritis. Vnum, quod præceptum illius transgredimini, qui nos ante tempus iudicare prohibet: Alterum quod summa quadam temeritate aliorum vos iudices cõstituitis. Est enim incertum omnino an hucusque peccati vinculis alligati maneãt, an verò Dei benignitate soluti, peccati iugum à ceruicibus suis excusserint. An ignoratis, quod in eo iudicio quo iudicatis, iudicabimini?

dicia esse fugienda 1. Cor. 4.

Matth. 7.

Cum die quodam populum ad sacra mysteria sumenda tardiorem de socordia corrigere veller, tale quid fecisse legitur. Solenni die cum omnes peracta concione, relicto sacrificio, ociosis vacare fabulis cerneret, ipse quoque è templo egressus, vniuersæ se multitudini iunxit. Omnibus autem factum hoc in tanto Patriarcha stupentibus; Quid (inquit) miramini. Nescitis probum & fidelem pastorem suis ouibus adesse debere? Nam cũ propter vos sacra à nobis peraguntur mysteria, si vos foris versamini, certè constat inutili nos labore fatigari; quare statui vobis, instar optimi pastoris, semper adhærere, & cum egredientibus templo egredi, & rursus cum ingredientibus ingredi. His dictis non pauci pudore affecti, ad frugem meliorem redierunt, & relictis fabulis, sacris rebus libenter vacarunt.

Miro exemplo corrigit populum.

His pietatis & misericordiæ operibus clarus admodùm effectus, cum. Alexandriæ à Persis excidium immineret, diuina proculdubio motus prouidentia, in Patriam suam Cyprum migrauit. Cumque Amathuntem (in qua ciuitate natus dicitur) peruenisset, & felicissimum æternitatis iter sibi instare diuinitus cognosceret, testamentum suum condidit, quod in hunc ferè modum

Redit Cyprum.

Testamentū eius.

scriptum fuisse legitur. Iohannis humilis quidem seruus seruorum Dei, sed Christi Iesu gratia liber. Ago tibi gratias DOMINE Deus meus, quòd me dignum censueris, quod tua tibi offerrem: & quod ex mundi bonis nihil aliud sit mihi relictum, nisi tertia pars nummi: quam ipsam iubeo quoque dari pauperibus, qui sunt mihi fratres in Christo. Quando enim Dei permissione ad Alexandriæ cathedram prouectus sum, inueni in Episcopatu meo octo circiter millia librarum auri: ex oblatione autem piorum, collegi denis millibus plures his pecunias, quas cum cognoscerem esse Christi, Christo etiam dare volui, cui nunc quoque animam trado. Testamento ad hunc modum condito, spiritum in manus creatoris suauiter deposuit. Funus quibus quantisque suorum lachrymis inductum fuerit nullis verbis explicari potest; Cuius sanctitatem in ipsa sepultura omnipotens Dominus protinus honorauit. Nam cum esset in sacratissima Tychonis ade deponendus, in loco, qui duorum episcoporum sepultura celebris erat, visa sunt ipsa corpora defunctorum sanctissimo viro honorem deferre, mediumque inter eos locum tribuere.

Mors misericordissimi viri.

Insigne miraculum.

Porrò ex sacris eius reliquijs copiosa scaturiunt vnguenta, suauissimique odoris fragrantia per totum templum mirificè spargitur. Corpus sanctissimi viri planè incorruptum, Turcarum tyrannus dono misit Matthiæ Hungarorum regi, asseruaturque honorificè in sacello regio castri Budensis, multis illic miraculis coruscans. Vt testatur F. Pelbartus de Themeswar, in sermonibus de Sanctis.

Claret miraculis post obitum.

PRAECLA-

PRAECLARVM MARTYRIVM S. Celerini Diaconi, qui apud D. Cypryanum, tabellarij vel potius legati munere fungebatur, ex epistola 5. lib. 4. eiusdem desumptum. Decertauit pro fide Catholica, multa passus circà annos Domini 253. Fabiani Papæ 15. & sede vacante. Decij Imp. 1.

Vide Cæs. Baron. in Notatio. Martyr Rō. & Tom. 2. Annal.

EA fuit pietate, ijs virtutibus & moribus Celerinus, vt in sortem Clericorum non humana suffragatione, sed diuina dignatione assumptus sit. Tanta enim dignitate ac honore se modis omnibus indignum reputans, cum Ecclesiæ ad Clericalem eum statum postulanti consentire dubitaret, Dei ipsius admonitu & hortatu in visione secūdum quietem compulsus est. Neque enim fas erat, nec plane decebat, vt Ecclesiastico fine honore decederet, quem Dominus cælestis gloriæ dignitate honorauit. Hic enim primus in acie cuiusuis certaminis semper fuit, hic inter Christi milites antesignanus. Hic inter feruentia persecutionis initia, cum ipso infestationis principe & auctore congressus, dum inexpugnabili firmitate certaminis sui aduersarium vincit, vincendi cæteris viam fecit, non breui cōpendio vulnerum victor, sed adhærentibus diu & permanētibus pœnis longę colluctationis miraculo triumphator, per nouem & decem dies, custodia carceris septus; in neruo ac ferro fuit: sed posito in vinculis corpore, solutus ac liber manet. Caro famis ac sitis diuturnitate contabuit, sed animam fide ac virtute viuentem nutrimentis spiritualibus Deus pauit. Iacuit inter pœnas, pœnas suas fortior, inclusus includentibus maior, iacens

3. Februarij

Celerinus diuina ad monitione fit Clericus.

Eximia animi eius fortitudo.

Supplicijs diuturnis & acerbis fuit excruciatus.

iacens ſtantibus celſior, vincientibus firmior oc-
ctus, ſublimior iudicantibus iudicatus. Et quā-
uis ligati neruo pedes eſſent, calcatus ſerpens, &
obtritus & victus eſt. Lucent in corpore gloriæ
clara vulnerum ſigna, eminent & apparent in
neruis hominis ac membris longa tabe conſum-
ptis expreſſa veſtigia.

Sunt magna, ſunt mira, quæ de virtutibus eius
ac laudibus fraternitas audiat. Et ſi aliquis Tho-
mæ ſimilis extiterit, qui minus auribus credat,
nec oculorum fides deeſt, vt quis quod audit, &
videat. In ſeruo Dei victoriam gloria vulnerum
fecit, gloriā cicatricum memoria cuſtodit. Nec
rudis iſte aut nouus eſt in Celerino chariſſimo
noſtro titulus gloriarum; per veſtigia cognatio-
nis ſuæ graditur, parentibus ac propinquis ſuis
honore conſimili diuinæ dignationis æquatur. A-
uia eius Celerina iam pridem martyrio corona-
ta eſt, item patruus eius & auunculus. Laurenti-
nus & Ignatius, in caſtris & ipſi quondam ſecula-
ribus militantes, ſed veri & ſpirituales Dei mili-
tes, dum Diabolum Chriſti confeſſione proſter-
nunt, palmas à Domino, & coronas illuſtri paſſi-
one meruerunt.

Celerina eius auia martyr.

Laurētinus & Ignatius.

Sacrificia pro eis ſemper, vt meminiſtis, offeri-
mus, quoties martyrum paſſiones & dies, anni-
uerſaria commemoratione celebramus. Nec de-
gener ergò eſſe nec minor poterat, quem ſic do-
meſticis exemplis virtutis ac fidei prouocabat fa-
miliæ dignitas & generoſa nobilitas. Quod ſi in
familia ſeculari prædicationis & laudis eſt, eſſe
patritium, quanto maioris laudis & honoris eſt
fieri in cæleſti prædicatione generoſum? Non in-
uenio; quem beatiorem magis dicam, vtrumne
illos de poſteritate tam clara, an hunc de origine
gloriosa

En ſacrificia pro defunctis oblata. Item Martyrium paſſionum Anniuerſariam commemorationē. Vera gloria non in ſeculari, ſed in cæleſti dignitate conſiſtit.

glorioſa ita æqualiter apud eos recurrit, & commeat diuina dignatio, vt & illorum coronam dignitas ſobolis illuſtret, & huius gloriã ſublimitas generis illuminet.

*MARTYRIVM S. BLASII SEBAſtæ Epiſcopi, Ex eo quod eſt per Metaphraſten. Paſſus eſt Anno Chriſti Domini 316. Silueſtri Põtif. Roma. 3. Conſtantini Imperat. 11. in perſecutione Licinij In Oriente Imperantis, ſub præfecto eius Agricolao*

Vide Cæſar. Baron. Ann. Tom. 3.

EXimia vitæ ſanctimonia, & morum integritate inſigni, Blaſius Sebaſteæ ciuitate Cappadociæ, ad epiſcopale munus à fidelibus aſſumptus eſt. Qui vt ſæuiſſimam ea tempeſtate perſecutionis euitaret flammam, commiſſumque ſibi gregem ab incurſu luporum fideliter tueretur, in Argeo monte ſpeluncam ſibi domicilium elegit, in qua tãta ſanctitate vitã inſtituebat, vt ferę ad eum non modo familiariter commearent, ſed & benedictionis gratiã ab eo expeterent non prius alioquin diſceſſuræ; nî vir diuinus eis benedixiſſet. Præerat autẽ tunc tẽporis ei ciuitati Agricolaus copioſo fideliũ ſanguine cruẽtatus, q vt ſuam in martyres expleret ſæuitiam feras quaſque ferociſſimas venabatur. Accidit autem vt venatores montes luſtrabundi, in hanc ipſam S. Blaſij ſpeluncam inciderent, & beſtiarum multitudine virum ſanctum vndiq; cinctũ inuenirent. Qua nouitate rei ſtupefacti primo gradum retulêre, ſed mox Præſidis iuſſu hortatuque ſpeluncam ingreſſi, antiſtitem varia curationis genera ſaucijs impertientem animantibus foras produxêre. Qui animo confidenti & manſue-

3. Februarij.

Degit in ſpelunca.

Feræ eum reuerentur.

Multos doctrina & miraculorum operatione ad Christū conuertit.

manſueto prodiens vincula & compedes alacriter ſuſcepit: plurimos interim gentiles ad Chriſti ſeruitutem cæleſti doctrina ſuauiter alliciens. Nec deerat in illo miraculorum virtus, gloria, qua multorum perfidia expugnabatur, & Dei potentia multorum in cordibus illuſtrabatur.

Cæditur fuſtibus.

Vt autem Sebaſtæam vinctus peruenit, magnas blanditiarum ſuſtinuit certamen, quod tamen animi eius altitudinem deprimere non potuit. Præſes eum ſalutaturus, Deorum pariterque ſuum appellabat amicum. Cui cum reddita ſalutatione, martyr intuliſſet nè eos falſo Deorum nomine dignaretur, qui ſempiternis ignibus cum ſuis cultoribus deſtinati eſſent, tyrannus iracundia præceps fuſtibus eum contundi iuſſit. Ille verò in medijs ſupplicijs ad Præſidem ait, ô ſubdole animarum corruptor, tu me exiſtimas tormentis à Chriſti Dei mei confeſſione auellendum? Erras, habeo enim Ieſum Chriſtum, qui me corroborat: fac quod volueris. Hæc magna animi virtute dicentem tyrannus ad carcerem reduci mandauit.

Incarceratur.

Fatigatus autem aliquamdiu carceris ſqualoribus ad noua ſuppliciorum productus eſt certamina. Suſpenſum in ligno neruis crudeliter cæciderunt, ſed eo fructu vt martyr exclamaret, ô impie & ſcelerate, puraſne tuis me plagis ſuperandum? has ipſas ego nihili duco, quod ſempiternam mihi pariant coronam. Victus igitur martyris conſtantia Præſes, ſolutum è ligno ad carcerem reduci præcepit. Eccè autem inter promiscuum vulgus ſeptem eximia pietate matronæ tendentem ad ergaſtulum martyrem ſubſequentes ſtillantem è ſacro corpore ſanguinem hono-

Suſpēſus neruis atrociter cæditur.

Magnanimitas & fortitudo eius.

Septem fœminarum pietas.

rific-

ificè colligebant, seseque eodem perungentes palàm fidei confessionem edebant.

Erupit in eas continuo satellitum furor, qui apprehensas Præsidj obtulerunt. Is maxima munerum & honorum oblatione, ad simulachrorũ cultum eas inuitauit. Illę verò subdolum euersorem, pia pariter fraude egregiè eluserunt. Inuitatæ enim sæpius ad sacrificia deorum, respondérunt se sacrificaturas quidem, sed ad lacum: quare Deos suos sacco inclusos, ac plumbo consignatos eò præmitteret, vt ibidem ablutis prius in lacu vultibus tandem sacrificent. Paruit eorum hortatui Præses. Adfuêre & illæ, sed obsignatos, inanes Deos præcipiti lapsu in lacum deturbarunt. Irritatus hoc spectaculo Præsidis furor, iussit fornacem copioso igne candentem præparari; Aderat & bullíens plumbum, ferrei pectines, septem laminæ horrendo ardore scintillantes. Interim sternebatur & alia ex parte candidissimum linteum, in quo honoris gratia, siquidem in Christi contumeliam dijs sacrificarent, inambularent. Hisce ex æquo conspectui, illarum oppositis sic eas Præses ipse affatus est; Eccè gloria summæ dignitatis matronis debita. Eccè supplicia deorũ contemptoribus parata. Alterum à vobis eligatur necesse. Vel niueum hoc pedibus vestris inambulate linteum, vel horrenda tormenta excipite.

Comprehẽduntur & sistuntur Præsidi.

Demergunt Idola in Lacum.

Erat matronarum vna duabus stipata proli-bus, quæ fidei calore cæteris audentior, arreptum linteũ flammis tradidit. Trepidantes verò pueri ad matrem conuersi dixerunt; Tu quidem vt pia genitrix, tuo nos lacte in hac valle lachrymarum nutriuisti, da operam vt & cælestibus in cœlo tecum delicijs perfruamur. Interim nulla mora

ferreis

Torquentur Matronæ.

ferreis subduntur pectinibus, quibus dum lacerantur, pro sanguine lac ex earum carnibus manauisse visum est. Aderat eis in certamine auxilium diuinum cum Angelorum consortio, quo benè tutæ flammarum incendia non senserunt, nulloque prorsus dãno corporis accepto è fornace egressæ sunt, Quæ omnia caligo Præsidis præstigijs asscribens capitis eas damnauit. Quam illię sententiam tanto animorum gaudio excepêre, vt pari iubilatione ad vltimi certaminis locum tenderent: pueris lachrymoso singultu subsequentibus, & obsecrantibus, vt Pastori suo Blasio commendarentur. Quæ dum fiunt, spiculator singularum capita manu præcidit sacrilega. Et quidem matronis glorioso certamine coronatis, Antistes è carcere in stadium productus est.

Confortantur diuinitus & illesæ egrediuntur fornacem.

Obtruncantur capite.

Blasius offertur Præsidi.

Vir diuinus sui per omnia similis plaustra blandiciarum, quæ inprimis adhibebantur, contemnens tali ipsum Præsidem responso confodit. Quid me ad inanium deorum prouocas cultum? Eccè corpus hoc tibi modis omnibus excarnificandum relinquitur: Animam certè nulla tu suppliciorum atrocitate continges. Præses hoc responso furore stimulatus, Ego, inquit, te in lacum demergam, & tunc apparebit, quid tibi tuus, quem prædicas, proderit Christus. Nec mora. Productus est ilicò in lacum deturbandus vir Dei, qui consignatas Crucis virtute aquas ita muniuit, vt solidum per eas transitum inueniret. Hoc spectaculo sexaginta & octo viri prouocati, præcipiti animi cõfidentia eum insecuti sunt; sed mox ad ima demersi acerbã Præsidi cladem reliquerunt. Fertur Angelus Domini tunc martyri apparuisse, hortans vt egrederetur paratam

Aquas S. Crucis signo consignatas inãbulant.

Deo

Deo iustitiæ coronam accepturus. Prodijt autem tanta claritate refulgens, vt omnes ingenti admiratione tenerentur. Præses autem certaminum cum sui nominis dedecore pertæsus, capitis eum sententia damnauit, quam glorioso fine vna cum duobus pueris lætabundus excepit,

Decollatur S. Blasius cũ 2. pueris sibi ab vna matronarum commissis.

## MARTYRIVM SS. PHILOROMI ET Philææ ex ecclesiasticæ historiæ Eusebij libro octauo cap. 10. & 11. Passi sunt Anno Diocletiani Imperatoris decimo nono Christi Domini 302. Marcelli verò Papæ. 6.

Vide Cæs. Baron. Ann. Tom. 2.

PHiloromus & Philæas, diuitiis, nobilitate, gloria eloquentia, & Philosophiæ cognitione admodum illustres, præclarum sanè martyrij certamen obierunt. Quorum alter, Philoromus nimirum, generali controuersiarum iudicio ab Imperatore ucm summa gloria & honore præfectus; alter vero Philæas Thmuitensis ecclesiæ episcopus; vir planè cum in ciuilibus patriæ institutis, & ecclesiæ ministerijs valdè præstabilis: tum philosophiæ disciplinis eximius. Hi cum neque maximis, in quibus viuebant, opum honorumque splendoribus, neque amicorum & cognatorum precibus, neque ipsius iudicis vel minis, vel blanditijs, à Christi confessione ad impium simulachrorum cultum traduci possent, sed animo virili, & mente Philosophis, imo Deo digna, omnibus iudicis minis & contumelijs obstantibus, æternam, capitis sententia gloriæ coronam accipere meruerunt.

4. Februarij.

Philoromi dignitas.

Philæas Episcopus.

Inuicti illorum animi.

Abeunt è vita, capitis obtruncatione.

Et

Et vt clarius Philææ virtutem, inuictumque animi robur, pariterque martyria, quæ eius ætate Alexandriæ contigerunt, cognoscere liceat, summam epistolæ eiusdem Episcopi ad Thumm. perscriptæ, hic attexere libet. Beati, inquit, martyres, qui apud nos pro Christi fide occubuerunt, meliora dona æmulantes, omnia, quæ excogitari poterãt suppliciorum genera, non semel, sed iterum atque iterum sustinuerunt. Quorum eximiam fortitudinem, & excelsam in singulis tormẽtis animi magnitudinem, quæ tandem oratio poterit explanare? Et cum libera omnibus, quibuscunque vellent pœnarum contumeliarumque generibus, martyres affligendi potestas facta esset, hi fustibus, illi virgis, alij flagellis, nonnulli loris, multi funibus eos perculerunt; atque spectaculum hoc plenum probri & ignominiæ, nouis vicissim plagarum suppliciorumque generibus erat variatum. Quidam enim, manibus primùm à tergo reuinctis, ligno appensi, & machinis quibusdam membra eorum vniuersa distenta, deinde grauiter non solum latera, sed ventер, tibiæ & genæ ferreis flagris cæsa sunt. Alij altera manu ad porticum affixi, acerbissimam articulorum membrorumque distensionem patientes, pepẽderunt. Alij alterius in alterũ vultu obuerso ligati, & columnis appensi, funibus summa virium contentione retractis, corporis grauitate ac pondere acerbè premebantur. Et hoc quidẽ supplicij genus non ad horam, dum cum illis quæstione disceptaret Præses, sed per totum ferè diem sustinebant.

Præter alia tormentorum genera, istud nouum præterea, quod sequitur, aduersarij nostri inuenerunt. Nonnulli post verba in compe-

dibus

Ex epistola Philææ, in carcere, de martyribus Alexandriæ scripta.

Martyrum multiplices cruciatus & iniuriæ.

Nouũ supplicij genus.

dibus ligneis positi erant, & pedes, alter ab altero ad quartum foramen distenti distractique, adeò vt necessario supini iacerent, nec possent propter plagarum vulnera, recèns toti corpori inflicta, se vllo modo commouere. Alij in solum proiecti, crebris tormentorum ictibus fatigati, semineces iacebant; & varia diuersaque supplicio-rum stigmata, longè miserabilius ipsis tormentis spectaculum, contemplantium oculis, subijciebant. Ex his autem nonnulli in ipsis tormentis mortui, singulari animi tolerantia aduersarium confuderunt. Alij cum ipsa morte in carcere certantes, dolorum tandem acerbitate oppressi, feliciter migrarunt. Reliqui integra valetudine & viribus recuperatis, longo carceris supplicio rumque vsu exercitati, terribiles nimis ipsis dæmonibus euaserunt. Atque hoc quidem modo, cum singulis eorum, vel libertas & maximus opum honorumque omnium splendor, si victimas execrabiles contrectare, vel exquisitissima tyrannorum supplicia, si in Christi confessione perseuerarent, proposita essent, illi, tota mente & ardenti fide, in Christi amorem & cœlestis vitæ spem intenti, inflammatis ad mortem animis properabant. Has litteras Philæas ad fratres ecclesiæ, cui ipse præerat, in carceris custodia exarauit, vt tam præclaro certamine oculis eorum obiecto, omnes ad similem coronam excitaret.

Inuicta martyrum fortitudo.

## POENITENTIA ET REVERSIO AD Dominum nostrum Iesum Christum, quæ facta est Theophilo, Ecclesiæ Orientalis regionis, nomine Adana, œconomo. ex Simeone Metaphraste, auctore Eutychiano, huius Theophili ministro.

4. Februarij. Theophilus œconomus.

FVIT in Adana ciuitate vir quidam Theophilus nomine, eius ecclesiæ œconomus, qui cum multò tempore cum summa singularis prudentiæ & eximiæ sanctitatis opinione, nec non & ciuium omnium gratulatione huius ecclesiæ res, ex voluntate Episcopi, administrasset, in tantũ eius apud populum creuit auctoritas vt communi omnium suffragio ipse in demortui Episcopi locum eligeretur. Quam ille dignitatẽ summa animi contentione à se repellere conatus est. Cum autẽ Metropolitanus ad muneris dignitatem suscipiendam constanter eum hortaretur, ille toto in terram corpore prostratus, propter multiplicem peccatorum suorum rationẽ indignum prorsus se clamauit. Victus tanta animi eius constantia Metropolitanus, alium continuò ea functione dignum substituit. Interea clàm, quidã inuidiæ stimulis in Theophilũ agitati, dente maledico nomen eius mordere, & falso apud Episcopum traducere cœperunt, eoque tandem rem perduxerunt, vt Episcopus præcipiti consilio virũ sanctum œconomico exutum officio in ordinem redigeret. Qui summa animi tranquillitate ignominiæ notam pro Christi amore ferens, quietã aliquamdiu domi suæ Deo vitam egit, donec humani generis hostis inuidiæ & ambitionis flamma cor eius miserrimè incenderet. Hac igitur peste

Eligitur Episcopus.

Humilitas eius.

Remouetur ab officio œconomi.

peste intimis medullis concepta. quid non facit miser Theophilus, quæ non consilia captat, quo posset voto potiri suo?

Erat in ea ciuitate homo quidam Hebræus, magicis artibus imbutus, qui nefariam Diabolo longo tempore operam nauauerat. Hunc intempesta noctis silentio, alienata iam mente, accessit Theophilus, & pedibus scelerati viri prouolutus, infimis precibus opem eius imploranit, tertio quoquo verbo miserũ se clamitans, quod nõ ferendis ab Episcopo probris affectus esset. Magus hortatur eum bono animo esset, conferret se domum suam lætus, altera se nocte eum ad patronum suum adducturum. Abijt domum summo delibutus gaudio miser. Redijt verò sequenti nocte; Tum magus, Primum (inquit) meminisse debes, ô Theophile, nihil tibi hic cum Christiana pietate commercij esse debere; Caue igitur ne crucis aliquando signum hic edas; deinde nullis prodigijs vel clamoribus animi constantiam dimittas. His dictis, repentè eum in medio cacodæmonum, cui tenebrarum princeps præsidebat, cõstituit. Qui simulata quadam vultûs seueritate ad magũ dixit; Quid hunc ad nos hominem Christianorum totũ flagrantẽ introduci s? Cui magus; Tuã imploraturus opem, ô princeps inuictissime, huc aduenit. Tum princeps; Opem ego meam nemini vt nosti, impartiri consueui, nisi qui se mihi fideles in seruitutẽ tradunt. Et magus conuersus ad Theophilũ: Audis, inqt, quid facto opus sit, si voti compos fieri velis? Audio, inqt, Theophilus, & humi prostratus dæmoniorum principis pedes deosculatus est. Tum iterum princeps; Gratum habeo hoc animi obsequium, sed volo scripto hoc ipsum confirmari. Datam igitur Christo virginis

Petit opem à mago.

Magus signũ Crucis inter dicit.

Sistit eũ dæmoniorum principi.

Theophilus osculatur pedes dæmonis.

filio fidem rescinde, ipsamque virginem deserere. Quid faceret hac tam iniqua proposita conditione miser, qui mentem gerebat sceleris conscientia perturbatam? Paret ilicò & æternæ perditionis suæ chirographum sigillo ceraque munitū tradit impostori. Et sic lætitia magna exultans recedit.

Negat Christum & matrem eius.

Sequenti autem die Episcopus non mediocri animi dolore propter Theophilum ab officio remotum, conflictari cœpit; adeo vt eum in amissum dignitatis locum restituerit: & supplicibus etiam verbis ab eo veniam postulauerit. Hac tam felici rerū conuersione succesſuque gauisus Theophilus, ingentes suo Domino agere gratias sibique gratulari cœpit. At clemens & misericors Deus operum eius præcedentium, quibus pupillorum & viduarum inopiæ egregiè consuluerat, memor, non passus est tantis eum tenebris inuolutum funditùs interire, sed benignitatis suæ lucem ei ostendit, qua protinus tanquam à graui somno excitatus, lamentis & ieiunijs, assiduoque orationis studio totum se dedidit, & crebris singultibus infelicem sortem suam deplorauit, & dementiam his ferè verbis damnauit. Hei me miserum, hei me infœlicem. Siccinè iuuat insanis laboribus, cum vano stultissimoque mundi totius applausu, ad æternæ mortis properare periculum. Et quo dementię dilapsus sum? Viuebatne aliquis me felicius, quando ab omni publicæ functionis administratione remotus, soli Deo seruiebam? Et nunc quid faciam? ad quem ibo? cuius opem implorabo?

Restituitur pristinæ administrationi.

Redit ad mentem.

Deplorat egregiè cæcitatē suam.

Cum hac lamentatione sceleris sui grauitatē acerbè deplorasset, & abiecta omni spe venię animo concidisset, venit ei tandem matris Dei in

mentem

mentem, quanta nimirum benignitate afflictis subuenire soleat. Eam igitur animo confidenti, spe consequendæ veniæ adire constituit. Nec mora, inani duri certaminis posita formidine, quadraginta diebus totidemque noctibus, in sacro sanctissimę virginis templo ieiunijs, vigilijs & assiduis afflictionibus incumbere, nec vllam consolationem admittere, nisi aliquod diuinæ clemẽtiæ signum habere mereretur. Et ecce noctis medio, Virgo Dei genitrix claritate tremenda, humanis se oculis conspiciendam præbens, asperis sanè verbis precantem aggreditur. Quæ, inquit, ô homo, hęc mentis tuę impudentia, vt ore sacrilego perfidoque me interpellare audeas, qui tantis à filio meo affectus beneficijs, eum negare & dæmonibus postponere non veritus fuisti? Itanè verò? Huic ego tam perfido opem ferre, & scelerum veniam postulare ausa sim? quare desine mihi molestiam exhibere. Cui Theophilus maximo eiulatu supplicans respondit; O vnicum humani generis refugium Virgo purissima, Virgo sanctissima, nè quæso me miserum æternæ mortis metu circumuentum despicias, sceleris mei grauitatẽ veniam quidem non mereri fateor, tuo tamen patrocinio fretus hanc nequaquam despero. Memento peccatoribus vnicum miseriarum suarum refugium, pœnitentiam nimirum, à Deo constitutam esse, quam ego totis animæ meæ medullis amplector, tu tantum misericordiæ mater, miserere mihi filium tuum placatum redde.

Virginis Mariæ opẽ implorat, & pœnitentiæ operibus incumbit.

Virgo Maria durissimis eum verbis increpat.

Insignis Theophili confidentia erga Virginẽ Mariam.

Hac pia animi eius submissione flexa sanctissima virgo, voce eum blandissima confirmat, & ad firmissimam veniæ spem excitat. Deindè hortatur vt impio dæmonis, cui se tradiderat, cultu abiurato, Christum Dei filium confiteretur. Paret

Virgo Maria eum ad spem veniæ excitat.

ille,& fidei suæ professionem Apostolica auctoritate nobis traditam recitat,& horrida longo iunio membra terræ allidens,oculos in venerandam sanctissimæ Virginis effigiem intendit, nec prius à pectoris tunsione cessat,quam aliquod,restitutæ in Dei gratiam conscientiæ suæ,testimonium accipiat. Et eccè iterum Dei genitrix humani generis aduocata,apparens & obscuram tristitiæ nubem ab eius corde præsentia sua discutiés, lachrymas & preces eius in Dei conspectum admissas esse testatur.

Intercessione Virginis veniã meretur.

Hoc virginis responso vehementer exhilaratus est,non tamen ita vt non multo magis pertiolæ defectionis chirographum eum angeret pro quo instantius virginem precari cœpit. Et, vt miraculo nihil deesset,certissimũq; diuinæ misericordiæ testẽ haberet, eccè tertio deinde die,cõscriptam perfidiæ suæ chartam ab ipsa virgine in somnis accipit. Qua manè facto, in pectore suo inuenta,tanto & gaudio & timore correptus est, vt dissolutis membrorum compagibus,totus deficeret. Altero autem die,qui Dominicus erat, in frequenti fidelium congregatione cum charta Episcopum adijt,eamque, sacra sancti Euangelij lectione peracta, ad pedes eius proiectam exposuit cum ingenti lachrymarum vi,postulans vt eã pro concione populo explicare dignaretur. Interea humi prostrato Theophilo, Episcopus lucolenta sanè oratione sanctissimæ Virginis benignitatem & patrocinium, quo miser ille ab æternæ damnationis periculo ereptus erat, exposuit. Quomodo enim(inquit) hic Theophilus vel ullam spem veniæ aspirare, vel conscriptam propria manu perditionis suæ schedulam recipere posset,nisi singulari virginis sanctissimæ intercessione ad-

Chartam à B. virgine recipit.

Matris Dei eximia præconia.

one adiutus fuisset? Finita verò oratione, nefariã chartam igni exurendam tradidit Episcopus, & in Dei gratiam restitutum Theophilum viuificis Christi sacramentis impartijt; & eccè eximius quidam decor, cum admirabili splendore coniunctus, in facie eius emicuit, qui populum, ad Dei misericordiã sublatis in cælum clamoribus celebrandam, mirifice excitauit.

Exuritur ab Episcopo charta.

Facies eius splendore coruscat.

Postremò incredibili gaudio repletus Theophilus, mox à perceptis mysterijs, ad gloriosæ Virginis templum, in quo salutem consequutus erat, rediens, leni protinus infirmitate correptus, triduo in oratione perseuerauit; quo exacto, rebus suis ritè dispositis, è corpore tanquam ex ergastulo quodam ad Dominum feliciter migrauit. EGO Eutychianus natus in ædibus huius beatissimi Theophili, & deindè Clericus huius Ecclesiæ, quæ vidi oculis meis, & auribus audiui, sedulò & certò, ad Dei omnipotentis gloriam conscripsi.

Excedit à vita.

Testatio authoris de historiæ veritate.

## VITA S. REMBERTI SECVNDI *Archiepiscopi Bremensis. Successit autem sancto Anscario. Claruit sub Ludouico Pio Imperatore, & eius filijs. Accepitq; pallium à Nicolao primo, Pontif. Rom. excessit è corpore Anno Domini 888.*

Vide Cæs. Baron. in Notatio. Martyr Rõ. & Tom. 9. Annal.

CVM Ludouicus Pius ad sublimem imperij dignitatem Dei misericordia euectus esset, vt gratam accepti beneficij memoriam Deo declararet, totis in eam ré viribus incubuit, vt quantis posset, maximis virtutũ omnium incrementis ecclesiam illustraret. Cumq; assidua

4. Februarij.

Ludouici Pij studium erga ecclesias.

patris eius Caroli Magni ( qui Saxonum gentem ad Christi fidem perduxerat) recordatio, animum eius stimulis incitaret, & rerum ab eo gestarum gloria admodum illustris torpescere non sineret, primo cogitationem illam piam Caroli mortè extinctã, qua finitimos populos ad verã summi Dei cognitionem vocare decreuerat, renouauit; institutoque Anscharío primo ecclesiæ Hamburgensis Archiepiscopo, rudem in fide populũ egregiè illustrauit. Erat enim hic Anscharius vir cũ eximia sanctitatis laude florens, tum eruditionis & rerum agendarum gloria valdè insignis.

Anscharius primus Hãburgensis Archiepiscopus.

Hic cum quodam die, inter pueros quosdam inanibus cursibus & iocis ad ecclesiam properantes, Rembertum grauitate morum, & maxima pietatis significatione ætatem superare conspiceret, accitis ad se parentibus eius, summa eorũ voluntate tonsura insignitum, ecclesiastico donauit habitu. Quem optimis disciplinis imbutum, breuique liberalibus egregiè disciplinis instructum, indiuiduum suæ legationis comitem habere voluit. Cumque præstantem eius futuræ vitæ sanctitatem in spiritu cognouisset, instanter eum hortabatur, ne diuinæ gratiæ abundantia elatus, superbiam aliquandò indueret, sed humilitatem animi summa contentione seruaret; quod & ille toto vitæ suę cursu egregiè adimpleuit.

S. Anscharius Rẽbertũ habitu eccle siastico induit.

Cum adhuc ministerio Archiepiscopi deseruiret, apparuit ei quadam nocte presbyter quidam Arnulphus nomine, iam pridem defunctus, qui, ob vitam in mundo negligentius actam, acerbissimis pœnis subiectus, multis lachrymis & gemitibus suffragium eius implorabat, asserens se tam diris cruciatibus ereptum iri, si quadraginta dierum ieiunio se pro eo macerare vellet.

Visio S. Rembertí.

Euigi-

Euigilans è somno Rembertus visionem Episcopo exposuit, habitoq; consilio, solo pane & aqua negotium aggressus est; quo tempore tam immanti dentium dolore cruciabatur, vt panem etiam admittere recusarent. Expletis autem huius abstinētiæ diebus, presbyter, pro cuius hęc salute agebatur, cuidam insignis admodum sanctitatis fœminæ apparuit, mandans ei, vt quas posset maximas gratiarum actiones ex se; Remberto ageret, cuius salutari cibi potusque parsimonia cælestis aulę ingressum promeritus esset. Deindè sanctissimæ huic fœminę, Remberti virtutes, & clarissimam iustitiæ coronam à Deo in cœlis ei constitutam narrauit; qua tantum abfuit vt meritorum suorum confidentia elatus, aliquid sibi tribueret, quin potius anxiè semper de bonorum operum omissione sollicitus esset.

40. dies pene & aqua victitat.

Nota humilitatem S. viri.

Porrò cum beatus Anscharius graui corporis languore oppressus ad sempiternam requiem properaret & confluentes vndique fideles subditi de pastore subrogando solliciti, quæsiuissent, quemnam potissimum ea administratione dignum iudicaret, respondisse fertur, se magna conscientiæ securitate de Remberti meritis pronunciare, eum Archiepiscopi sede digniorem esse, quam se diaconi functione. Hoc tam præclaro pastoris sui de Remberto testimonio confirmati, mox à discessu Anscharij, vnanimi consensu eum elegerunt, adductumque cum summo totius populi applausu ad Lodouicum Regem, consecrari postularunt. Qui votis eorum libenter annuens, ad Lintbertum Archiepiscopum Moguntinum eum misit. Vbi susceptą consecratione, omnibus, qui conuenerant, pontificibus, vitæ suę deinceps et voto transigendæ normam explicauit; asserens

Testimoniū S. Anscharij de Remberto.

Eligitur Anscharij successor.

se vna cum monasticæ vitę austeritate, & habitū suscipere velle. Pontifices audito hoc viri sancti proposito, primo quidem admirari, deinde bonitatem & gratiam laudare. Mox igitur Rembertus animo ad omnem virtutis perfectionem instructo, ad nouæ Corbeiæ monasterium properauit, ibidemque sancti Benedicti regulam solẽni voto (quatenus tamen labores & occupationes suscepti episcopatus permitterent) professus est. Et nè qua ratione à suscepto vitæ instituto deflecteret, eius monasterij fratrem, probatæ sanctitatis virum, nomine Adelgarium, in omni loco actionum suarum testem habere voluit. His itaque armis instructus vitam omnem cum eximia sanctitatis laude confecit.

Fit monachus Corbeiensis.

Igitur cum corpore inter dignitates & mundi gloriam versaretur, animo tamen cum Deo in cælestibus ambulabat. Lectionis & orationis studium ab eo nunquam recedebat: Vigiliarum & abstinentiæ vsum ita exercebat, vt ea, propter Dei opus alacri mẽte exequẽdũ, instituta esse diceret. Denique ea modestiæ & prudentiæ significatione, in tam sublimi dignitatis gradu versabatur, vt monasticæ vitę iacturam nullam pateretur. Rarum profecto virtutis exemplum. Quanto autem charitatis studio in egentes & calamitosos accensus fuerit, facile assidua eius ad domesticos adhortatio declarat, qua eos excitabat, ne vnquam de pauperibus benemerendi studium intermitterent. Nam præter publica egentibus constituta hospitia, quæ eius admodum beneficij clara erant, ipse Marsupio præcinctus, obuium quemuis miserum subleuabat, & alios non paucos habebat, qui charitatis officio assidue incumbebant. Cum autem magna cura ventrem mor-

Virtutes eius eximiæ.

Benignitas eius in pauperes

cura

turæ carnis terreno satiare pane inuigilaret, tum longè maiori, victuram in perpetuum mentem, diuini verbi pabulo reficere, nunquam cessabat. Porrò ad captiuorum redemptionem, sacri altaris vasa impendere minimè dubitauit; qua in re cùm ab insipientibus argueretur; respondit; Summa quidē in veneratione res Deo cōsecratas esse debere: pluris tamen hominem Christianum, Christi ipsius, filii Dei pretioso sanguine redemptum, faciendum esse; quare nec ego impietatis arguendus sum, si Dei filium, perituris ecclesiæ thesauris, anteferam. Libet autem, exemplum vnum, in quo non minus potentia miraculi, quàm misericordiæ opus effulsit, commemorare. In partes quandoque Sclauorum veniens, ingentem Christianorum multitudinem catenarū vinculis constrictam vidit; inter quam, virginem Deo sacram, motibus corporis ad reuerentiam & honorem compositis, misericordiam eius eminùs implorare cognouit; atque vt certissimum fidei suæ testimonium illi daret, vōce in cælū sublata psalmum cantare cœpit. Tum episcopus miseratione commotus, supplices ad Deum preces pro salute eius fudit, & mox catenarum vincula non sine Barbarorum ingenti admiratione disrupta sunt. Non potuit tamē præsens miraculū eam è barbarorum manibus liberare. Ingens ergò auri & argenti vis ab Episcopo Barbaris oblata est; qua repudiata, equū eius pro redemptione postularunt; quem ille libens & gaudens cū omnibus ornamentis tradens, virginē è durissima captiuitate redemit. Laudibus māsuetudinis ita excelluit, vt eo tempore parē sibi nō haberet. Miraculorū etiā virtute & in vita & post mortē clarus exstitit. Nam in Suediam proficiscens, maris tempestatem

Studium S. Remberti in captiuis redimendis.

Liberat virginem Deo sacram è captiuitate.

Mansuetudo eius.

Varia eius miracula.

ſtatem non rarò orationibus ſedauit, cæci cuiſdam oculos ſacro perunctos Chriſmate illuminauit; quendam Regis filium à dæmone liberauit, alijſque ſanè miraculorum virtutibus ſanctitatis ſuę teſtimonium dedit.

Sacra munitus communione è vita diſcedit.

Septimo ante obitum ſuum die, ſacroſanctis corporis & ſanguinis Domini myſterijs, ad cœleſtem patriam iter ſibi quotidie muniuit, & quantum ingraueſcens languor de corporis viribus adimebat, tantum Dei gratia ſpiritum cõfirmabat, donec ægrum corpus tanquam carceris habitaculum cum gaudio deſereret.

Tùm verò incredibilis, pauperum & egenorũ gemitus exortus eſt. Quomodo enim non maximum ex eius morte dolorẽ caperent, cuius benignitate ſe frequenter ab inopia ſubleuatos recordabantur? Itaque aſſiduis lachrymis funus eius omnes proſequebantur, quod, eius præcepto, magno humilitatis indicio, non in templo, ſed extra baſilicam procuratum fuit. Erat autem ſepulcrũ euis penſili lampade, ex ligno fabrefacta, adornatum, ipſa verò ſepulcri ſuperficies expanſo velamine contecta. Quadam verò nocte lampas inflammata in linteum decidit, quod procul dubio meritis ſancti viri ita ab ignis læſione integrum permanſit, vt nihil omninò damni perceperit.

Vide Cæſar. Baron. Tõ. 2, Annal.

## *MARTYRIVM S. ISIDORI. EX METAPH. Paſſus eſt anno Domini 253. Sede vacante. Decij Imp. I.*

5. Februarij. Patria eius.

SANCTVS & inuictus Chriſti martyr Iſidorus, ciuitate magni nominis Alexandria oriundus, poſtquam ſe egregiè aduerſus tyrannorum crudelitatem, Chriſtianorum ſanguinem auidiſ-

uidissimè sitientium, multis varijsque pietatis hudijs muniuisset, accidit, vt quidam sceleratę vitæ Centurio, Iulius nomine, sancti huius martyris eximia pietate, qua impium deorum cultum Accusatur apud Numerium. uerſabatur, offensus, eum apud Numerium, suprenum Decij tyranni exercitus ductorem accusaret. Qui protinus martyrem tribunali suo sisti iussit. Et primo, de nomine interrogatus. Isidorũ se appellari respondit. Mox autem quæstione de religione & deorum cultu instituta, & animo & voce libera deos nefandos execratus est. Cui Numerius; Vt video supplicijs tu multis & tormentis dignus es. Tum Isidorus; Dignus ego pro Deo meo & contumelijs & plagis & morte sum. Veruntamen scire te oportet, corporis quidem huius fragilitatem tuæ crudelitati subiectam esse, animę verò immortalitatem nequaquam. Quarè nihil moror, tormenta exerce, & crudele impię voluntatis tuæ desiderium perfice. Numerius autem, Ego tibi, inquit, ô Isidore, meo acquiescere consilio statim persuadebo. & his dictis, à quatuor viris extentum, boum neruis crudelissimè cædi mandauit. Præclara martyris vox. Cæditur neruis boũ.

Circumstans autem turba, vt se à crudelissimis experet supplicijs, dijs sacrificando, multis verbis rogare cœpit. Quorum ille preces reijciens, constanti animo vni, vero & æterno Deo sacrificare testatus est. Victa hac animi fortitudine Numerij malitia, consultatione cum suis habita, gladiorum, lata sententia, feriri iussit. Mox igitur à speculatore ad locum certaminis ductus, primò quidem immensas omnip. Deo gratias egit, deinde omnibus qui sui memoriam piè agerent diuini nominis protectionem à Deo precatus est; postremò flexis in terram genibus, postquam totum

Crucis se signo munit. Plectitur capite.

totum corpus crucis signo armasset, gladijctum excepit. Ammonius autem magna ei familiaritate coniunctus, sanctissimum eius corpus, postibito iniqui Numerij mandato, qui illud ferisleniandum relinqui volebat, eodem in loco terra mandauit.

Sanctas eius reliquias Myrope domum suam deportat.

Post aliquot deindè dies, veneranda & pietate clara Myrope matrona, Ephesо imminentē Christianorum persecutionem declinans, cognito præclaro inuicti martyris Isidori certamine, sacras eius reliquias magno studio indagabat. Sacrum tandem sanctissimi corporis thesaurum instar luminis resplendentem, inuenit, quem summa cum veneratione, ancillarum adiuta ministerio, domum suam detulit.

Templum. S. Isidori.

At ciues Chij, apud quos certaminis sui cursum perfecerat, magno eius desiderio saucij non distulêre insignem illi Basilicam erigere, in qua maximo pietatis officio sanctas eius reliquias recōditas seruârunt. Sed & Marcianus apud omnes tunc pietate celebris, qui sanctæ Irenes & Anastasiæ templum eadem in ciuitate excitauit, eodem sanctum Isidorum honore prosecutus est: partemque reliquiarum aromatibus & sacro vnguēto conditam, ibidem reposuit. Vbi sanè non infimæ notæ miracula Deus ad martyris sui gloriam illustrandam operatus est; nam & immūdos spiritus fugauit, & plurimos graui infirmitate oppressos liberauit, omnibusque, quacunque in angustia constitutis, martyris sui memoriam pie recolentibus benignitatis suæ opem ostendit.

Item aliud.

Miracula ad S. reliquias eius.

MARTI-

MARTYRIVM S. ET GLORIOSAE Virginis Agathæ. *Cuius acta tam Latinis quam Græcis sunt notißima. Decertauit autem celeberrima inter plurimos martyres Anno Saluatoris 254. Sede vacante, Decij Imp. anno secundo.*

Vide Cæsar. Baron. Tō. 2. Annal.

MOderante sceptra Romani Imperij Decio, Quintiano autem insulæ Siciliæ Præside, edictū ab eis, sceleris & iniquitatis plenum promulgatū fuit, quo omnes Christianę pietatis cultores morti subijciebantur. Eodē verò tēpore virgo excelsi animi Agatha & præcharis admodum natalibus ex ciuitate Panormitana orta, incredibili, subeundi pro Christi nomine certaminis, cupiditate exarsit. Igitur Quintianus Præses cum multa de eximia virginis pulchritudine, & optimis moribꝰ percepisset, œstro libidinis miserè incensus, cœpit praua agitare cōsilia, quò modò impuris eius amplexibus potiretur. Cumque non aliam, voto potiundi suo, rationem inuenire posset, nisi quod deorum cultu contempto, Christianis studeret rebus; militibus quibusdā suis in mandatis dedit, vt comprehensā ad se adducerent. Parent illi Ducis sui imperio, agebamq; his verbis aggrediuntur; Quoniā famā est deorum te cultum negligere, Cæsaris edictum comprehendi te iubet. Nunc igitur, si dijs sacrificium offerre parata es, omni cum honore ad Præsidem Quintianum ducemus.

5. Februarij.

Patria S. Agathæ.

Ardet cupiditate martyrij.

Comprehēsa ducitur ad Præsidē.

Agatha animo egregiè ad certamē pro Christi gloria subeundum instructa, domum suam ingressa, fusis ad Christum precibus, illibatam corporis castitatem ab eo ardentissimè precata est. Lictoribus interea tyranno eam sistere festinantibus

Christo preces offert.

Insignis virtus in Virgine.

tibus, prompto & alacri animo iuit cum lictoribus, virtutis pulchritudinem assidua cogitatione reuoluens. Et eccè, inquit, ô inimice veritatis abole, nonnè vides meum stadium innumeris Angelorum choris cinctum, certaminis mei spectatoribus, & ipsum Angelorum Dominum Christum Iesum sempiternam iustitiæ coronam promittentem? His dictis præ gaudio lachrymas fudit. Progressa verò paululum pedis eius calciamentum solutum est; quod restringere volens, retrò conuersa, solis se militibus à ciuibus suis relictam vidit. Qua re, magno animi dolore confecta, Domine Deus, inquit, ostende quæso ciuibus meis, hoc in loco perfidiæ suæ signum, statimque sterilis exorta est olea, quæ publica Panormitanorum mentes ignominia notauit.

Sterilis ôlea repentè oritur.

Traditur Aphrodisiæ matronæ.

Catanam autem ingressa, mandato Præsidis tradita est cuidam matronæ Aphrodisiæ nomine, cui quinque filiæ iuuenes erant; his commissum est, vt quibuscunque possent modis, eius mentem à Christi amore ad simulachrorũ cultũ traducerent. Sed mens virginis, Christi amore ebria, nullis vel blanditijs vel minis inflecti potuit. Victæ igitur fallaces dæmonum incantatrices Agathæ constantia, Præsidi denunciarunt oleum se & operam perdere. Iratus Quintianus iussit eam suo tribunali sisti. Deinde ad Virginem. Cuius es generis? Ego quidem, inquit Agatha, ex nobili & illustri sanè familia orta sum, & sunt mihi quoque cognati diuitijs insignes. Vera autem nobilitas & gloria mea, in Christi sempiterni Regis seruitute constituta est. Cui præses; Quid igitur nos, qui Christi seruitutem despicimus, libertatem non habemus? Certè, inquit, Virgo, ad tam duram & seruitutem & captiuitatem dilapsi estis, vt ligni & lapi-

Sistitur tribunali.

Egregia S. Virginis sententia.

& lapidibus, nulloque sensu præditis simulacris seruiatis. Quæso, inquit Præses; resipisce ab hac cogitatione tua, dijsque sacrifica. Cui Agatha. Sit, inquit, sicut Venus dea tua, vxor tua: & sis tu sicut Iupiter Deus tuus. Quintianus ratus se contumelia affici, colaphum ei infringi iussit. Agatha autem Miror, inquit, te virum prudentiæ opinione præstantem, verba meacontumeliam interpretari, quibus deorum vitā tibi precata sum. Quintianus ira exǽndescens, in carcerem eam detrudi iussit.

Carceri mācipatur.

Sequenti autem die suspensam verberari mandauit, sed nullis eius constātia verberibus frangi potuit; quin potius inter tormenta incredibili exultans gaudio, rabiem tyranni contemnebat, nam (dicebat Præsidi) vt frumentum, nisi palea mundatum, tuto in horreo conseruari non potest, ita nec anima meā tutò cæli penetralia prius subire potest, quam corpus hoc varijs affectum supplicijs fuerit. Qua voce vehementer exǽndescēs Quintianus, mamillam ei amputari, firmisque includi carceribus iussit.

Eius animi constantia.

Mamilla eius amputatur.

Profundæ autem noctis silentio, apparuit ei veneranda admodum ætate Princeps Apostolorum, afferens se à Deo curandis eius vulneribus missum esse. At illa virgineo correpta pudore, corporis sui nuditatem exhibere recusauit, in solā Christi Iesu benignitate se requiescere dicens, qui vel solo nutu acceptas pro eius nomine plagas delere posset. Tunc leni subridens vultu Apostolus, Imo, inquit, & eius iam gratia curata es. Hæc dictis euanuit ab oculis eius.

S. Petrus ei apparet.

Curātur eius vulnera diuinitus.

Agatha verò tanta Dei benignitate mirificè consolata, in gratiarum actione lætabunda perseuerabat. Tota verò nocte immenso circundatus

lumine carcer, à custodibus timore perculsis, desertus est Ad fugam igitur capessendam, omnes in vinculis detenti, Agatham hortati sunt. Quibus Agatha; Absit vt æterna gloriæ corona tam me fuga spolié, quin potius ad extremũ vitæ spiritum Christi adiuta gratia, pro eius nomine aduersus impietatem decertabo.

Non vult fugere aperto licet carcere

Quarto dein die in iudicium adductam, omni supplicium atrocitate propositâ, iniquissimo Imperatoris parêre edicto coëgerunt. Sed illa contemptis eorum minis & supplicijs, quantum roboris in Christi gratia constitutũ haberet, declarauit. Tandem Quintianus furore percitus, adignitos eam carbones condemnauit. Et eccè terribili terræ fragore concussa, duos Præsidis familiares quorum consilio scelerata in martyrem iniquitas vigebat, Vulteium & Theophilum internecione deleuit; Populus autem ingenti pauore correptus, facto in prętorium concursu, Præsidẽ in summas angustias compulit.

Terræ motu horrendus.

Sed sceleratus ille, nec hisce quidem signis Dei potentiam agnoscere valens, iterum eam in carcerem abduci iussit; vbi Christi virgo & martyr gratiarum actione, pro certamine feliciter transacto, persoluta, impollutum Deo spiritum reddit. Populus autem mirabili pietatis studio excitatus, sanctas eius reliquias, cùm summo honore reuerentiaque collectas, deposuit. Quidam verò adolescens pulcherrimo vestium ornatu decorus, tabulam marmoream his inscriptam verbis capsæ imposuit; Mens sancta, honor in Deum voluntarius, & patriæ redemptio. Subitoque euanuit, quem Angelum Dei fuisse multi confirmant.

Felicitèr migrat è corpore in carcere constituta.

Apparet Angelus.

Quintianus autem de martyris excessu certior factus

factus, iniusta bonorum eius cupiditate vehemẽter exarsit, cumque ardens auaritiæ flamma accelerare cogeret, instructa cohorte, iter Panormum versus instituit. Sed accidit, vt iusto Dei iudicio, flumen ingressus equorũ impetu subuersus, calcibusque eorum protritus, miserè interiret.

Quintianus in flumine perit.

Et hoc quidem fine calamitoso, impij memoriam corpore deleta, sanctę martyris honor & cultus longè latèque creuit. Anno autem cõsummationis eius impleto, eodem in loco qui Angeli visitatione illustratus est, cũ mõs Aetna horribili flammarum ardentium vomitu, omnibus Catanensium habitatoribus interitum minaretur; amictu quodam, arcæ sanctæ martyris sacro ex aduerso ignis posito furor eius, non sine magna omnium gratulatione, diuinitus repressus est, & à præsenti mortis periculo cuncti liberati sunt. Quod miraculum fama, celeberrimum quinto Februarij, quo etiam die pro Christi gloria decertant, gratissimum illis accidit; festumque maiori alacritate celebrandi causam præbuit ad illius gloriam & laudem cuius virtute contigisse credimus.

Mons Ætnæ exæstuans.

Amictus S. Virginis profligat ignem.

*MARTYRIVM S. DOROTHEAE VIRginis. Ex eo quod optima fide apud Surium est. Occubuit autem virgo sancta pro fidei defensione Anno Domini 304. Marcell. Pap. 1. Constantini & Galer. Impp. anno 1.*

Vide Cæs. Baron. Ann. Tom. 2.

FVIT in prouincia Cappadociæ apud Cæsaream, eximijs maximarum virtutum ornamentis exculta, virgo quædam Dorothea nomine, prudentiæ opinione adeò mirabilis, vt alios omnes philosophiæ laude excellẽtes in sui

6. Februarij. Dorotheæ prudentia.

Dorothea virgo sistitur Præsidi.

admirationem raperet. Cuius fama longè latè dispersa, ad aures quoque Præsidis Sapritij pernenit; qui eam tribunali suo oblatam, scelestus impuris dijs sacrificium offerre voluit. Cuius ille imperium animi magnitudine repudiaret, clarissimaque veritatis luce deorum vanitatem demonstraret, & omnibus, qui in eorum nefario cultu ad extremum vitæ spiritum perseuerant, æterna supplicia constituta esse diceret; tradita est lictoribus in catasta torquenda. Quæ, proposito sibi diris supplicijs, voce constanti conuersa ad Præsidem dixit; Quid mihi suppliciorum tuorū proponis formidinem? Age fac quod facturus es, quo citius mihi flagrantissimo Christi conspectu frui liceat, cuius amore nec te timeo, nec tormenta tua formido. Cui Sapritius, Oportere te, ô Dorothea, vana hac mentis tuæ persuasione relicta, dijs sacrificare, & splendidis ornatam nuptijs lætari in vita tua. Cui Dorothea: Aeterno regi Christo Dei filio, sponsa consecrata sum, de cuius amore confisa, ad splendidum omnique deliciarum genere plenum, paradisi thalamū perueniam.

Constantia eius & admirāda animi magnitudo.

Traditur perfidis sororibus Christetæ & Calistæ.

Sapritius nec minis, nec blanditijs constantiā eius labefactari animaduertens, tradidit eam duabus sororibus, Christetæ & Calistæ, quæ iam pridem à Christi fide defecerant, vt eam ad similem perfidiæ notam inducerent. Primum igitur blanditijs & magnifica amplissimorum munerum promissione animum eius aggressæ sunt. Sed Dorothea nefarium earum scelus redarguens, è contrario diuino quodam spiritu ex oculis, vultuque eminente eas ad detestationem impietatis, & amissam Christi gratiam recuperandam adducere conata est. Et quare, inquit, in perfidia vestra, cum

cum sempiterno animarum vestrarum interitu perseuerabitis? Nullum enim est grauius iniquitatis pondus apud Deum, quam omnem, de ipsius erga nos clementia, spem proijcere. Est enim natura bonus & copiosus in misericordia his, qui toto corde suo conuertuntur ad eum. Hac consolatione, animi earum ad spem veniæ erecti sunt, & ad Dorotheæ se pedes abijcientes, obsecrarũt, nefas ad Deum preces pro earum salute fundere recusaret.

Desperatio omnium peccatorum maximum.

Resipiscunt quæ à Christo defecerant.

Interea Præses missis ad eas nuncijs, vnà cum Dorothea ad se venire iubet. Quæ mox ad Præsidem vno ore, Nos quidem, ô Præses, inani pœnarum timore victæ, detestandum nimis in Deum viuentem scelus admisimus, sed Dorotheæ intercessione in amissam, vt confidimus, gratiam restituæ, nefarium idolorum tuorum cultum execramur. Hac confessione, Sapritius furore accensus scidit vestimenta, iussitque protinus vt altera alterius dorso colligata flammis traderentur. Missæ igitur in dolium vehementi flamma accensum, in præclara Christi confessione, Dorothea ad firmam diuinæ misericordiæ spem eas inuitante, spiritum exhalârunt.

Dorothea cum duabus alijs ad Christum conuertis, ad præsidem vocatur.

In dolium missæ tradũt spiritum Calista & Christeta.

Tunc Præses impetum furoris sui in Dorotheam conuertit: & illa quidem gaudio incredibili repleta, vultuq; admodùm hilari, propter animas illas ad paradisi gaudia præmissas, vrgebat vt supplicia inferret. Et quarè, inquit, ô Sapriti, optato diutius Christi ancillam gaudio frustraris? Eripe me his vinculis corporis, quò læta ad diu exspectatam gloriam perueniam.

Mira in virgine constãtia.

Sapritius frendens gemensque, lateribus eius lampades admoueri iussit, sed contempsit illa dolores omnes recordatione futuræ gloriæ, quæ

Lampades adhibentur.

in corpore eius reuelanda esset. Tunc Præses ei em eius eximio gaudio perfusam, & nefarios us conatus deridentem, pugnis verberibusq contundi iussit. Postremò victum se superatu que virginis constantia cernens, gladio in ea animaduerti præcepit.

Theophilus locatur cum Dorothea.

Accepta ergo sententia, ad certaminis locum cum duceretur, Theophilus quidam causarum patronus obuiam ei factus, huiusmodi in eam sales iactabat; Eia tu Christi sponsa, mitte mihi de paradiso sponsi tui mala rosasque. Cui martyr ego planè faciam. Cumque in locum certamini uentum esset, impetrato à lictore spatio, ad preces Deo postremas fundendas se composuit; & eccè eximia pulchritudine puer, tribus onustus malis totidemque rosis, affuit. Cui virgo Christi, Obsecro te, inquit, vt hæc Theophilo deferas, & sic gladij percussione martyrij palmã adepta est.

Percutitur gladio.

Intereà puer cum promisso virginis munere ad Theophilum venit, qui rei admiratione stupefactus, protinus exclamans, Verè, inquit, vnus Deus Christianorum, Et quid moror? Beati atque iterum beati qui in Christum credentes, pro eius nominis gloria supplicijs affici digni inuenuntur. Præses aũt; Quid te, inquit Theophile, ad hanc mentis insaniam impellit? Et Theophilus, Non est hæc insania, sed summa prudentia, qua inanibus, nulloque sensu præditis dijs contemptis, vni verò, æternoque Deo adhæremus. Tum Sapritius, nisi ab hac stultitia resipueris, ego te varijs grauissimisque excarnificatum supplicijs, mala morte perire faciam. At ego, inquit Theophilus, tua supplicia contemno, vt bonam vitam inueniam. Supplicia namque, quæ tu mihi minaris, breui temporis spatio duratura, corpus tantum lani-

Theophilus credit in Christum.

ani-

ant; At illa quæ impijs deorum cultoribus iusto Dei iudicio constituta sunt, animam immortalē in omni seculorum æternitate, cruciabunt. Tum Præses; vt verba vana (inquit) acrioribus cedant verberibus, suspensum in eculeo Theophilum vngulis lacerate, lampadibus exurite, omnique suppliciorum genere afficite. Suspensus autem Theophilus vultu intrepidus, eccè, inquit, iam in cruce suspensus, verus Christianus factus sum. Tortores interim inferendis supplicijs fatigari sunt, cum Præses lata mortis sententia capite eum plecti iussit. Quam martyr lęto excipiens animo. Gratias, inquit, tibi ago Christe. Atque hoc modo plurimis inuicto animo superatis tormentis, sempiternam iustitiæ coronam capitis abscissione promeruit.

Inuictus Theophili animus.

Capite plectitur.

*VITA S. VEDASTI EPISCOPI ATREbatensis, ex ea quam Albinus Flaccus Alcuinus scriptam reliquit. Fuit hic ordinatus Episcopus à S. Remigio Rhemensi Episcopo, anno Domini 542. Sedit vsque ad annum 570. quo ex hac vita migrauit.*

Vide Cæs. Baron in Notatio. Martyr Rō.

CLodouæus Francorum Rex, cum acrem in Alemannos expeditionem susciperet: & anxiè de belli exitu trepidaret, vota Christo ipse à Christi sacris alienus, nuncupauit, se protinus, si victoria potiretur, Christi fidem suscepturum. Habebat autem coniugem Clotilden, baptismatis sacramento initiatam, pietate, & religione præstantissimam. Porrò cum omnipotens, exauditis precibus, celeberrimā illi de hostibus victoriā largiretur, ille ne tam præclaris à Deo collatis sibi beneficijs, parū gratus videretur, nulla interposita mora, ad Tullum oppidum, in quo S. Vedastus rerum diuinarum contem-

6 Februarij. Clodouæus licet gentilis, preces offert Christo & votū.

Clodouæus venit ad Vedastum.

platione assiduam ducebat vitam, contendit
eoque præcipua Christianæ fidei capita edoc
maturus ad Christi lauacrum, cum eodem ad
Remigium clarissimum Christi sacerdotem &
mos iter instituit.

Benignus autem & misericors Deus gratiarum
diues, vt fidem Regis teneram, doctrina & institu-
tione Vedasti iactam, firmaret solidaretque, ipso
in itinere egregio S. Vedastum miraculo illustra-
uit. Cæcus enim in occursum Regis regiumque
comitatum delatus, solius Vedasti lachrymoso
clamore opem implorans, magnam mouit vni-
uersis Vedasti expectationem. Vir autem sanctus
pia mente præsagiens miserum illum ad errorū
ac perfidiæ tenebras ab infidelis turbæ animis
tollendas à Deo missum esse, protensa cum Cru-
cis signo dextera ad cæcum ait; Domine Iesu, o-
stende potentiā tuam, vt populus hic sanctissimi
tui nominis ignoratione errabundus, in viā veri-
tatis iam tandem perducatur. Completa oratio-
ne & cæcus accepto oculorum lumine vehemen-
ter exultauit; & rex in fide roboratus vitali ad-
motus fonti expiatus est. Et ille quidem ablutus
à sancto Remigio ad intermissa regni rediit gu-
bernacula, Vedastus autem Remigio aliquamdiu
adhærescens, suauissimo virtutum suarum odore
plurimos ad se inuitauit; quorum alij in rebus
dubijs consilium, alij in afflictis solamen expete-
bant: nemoque non diuina refectus consolatione
abibat.

S. Vedastus cæcum illuminat.

Clodouæus Rex baptizatur à S. Remigio.

Porrò S. Remigius ratus iniquum esse, splendi-
dum illum sanctitatis fulgorem angustijs ędium
tectis condere, Atrebatensi eum ecclesiæ præfecit.
Qui pontificatus gradu suscepto; cùm iā concito
pede vrbis portas ingredi festinaret, duos extre-
ma ca-

Ordinatur Atrebatēsis Ecclesię Antistes S. Vedastus.

na calamitate miseros alterum cæcum, alterum claudum, obuios habuit. Quos ille stipem supplicitèr postulantes integræ sanitatis beneficio affecit. Quæ res ingentem hominum multitudinem ad Christi fidem suscipiendam perduxit. Cæcum & Claudum sanat.

Hoc præclaro virtutis suæ miraculo, magno populi fauore susceptus, animum protinus ad deleras vastatasque, Attilæ perfidi Hunnorum Regis seuitia, templorum fabricas erigendas adiecit. Cumque magno studio antiqua, densis vepribus obducta, inquireret fundamenta, eccè subitò ex ruinosis speluncis deformis prosilijt vrsus. Cui vir Dei cũ indignatione in deserta secedere præcepit loca; qui prompta obedientia, humani cordis duritiem damnans, iussis paruit, nec vnquam ea loca repetere est visus. Erectis autem templorum fabricis, maiori sedulitate ad collapsæ ætatis fundamenta restauranda incubuit. Et quia morum facilitatem gratam omnibus esse nouerat, omnibus se comem, omnibus se blandũ exhibebat, nec potentium, Christi exemplo, conuiuia aspernabatur, vt omnes ad vitam reuocaret. Accidit eo tempore Francum quendam Ocinum nomine, magnifico ciborum apparatu, regem Clotarium, Clodouei regis filium, ad prandium vocare. Vocatus autem est & Vedastus. Qui domum ingressus, pro consuetudine, omnia sanctæ crucis signo extensa dextera signauit. Quædam autem vascula, dæmoniacis incantationibus infecta, ilicò ad vim crucis crepuerunt. Quo viso Rex cum optimatibus in stuporem versi, Iesu Christi potentiam in eius famulo Vedasto collaudarunt; alij verò disruptis, diabolicæ fraudis, quibus miserrimè constricti erant, catenis: religionis puritatem sunt amplexati. Construit sacras ædes.

Nota vim S. crucis manu S. Vedasti, expressæ.

Et his quidem alijsque admirandæ pietatis operibus postquàm ecclesiam Christi annis citer Triginta rexisset, columna quadam nocturnæ visionis, de transitu ad vitam sempiternam, admonitus est. Post multa itaque ad æternam patriam suspiria, sacrosancto corporis & sanguinis Christi munitus viatico, Angelica exceptus melodia, beatam Deo animam tradidit.

Excedit è vita.

Sepelitur sacrũ corpus.

Funus fuit cum multis populi totius lachrymis, in Ecclesiam Dei genitricis semper virginis Mariæ, vbi quondam Pontificalis cathedræ fungebatur officio, inductum; in qua vsque ad tempus beati Autberti, qui septimus ei in Pontificali sede successit Episcopus, cum insigni miraculorum virtute quieuit. Is autẽ cũ mirifica quadã visione admonitus esset, vt sacratissimum *illud corpus* ad locum quendam alium non longè ab vrbe strũ transferret, protinus ad facti illius societatem, B. Audomarum Taruennæ Morinorum ea tempestate episcopum inuitauit; qui licet affecta senectute debilior esset, & cæcitate laboraret, prompto tamẽ alacrique animo eò properauit, & in ipsa sacrarum translatione reliquiarum amissum lumen Vedasti meritis recepit; quod tamen ille, præ lumine mẽtis, quo mirabiliter vigebat, parui pendens iterum amittere voluit: atque pristinam oculorum cæcitatem à Deo impetrauit.

Transfertur corpus Vedasti.

S. Audomarus oculorũ lumen recipit.

Porrò miracula, quæ tunc gesta sunt, quæque per annos fermè centum sexaginta patrata perhibentur, scriptis mandata non sunt; nisi quod huiusmodi antiphona, miris omnium laudibus celebrata, canitur; Hic est Vedastus, cui templum fieri ab Angelis, iussum est hominibus.

VITA

VITA S. AMANDI EPISCOPI TRAIECTENSIS, *ex ea quam Milo monachus monasterij S. Amandi conscripsit. Natus est anno Domini 571. Obijt verò 661. nonagesimum, ætatis suæ annum agens.*

Vide Cæs. Baron. not in martyr. Rom. Item Tom. 8. Annal. Ecclesiast.

SAnctus Amandus in partibus Aquitaniæ, nō procul à matris Oceani littore, Patre Sereno, matre verò Amantia, inclytis parētibus, ortus, postquam ex ephebis excessisset, dulci relicta patria, ad Ogiam insulam, monasterij portum petijt. Vbi à fratribus magno exceptus gaudio, die quadam et obedientia per insulam deambulare iussus est. Cumque miræ magnitudinis serpentē obuiam habuisset, cuius virulentiam se vix euadere posse sperabat, edito crucis signo in fugam eum conuertit, quod primum fuit futuræ sanctitatis indicium.

6 Februarij. Amandi Patria & parentes.

Confert se in monasterium.

Signo crucis pellit serpentem.

Cum autem Pater eius importunis eum vocibus ad seculi vanitatem reuocare contenderet, Turones, sancti Martini visurus sepulchrum, petijt. Vbi expletis, pro sua in Dei seruitute, constantia precibus, comam, capitis sui ornamentum, abscidit, primique ordinis sacris initiatus, Bituricas ad S. Austregisilum contendit, vbi constructo iuxta ecclesiam tugurio, quindecim annis pane & aqua, duro armatus cilicio, Deo militauit.

Degit solitarius 15. annis.

Post hæc ardenti Apostolorum Petri & Pauli inflammatus amore, sacra eorū limina visitauit; atque manifesta visione à S. Petro admonitus, Gallias repetijt, vbi pontificatus honore decoratus, gentibus Dei verbum, cum vberrimo fructu, annunciauit. Quodam autem tempore magno studio &

Fit Episcopus.

dio & labore ſuam peragrans Diœceſin, audiuit pagum quendam Gandauum, relicto vero Deo ad idolorum cultum defeciſſe, & in tantam idolorum impietatem prorupiſſe, vt lignis, lapidibuſq; diuinos honores decernerent. Quorum vt ſanctus miſeratus errorem, ferocem alioquin & barbaram gentem, morum ſuauitate domare conſtituit. Sed quas contumelias, quas calumnias & iniurias ab ijſdem perpeſſus ſit, vix quis digne enarrare ſufficiet.

Gandauenſium priſcorũ ſtultitia & feritas.

Hoc autem inter plura ſilentio prætereundum non eſt, quod Tornaci homini cuidam calamitoſo præſtitit. Præerat illi ciuitati Dotto quidam Francorum comes, cum ſumma poteſtate vitæ & necis. Huic oblatus homo quidam furti reus, poſt plagas, & crudelia toto corpori inflicta verbera, mortis patibulo damnatus eſt. Sanctus autem Amandus deprecatorem ſe pro miſero apud comitem interpoſuit: ſed animus nimia crudelitate efferatus preces reſpuit. Tunc vir Dei Amandus, dimiſſa iuſtitia, ad hominem patibulo iam affixum accurrit, depoſitumque mortuum inuenit, diuinæ tamẽ bonitati egregiè cõfiſus, cadauer domũ ſuã deferri iuſſit. Nec mora, mox fuſa cum lachrymis ad Deum oratione, ſuper membra defuncti tam diu incubuit, donec eum ad vitam reuocaret, quo miraculo longè lateque diuulgato, magna protinus animorum mutatio ſequuta eſt. Chriſtianã religionem certatim amplectebantur omnes, Idola conculcabantur, fana in monaſteria conuertebantur. Nec his pietatis operibus contentus, ardenter ad palmam martyrij aſpirauit, trãſmiſſoque Danubio, Sclauis Euangelium Chriſti libera voce prædicauit, Sed cum optata diu martyrij palma fruſtraretur, votique ſe compotem fieri

Excitat vita functum futem.

Prædicat Sclauis.

ſeri poſſe deſperaret, ad proprias iterum oues remeauit.

Interea Dagobertus Rex omni libidinis ſpurcitia contaminatus, dura verborum caſtigatione non ſemel à S. Amando correptus eſt, qui in ſcelere ſuo perditus, vt liberius per omnia libidinum genera vagaretur; ſanctum exilio multauit. Sed cum præter omnem ſpem, filium, regni ſucceſſorem ſuſcepiſſet, reuocato protinus Amando eundem eius diſciplinam tradidit. Nec dubitauit Rex, ex imia viri perſpecta ſanctitate, in terram proſtratus, admiſſæ iniquitatis veniam poſtulare, filiumque eius in diſciplinam tradere; quem multorum coactus precibus de ſacro ſuſcipiens fonte, Sigeberto nomen impoſuit.

Dagobertus Rex eũ exilio multat.

Dagobertus ſe abijcit ad S. Amandi pedes.

Sublato autem beata morte Traiectenſium epiſcopo, Rex ſanctum Amandum penè inuitum, & reluctantem in ſedem eius ſubſtituit; quam trium annorum decurſu ſummo ſtudio & labore, ſed exiguo cum fructu rexit: nam alijs aures diuino verbo claudentibus, alijs riſu cachinnoq; excipientibus; quidam ſcelere ante alios inſignis ſpus correptus dęmone animam miſerè efflauit, quorum improbitate offenſus, excuſſo in eos peluum puluere, regem adijt Childericum, impetrauitque ab eo loco, monaſterio conſtruendo apto, ejus fundamenta iacere, ſed Mummulus quidã, Ondinſis vrbis antiſtes, inuidię ſtimulis concitatus miſſis in eam rem viris audaciſſimis, mortem ei intentauit. Et quanquam vir Dei ad martyrij palmam ardentiſſimè aſpirabat, non tamen diuina prouidentia, quæ eum ad gregis ſui vtilitatem ſeruabat, voti compotem fecit. Miſſa namque ingenti de cœlo tempeſtate, tanto latronum animi pauore cõcuſſi ſunt, vt omni ſpe vitæ abiecta

Traditur S. Amando ſedes Traiectẽſis.

Vltio in contemptores ſermonum eius. Math. 10.

abiecta, se pedibus eius prosternerent, & supplicibus ab eo precibus veniam postularent, quo scelere eorum ante Dominum prostratus, protinùs aêris serenitatem impetrauit.

Quadam die in pago Beluacensi non procul ab Aronna fluuio, in loco quodam Rossunto dicto, mulierem quandam luminibus orbem inuenit, percunctatusque tantæ calamitatis causam, respondit illa, se scelere idololatriæ, qua arborem quandam dæmoni dedicatam studiosius colebat, in illam miseriam, Dei iudicio incidisse. Tùm vir Dei; Profectò mirum est te in sempiternas tenebras pro tanto scelere non esse præcipitatam, quarè diuinam erga te clementiam agnosce, & arrepta securi nefariam arborem quamcitò excinde. Paruit illa puellę sui manibus deducta velociter, & multa vi conantem vir Dei inuocato Christi nomine sacro manuũ suarum contactu, non solum corporeo, sed cælesti etiam lumine illustrauit

Cæcã sanat.

Hoc quoque ad multorum documentum silentio non videtur tegendum, quod in monacho quodam Chrodobaldo nomine, monasterij sui præposito contigit; qui à S. Amando vina ad fratrum indigentiam subleuandam necessaria, in monasterio deferre iussus, primo mandatum viri sancti tacitus contempsisse dicitur; Deinde iniqua excusatione, quod vehicula deessent, animi sui rebellionem purgare volens, viro Dei obuiã ire constituit; sed mox omnium membrorum officio destitutus, diuinam manifestè vltionem sensit, eoque tandem deductus est, vt intercluso penè ad mortem spiritu, inobedientiæ & contumaciæ suæ pœnam fateretur. Cui sanctus, pane & vino ex sua mensa transmisso & corporis sanitatem resti-

Pœna inobedientiæ.

restituit, & à grauissimo iactantiæ & inobedientiæ, quo diu laborârat, morbo liberauit.

Et his quidem alijsque infinitis miraculorum operibus clarus Amandus, ad æternitatis gloriam migrauit: cuius corpus in loco Elnone dicto honorifice sepultum, indeque in aliud maiore magnificentia templum, per Eligium insigni pietate præstantem, sexto decimo, ab obitu eius, anno translatum, membris suis omnibus integrum adeò, viuidumque repertum est, vt vngues eius barbaque non parum excreuisse inuenta sint. Hæc Lotharius sacri templi ædituus anno incarnationis Domini octingentesimo, reuoluto sarcophago, cognouit; qui tantæ rei prodigio stupefactus, & incredibili gaudio elatus, duos eius dentes de gingiuis tenaci forcipe eruere conatus est, & eccè stillæ cruoris de dentibus fluentes, clarius adhuc sanctitatem eius testatæ sunt, cuius rei testimonium acerra, eodem sanguine cruentata, in hodiernum diem seruata, præbet.

Obitus eius & sepultura in Elno.

Corpus eius post 16. annos in corruptum.

Si quis autem clariorem sanctitatis eius imaginem inspicere velit, is sibi eos, quos præclaro virtutis exemplo ad perfectionis studium incendit, atque sanctitatis suæ speciem in eorum animis ingenerauit, ante oculos constituat. Quorum vnus, sanctus Andreas ab ipso Pontifice in monasterio Elnonẽsi cõstitutus Abbas, Lonat⁹ in Marcianis cœnobio delegatus. S. Florebertus cum egregio & in omni laude virtutis excellẽte viro Iohanne; vnus post alterũ cõgregationi, quæ Blandiniũ dicitur, præpositi; sed & eximius Confessor Maurontus cum iusto & magnifico domino Humberto. His accedit egregium virginitatis decus Gertrudis ab ipso fidei initijs insignita, & sacro

Catalogus quorundam Sanctorum qui Amandi discipuli fuerunt.

& sacro velamine consecrata. Postremò gloria & dignitate seculi omnibus superior, nobilis Iouinus, qui sanctus Bauo appellatus est, ex pagarum ritu ad Dei cultum per Pontificem prædicatum conuersus, eiusque disciplina tam sublimem virtutum excellentiam prouectus, vt mortuum à inferni faucibus reuocârit.

## *VITA S. GVARINI EPISCOPI PRAENESTINI & Cardinalis, Canonici Regularis, ex ea quæ est per Augustinum Ticinensem Canonicum Regulare. Creatus est episcopus à Lucio 2. Roma Pontifice, qui claruit (iuxta Genebrardum) Anno Domini 1144*

Vide Cæs. Baron. not in martyr. Rom.

6 Februarij. Patria eius.

BEATVS Guarinus Christi Confessor genere præclarus, Bononiæ oriundus, ad huius mundi caligineni illustrandam velut splendidissimũ sidus emicuit. A primis namque annis summa parentum diligentia nutritus, & optimis moribus educatus, ad tantam pietatem peruenit, vt, contemptis opibus & mundi huius honoribus ad religionis apicem & summam vitæ perfectionem aspirauerit. Vt primum pubertatis annos attigit, factus est, inuitis consanguineis, qui de ipso posteritatem peroptabant, in ecclesia Bononiensi maiori, clericus. Verum cum ingenuę indolis & probatæ virtutis iuuenis, socios mollibus vestitos cerneret, ipse pauper spiritu arctius se diuinis mancipauit obsequijs, & despectis calcatisque terrenis illecebris, ad amabilem diuini amoris perfectionem venire satagit. Vt autem omnipotens Deus sine vllo errore in viam salutis eum deducere, & certum iter, cui insistere posset, ostendere dignaretur, preces assiduas ardenti studio

Fit Clericus in ecclesia Bononiensi.

sio fundebat, solitaria loca frequẽtabat, & sacra religiosorum limina visitabat, vt salutaribus monachorum sermonibus instructus, prudenter diaboli fraudes (qui se in Angelũ lucis sæpè transfigurat) euitare posset.

Solitaria loca & religiosos monachos visitat frequenter. 2. Cor 11.

His sanctissimis studijs postquam multo tempore strenuè se exercitasset, ad Canonicã S. Crucis de Mortaria aduolauit, vbi religiosum habitum magno spiritus feruore induit, & diuinis suspensus desiderijs ad omnem sanctitatis perfectionem sedulò aspirauit. Sedebat in ostio speluncæ cum Maria, & omnes animi ægritudines sacrarum dulcedine Scripturarum, ita temperabat, vt facilè humanæ vitæ consortium respueret, & solitariam vitã mirificè delectaretur.

Mortaria locus est inter Papiam & Nouariã. Sic dictus propter eos qui cæsi sunt in Prælio quod commisit Carolus Magnus cum Desiderio Rege Lõgobardorũ.

Hic cum egregium pietatis specimen multis præbuisset, fuit destinatus ad S. Frigidiani ecclesiã in qua à Canonicis perbenignè & reuerenter exceptus fuit. Erat enim inter fratres humilitate & obsequio verus minister, doctor verbo, magister exemplo. Porrò vt in religionis statu torporem (qui interdum acriùs monachorum animos inuadere solet) fugaret, securitatem tolleret, & virtutes indies multiplicaret, mortem sibi quasi quotidiè imminentem intentus meditabatur. Hac autem meditatione non modo carnis concupiscentias fregit, sed ad tantam humilitatem peruenit, vt colla obedientiæ iugo sponte humiliterque subijceret, neque vllius imperium exequi recusaret.

Meditatio mortis.

Paucos autem post annos ad Canonicam Mortariensem reuocatus, cùm fama virtutum eius longè lateque increbesceret, fuit ad Papiensem episcopatum à Clero & populo vniuerso expetitus, &, nè qua ratione sedem subterfugeret, in

S. Guarinus recusat episcopatum.

scopatum Papiensem.

loco arcto adhibitis custodibus, detentus. Sed vir sanctus ne sub prælationis occasione, elationis tumore, mentis eius cymba periclitaretur, per fenestram, deceptis custodibus, ad fratres suos Cæcanonicos fugit; vbi inter eos velut animal simplex conuersabatur.

Cõsecratur Episcopus Prænestinus inuitus.

Paulò verò post Papa Lucius secundus natione Bononiensis, eum vel inuitum Prænestinum Episcopum consecrauit, postquam annos quadraginta cum eximia sanctitatis opinione in monasterio suo exegisset. Cumque equitatum preciosum, aliosque episcopales apparatus à Pontifice dono recepisset, mox venditis omnibus, pauperibus precium erogauit. Fit intereà exultatio & plausus generalis in populo, Christi fauet & gloria tollitur in immensum, & sancti Guarini nomen summis in vrbe pręconijs celebratur. Clerum & populum salubri reficiebat pabulo, pauperibus alimenta & indumenta proprijs manibus erogabat.

Denique precibus & ieiunijs, nocte dieque incumbens; cùm iam senectute grauatus tabernaculi sui depositionem præuideret, saluberrima ad Clerum monita instituit. Sequenti verò nocte totus aer immenso lumine refulgens, non dubiũ sanctitatis eius indicium omnibus præbuit; nam tamdiu ea claritas perseuerauit, donec Solis aurora appropinquante cum claritate, carnis vinculis expeditus, lætus ad vitam sempiternam cũ gaudio migrauit. Tunc Christi Confessor omnibus charus, virtutum signis coruscans in terris, & meritis in cælis viuens, in sepulcro & ecclesia beati martyris Agapiti sacerdotum manibus debita veneratione reconditus est.

Nocte immẽso splendente lumine, sub auroram Christo spiritum reddit.

Eadem die mulier quædam dæmonio vexata,

Alba-

Albanensem vrbem circuiuit, loquebaturque per eam diabolus, sic dicens; Hodiè præsul migrauit ad cœlum, cuius precibus ego miser expellar. Statim obsessa muliere beati viri sepulcrum attingente, cœpit per os eius in sanctum virum cõtumelias dæmon euomere; sed precibus eius erepta, Confessoris sepulcrum festina amplexa est, & ei, cuius ministerio sic sanata erat, gratiarum vota persoluit. Vndè factum est, vt viso miraculo, suspensis antè sepulcrum lampadibus, confestim sine ignis appositione, cernentibus omnibus, luminaria accenderentur; præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Dæmoniaca tangens eius sepulcrum curatur.

Diuinitus ardent lampades ante sepulcrum.

*MARTYRIVM S. THEODORI, DVCIS exercitus. Ex eo quod Augarus Scriba, qui coram interfuit, reliquit. Exegit insigne certamen martyr anno Domini 316. Siluestri Pap. 3. Constantini Imp. 11. sub Licinio in oriẽte regnante. Alius est ẽ Theodorus, qui ad huius differentiam cognomẽto dictus est Tyro, cuius natalis celebratur 9. Nouem.*

Vide Cæsar. Baron. Ann. Tom. 3.

Item. In not. Marty. Rõ.

LIcinius sororis Pij Imperatoris Cõstantini maritus, vna cũ regni sceptro ab Impio Maximiano crudelẽ in Christianos & mentem ductiones suscepisse legitur; nam statim ab ipso regni ingressu tanta in Christianos impietate desæuit, vt quadraginta viros eximia pietate flagrãtes, & rerũ humanarum contemptu, mundo superiores, Sebastiæ varijs tormentorum generibus confecerit, & in Macedonia trecentos & septuaginta Centuriones crudelitate sua deleuerit.

7. Februarij. Licinius hostis Christianorum.

Occidit multos viros militares.

Cum autem impia eius decreta, admiranda Christianorum pietas longè superaret, multique

Christianorū pietas & zelus.

diuini amoris facibus mirabiliter incensi, cum eius sæuitia decertare cuperent, ille amplissimo Christianorum numero victus, cum antesignano tantùm, congredi statuit. Cumq; ab eo hac de causa præstantissimi quique, summo studio diligentiaque quærerentur, venit ad aures eius celebre admodùm Theodori fama, viri rerum agendarū prudentia insignis, & fortitudinis opinione, qui immanem draconem internecione deleuerat, patriamque ab interitu vindicauerat, gloriosissimi quod qua ratione contigerit, non erit alienum hoc loco repetere.

Theodori laus.

Erat in partibus Euchaitarum sęuissima bestia draco immanis, ad cuius vel solam memoriam homines toto corpore & mente contremiscebat. Nulla enim ferè dies erat, qua non vel hominem vel iumentum deuoraret. Hoc Theodorus generosus Christi athleta, vt primum cognouit, statuit, sola Christi virtute adiutus, patriam suam à tam sæua peste liberare. Itaque die quodam lotus ad locum, in quo draco latitabat, equo insidens exijt; & fusis, ardenti fide, ad Christum precibus, draconem in virtute Christi Iesu euocauit. Qui parere coactus prodijt, seseque calcibus equi gloriosi athletæ submisit; Cui protinus stricto gladio necem intulit. Quod cum alijs militibus, à Christi sacris alienis, innotuisset, Theodori virtutem admirati, Christo nomina sua dederunt, & sacrum baptisma læti à Theodoro perceperunt.

Theodorus draconem interficit, & milites plurimos ad Christum conuersos baptizat.

Interea Licinius cum satis tantam in Theodoro virtutem mirari non posset, cupieretque perpetuò eius præsentia frui, misit à Nicomedia Heracleam (vbi eo tempore vir sanctus degebat) viros quosdam primarios, & milites non paucos, qui summo

summo cum honore eum ad se deducerent. Ipsa autem hora vidit Sanctus in somnis ignea ad se iacula de cælo, ferri, audiuitque vocem Domini sibi dicentem; Confide Theodore, ego enim te cum sum. Qua voce vir sanctus è somno excitatus, intellexit martyrij sibi palmam parari. Vn de summo perfusus gaudio, manè venientes ad se viros & milites ab Imperatore missos benevolè & lautè excepit. Quos postquam triduo detinuisset, & donis muneribusque affectos demittere vellet, dedit ad Imperatorem litteras, quibus facilè ei persuasit, magis expedire vt Imperator ad se cum dijs suis, vt illo præsente ijs sacrificaret, veniret. His acceptis Licinius gaudio incredibili elatus, nulla interposita mora octo millibus hominum stipatus, eò contēdit, & Theodorum perhonorificè salutauit. Deinde exstructo in medio ciuitatis tribunali, illud conscendit, & habita ad populū cōcione; cum de ciuitatis Heracleæ, tùm de Theodori laudibus, hortatus est eum, vt dijs sacrificium offerret, suoque exemplo cæteros ad idem pietatis studium inuitaret. Cui Theodorus, inter omnes corporis specie & fortitudine excellens, dixit, se minimè ab eo pietatis studio abhorrere, sed quo maiori id cum gloria & celebritate faceret, petere, vt ipse Imperator deos suos deasq; omnes traderet, quò eos suo in penetrali precioso vnguento delibutos sic demum in hominum conspectum produceret. His omnibus libens annuit Imperator, & idola varia & multiplicia, ex auro & argento fabrefacta, & lapidibus precio fis ornata ei tradidit; quę vir sāctus nocte sequēti comminuit, & Christi pauperibus impartiuit.

Duobus autem ab eo facto elapsis diebus, Licinius martyrem accersijt, atque vt iam tandem

Visio S. Theodori de instanti martyrio.

Licinius Imp. venit Heracleam.

Imperator ei idola tradit, quæ vir sanctus in frusta comminuta pauperibus largitur.

dem ſuum erga deos ſtudium declararet, monuit. Hæc cùm diceret, Maxentius quidã Centurio ſtetè aſſiſtens; Per deos, inquit, Imp. diuina tua potentia ab hoc homine ludificatur. Ego enim præsenti hac nocte magnæ Dianæ noſtræ manũ cuidam mendico obtigiſſe vidi. His auditis Licinius, ſtupenti ſimilis conticuit. Tum Theodorus; Per Chriſti Dei mei virtutẽ vera loquetur Maxẽtius. Ego verò, ô Imp. rectèfeci. Sed dicito quæſo; Si dij tui ſibiipſis opẽ nullam ferre potuerunt, vobis quomodo poterunt?

Varijs ſupplicijs atrociſſimè cruciatur.

Hæc cum inuitus audire cogeretur, frendens gemenſque iuſſit eum à viris quatuor extendi, & neruis boũ crudeliſſimè cædi. Sexcẽtæ plagæ dorſo eius fuerunt illatæ, ventri vero quingentæ. Iuſſit deindè plumbeis globis dentes eius immanitèr contundi. Carnes vero vngulis ferreis lacerari, & vulnera lampadibus ignis vſtulari, ſanguinemq; concretum teſtis radi. Poſt hæc ingenti catenarum põdere oneratũ, carceribus, ſine aliquo cibi potuſue ſolatio, quinque diebus mancipari. Quibus tranſactis præcepit eum cruci affigi. Venerunt igitur ad eum lictores, & vultu oculiſque crudelitatẽ ſpirantes, manus pedeſq; ligno clauis affixerunt & fibulã (horrendũ dictu,) per ſecretiores corporis partes ad caput vſque tranſmiſerunt. His autem in tormentis conſtitutus, puerorum iaculis petitus fuit, quorum immanitate oculi cum pupillis euulſi ſunt. Aderam huic tam crudeli ſpectaculo ego Augarus Scriba; videnſq; hæc grauia ſupplicia, & audiens etiam dolorem occultorum eius gemituum, abiectis codicillis, deuoluebar lachrymans ad eius pedes. Dominus verò meus, Chriſti miles Theodorus, paruam vocem emittens, mihi dixit; Augare, ne relinquas

Augarus Scriba martyrij.

munus

nunus tuum, nec intermittas dicere, quæ in me futura sunt supplicia. Sed sustine certamina mea & diem consummationis meæ describe. Deindè clamans ad Dominum, dicebat; Domine, mihi prius dixisti, ego sum tecum, & nunc quid à me recessisti? Vide Domine, fecisti me nulli culpæ affinè & feræ agrestes sauciauerũt me propter te; emarcuerũt sunt pupillæ oculorum meorũ, carnes ignè sunt dissolutæ. Pili autem humi decidũt, dẽtes euelluntur & ossa arida in cruce detinentur. Memẽto Domine quod crucé propter te sustinui: accipe quæso nunc spiritum meum. Hæc cum diuisset, prosùs deindè siluit, adeò vt Licinius extinctum eum putaret.

Clamat Theodorus ad Dominũ.

Circa primã verò noctis vigiliam aduenies Angelus Domini, eum soluit & integræ sanitati restituit, dixitque: Eccè tecum est Dominus Deus, & cur dixisti, Recessisti à me? Consumma cursum certaminis tui, & accipies coronam vitæ, quam reddet tibi Dominus noster Iesus Christus iustus iudex. His dictis, Angelus recessit. Christi autem martyr sanus effectus, incredibili gaudio in diuinæ benignitatis consideratione exultabat.

Ab angelo sanatur, & cõfirmatur.

Primo autem diluculo Licinius misit duos Centuriones Antiochum & Patricium, vt defunctum martyris corpus in abyssum maris præcipitarent; qui stadio appropinquantes & Christi martyrem Dei magnalia sano & integro corpore prædicantem cernentes: voce magna exclamauerunt; Magnus Deus Christianorum, & accedentes ad sanctum, ipsi cum octoginta militibus in Christum crediderunt.

Duo Centuriones & 80. milites credunt.

Cum hoc resciuisset Licinius, misit Sextum Proconsulem cum trecentis militibus vt omnes morte afficerent. Sed & illi, visis miraculis, quæ

Item alij innumeri.

sanctus patrauerat. Christo nomina dederunt. Tùm verò facta innumerabili populi multitudine, clamor exortus est. Vnus est Deus Christianorum. &, Vbi est lictor iste Licinius, vt lapidibus eum obruamus? Hæc cum dissonis vocibus agerentur; quidam Leander nomine, stricto gladio Theodorum petiuit, quem Proconsul viribus superior prostrauit, medium̄que transegit. Quidam verò Merpas, Hunnus genere impetu facto, Proconsulem similiter interemit. Hæc cernens Theodorus, se mediū populo tumultuanti obiecit, & oratione grauitatis plena seditionem compescuit. Indè gradum non procul à carcere infirmos, captiuam turbam magnis vocibus opem eius implorantem audiuit, cui solo verbo, vinculis solutis; Ite, inquit, in pace, & mei mementote. Multa insuper & admiranda virtutis signa edidit. Immundos spiritus ab obsessis corporibus fugabat, languores & quasuis infirmitates contactu manûs suæ curabat, & infinitam Gentilium multitudinem ad Christi fidem perducebat.

Seditio.

Theodorus eam compescit.

Captiuos soluit.

Varia eius miracula.

His auditis Licinius ira & timore repletus lictorem misit, qui sancto caput amputaret. Populus autem excitata noua seditione, Licinū delere volebat; & deleuisset sanè cum vniuersa familia, nisi Theodorus totus Christi desiderio inflammatus, vltro ad felicem mortem properasset, populumque ab ira & furore ad pacem & lenitatē suauissimis verbis reuocasset.

His ita constitutis martyr totum corpus signo crucis munijt, & Augaro reliquias suas in Euchaitis apud Maiores suos deponere iussit. Tū precatione insita pietate peracta, colli nuda constanter ferienda præbuit, & ictum gladij lętus excepit. Februarij mensis die septimo, hora diei tertia.

Totum corpus obsignat.

Plectitur capite.

Veneran-

Venerandas eius reliquias vniuersa multitudo Heraclienſis cum cereis & ſuffitibus Euchaita octauo menſis Iunij depoſuerũt. Quo in loco multa miracula per ſanctum & venerandum gloriosimartyris corpus omniporens Deus, omnibus eius opem implorantibus oſtendit.

Venerandæ eius reliquiæ tranſlatæ Euchaitam. Miracula fiunt ad ſepulchrum eius.

## VITA ET RES GESTAE S. PARTHENII,

*Epiſcopi Lampſaci, ciuitatis in Helleſponto. Ex actis quidem & puro ſtylo extant apud Metaphraſten, Auctore Criſpino. Claruit temporibus Conſtantini Imp. circa Annum Domini 337. Sub Iulio Rom. Pontif.*

Vide Cæſar. Baron. tom. 3. Annal.

BEatus & inclytus hic Parthenius, patrem habuit Chriſtodulum nomine, eccleſiæ Melitenſis diaconum, literarum quidem imperitum, ſed ſanctarum Scripturarum memoria admodùm præſtantem. Porrò à primis annis miſericordiæ operibus valdè deditus, & præcipuè in pauperes admodùm benignus, ætatis ſuæ anno decimo octauo ad eam ſanctitatis gratiam peruenit, vt dæmones ab obſeſſis corporibus admiranda virtute fugaret, & multa ſanè miracula ederet.

7. Februarij. Parthenij parentes.

Octauo decimo ætatis ſuæ anno claret miraculis.

Eo tempore Melitenſis eccleſiæ Sedem Philetus obtinebat, qui audita Parthenij egregia ſanctitate, eum ad presbyterij honorem inuitum euexit, & viſitationem ciuitatis Meliti ei commiſit. Accidit autem, vt quodam tempore dum eccleſiaſtica munia ſedulò per ciuitatem obiret, homo quidam, cui à tauro effoſſus erat oculus, quem manu geſtabat, ei obuius fieret, multisque lachrymis & miſerandis clamoribus calamitatem ſuam deſleret. Cui vir ſanctus protinùs ſua manu ita oculum reſtituit, vt tribus poſt diebus

Fit presbyter.

Miracula.

sanum & incolumem eum haberet. Alio verò tempore cum ad ægrotum quendam cum vltimo spiritu conflictantem festinus pergeret, canis quidam rabidus disruptis, quibus vinctus tenebatur, canalibus in eum insilijt. Quem vir Dei spiritu oris sui & crucis signo interfecit.

Fit Episcopus Lampsacenus.

Hæc & his similia cum sanctissimus Cyzicenorum Archiepiscopus Ascholius nomine audiuisset, eum ad se accersiuit, & Lampsacenorum ciuitati Episcopum præfecit. Quam cum nefario idolorum cultui déditam cerneret, indefesso studio impietatem cùm diuini verbi prædicatione, tùm multò magis miraculorum virtute profligare aggressus est; summisque viribus in id incubuit, vt confractis simulachris gloriosa Christi trophæa exaltarentur. Hac de causa Constantinum Imperatorem adijt, petijtque vt pro eximia sua in Deum pietate, templum omnipotenti Deo in ea ciuitate erigeret. Excepit virum sanctum summo cum honore Imperator & auro argentoque onustum ad sacrum templum extruendum, Lampsacum remisit.

Humanissimè accipitur à Constantino Imper.

Interim dum vir sanctus instanter operi incumberet inter ingentem hominum frequentiá, qui eum videndi gratia eò confluxerant, quidam ab infantia dæmonio obsessus adfuit. Cumque miser ille talem se inhabitantem hospitem habere ignoraret, peramanter Parthenium salutauit, cui vir sanctus parem salutationis gratiam reddere recusauit. Vndè non mediocriter perturbatus dæmon, Quid, inquit, hoc est, vir sanctissime, quòd benedictionis gratia me impertiri dedignaris? Cui vir Dei, Egredere, inquit, è figmento Dei. Dæmon hac virtute verborum in summas redactus angustias; Hei me miserú, inquit, à puericia

nitia hoc habitaculum tutus, & ab omnibus incognitus possedi, & nunc tu me tam graui exilio multare aggrederis? Sed obsecro te fac mihi potestatem porcos ingrediendi. Dicit ei Sanctus; Minimè, sed hominē humilem ingredere, in quo tibi mansio, si velis, parata est; apertoque ore, Ecce, inquit, in me inhabita. Tum dæmon cum eiulatu egressus exclamauit; Quomodo domum Dei ego possidere possum. Non licet, veritatem à vobis Christianis audire.

Expellit dæmonem.

Postquàm autem opere iam consummato, sacrum altare, in quo res diuina fieret, extrueretur, & lapidem prægrandem, qui mensæ loco fungerentur, Eutychianus quidam, boum ministerio, ad Ecclesiam veheret, accidit vt bonorum inuidus operum diabolus conturbatis bobus, currum sub uenerer, & Eutychianum miserandum sanè in modum opprimeret, adeò vt solutis viscerum compagibus præ doloris magnitudine expiraret. Quod ternens Parthenius, protinùs eò aduolauit, & fusis cum ingenti lachrymarum vi ad Dominum precibus, mortuum ad vitam reuocauit. Quo miraculo, omnium animi tanta fide inflammati sunt, vt ægrotos & immundis spiritibus uexatos, certatim ad eum adducerent, & certissimā ab eo salutem expectarent. Curauit tunc vir sanctissimus innumerabilem penè hominum multitudinem, tantaque aduentantes beneuolentia excepit, atque ea virtute omnibus succurrit, vt medicorum ars eo tempore nihil omninò fieret. Non paucos vtriusque sexûs homines, desperata corporis salute, sacratissimo manuum suarū contactu sanitati restituit. Mortuos ad vitam reuocauit. Dæmones ex humanis corporibꝰ, & varijs locis, quæ sua habitatione hominibus infesta reddebāt, expulit, tantaq; prodigia & miracula edidit,

Altare ad offerendum sacrificium.

Varia præclara operatur miracula.

En aquæ, salis, & olei consecrationem.

vt longissima oratione explicari non possit. Aqua & sale ecclesiastico ritu consecratis, & eo quoque sacro, languores & infirmitates quas curabat. Precibus suis semel atque iterum pluit de cælo impetrauit, cùm terra extrema siccitate laborans, diram famem & pestem minitaretur.

Hortatur Archidiaconum ad misericordiæ opera. Misericordiæ opera Deo quouis sacrificio gratiora.

Quodam tempore cùm à terræ incolis ad hostilitatem precibus suis auertendam inuitatus fuisset, & in Hypatiani Archidiaconi domo precibus & vigilijs pernoctaret, mane facto, adijt Archidiaconum & ait; Ostendit mihi hac nocte Dominus te breui ad Episcopalem dignitatem exaltandum esse; Nunc igitur vide, vt sedulò pupillos & viduarum curam suscipias. Nosti enim Episcopum tuum, propter auaritiæ scelus durissimi Domino flagellis castigatum. Itaque caue nè eodem te aliquãdo scelere astringas. Nullum enim Deo gratius sacrificium in hac vita præstari potest eo, quàm quod benignè faciendi disciplina continetur. Accidit non multò pòst, vt Archidiaconi huius agri & vites nimia siccitate aëris laborantes, omnem futuræ messis spem abstulissent, cùm hanc calamitatem suam viro sancto multis cum lachrymis aperiret. Quem Parthenius ad meliora speranda cùm hortatus fuisset, exijt cum eo ad omnia loca, quæ iam planè exiccata, & à vermibus consumpta erant: quæ postquàm sale benedicto conspersisset, Nunc, inquit, eam frumenti & vini vbertatem confidenter à Deo expecta, quam alio quouis tempore recepisti. Hæc cùm dixisset, paucis post diebus Episcopus loci illius vita functus est, & Archidiaconus in eius locum (quemadmodum vir sanctus prædixerat) substitutus. eaque frumenti & vini copia, præter omnem expectationem, redundauit, vt Archidia-

conus

conus diuinam in Parthenio virtutem agnoscēs, decimam omnium fructuum ei offerret; quam vir Dei accipere noluit, sed pauperibus distribui mandauit, atque vt in omni vita benignitatis & misericordiæ studium coleret, admonuit. Messis vberrima præter expectationem.

His igitur alijsque infinitis virtutibus clarus, suauiter è vita excessit. Cuius funus Heracleæ Episcopus Hypatianus, cum alijs circumquaque locis illius episcopis, Lampsacum veniens, multis cum lachrymis curauit, & summo cum honore ac reuerentia in oratorium, quod ipse ædificauerat, intulit. Vbi quotidiè sua ad Deum supplicatione non cessat facere miracula, dæmones expellens, leprosos mundans, & omnem morbum ac ægritudinem curans, virtute & gratia Domini nostri Iesu Christi: cui gloria & potentia, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen. S. Partheniō moritur. Miracula post obitū.

## VITA B. EVGENII ET MARIAE EIVS filiæ, ex ea quæ est per Simeonem Metaphrasten.

FVIT in Bithynia vir quidam Eugenius nomine, qui cùm ex honesta & pia admodùm vxore, filiam nomine Mariam suscepisset, eam omni morum integritate & sanctissimis disciplinis imbuendam curauit. Cùm autem vxore defuncta, vehementer monasticæ vitæ puritate & diuinarum rerum contemplatione delectaretur, omnes suas facultates filiæ tradidit, seseque deinceps Christo Iesu in solitudine seruire velle dixit. Quibus auditis prudens & ingenua virgo, Patrem quit, nescis Dominum in Euangelio dicere: *Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis, &, Qui animam facit animam, est tanquam is qui creat.* 8. Februarij. Insignis in virgine prudentia. Ioan. 11.

Hæc

Hæc cùm non sine lachrymis & eiulatu diceret, pater ad misericordiam flexus; Filia, inquit, rissima, quid vis tibi faciam, aut quid facere sum? Cui filia, Pater mi (inquit) si decreuisti mecum aliquam solitudinem, apud viros pietate præstantes, posthabitis mundi huius voluptatibus, recedere, me tibi sociam assume. Ego enim tonsa capitis mei coma, sumptaque virili veste tecum monasterium ingrediar, tecum me Christo consecrabo, tecum omni tempore diuinis sedula laudibus incumbam.

Virilis animus in virgine.

Beatus Eugenius his valdè lætatus, vniuersa bona sua pauperibus, viduis & orphanis distribuit: & filiæ suæ comam totondit, & habitu virili ornatam Marinum appellauit. His ita peractis, cùm eam diuinis sermonibus ad constantiam & omnem virtutis perfectionem amplectendam hortatus fuisset, secum ad cœnobium assumpsit, in quo à fratribus libenter excepti, bonorumque ad operum societatem admissi, præ cæteris omnibus admirandis virtutibus claruerunt.

Eugenius tonsa filia Marinum eam appellat.

Ingrediũtur monasteriũ.

Contigit autem non multò post, vt mortuo parente, Maria longè maiori studio, diuinis se rebus manciparet, eoque diuina gratia perueniret, vt dæmones ab obsessis corporibus profligaret. Vndè humani generis hostis acerbissimis inuidiæ stimulis contra eam incitatus, varias ei insidias struere cœpit, quò vel à tanto virtutum culmine eam deijceret, vel certè, apud alios monasterij illius monachos, insigni aliqua infamia notaret.

Eugenio mortuo Maria quãta fecerit.

Erat in more positum vt singulis quibusque mensibus quatuor monachi ad alia loca (in quibus ampliſſimæ monasterij possessiones sitæ erant) destinarentur. In media autem via, propter itine-

ris

is longinquitatem diuersorium eis paratum erat, in quo fessa membra recreabant. Quodam itaque die monasterij Præfectus Mariam euocauit, atque ad eadem illa loca, pro ministerio obeundo, destinauit; tantò securiùs, quantò eius vitam ab omni peccati labe remotiorem cernebat. Egressa ergò Maria cum alijs tribus, eiusdem professionis monachis, ad paratum hospitium diuerterunt. Porrò hospitij illius Præfectus vnicam habebat filiam, insigni admodum specie virgine, cui ea nocte miles quidam vitium intulerat, quã id concepisse animaduertit, persuasit ei vt culpã in iuniorem illum monachum Marinum transferret. Fecit illa, quemadmodum scelerato à milite edocta fuerat.

Puella vitiata infamat Mariam.

Parens igitur cùm audiret filiam suam, vnicũ totius familiæ decus, à Marino corruptam, furibunda mente ad monasterium cucurrit, & Marinum apud monachos atque monasterij Præfectũ, magna verborum contumelia admissi sceleris vehementer incusauit. Intereà Marinus, rerum quæ agebantur ignarus, ab obedientiæ opere ad monasterium reuersus est. Præfectus verò, cognito eius aduentu, durissimis eum verbis excepit. Hæccine, dicebat, ô Marine, est tua sanctitas, qua te omnes præditum esse putabamus? Quando diuersatus fuisti in diuersorio, attulisti vitium filiæ præfecti diuersorij. Qua de causa pater eius huc veniens, tanquam per theatrum traduxit nos monachos. Marinus, his auditis, tanquam patrati sceleris reus, humi se in faciem prostrauit, & errati sui veniam infimis precibus postulauit. Cui Præfectus acriùs irascens; Vade, inquit, neque enim sacro monasterij huius limine dignus es. Hæc cùm diceret: eum exturbauit.

Præfectus monasterij durissimè increpat Mariam.

Fatetur crimen quod nõ admisit.

At

Eximia eius mansuetudo & patientia.

Maria nutrit infantē.

At ille summa mansuetudine iniuriam fratres, monasterio est egressus, seditque præ foribus annis tribus, omnium iniurias, frigus etiam hostum inuicto animo tolerans. Et hæc quidem iuia fuêre, si cum partûs miserijs & doloribus (parens enim puellæ masculum puerum ei proiecerat, nutriendumque reliquerat) conferantur. Nihilominùs Marinus sumpto puerulo paternam impendebat curam, omnium sibilo & irrisioni expositus. Nec destitit vnquam quasi maximorum criminum reus, prætereuntibus & causam afflictionis eius quærentibus fateri, se ob admissum fornicationis crimen, ex monasterio eiectum esse.

Post tres annos recipitur ad monasterium.

Summa humilitas eius

Tribus autem annis hoc modo transactis, fratres eius pœnitentia & afflictione grauissima ad misericordiam flexi, reditum ei ab Abbate impetrare voluerunt; cumque ille inexorabilem se exhiberet, monachi omnes diuinam bonitatem cōtestati sunt, se tantam in Abbate sæuitiam excusare non posse. quare si Marinum, omnibus iam pœnitentiæ laboribus confectum admittere recusaret, se protinus quoque monasterium deserere velle. Tandem his obtestationibus victus præfectus, Marinum quidem admisit, sed ad vilissima monasterij munia obeunda deputauit. Quæ ille cum gaudio & gratiarum actione suscepit: ijsque etiam indignum se reputabat. Neque hic tamen minora prioribus certamina defuerunt. Sequebatur eum puer, lachrymabili interdum voce, victum aliaque vitæ necessaria postulans, quæ non sine quotidiano vultûs sui pudore ei suppeditare poterat. Puerum tamen in omni sanctitate educabat, adeò vt etiam propter vitæ & morum integritatem, sacro consortio dignus haberetur, & miri-

nitificè ab omnibus diligeretur. Post hæc autem cum Dominus, eius fidem & pias lachrymas sempiternis gaudijs compensare decreuisset, omnibus insciis, ad regna cælorum eam euocauit. Triduò à diuinis laudibus & quotidiano monasterij seruitio abfuerat, cum fratres cellulam ingressi, eam in Domino obdormiuisse, pueriique luctu & lachrymis deformatum assidentem inueniunt. Præfectus audito eius obitu; Væ (inquit) illi; quomodo sic excessit, quam quæso de sceleribus suis Deo rationem reddet? Interea cum corpus ad lauandum de more nudaretur, inuenta est mulier. Tunc verò incredibili stupore oppressi, profusis lachrymis misericordiam Domini implorârunt. Præfectus autē mente & corpore pauidus, ad eius se pedes prouoluit, obtestans se indè non recessurum, nisi peccati sui, per ignorantiā in eam commissi, veniam haberet. Hæc ingenti lachrymarum vi humi prostratus orabat, cùm vox cælitus demissa ad aures eius fertur dicens; Quia ignorans fecisti, peccatum tuum veniam meretur.

Migrat è corpore.

Præfectus à sacris reliquijs veniā petit.

Tunc surgens Abbas, diuersorij præfectum, cuius filia à milite vitiata fuerat, ad se euocauit, eique Marini sexum & admirandam vitæ sanctitatem detexit, qui rei admiratione stupefactus, acerbissimè errorē suum defleuit, & à sanctis reliquijs veniam postulauit. Post hæc venerandum illud sacratissimæ virginis corpus cum Psalmis, & hymnis, & multis luminibus, ad insignem quendam monasterij locum defertur, cum eccè filia Præfecti à dæmone corepta accurrit, & militem admissi criminis magna voce reum clamat, seque eius fallacijs in extremam miseriam adductam esse vociferatur. Sed cum ab alijs manu ducta

Item præfectus hospitij.

Filia Pandochei arrepta à Dæmone & suum crimen cōfessa curatur meritis S. Virginis.

sanctissimas attigisset reliquias, fuit protinus ab impuro hospite liberata, & ad veram peccatorum suorum confessionem precibus Mariæ perducta.

## *VITA S. PAVLI, EPISCOPI VIRDUNENSIS, ex ea quæ est optima fide apud Surium.*

Vide Cæs. Baron in Notatio. Martyr Rō.

*Claruit temporibus Dagoberti Regis Francorum. Ordinatusque est Episcopus Anno Domini 621. Recensetur verò 13. eius sedis Antistes.*

3. Februarij.

BEatus Paulus Virdunensis ecclesiæ Præsul dignissimus, beatissimi Pauli Apostoli imitator egregius, quem non minus vita & moribus, quam nomine referre pro viribus conatus est, in Gallia Belgica parentibus ortus est non infima dignitate. Porrò in ipsis annis teneris, omnibus artium maximarum disciplinis egregiè excultus, statim se totum ad res diuinas, atque ad præcipua charitatis & misericordiæ opera exercenda contulit; adeò vt facultates suas omnes in egenos, morbidos, nudos, fame sitique afflictos, admirabili benefaciendi studio conferret, nihilque sibi, præter ea quæ sunt ad victum & cultum corporis necessaria, retineret.

Patria eius.

Valde studet officijs charitatis.

Vacabat interim ieiunijs & precibus, & quanquam actiuæ vitæ cum Martha non segniter nauaret operam, attamen diuinæ contemplationis auidus, eam ceu partem meliorem, cum Maria arctius complecti cupiebat. Cumque hac in cogitatione diu noctuque versaretur, modumque inquireret quinam ad summum posset perfectionis apicem pertingere, diuinitus illius animo saluberrimum incidit consilium, vt cum magno illo Abrahamo, exiret de terra & cognatione sua, ad ex-

Genes. 12.

ad exteras regiones ignoraque loca se recipe-
ret. His cogitationibus inflammatus, antiqua præ-
clari generis sui stemmata & superbam nobili-
tatem contempsit, relictisque charissimis paren-
tibus, Christo duce, è patria proficiscitur, & nes-
ciens quò pergeret, quippè viarum ignarus, tan-
dem ad eremum Vosagi peruenit; eamque, post-
habitis mundi rebus omnibus, lætus, Christo ibi-
dem militaturus, ingreditur. Fama est eam olim
solitudinem anachoretas inhabitasse, qui distin-
ctis cellulis, in arctissimo silentio, soli, perpetuò
degebant. Horum optatissimam viuendi consue-
tudinem, Paulus sibi totis viribus amplectendam
proposuerat, sed cum diuina prouidentia, ad pa-
storalem eum dignitatem destinasset, accidit, vt
ad cœnobium potius perueniret, vt illic interim
apud fratres delitescens disceret, quod postea
probè exercitatus alios doceret.

Venit in' Vo
sagi solitu
dinem.

Erat in illa eremo monasterium monasticis
institutis valde insigne, Tabuleium antiquitus di-
ctum, quòd sectis instar tabellarum, lapidibus
primo ædificatum fuerit, at nunc verò Theolegi-
um appellatur. Ad cœnobium Paulus hospitij
capiendi gratia diuertens, tam eximia beneuo-
lentiæ & humanitatis significatione ab Abbate
& fratribus exceptus fuit, vt eorum conuersatio-
nem sanctissimis colloquijs, plurimum delecta-
retur. Interea Abbas cum rem diuinitus geri
cognosceret, cogitationem suscepit de inuitando
illo ad monasticæ vitæ complexum, ne si fortè a-
liò se transferret, ipse eius sanctitatis ferret dis-
pendia.

Tabuleium
monasteriũ.

Abbas eũ ad
monasteriũ
inuitat.

Quadam itaque die cum de humanarum re-
rum contẽptu, vt sæpè alias, colloquia miscerent,
Paulus animi sui consilium & intentionem ape-

ruit,quod nimirum eremum incolendi, incredibili desiderio flagraret. Abbas his auditis nihilum non mouere lapidem cœpit, vt tantum virum & tam excellenti virtute præditum apud se retineret,& infinitis scripturæ locis pugnans, quibus astruere conabatur monasticam disciplinam multis partibus anachoretica vita præstantiorem:& maioris apud Deum meriti esse,eoque rem deduxit, vt Paulus toto corpore humi prostratus, promptum se ad illius iussa exequenda offerret .Itaque votis omnibus cum Abbatis benedictione monasticum induit habitum,& vt verus Christi seruus, illi sanctorum congregationi adiungitur. Ab ipso autem mutati habitus die, tanta virtutum omnium exercitatione certamen aggressus est, vt multi sanctitatis eius fama prouocati, ex longinquis regionibus ad eum confluerent, seseque in eius disciplinam tradere, non modo mediocris fortunæ, sed præpotentum etiam ac nobilium filij certatim cuperent. In ijs erat Grimo Dagoberti regis nepos, qui pro cælestis patriæ amore,omnem huius mundi gloriam pro nihilo ducens,illi se instituendum tradidit,cui tanto repentè dilectionis ardore coniunctus est, vt non nisi sola interpellante morte, ab illo se separari pateretur.

Induit habitum monasticum.

Grimo Dagoberti regis nepos se Paulo adiungit.

Per idem tempus, defuncto Ermenfredo Virdunensi Episcopo,Rex Dagobertus S.Paulum e monasterio extractum,inuitum & calcitrantem, in cathedra collocauit.Quod tamẽ miro applausu,cunctis gratulantibus factum est.Porrò hoc eximiæ sanctitatis exemplum, quod de eo Bercharius presbyter,scriptor rerum in ecclesia illa gestarum fidelissimus ( qui etiam hunc Paulum S. Germani Parisiensis Episcopi,fratrem fuisse testatur

Ermenfredo Virdunẽsi Episcopo succedit.

Bercharius antiquus scriptor.

tur)narrat, silentio prætereundum non est. Cum, inquit is, Paulus noster monasticam adhuc ducens vitam, in pistrino fratrum, obedientiam habuisset, & timeret nè hora statuta fratres panem habere potuissent, ejecto de clibano igne, ipse introgressus, cum cuculla sua clibanũ purgavit & panem aptè ad coquendum ordinauit, & foras egressus, panem statuto tempore fratribus distribuit. Legi (inquit idem auctor) & pia vidi multa miracula, quæ viuẽs in episcopatu egit, & positus post excessum in basilica Saturnini Deo cooperante, satisfecit. Cæcos namq; illuminauit, claudis gressum præbuit, ægrotos à variis infirmitatibus curauit.

Clibanum illæsus ingreditur S. Paulus.

Multa miracula fecit.

Porrò vir Beatus in episcopali dignitate hoc modo, vt diximus, collocatus, Canonicos in primis ad arctiorem sanctioris vitæ disciplinam cum verbo, tum exemplo reduxit; atque ita per omnem vitam dignitatem illam administrauit, vt magnum sui desiderium omnibus reliquerit. Et quidem dolendum est hominum incuria, præclarissimas eius res gestas ad posterorum notitiã tam exactè & copiosè, quam admiranda eius sanctitas merebatur, non peruenisse. Itaq; post multorum vita labores, maximo animo susceptos, & feliciter exantlatos, confectus senio, ruptis corporis vinculis, ad supernam patriam migrauit, 6. Idus Februarij. Et in ecclesia S. Saturnini, vt iam ante dictum est, sepulturæ mandatus est. vbi meritis & precibus illius, egregia Domini nostri Iesu Christi beneficia præstantur, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Migrat è corpore.

Miracula ad sepulcrum eius fiunt.

*MARTYRIVM S. APOLLONIAE VIRginis,, ex Epistola Dionysij Alexandrini, ad Fabium Antiochenum Episcopum, quæ est apud Eusebium Lib. 6. Cap. 34. hist. Ecclesiast. Passa est Anno Domini 252. Fabiani Papæ 14. Philippi Imperatoris 7.*

Vide Cæs. Baron. Ann. Tom. 2.

9. Februarij.

GRauis admodum tumultus hoc ipso anno qui quidem præcessit Decij persecutionem Alexãdriæ in Christianos excitatus est, instigãte in eos, Mago quodã Aegyptio. Quã autem sæua ac furẽs hæc fuerit repẽtina grassatio, testatur Dionysius his verbis. Non ex Imp. edicto (inquit) persecutio apud nos incepta fuit, sed integro anno præuerterat. Nam vates (quisqs ille fuerit) malorum omnium, quæ huic ciuitati acciderunt, architectus, infinitam gentiliũ turbã contra nos incitauerat, impuleratque. Atque adeò ad patriam suã & antiquã superstitionẽ defendendã magnopere instigarat, qui ab illo ad maleuolentiam irritati, omnemque aucupati licentiã ad scelus patrandũ, solam pietatẽ & verum cultũ dæmonum suorum, istum censuerunt: vt Christianorum cæde & sanguine suas crudeles manus respergerent. Et paulò infra. Tum verò vno quasi animorũ impetu, omnes in piorũ ædes irruere, & singuli, quos sibi vicinos esse cognouerant, properè educere, expoliare, diripere, & diuitias ac suppellectilem, si quæ erat pretiosior, sibi seponere, si quæ vilior, sordidior, & ex ligno confecta, in vijs dissipare, deinde exurere, adeò vt ciuitas illa verã speciem vrbis ab hostibus captæ, dispoliatæque probè repræsentaret. Fratres ergò deflectere è via, & in loca separata ac solitaria se subducere, rapinã bonorum suorum similiter cũ illis, quibus Paulus illu-

Gentilium immanis crudelitas.

ius illustre perhibet testimonium, cum gaudio Heb. 10.
suscipere. Atque haud scio vtrum quisquam, præter aliquem vnum alicubi fortasse huc vsque Dominam denegauerit. Apolloniā porrò virginem id temporis cum primis admirandam, & admodum prouectā ætate comprehendunt: maxillisq; eius crudeliter diuerberatis, omnes dentes illi excutiunt, atque rogo in suburbijs extructo, minantur, nisi verba blasphemiæ vna cum ipsis palam eloqueretur, se eam viuam crematuros. Illa paululum intra semetipsam deliberans, repentè se de manibus impiorum proripuit, & in ignem quem parauerant maiori sancti spiritus flamma incensa accēsa, sponte prosiliuit, ita vt perterrerentur etiam ipsi crudelitatis autores, quod promtior inuenta esset ad mortem fœmina quam persecutor ad pœnam.

S. Apollonia comprehenditur & cruciatur.

Vltro se præcipitat in flammas.

## MARTYRIVM S. NICEPHORI, EX Metaphraste. *Certauit pro fide, Anno Chri. 1260. Sixti. Pap. 1. Valer. & Gal. Imperat. 6.*

Vide Cæsar. Baron Ann. Tom. 2.

9. Februarij

IN tempore illo, erat presbyter quidam Antiochiæ Sapricius nomine, cui summa & fraterna quædam familiaritas intercedebat cum homine quodam laico Nicephoro, adeò vt nunquam contracta à teneris vnguiculis amicitia, interrumpi posse videretur. Verum enimuerò sceleratissimus humani generis hostis, cū suprema inter eos pax maximè vigere videretur, tam acerbo alterum in alterius perniciem odio concitauit, vt se mutuo colloquio, vterq; indignus reputaret. Cumque longo tempore hoc modo capitali inimicitia disiuncti essent, Nicephorus salutari dolore compunctus, amicos quosdam sub-

Summus amor in summum odium mutatus.

ornauit, qui ei à Sapricio veniam impetrarent, sed Sapricius mente prorsus in scelere obdurata precantes à se repulit; neque vlla ratione cum Nicephoro in gratiam redire voluit. Vndè non mediocriter turbatus Nicephorus, alios atque alios secundò & tertiò viros prudentiæ & pietatis opinione præstantes ad eum destinauit, vt aliqui saltem ratione viderent, qua odium extingueret, & animos disiunctos ad pacem & pristinam amicitiam reuocarent. At verò cum neque amicorum preces neque Nicephori per eos obtestationes, Sapricium vllo modo inflectere possent, Nicephorus amore diuino vehementius inflammatus, supplex ad eum properauit, & magna humilitate se ad pedes eius abijciens, per Christi sanguinem eum rogauit, vt illatam iniuriam condonaret, & tam graues inimicitias aliquando tandem deponeret. At Sapritius summa cum indignatione supplicem à se repulit & in eadem animi peste pertinaciter perseuerauit.

Sapricij duritia.

Hæc cum fierent, repentè sæua tempestas Antiochiæ, exorta, res Christianorum in summas angustias adduxit; Fuitque inter alios Sapricius apprehensus vt Christianus, & Præsidi oblatus, à quo de nomine & conditione interrogatus: voce constanti & præclaro etiam martyre digna, se Sapricium dici, & nō modo Christianum, sed Christianorum sacerdotem esse respondit. Cui Præses: nosti, inquit, Augustos nostros & finium Romanorum Dominos, Valerianum & Gallum, præcepisse vt qui dijs immortalibus sacrificare renuit, acerbissimis supplicijs afficiatur? Cui intrepidè Sapricius respondit, Nos Christo Deo cæli terræque Domino, iugiter sacrificamus. Omnes autem dij gentium, dæmonia, opera sunt manuum hominum

Persecutio in Christianos Antiochiæ.

Sapricius apprehensus, Christū constanter confitetur. Psal 95. 123. & 134.

ninum, neq; vllum in calamitate refugium præ-
fare possunt.

Præses, his auditis, ira vehementer commotus, iussit eum in cochleam proiectum, immaniter torqueri. Quod tormenti genus acerbum sanè & crudele Sapricius tam inuicto animo pertulit, vt Præsidi etiam insultaret dicens; Corpus tu quidem hoc excarnificare potes, animæ autem meæ, quæ in manu Christi Iesu est, potestatem nullam habes. Tum improbus Iudex, cum videret eum supplicijs superari non posse, capitis eum condemnauit. Immaniter torquetur. Damnatur capitis.

Accepta itaque martyrij sententia Sapricius, lætus ad palmam egressus est. Quod cum audisset Nicephorus, iterum ei supplex obuiam properauit: orans atque obsecrans, vt pristinæ consuetudinis memor, sibi, si quid peccasset in eũ, ignosceret. Sed Sapricius cordis sui malitia obcæcatus, vultu eum auersatus est. At Nicephorus de salute proximi sui magis magisque solicitus, alia iterũ via obuiam ei processit, cum lachrymis eum obtestans, per sacrosanctum nomen Domini nostri Iesu Christi, pro quo vitam & sanguinem profundere non dubitabat, vt amicum supplicem & peccatum suum agnoscentem, in gratiam reciperet. Sed Sapricius nullis lachrymis vel precibus, conceptum odium deponere voluit, neque vnquam Nicephorum supplicantem & lacrymantem, verbulo vno dignatus est. Eccè pertinaciam etiã post tantos cruciatus.

Interea cum hoc modo ventum esset ad certaminis locum, in quo propter cõfessionem nominis Christi, cælesti corona donandus erat, lictores eum genua flectere iusserunt, vt iam latam capitis sententiam exciperet. Tum Sapricius conturbatus; Quare, inquit, capite plectar? Respon-

dent lictores, quia spreto Imperatorum inuictissimorum mandato, dijs nostris sacrificare coëgisti. Hæc cùm audijsset miser ille, respondit lictoribus: Nolite me ferire. Facio enim, quæ iusserũt Imperatores & dijs sacrifico. Hic fuit odij illius inueterati fructus, hæc merces iniquitatis. Hoc iustum Dei iudicium, vt ei fores regni cælorum clauderentur, qui viscera sua, supplicanti fratri, durus & immisericors clauserat.

Hic est odij fructus.

At non is animus Nicephori, qui cernens fratrem suum in barathrum perditionis æternæ iam præcipitatum, ingentem lachrymarum vim pro eo ad Dominum fudit; orans atque obsecrans Sapricium, nè tanta se perfidia inquinaret. O frater, inquit, quid facis? Vbi mens, vbi ratio, vbi inuictũ illud animi tui robur, quo tyrannum, eiusq; minas iam ante vicisti? Quid? Tu illam coronam cælestem, illam victoriæ palmam, quam tot tantisque tormentis hactenus acquisijsti, vno momento perdere decreuisti? Hæc cùm nullum, apud Sapricij animum, fraudibus dæmonis & propria malitia deuictum, pondus haberent, Nicephorus facibus diuini amoris inflammatus, magna voce in medium prosiliens exclamauit; Ego sum Christianus & credo in Dominum nostrum Iesum Christum, quem iste negauit. Me ergò iam pro ipso ferite.

Nicephori obtestationes ad Sapricium.

Lictores tantam audaciam admirati, obstupuerunt, missoque confestim ad præsidem nuncio, significarunt, Sapricium quidem mortis metu perterritum Christum negasse, atque ad dijs sacrificandum paratum esse, sed alium quendam, Nicephorum nomine, maioris constantiæ & virtutis virum, vltrò se ad mortem pro Christi gloria offerre. His auditis, Præses eum Sapricij supplicij ilubi-

subire iussit. Lictores ergò audita Præsidis sententia, Nicephorum liberè & constanter Christum Iesum profitentem, & summo gaudio exultantem, capite truncarunt: nono Mensis Februarij. Nicephorus accipit coronam Sapricij.

## VITA S. ANSBERTI EPISCOPI ROthomagensis, ex ea, quam Ansgardus Monachus scripsit, & dedicauit Hilberto Abbati Fontanellensi. Obijt anno Domini 695. Fuit autem eius ciuitatis Episcopus XXII.

Vide Cæs. Baron. not in martyr. Rom. Item Tom. 8. Annal. Ecclesiast.

EO tempore, quo sceptra regni Francorum gubernabat Clotarius, filius Clodouei regis, & Bathildis reginæ, vnà cum germanis suis Childerico & Theodorico, Ansbertus ecclesiæ Rothomagensis Antistes, virtutibus clarus, à patre Siuuino, & pago Veliocassino patrimonioque, vocabulo Calcegio, nobili erat ortus genere. Sed repudiato patrum stemmate, iam indè à puerilibus annis totus cœpit Christi amore flagrare fluxosque & inanes huius mundi honores, tota mente horrere. Traditus à parentibus literarum studijs, cùm ad pubertatis annos, maximarum artium cognitione non mediocriter instructus, peruenisset; Pater ei generosissimam, nobilissimamque Rothberti illustris admodum viri filiam, Angadrisinam sponsam postulauit: quæ summa patris voluntate concessa, & sacrosancto matrimonij vinculo copulata fuit. Sed cum vterque integram animæ & corporis pudicitiam Christo seruare decreuisset, Angadrisina assiduis precibus (ne aliquandò sponsus humana fragilitate victus, carnali delectatione frui vellet) eam à Domino corporis deformitatem impetrauit, vt facies turpissima lepra deformata, omnibus vel

9. Februar. Genus & patria Ansberti.

Desponderetur ei nobilis filia.

Nota preces tam illustris Virginis.

vel solo aspectu horrori esset. Cumque vndique præstantissimi quique medici aduocarentur, & longo tempore omnis eorum ars & industria curanda illa deformitate, desudasset; pater diuinitus hoc circa suam filiam fieri intelligens, quæsiuit ab ea, nùm aliquando virginitatis voto, se Deo obstrinxisset. Cui virgo respondit. Semper se pudicitiæ & continentiæ cupidissimam fuisse, neque vllum vnquam in terris sponsum quam Christum Iesum agnouisse.

Redit ei sua pulchritudo sacro velamine accepto.

His auditis pater, eius vel potius diuinæ voluntati reluctari noluit; sed protinus vocato Rotomagensi antistite Audoëno, à quo sacrum velamen accepit, Christo eam obtulit, consecrauitq. Quo facto, pristina statim pulchritudo & forma redijt, ità vt cuncti eam deinceps veram Christi sponsam appellarent. Ansbertus verò fuit in aulam, licèt inuitus, à genitore perductus, & quia erat miro ingenij acumine præditus, fuit regalium priuilegiorum conditor, & regalis annuli gerulus constitutus. Sed hæc summæ dignitatis officia ita administrauit, vt nunquam animum à cœlestium rerum consideratione auerteret. Studebat cum verbò, tum exemplo lasciuientes aulicorum animos, in omni pietatis & modestiæ officio continere. Alios diuini iudicij terrore, ab inueterata peccandi consuetudine deterrebat. Alios promissione cœlestium præmiorum, ad perfectionis studium inuitabat. Denique inter summos honores & infinitas peccandi occasiones, ita vitã instituebat, quasi inter sacra monachorum contubernia versaretur.

Ansbertus fit magnus in aula.

Eius quotidiana conuersatio, in aula qualis fuerit.

Sed cum humanæ fragilitatis memor, periculum sibi vehemẽter timeret, statuit ab aduersa vitiorum tempestate, ad tutissimum religionis portum

tum confugere. Quodam itaque die, nemine salutato, à palatio egressus, ad Fontanellense cœnobiũ, in territorio Rothomagensi situm iter instituit; vbi benignè ab Abbate Vvandregisilo & fratribus exceptus, monasticæ vitæ disciplinam professus est. Hic verò quanto studio, diuinarum rerum contemplationi, & sacrarum scripturarum lectioni incubuerit, dici non potest. Omnium virtutes æmulabatur; Huius sibi humilitatem, illius patientiam proponebat; nec prius à precibus & exercitio cessabat, quam virtutes, quas in alijs contemplatus fuerat, in se expressisset.

Relicta eli aula, intrat monasteriũ.

Quodam tempore, cum in vinea monasterij excolenda, cum alijs quibusdam fratribus laboraret, Theodoricus adolescens venatibus insistẽs, ad virum Dei accessit, atque honorificè salutauit. Cui cum Ansbertus breui regni totius imperium tradendum esse prædiceret, & ille verbis illius fidem adhibere nollet, adiecit vir sanctus; Vt certò scias tibi regni gubernacula esse moderanda, & multas variasque tempestates superandas; locus hic, in quo tabernaculum consistit, & nunc obcalcantium vestigia tritus videtur, hyemali tempore viridissimam herbam producet, & omni tempore cæteris locis, deinceps viridior apparebit. Quod ita euenisse omnibus illo aduentantibus indicium est. Sed nunc operę pretium est narrare, quomodo ad pontificij dignitatem peruenerit, quantaque eam sanctitate & diligentia administrauerit.

Ansbertus prædicit Theodorico adolescenti illum regem futurum.

Cum inclytus Domini sacerdos, Vvandregisilus, per viginti ferè annorum spatia, hoc cœnobium, à primo die ædificationis in regimine tenuisset; eo mortuo, summa fratrum omnium voluntate

Ansbertus præficitur monasterio Fontanel. lensi.

Fit Pontifex ecclesiæ Rothomagen. sis.

Concordiæ & charitatis quam fuerit studiosus.

Inseruit pauperibus ad mensam sedentibus.

luntate & vnanimi consensu, Lantbertus religione præclarus, & genere nobilis, subrogatus fuit. Qui cum non multò pòst, ad Lugdunensis ecclesiæ episcopatum, sacerdotali electione, & regali authoritate vocaretur, Ansbertus sedem eius in cœnobio Fontanella occupare à fratribus coactus fuit; quam postquam annis non paucis, incredibili charitate, summa fratum dilectione administrasset, & pauperibus duas in cœnobio mansiones, tutissima sanè refugia, construxisset, & Xenodochium insuper imbecillium ac decrepitorũ rebus omnibus ad vitam necessarijs egregiè ditatum erexisset, ad Rothomagensis ecclesiæ administrationem, in Audoeni locum recens defuncti subrogatus est.

Fuit hæc electio Theodorico regi gratissima, propter eximiam eius prudentiam & sapientiæ donum, quod mirificè in eo redundabat. Porrò, vt primum pontificali potitus est gradu, prima ei cura concordiæ fuit, & præcipuus labor fraternã dilectionem inuiolabili pacis fœdere, conseruare. Iam verò, profluam illius in omnes charitatẽ, nulla vnquam vis orationis explicare poterit.

Cum inter alia infinita pietatis opera, quæ in pontificatu suo gessit, Audoëni reliquias in eminentiorem locum ecclesiæ S. Petri, quæ sita est in suburbano vrbis Rothomagensis, transferre decreuisset cõpletis Missarum solennijs ad conuiuiũ (quod splendidè admodum à Genardo vicedomino, alijsque nobilibus instructum erat) vocaretur; ipse, alijs omnibus sedere iussis, more solito, cũ peregrinis & pauperibus discubuit, atque hilari vultu & iucũda facie ijs ministrauit. Neque hoc illi rarum. Sed assidua erat illi aduenarum & hospitum cura, tantoque beneuolentiæ studio

lio in ijs succurrebat, vt omnia corporeę necessitatis subsidia, hilariter & munificè tribueret. Aderat enim munifico animo par substantia, pari fide ministrata.

Sed humani generis hostis, bonorum tãtorum æmulus, callidissima arte egit, vt vir splendidus mundo, splendidior Christo, in maximum totius plebis detrimentum, pontificali sede priuaretur. Nam cùm sæua, inter Francorum principes, orta esset discordia, callidus humani generis hostis, malignorum contra Dei famulum sæuire fecit inuidiam, qui Pipino principi fraudulenter sug- gererent, prędictum virum sanctum aduersus eum contraria tractasse consilia. Vndè iussu eiusdem principis, exilij ærumnas subire coactus est. Quas ille tulit patientissimè. Profectus enim in Altum montem monasterium, situm in territorio Hannoniensi, cui venerabilis Halidulphus cum summa laude præerat, pristina monasticæ vitæ exercitia summa pietate repetiuit. Etenim ieiuniorum instantia ac vigiliarum prolixa pernoctatione, indesinenter se affligebat, orationum ac lachrymarum imbre assiduè rigabatur. Cui omnipotẽs Deus hanc contulit gratiam, vt vniuersi loci habitatores, vnico illum affectu diligerent, nulloque temporis interuallo, opportuno eius colloquio priuari vellent.

**Defertur apud Pipinũ ab æmulis, & deportatur in exiliũ**

Interea cùm malignorum inuidia, aduersus virum Dei magis desæuiret, principiq; suggerere molirentur, vt grauiori eum exilij pœna mulctaret, vir Dei Halidulphum abbatẽ ad eum direxit, qui præclaris rationibus ei satisfaceret, diceretq; se non sponte sua, sed principum iussione, ciuiumq; electione, illud honoris fastigiũ conscendisse. Tandem factum est, vt principis animus placa-

placatus, reditum ei, ad pontificiam dignitatem concederet; qui quamuis, ei propter gregem sibi commissum, gratus esset, non tamen propterea quidquam à susceptis pietatis exercitijs remittebat, sed tot, tantisque disciplinis carnem suam quotidie mactabat, vt ijs ipsis facilè declararet, se pro Christi confessione nulla supplicia horrere.

Permittitur redire ad sedem suam.

Iamque tota mente in cælestium rerum consideratione absorptus, ingenti humanarum rerum fastidio laborabat; cum à Pipino per literas humiliter peteret, ne in Fontanellensi cœnobio, vbi dudum strenuè Domino militauerat, corpusculo suo quietis locum concedere dedignaretur. Quo libenter annuente, Missarum sibi solennia celebrari fecit, perceptisque sacrosanctis corporis & sanguinis Domini mysterijs, anima eius sancta, generosa, & ab omni mundi contactu impolluta, feliciter ex corporis ergastulo ad Angelorum consortium migrauit. Funus fuit cum summo honore terræ mandatum. Decimo autem & septimo, ab eius sepultura, die, cum vellent eius reliquias ad Fontanellense cœnobium transferre, sepulcrum apertum fuit: ex quo tanta odoris fragrantia manauit, vt omnis ecclesia, quasi diuersis aromatum floribus, mirificè repleretur. Corpus verò non modò integrum & incorruptum, sed Dominicæ crucis signo, rosei coloris similitudinem gerêre, in pectore insignitum inuentum est; vt patenter cunctis daretur intelligi, quia cuius arma viuens portauerat in corde, eius stigmata defuncti monstrarentur in corpore.

Migrat è corpore.

Corpus 17. ab obitu, die, suauissimum spirat odorem.

Iam verò cum sacrum corpus Pontificali veste indutum, cum cereis ac lampadibus, & diffonis diuersarum linguarum choris, ad Fontanel-

lense

lense portaretur cœnobium, in villa, quæ Solemnium dicitur, in Hannonienſi territorio, accurrit homo quidam in humeris ſuis, filiam membris omnibus miſerè ſolutam, & mortuæ magis quam viuenti ſimilem, baiulans; clamans; gemenſque, vt ſanctus præſul filiæ ſuæ miſereretur. Cumque ea nocte ad ſancti viri feretrum vigilijs & precibus incumberet, mane facto, patrem eam ſanam & membris omnibus integram inuenit. Paralytica curatur.

Hinc verò, cùm ſacro pignore ad Fraxundum villam, quæ ſita eſt in pago Bellouacenſi, digreſſi, inuenerunt mulierem ab immundo ſpiritu tã immaniter vexatam, vt catenis conſtricta, furorem eius difficulter comprimere poſſent. Cum autem ea pallium, quo tegebatur, feretrum attigiſſet, ſtatim edito horribili clamore, inimicum humani generis cum cruore euomuit. Simile omnino huic miraculo, aliud contigit in terra Rothomagenſi. Alia item innumera, quæ nos prolixitatis vitandæ gratia, omittere cogimur. Dæmoniaca liberatur.

Porrò vt ad Fontanellenſe cœnobium peruentum eſt, innumerabilis vtriuſque ſexûs turba, obuiam proceſſit & multis lachrymis, quantum ex eius obitu dolorem caperet, teſtabatur. Triceſimus iam inſtabat dies, quo primum ex terræ viſceribus diu ſepultum corpus, extractum fuerat. Cumque omnes, iam penè à vermibus conſumptum putarẽt, ablata ſyndone, facies viuido quodam colore aſperſa, inuenta eſt: & rurſùs mira odoris ſuauitas, lõgè lateque emanauit. Sepultum autem eſt in ſancti Pauli Apoſtoli baſilica iuxta ſanctiſſimi Patris VVandregiſili ſepulchrum, ad læuam, quinto Iduum Martiarum, ſub anno ſexcenteſimo nonageſimo quinto incarnationis Dominî Nota odorẽ & colorem, tamdiu defuncti corporis.

mini nostri Iesu Christi: cui honor & imperium per infinita secula seculorum. Amen.

Vide Cæs. Baron. not in martyr. Rom. Item Tom. 8. Annal. Ecclesiast.

## *VITA S. AVSTREBERTAE VIRGINIS, primæ Abbatissæ Pauliacensis: ex ea qua est optima fide apud Surium. Floruit circa annũ Domini 640. Errant qui putant hãc fuisse Ansberti Episcopi sororem.*

10. Februar. Religio floret in Gallijs sub Dagoberto.

TEmporibus Dagoberti Francorum Regis, cum sancta mater ecclesia mirificis in Gallijs floreret virtutibus, erat in Palatio, vir honestate vitæ inprimis venerabilis, exprioru Regum prosapia oriundus, officio Comes Palatinus, Badefridus nomine. Cui vxor erat elegans sanè & liberali specie, sed sanctitate vitæ multò elegantior, ex Alemannorum Regis progenie Framehildis. Horum talis erat, inter mundi huius honores & dignitates, conuersatio; vt miraculorũ etiam gloria, omnibus eximiam eorum sanctitatem proderet. Erant enim in caducis seculi honoribus sublimes, sed animi probitate sanctiores; fide firmi, charitate præcipui; iustitia insignes, spe longanimes; pauperum in susceptione, valdè soliciti. His igitur talibusque virtutum floribus ornati & Spiritus sancti gratia mirificè præuenti, prolem conceperunt in Taruanensi territorio, admiranda sanctitate ornatam. Fertur namque Framehildis ab Angelo præmonita quod prolem paritura esset, quæ sua sanctitate & virtutis exemplo, plurimos à peccati seruitute, in libertatem vindicaret, & ad studium pietatis ardentissimum incitaret.

Parentes Austrebertæ.

Austreberta virgo nascitur.

Igitur summa diligentia, à parentibus in omni

nni morum probitate enutrita, & optimis disciplinis imbuta, cum omnibus mundi pompis & voluptatibus virili animo calcatis, tota mente ad sanctissimum aliquem religionis statum aspiraret; parentes eam magnificis nuptijs ad summos honores extollere voluerunt. Iamque tempus nuptijs præfinitum aduenerat, cum virgo ingenti mœrore oppressa varia fugæ consilia captat.

Parentes volunt eam iũgere matrimonio.

Tandem assumpto secum paruulo fratre, clam fugam iniit, incerta adhuc quo tenderet. Cumque ad fluuium quendam aquis in tantum inundantem, vt ponte submerso, nulli transitum præberet, peruenisset; Austreberta, facta oratione, & præmisso Crucis signo, in nomine Christi transitum tentat; & eccè aqua instar ligni solida, eam excepit, & sicco calle transmisit. Amne hoc modo transmisso, incredibili gaudio exultans, quantocyus ad Audomarum Taruanensis vrbis Pontificem, properauit: eiusque prouoluta pedibus, sacrum velamen magno spiritùs feruore petijt; quod vir Dei lubens concessit, eamque omnipotenti Deo consecrauit.

Ambulat super aquas.

S. Audomarus eã Christo cõsecrat.

Hinc verò digressa, cum summa parentum voluntate (qui diuinum in eo facto consilium iam agnoscebant) ad monasterium quod Porcus dicitur super fluuium, qui Somma appellatur, constructum contendit; in quo à spirituali matre cæterisque sororibus cum magno charitatis affectu recepta, maximis cœpit virtutibus & miraculis etiam florere. Fuit cõtinuò, à sacris virginibus ad præposituræ officium, propter insignem animi mansuetudinem & humilitatem, assumpta; nec tamen propterea, quotidiana cum sororibus mi-

In cœnobio viuit sanctissime.

nisteria negligebat, sed tanquam vera Christi ancilla; omnibus humili obsequio ministrabat.

Die quodam, cum reuolutis vicibus, coquendis panibus cum adolescentula quadam operam daret, & accensum clibanum, formatis iam panibus, ab igne & carbonibus purgare vellet, forte fasciculus in summitate ligni colligatus adustus est. Vndè non mediocriter turbata, timens nè ex longa mora periculum panibus immineret, signo Crucis se muniens, medium, inter igneum vapores, clibanum ingreditur, arreptisque manicis loci cum omnem, sine vlla corporis vel vestium læsione, diligēter mundauit. Fuit hoc obedientiæ eius præclarū signū & miraculum admirandum; sed multò fuit in ea præclarius, quod plures, per annos quatuordecim, (quibus in eo monasterio vixit) à prauitate vitæ ad studium virtutis, & viam salutis æternæ cùm verbo tùm exemplo perduxerit.

**Ardentem clibanum, prorsus illæsa ingreditur.**

Ijs temporibus, homo quidam splendidus & opulentus, monasterium in fundo proprio, qui Pauliacus dicebatur, constructurat: & filiam suam paruulam Auream nomine, cum alijs Deo sacratis virginibus, in eo collocauerat. His autem omnibus Philibertum, eximium Christi sacerdotem pietatis & religionis opinione præstantem, præfecerat; qui quamuis in eo munere, cum summa laude versaretur, tamen audita insigni fama virtutum, quas Austreberta gerebat hāc, sacratissimo virginum illarum cœtui præficere satius esse iudicauit. Illam igitur euocauit, sed reluctantem vir dei per semetipsam, (sororibus, eius abitum grerimè ferētibus) tandem adduxit: & sacris virginibus cum authoritate summa præfecit.

**Præficitur monasterio Pauliacensi.**

Illa

Illa autem cum esset à teneris, sanctissimis disciplinis, ad omnem virtutis perfectionem instructa, voluit cum verbo, tum multò magis exemplo diffluentes virginum illarum mores seueriore disciplina astringere. At illæ, cum necdum veram monasticæ vitæ disciplinam, à limine salutassent, summa contentione conatibus illius reluctari, & tandem etiam maximo odio inflammatę mortem eimoliri. Sed cum hæc diaboli versutia non procederet, superueniente Amelberto, structo mendacio, grauissimè eam accusârunt; Ille autem, vt erat mente crudelis, vultu terribilis, credens mendacijs, adductam ad se Dei famulam verbis durissimis increpauit; repletusque furore, arrepto gladio quo erat præcinctus, impetum in eam fecit. Illa existimans congruum tempus esse martyrij, inclinato vultu, intrepidè ceruicem præbuit percussori. Attonitus ille, vt aiunt, diu stetit immobilis, pauensque multum, gladium suum in locum recondidit. Qua ex re intelligi potest, non illam martyrio, sed ei martyrium defuisse.

Appetitur gladio, & se vltro percussori præbet cædendam.

Porrò Austreberta hoc modo de laqueo venatium erepta, idem cœnobium per plurima annorum curricula, cum admirâda virtutis opinione, & incredibili vitæ austeritate, rexit. Omnibus Quadrageſimis, non nisi ter in hebdomada corpusculum, tenui cibo potuque reficiebat. Parcitatem ciborum vltra humanum modum sectabatur, sobrietas illi nunquam deerat. Quodam tempore grauissimus quidam dolor sorori cuidam acciderat, ita vt altera faciei pars intumescens, oculum penè absconderet. Hanc cum ancilla Dei ex more visitasset, contactu manus suæ, statim dolorem cum tumore fugauit.

Ægrã contactu manus suæ sanat.

Mediæ quodam noctis tempore, cum virgines omnes gratissimo somno, fessa labore membra, reficerẽt, & Abbatissa precibus & vigilijs in templo excubaret, facta est vox ad quãdam sorores, dicens: Surge velociter, & dic Abbatissæ, vt sorores sine mora ad diuinas laudes excitet. At illa nimio sopore depressa, surgere neglexit. Secundo autem, vox eadem delata est, sed illa rursus in in somnum prolapsa obdormiuit. Tertiò verò, cum indignatione quadam eam increpauit: quod in exequendo mandato tam somnolenta inueniretur. Tum illa timens tremensque, ad Abbatissam currit, eique tertio eandem ad se vocem factam esse nunciat. Nec mora, dato signo, sorores ad ecclesiam conuocatæ sunt, ijsque iam omnibus, duabus tantùm infantulis exceptis, congregatis: media pars dormitorij, vt vocant, horribili fragore concussa, repentè corruit. Cum omnes eo sonitu vehementer exterritæ, intermisso opere diuino, ecclesiam egredi vellent, Abbatissa vetuit ne qua hoc facere præsumeret. At vna, cùm de infantulis solicita esset (erat enim vni illarum sanguine iuncta) spreto Abbatissæ mandato, festina cucurrit, atque, vt ad locum ruinæ peruenit, quodam parietis fragmento miserabiliter oppressa est. Fuit continuò corpus confractum, ab aliis sororibus ad valetudinarium deportatum; & ab Austreberta sacro oleo inunctum: & pristinæ sanitati restitutum.

Soror immorigera, opprimitur ruina parietis.

His alijsque miraculorum virtutibus, ornata sacra virgo, cum omnipotens Deus ad sempiternam beatitudinem eam euocare decreuisset, leni correpta febre, inter suorũ oscula & lachrymas læta ad Dominum migrauit primo diluculo, eadem hora, qua Christus victor ab inferis resurre-

Moritur S. Austreberta.

xisse

tisse creditur. Sepulta est in beati Petri Principis Apostolorum Basilica, vbi per plurima annorum curricula quieuit. Quo in loco, quanta miraculorum prodigia, meritis excellentissimæ virginis post eius glorioſum transitum, ostendere dignatus sit Dominus, nullis verbis explicari potest. Nam ibidem, ex obsessis corporibus dæmonia fugantur, cæci illuminantur, claudis gressus redditur, vis omnium febrium pellitur, & omnia infirmitatum genera curantur.

Miracula ad eius monumentum.

## *VITA BEATI GVILIELMI, DVCIS, Comitis & Eremitæ, ex ea quam Theobaldus Episcopus, sanctitate & doctrinæ conspicuus prolixè admodum conscripsit. Migrauit hic sanctus ex hac vita anno Domini 1156.*

Vide Cæs. Baron in Notatio. Martyr Rō.

GVilielmus natione Pictauus, ex Comitum prosapia ex Pictauiensium prouincia oriundus, illustris ex illustribus natalibus secundum morem magnorum educatus, cùm sacrū militiæ cingulū ipse non sacer adeptus esset; ab omnibus Baronibus terræ, vnanimiter susceptus est ad Pictauiæ Comitatum, Aquitaniæque Ducatum: quorum vterque, iure & titulo hæreditariæ successionis, sibi debebatur. Factus ergo miles, fretusque Comitis fastigio, factus est eo insolentior, quo nobilior, quo locupletior, quo fortior, quo honoratior, quo formosior, vniuersisque famosior. Denique ex parentela generosus, ex fortuna pecuniosus, ex natura virtuosus, ex fama gloriosus, ex opifice speciosus, insolētissimus omniū extitit, dyscolus atque fastuosus. Genus clarum, corpus aptum, forma elegans, iuuenilis decor, prædia, palatia, immensa suppellex, & insulæ dignitatum, carni in eo, non spiritui militabant

10 Februa. Genus S. Guilielmi clarum.

Dux Aquitaniæ & Comes Pictauorum.

bant. Proceritas corporis tanta erat, quod magis videbatur gigantæa, quam humana. Vix ei in vno prandio sufficiebant cibaria, quanta alijs octo iuuenibus fortissimis, erant alimenta. Nusquam se per totam illam prouinciam absentauit à prælio quamdiu in armis fuit; sed affectu pugnæ, solitarius, armigerorum destitutus auxilio, armatus multoties incedebat. Et cum nollent dimicare, trahebat vel inuitos ad certamen. Diceres rediuiuum Belis idolum in edendo & bibendo; crederes ipsum Nemrod potentem & robustum venatorem, coram Domino in præliando. Extraneis malus, suis peior, pessimus sibi. Sed nè hæc tyronis primordia quemquam scandalizent, admonitos cunctos cupio, vt diligenter attendant conuersionis eius præconia, quæ omnibus nobis ad melioris vitæ imitationem proponuntur.

Statura ingens & immensa eius voracitas.

Daniel. 14. Genes. 10.

Fertur per triennium & amplius proprij germani vxorem, Herodiana rabie debacchatus, ad instar Herodis contra ius & fas incestu impudentissimo, tenuisse violenter. Si quis incestuoso se tanquam Iohannes exhibiturus, de tota vicinia diuertisset ad eum, conuicijs lacessitus, inanis & vacuus recedebat. Confidebat in virib. proprijs, erat ad succendendum flammeus, ad ignoscendum ferreus, ad consolandum saxeus. Diceres ignem vrentem in irascendo, diceres securim vel asciam in deijciendo. Eccè hæc sunt instrumenta artis diabolicæ, quibus onustus Comes, currebat aduersus Deum erecto collo, & pingui ceruice armabatur. Quæ tanto diligentius sunt à nobis enumerata, quantò diuinæ clementiæ in reuocatione peccatoris mirabiliter placuit operari.

Abutitur vxore fratris sui.

Eo tempore fundatum est monasteriũ Claræual-

Anno Christi 1115.

rualis, cui Abbas ordinatus est, Bernardus, vita, virtutibus, & doctrina in tantum clarus, vt nulli ei in orbe ingenio, moribus, & vitæ sanctitate, atque eruditione, secundus existeret. Circa idem tempus Papa Honorio vita functo, facta est in Ecclesia Dei diuisio, alijs eligentibus Innocentium, alijs Petrum Leonis quem vocarunt Anacletum. Cumque pars Innocentij consilio sanior præualeret. Petri autem audacior & violentior summa armorum contentione obsisteret, quia humana vi pietas se tueri non poterat, cedere salubriter elegit. Præmissis igitur in Gallias nuncijs, hortatur omnes Episcopos, vt accingerentur ad vltionem, partem schismaticam damnantes, & vnitati Ecclesiæ subscribentes. Conueniunt Stampis omnes Pontifices, Barones, & Abbates, vocatoque ex nomine, à Rege & pluribus Episcopis, sancto Abbate Clarævallis, ei præsens ecclesiæ negocium imponitur, vt ex eius ore tota causa pensaretur. Is diligentissimo partis vtriusque facto examine, Innocentium ab omnibus suscipiendum esse pronunciauit.

S. Bernardi insignis laus

Is fuit Ludouicus VI. Crassus.

Laborabat eo tempore, schismaticorum oppressione, tota Burdegalensium prouincia, nec erat in tota Aquitania, qui Guilielmo principi resistere posset. Is enim incredibili virtute, schismaticis fauebat, & persuadente Gerardo Engolismensi Episcopo, omnes, qui Petri Leonis electioni non subscriberent, exilio multabat. Cùm igitur hæc fama crudelitatis, quam seductor ille aduersus Dei Ecclesiam machinabatur, longè lateque perstreperet, missi sunt à latere Innocentij Papæ, B. Bernardus atque venerabilis Iossinus Suessionensis Episcopus, vt tam ipsum quam principem Guilielmum super his constanter conue-

Gerardus Episcopus, incitat Guilielmum ad schisma.

nirent. Qui Pictauiam vsque peruenientes, prædicto inuasori salutaribus monitis suaserunt, sed non persuaserunt. Imò schismatici magis animati, & armati in insaniam, ex eo die, publicè Catholicis persecutionem intentârunt.

Persecutio Catholicorum.

Intereà dum hæc agerentur, Abbas sanctus in quodam monasterio Ordinis sui, de nouo in Pictauia constructo, morabatur. Qui de Domini misericordia confisus, nuncium ad Comitem direxerat intrepidus, supplicans, vt necessariæ collocutionis gratia ad se venire dignaretur. Quem mox Comes vt audiuit, depositâ quodammodo ferocitate leonina, ad auditum auris obediuit. Venit filius prodigus ad patrem, etsi nondum reuersus ad se. Tùm Bernardus, accensus quasi igne, inclusum septem diebus continuis in quodam loco secretiori Comitem, de morte & vita, de pœnis malorum & præmijs bonorum, de vita & exemplis beatorum, suo illo solito & ignito modo, ardentèr planè tepidum, instruebat. Sed induratus Pharao, surgit in scandala, seruo Dei phreneticus conuiciatur, & eũ priuare se vertice, si extra claustra reperiret, comminatur. Vndè ferocem leonis sæuitiam agniculus tremebundus expauens, immunem suæ doctrinæ, tunc eum abire permisit. Regresso ergò viro Dei, & in proprio nido Claręuallis collocato, schisma quotidiè vires sùpsit, factæque sunt per Gerardum occupatorem & Gilonem Cardinalem, (qui vnus ex toto sacro Cardinalium collegio, Petro Leonis adhæserat) deiectiones Episcoporum, atq; sedium occupationes.

Comes Guilielmus venit ad S. Bernardum.

Intĕtat minas S Bernardo.

Audiens huiusmodi venerabilis Gaufredus, Carnotensis Episcopus, vir plenus spiritu consilij & fortitudinis, cui à Domino Innocentio Papa, Aquitaniæ legatio fuerat commendata, vehementer

Carnotẽsis Episcopus, cum S. Bernardo it ad eum.

ter indoluit & succurrendum periclitanti ecclesiæ postpositis alijs negocijs, ratus: Abbatem Clarævallensem, ad tantorum sibi malorum eliminationem assumpsit. Ingressis autem illis Aquitaniæ fines, significatum est Comiti Guilielmo, per viros illustres, & solennes nuncios, Bernardum & Gaufredum Carnotensem cum alijs multis Episcopis & religiosis adueniſſe, eosque colloquium præstolari. Itaq; apud Pertinacum hinc indè conuenerunt. Dies fuit sermonibus assumptæ sed verba in ventum prolata. Angustabatur in semetipso Domini seruus, quia non explebatur, quod de Principe cogitauerat. Quid ageret athleta Christi? Deficiente humano præsidio, recurrit ad diuinum.

Cõuenitur Pertinaci.

Nihil efficitur apud Comitem.

Accedens ad altare sanctum vir sanctus, pro gente non sancta, supplicandum inter Missarum solennia dignum duxit. Intrauerunt ecclesiã, quibus diuinis interesse licebat mysterijs. Guilielmus comes cum suis adhærentibus, præ foribus sustinebat. Consecratione ergò ritè peracta, pace data, & in populum diffusa, homo Dei, iam se nõ agens vt hominem, corpus Dominicum patenæ superposuit, secumque portauit. Egrediebatur itaque foras ad Ducem foris manentem, vt loqueretur in idipsum, ignitis oculis, ignita facie, ignitum portans eloquium, nec supplex, sed minax ac verbis terribilibus, Principem terribilem est aggressus; Rogauimus, inquit, te, & rogantes quæ ad pacem sunt Hierusalem, contempsisti. Supplicauit tibi in altero conuentu, quem iam tecum habuimus, seruorum Dei coram te adunata & prostrata multitudo, & despexisti. Væ qui spernis, nonnè & ipse sperneris? Eccè post seruos, ad te Dominus omnium supplicaturus aduenit: eccè

S. Bernardus cum sacra Eucharistia, ad eum accedit.

Esaiæ 33.

eccè filius virginis, caput ecclesiæ, quam tu persequeris. Adest iudex tuus & tuorum, in cuius nomine curuatur genu omnium, cælestium, terrestrium, ac infernorum. Adest testis & iudex tuus in cuius manus, tuus ille spiritus est deuentorus. Nunquid & illum spernes? Nunquid ipsum, sicut seruos eius contemnes?

Philip. 2.

Vniuersi qui aderant lachrymabantur, & orationibus intenti, rei exitum præstolabantur. Videns Comes Abbatem procedẽtem in spiritu vehementi, & in manibus tenentem sacratissimum corpus Domini, diriguit, & expauit, membraque membra trementia per totum dissoluit: atque velut extra mentem positus, ad terram vsque prosternitur. Eleuatusque à suis militibus, rursum in faciem corruit, nulli loquens, & in nullum intendens. Qui comprehendit sapientes in astutia sua, & regum balteum dissoluit, ipse fecit hoc. Tunc vir Dei propiùs accedens, Surge, inquit, & sta supra pedes tuos, & diuinam ausculta sententiam. Præsens est Episcopus Pictauiensis, quem ab ecclesia violenter expulisti; vade iam, reconciliare patri, & in osculo sancto pacis cum eo iungito fœdera. Innocentio subdere, & electo à Deo tanto Pontifice pare: sicut ei obedit omnis ecclesia sanctorum. Auditis his tyrannus, sacramentorum præsentia superatus, & authoritate sancti Spiritus victus, nec audebat respondere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur, nec poterat reddere vnum pro mille, euangelizanti verbum virtute multa; sed statim occurrens, recepit Episcopum pacis ad oscula: injciẽs manus in Abbatis vincula. Et quod amplius est, eadem manu, qua prius eum expulit, cum totius exultatione ciuitatis, ad sedem propriam reduxit. Tanto ergò malo obruto, & Gerardi

En schismaticus, & agnoscit & sentit in seipso, præsentiam corporis Christi.

Iob. 5. & 12.

Romano Pontifici paret omnis ecclesia sanctorum.

rdi schismate in cineres redacto, Bernardus cum gaudio Claræuallem regressus est.

Post recessum viri Dei, Comes frequenti meditatione, quæ audierat & viderat, ruminabat, & multa interim faciens, minus deinceps crudelis extitit. Bernardus verò totas noctes peruigiles in oratione pro eo ducebat, & sine intermissione Domini misericordiam deprecabatur, flens largiter, & effundens sicut aquam cor suum, nè deinceps Dei patientiam, consuetis aliquando flagitijs irritaret. Nec potuit certè tantarum perire filius lachrymarum. Guilielmus enim iam totus mutatus, ex vase contumeliæ in vas electionis, fortia atque præclara arma pœnitentiæ, sub iugo Christi decreuit assumere: cœpitque hæsitare, ad quem potissimùm, pro imponenda sibi pœnitentia deberet pergere.

Bernardi preces pro Comite.

Guilielmus meditatur pœnitentiã.

Non longè ab eo loco, in quo Guilielmus talia meditabatur, erat vir quidam eremiticam vitam ducens, miræ admodùm simplicitatis, & studio diuinarum rerum addictissimus. Ad hunc solitarum, soliuagus miles ire cœpit. Venit ad pastorem, agnus factus de lupo. Requirebat instanter portum naufragus, medicum sauciatus, Ananiam Saulus in Paulum prostratus. Sed quid ageret Ananias? Audierat à multis de hoc viro, quanta mala fecisset ecclesijs & ecclesiasticis personis, & nesciebat futurum vas electionis. Abscondebatur ergò columba tremens, ab accipitre, fugijtque ouis tremebunda veniente lupo. Quia tamen perseuerabat pulsans, propter improbitatem surrexit, & exiuit, intuituque in eum toruo lumine, hæsitando admirans ait: Impie, crudelis & dire tyranne, cur Christi seruos conaris infestare? Nun quid tibi parum est hactenus cæteros impugnasse, nisi

Eremita quidam miræ simplicitatis.

Durè accipitur Comes ab Eremita.

se, nisi etiam præsumas Christi seruos molestare? Recede, recede, iam ab hac stultitia quiesce, desine tu iuuenis senem lacessere. Qui hactenus uobem terrarum habuisti infestum, quid tibi ad eum? Cui timidus heros respondit; Non malo uolus te deposco, sed cor pœnitens gero, & delictum meum maximum emundari cupiens, iniquitatem meam coram te recognosco. Pro excessibus igitur præteritis corrigendis, & prauis actibus abijciendis, acturus pœnitentiam adpropera ui. Quapropter noli prohibere per Christum te obsecrantem, & ad tuam iussionem satisfacere cupientem. Gustem per tuum ministerium, gustem, inquam, quàm dulce sit vitijs non seruire, qui in meipso didici, quàm amarum sit expertum esse vitia, vel velle experiri. Sed ille timens velle eum sibi illudere, fertur respondisse; Sum homo solis latebris dignus, soli mihi iudex, soli arbiter & accusator constitutus; quarè si vera sunt quæ exponis, ad quendam alium singularis sanctitatis hominem festinare te consulo, qui longa experientia temporum iam suffultus, & in discretione spirituum exercitus, ante me cognoscitur renunciasse seculo, iuit, & in auditu auris, obediuit Guilielmus.

**Offert se ad satisfactionem.**

Erat eodem loco & tempore alius quidam solitariæ vitæ disciplinis non mediocriter exercitus. Hic sicut scientiæ scintillabat perspicuitate, ita quoque vitæ rutilabat sanctitate. Vnde factum est, vt vtriusque concursu luminis, Deo clarus in scientia, & populo celebris ex fama redderetur. Ad hunc solitarium secundus solitarius militem mox solipagum destinauit, quem tamen dilationis affectum tædio nihil in itinere retardauit. Postquàm igitur aduentasse Comitem vir sanctus acco-

**Alius quidã Eremita, insigniter doctus, & sanctus.**

ccepit, cum gaudio Spiritus ſancti eum in pace ſuſcepit, cauſamque itineris indagare ſolerter cœpit. Cui ille penetralia cordis aperiens, candidè & ſincerè conuerſionis ſuæ propoſitum expoſuit. Mox mirum in modum, propoſito Comitis intellecto, ſicut gaudium eſt Angelis Dei in cœlo ſuper vno peccatore conuerſo, ſic & iſti gaudium cumulatum eſt ſuper pœnitente Comite & peccatore iam conuerſo. Poſt aliquantulum ergò temporis, & monita vitæ ac ſalutis, iam ſecurior locutus eſt ſenior, dicens; Reuertere in domum tuam vndè exiſti, & nemini dixeris, quod concepiſti. Volo enim te eſſe cautum, & declinare inanem gloriam, quæ eſt virus virtutum, & dęmoniũ meridianum. Poſteà indutus cunctis armis militaribus, quibus anteà malefacere præſumpſiſti, aſcenſoque meliori equo, ad me clanculum ſolus feſtinabis in habitu militari. Et poſt hæc ſalutare conſilium, cooperante Domino, tibi impendam pro meo poſſe.

Totum pectus ſuum aperit Eremitæ.

Vide mirabile Eremitæ conſilij.

His auditis Guilielmus, cui omnis mora erat longanimis, domum regreſſus eſt. Sed & monitorum ſalutarium non obliuioſus auditor, religioſæ ſolicitudinis ſuæ nulli extraneorum aut propinquorum voluit eſſe relator. Domeſtici tamen eius, rem penitus ignorantes, vt eum viderũt cum rebus indictis ad ſuum redire præceptorem, ſelicibus eius actibus inſcij, execrabiliter maledicentes, æſtimabant eum progreſſurum ad conſuetæ nequitiæ ſcelus & furorem.

Interea dum hæc agerentur à Comite, vir Dei quendam fabrum doctum tractare fabrilia, ad ſe de vico proximo clam accerſiuit. Sicque prouiſum eſt, vt in termino iniuncto Guilielmus ad virum

rum Dei rediens, fabrum cum circulis catenisq; & vinculis ferreis vinciré paratum quem noluerat, reperiret. Mox igitur vt intrauit, audiuit trem spiritualem dicentem sibi; Fili Guilielme, authoritate sacrorum Canonum salubriter admonemur, ne falsis pœnitentijs laicorum animas decipientes in infernum protrahi patiamur. Veritas est irrefragabilis, & negare non possumus, quod nullum malum impunitum manet, sicut nullum bonum irremuneratum. Aut enim Deus punit, aut homo. Modus autem puniendi secundum modum præteriti delicti debet extendi. Melius est ad momentum temporaliter cruciari, quàm supplicijs addici sempiternis. Si ergò veré pœnitentes, & ad cœlestis fastigij adeptionem suspirantes, talem tibi pœnitentiæ districtionem, tamen citrà condignum impono; Inprimis quia ieiunium domat pestes carnis, oratio pestes mentis, eleemosyna verò ad omnia mala valet; per hæc tria emplastra preciosissima tibi indico, te posse redire ad patriam claritatis æternæ. Ibis igitur & vendes omnia quæ habes, & dabis pauperibus: vt exoneratus & nudus, sequi possis non habentem, vbi caput suum reclinaret. Deindè quia omnia ista extra te sunt, propriam loricam ferream ad carnem super nudum præcipio te portare omnibus diebus vitæ tuæ. Posthæc, quia in factis tuis offendisti plurimos, nudis pedibus Apostolico conspectui te præsentabis, vt secundum eius arbitrium satisfacias Domino, à quo, pro tuis sceleribus longè lateque anathematis es opprobrio condemnatus. De orationum verò pondere & mensura nihil impono, confidens quòd processu temporis, cùm dilatato pede ameris viam mandatorum Dei currere cœperis, vti-

ctio

Hic instruit Eremita Guilielmũ, quomodo pœnitentiã ageret.

Deut. 25.

Ieiunium. Oratio. Eleemosyna.

Vide quam duram satisfactionem, vir sanctus imponat Comiti, iã verè pœnitenti.

Ecce tibi formam perfectæ conuersionis, in tã illustri viro.

stio eius te docebit de omnibus. His dictis, Comes totus in Dei amorem succensus, inter manus fabri & solitarij proprijs vestibus exuitur, & lorica fortiter ad carnem connexa superuestitur, firmiterque per totum corpus decem catenis seu vinculis artificis magisterio subtiliter constringitur, ne processu temporis facilè dissoluatur. Post hoc asperrimo cilicio desuper contegitur, ferrumque galeatum subtiliter, vt solui non valeat, capiti militis imponitur; sicque spiritualibus armis onustus, à suo præceptore dimittitur, & ire permittitur.

Largitur omnia sua pauperibus.

Longam cum homine nouus homo moram nõ traxit, sed pectore sitibundo velociter in propria rediens, bona omnia terrena antè possessa sibi detraxit, & pauperibus erogauit. Res verò quas ad manum non habuit, ex corde proiecit & contempsit. Omnibus ergò pro Christo percalcatis, nudis plantis, illo suo vestitu ferreo atque asperrimo circundatus, rutilans in luto margarita, Dominum papam visitauit. Quid ni visitaret bonos in mundo, quem visitauerat oriens ex alto? His diebus præsidebat sanctæ sedi Apostolicæ Eugenius papa tertius, qui propter viperam quandam progeniem Apostolicæ sedi rebellantem Rhemis agebat, & inter cætera, celebrato concilio, sententiam antiqui anathematis, in Guilielmum comitem dudum latam, renouare curauit. Ignorabat enim iam conuersum, atque mutatum in virum alterum.

Adit Romanum Pontificem, vt erat ab Eremita iussus.

Eugenius Papa, habet Synodum Rhemis.

Osculatur comes pedes Eugenij Papæ.

Interim Guilielmus accessit, Paulus factus ex Saulo, vt videret Petrum, & prostratus solo tenus, sacra eius vestigia reuerenter osculabatur. Cui Dominus Apostolicus fertur dixisse; Quis enim es tu? At ille, Ego sum (inquit) comes Guiliel-

mus peccator & impius, quem pro meis meritis iustè quidem tu cum prædecessoribus tuis anathematis mucrone percellere decreuisti, & vtpote membrum putridum à corpore Ecclesiæ præcidisti. Homicidia, adulteria, sacrilegia, & omnia opera nefaria, quæ de me incestuoso & schismatico tibi dicta sunt, vera sunt. Si iniquitates à Domino obseruentur meę, maior est iniquitas quàm vt veniam merear. At quoniam misericordiarum Domini nostri Iesu Christi non est numerus, tu sana me medicamento pœnitentiæ: cui vicè Christi ligandi & soluendi potestas super terram commissa est. Ad hæc expauit vehementer Dominus Apostolicus, & arbitratus aliqua subspecie Iacob sibi velle illudere, fertur respondisse, Comitem quidem Guilielmum, peccatorem coram Domino sępè audiui, sed eum facietenus niquàm cognoui; & ideò si vera sunt, quæ tu dicis, ego non noui. Sed esto. Aut tu es in persona Guilielmus, aut tu non es. Si tu non es, & voluisti mihi illudere, indignationem Dei omnipotentis & nostram incurras, eò quòd Christo Domino reuerentiam debitam exhibere non curas, sed subsannationem eius procuras. Si verò tu ipse es & non alius, quomodo pœnitętem te esse simulas? Quomodò potest Aethiops mutare pellem suam, & pardus varietatem suam: ità & tu potes benefacere post iniquitates tantas. Fratris torum incestu maculâsti, in orbe schismata seminâsti, nequitijs tuis climata mundi perturbâsti. Et tibi post hæc de plena pœnitentia cordis quomodo credam? Maledixi tibi & eris maledictus. Scio tamen Dominum magna, immò maiora tibi posse facere, quia omnipotens est: sed inueteratum dierum malorũ ad plenũ pœnitere, desspero. Surge itaque de

Vide confessionem coram Pontifice.

Obiurgatio Eugenij Papæ.

de medio, & vade ad dexteram siue ad sinistram.

Ecce insignē humilitatē peccatoris. Lucæ 18.

Ad hęc timidus Guilielmus surrexit, & ad modum publicani Euangelici stetit à longè, dixitq; Reuerà Guilielmus Comes ego sum, peccator nimius, & ad tuam dignationem pro remissione criminum missus. Sed ex quo verbis meis fidem adhibere recusas, saltem mihi gratiam benedictionis tuæ largire, & Apostolicæ beneficium absolutionis. Quod si non obtinuero, & per ineuriam tuam neglectus fuero, Deus, in cuius conspectu sto, sanguinem animæ meæ de manibus tuis requirat, qui sinum viscerum paternorum, reuertenti filio prodigo præcludere non formidas. Hos sermones cùm audisset Papa religiosus, timore perculsus, dixit ad Guilielmum. Patriarcha Hierosolymitanus vir est insignis prudentiæ & magni consilij, ad ipsum te remitto, illiq; meam super animam tuam, potestatem committo.

Ad Patriarcham Hierosolymitanū mittitur.

Salutato igitur humiliter summo pontifice, Guilielmus Hierosolymam profectus est. Vbi incredibili charitatis officio & summo cum gaudio, à Patriarcha exceptus est, qui eum salutaribus satisfactionis vinculis alligauit. Cumq; niteretur eum cohabitantem retinere secum, vir Dei iam fugiens publicum, nullatenus acquieuit, sed magis solitariam vitam ducere prælegit. Arctissimam igitur specum desuper coopertam, intra ambitum atrij domûs suæ, instar tugurij leprosorum, fabricari fecit Patriarcha, in qua nouem annis continuis cum nimia ciborum parsimonia spontanèe se recluſit pœnitens Guilielmus.

Vide quomodo nullos recuset labores pro obtinenda venia.

In specu, degit annis nouem, apud Patriarchā Hierosolymitanum.

In illo humili tugurio, hoc modo constitutus Deo & hominibus gratus, gratum se hospitem exhibebat apud Patriarcham; ità vt Patriarcha omnibus se bonis spiritualibus repletum diceret

ad introitum eius. Ipse autem nihil nouerat, nisi tugurium suum in quo claudebatur, & tegumentum quo operiebatur, & panem arctum aquaque breuem, quibus reficiebatur. Domus erat cella: potus, aqua; cibus, panis nigerrimus; habitus ferreus & asperrimus; lectus, antrum; culcitra, solum; capitale, saxum; coopertorium, tectum. Vitam istam ducebat in patientia, sed futuram in desiderio expectabat. Degebat pauper in cella, diues in conscientia; thesaurizans in cælo, & nihil habens in mundo. Securior dormiebat pauper in terra, quam diues in auro & purpura. Sæpè noctes peruigiles in oratione ducebat, & cùm tandem, aliquando, ad necessitatem naturæ tenuissimo somno opus esset, lachrymis stratum suum priùs rigabat. Manibus pectus, genibus pauimentum tundebat; votis & deuotis precibus cælos cumulabat, lachrymis genas rigabat; gemitibus & suspirijs tugurium mugiebat. His & alijs similibus exercitationibus assuetus, cæpit Angelorum erudiri visitationibus, commoueri suggestionibus, sedulitate consolari.

Vita durissima.

Exercitia eius.

Angelicis fouetur consolationibus.

Interea cognati & noti, vbiq; terrarum Guilielmum requirere cæperunt, missisque aliò atque aliò nuncijs, tandem ad suum comitem peruenerunt. Bone Deus, quibus machinis, quibus fraudibus seruum tuum non sunt aggressi? Diceres rediuiuum Iob, cui insultârunt reges: in tantùm insultabant Guilielmo quotidiè domestici eius & affines. Vnde factum est, vt impetum superuenientium amicorum, frequentiam propinquorum, & infestationem notorum, ferre non sustinens, eorum fraudes & machinationes per fugæ remedium cogitaret declinare. Quod factum est. Nam valedicto hospiti, clanculum recedebat, & soli-

Vbiq; perquiritur à cognatis.

Tobiæ 2.

Fuga declinat tẽtatio-

tarius

tarius ibat quocunque instar Eliæ eum spiritus duceret. nes cognatorum. 3. Reg. 19.

Contigit autem, vt peragratis superioribus partibus Tusciæ, intra confinia Lucensium veniret. Ibi ciues Lucenses simultate quadam oborta aduersus vicinos, eorum castrum quoddam fortiter obsidebant: sed nullis viribus vel industria expugnare poterant. Guilielmus autem cùm iter per medium illorum faceret, & causam obsidionis cognouisset, Profecto (inquit) casso labore bellatores hi consumuntur. Mihi si hæc pugna concederetur, intra paucos dies stratis muris castrum hoc occuparetur. Hæc cùm ad aures principum peruenissent, vocato ad se Guilielmo (quẽ ex ipsa statura virum bellicosum esse facilè iudicabant) suadent persuadentque, vt expugnationis triumphum ipse suscipiat. Cumque iam pœnitentiæ oblitus, militares induisset habitus, sequenti nocte transacta, summo mane omninò se lumine priuatum reperit oculorum. Videns igitur redintegratus Saulus plaga cæcitatis se esse percussum, pudibundus & valdè confusus, luce clarius perpendit, ab angelo satanæ sibi fuisse illusum, & cõpũctus corde, quòd semel manum mittens ad aratrum respexisset retrò, definiuit ad Dominicam militiam se protinùs rediturum, & nunquàm in perpetuum ab ea recessurum. Vix collapsa pietatis vota animo renouauerat precesque feruidas in conspectu altissimi effuderat, cùm protinùs ex inspérato, amissum lumen recepit. Sicque ad Dei militiã regressus est coactus, à qua stultè digressus fuerat spontaneus,

Hic iam nõ. nihil retro respicit.

Percutitur cæcitate, ob temeritatẽ.

Recipit visum.

Resumptis igitur spiritalibus viribus, ad domũ Patriarchæ reuerti constituit. Quo prosperè perueniẽs, in prius quidem se tuguriũ recepit, sed di-

Redit in spe cum suam.

Eccl. 10.

strictiori vita solito arctius se afflixit. Sed nec nu-
scæ morientes, quæ perdunt suauitatem vnguẽ,
defuerunt ibidẽ. Adfuit, sicut antè, notorũ & pro-
pinquorũ multitudo tumultuosa, & rebellis in-
statio non quieuit. Sed Christi famulus sepiebat
aures suas spinis, & neq; seducebatur blandimẽ-
tis, neq; concutiebatur minis. Atq; vt nimiam eo-
rum infestationem euitaret, abijt ad solitudinem
quandam propinquam, in qua ardentiori adhuc
pietatis studio se Domino consecrabat.

Iterum illicitur ab amicis.

Abit in solitudinem,

Post hæc vir Domini in omnibus pauidus, &
propriam habens fragilitatem suspectam, cœpit
prudenti secum animo reuoluere periculum,
quod ei soli degenti imminebat. Neq; in eo à sco-
po aberrauit. Malum enim quod nemo videt, ne-
mo arguit; & væ soli, quia si ceciderit, non habet
subleuantem. Vbi enim non timetur reprehen-
sor, tentator accedit securius, & iniquitas perpe-
tratur licentius. Volẽs igitur perniciosum decli-
nare ocium, Beati Iacobi Apostoli limina visita-
uit. Vbi cùm aliquamdiu fuisset demoratus, in
Tusciam reuersus, in Pisanorum partibus, spelun-
cam horridam, in sylua quę Liuallia nuncupatur,
reperit. In hanc descendens, cum haud exiguo,
quorundam in breui tempore sibi associatorum
religiosorum hominum cœtu, Domino ibidem
strenuè famulari cœpit. Sed cùm illi tantã Guili-
elmi virtutem nullo modo assequi possent, tædio
affecti improba contra eum consilia machinari
cœperunt. Quod animaduertens vir sanctus, ho-
spitale (quod iam ibidem in peregrinorum ad-
uentum exstruxerant) Petro cuidam, qui impijs
cæterorum consilijs non consenserat, commisit:
& ipse ab indè profectus, ad montem, qui de Pru-
no nuncupatur, peruenit. Ibidem in sylua opacis-
sima

Eccle. 4.

Visitat S. Iacobum.

Speluncam horridam ingreditur, in Liuallia.

Venit ad montem de Pruno.

sima, sub quodam tuguriolo, nouum Domino famulatum instituit. Erat locus propter serpentum & dæmonum frequentiã hominibus valdè infestus; quorũ quidẽ horrorẽ & terrorẽ potenti Dei virtute, procul repulit vir S. ac potenter abegit.

Quadam aũt nocte, cùm tota mente attentiùs, diuinis esset meditationibus intentus, audiuit subitò exercitum aduenientium dæmonũ, qui quasi totam vallem occupãtes, phaleris equorum perstrepebant. Inter quos vnus cæteris clarior & virtute robustior, apparuit in specie proprij genitoris, & ad Guilielmum cum vociferatione clamoris dicere cœpit; Fili mi, Guilielme quæ te mentis insania exagitat, quòd durissimis hisce laboribus, inedia, frigore, & vestitu asperrimo te sine causa & ratione affligis? Quiesce ab hac stultitia tua, quiesce à capitis tui melancholia. Fruere bonis, quæ nobis à Deo concessa sunt. Eccè terrã tuã alieni deuorant, nec est, qui eis possit resistere. Festina igitur & si te pietas solicitat, pupillorum & viduarum patrocinium suscipe, qui propter absentiam tuam ab iniustis opprimũtur. Hæc & huiusmodi princeps dæmoniorum, auribus eximij principis inculcabat, sed ille nihil adhæc respondit penitùs. Videns ergò diabolus occultam suam cõtemni fraudulẽtiam, in apertam prorupit violentiam. Effractis siquidem cellulæ foribus, cum multitudine copiosa, tam acriter verberibus eũ cęciderunt, vt conquassatis & confractis mẽbris omnibus, vix semiuiuum relinquerent.

Dæmon in patris figura ei apparet.

Dæmones dire eũ verberant.

Recedentibus autem malitię satellitibus, subitò adfuẽre tres incredibili pulchritudine virgines; Inter quas vna cæteris facie venustior, sermone suauissimo eum consolabatur, & inflicta vulnera precioso vnguento protinus curauit. Inter ea

Beatissima Virgo Maria illi apparens, eius sanat vulnera.

ea diabolus, vt vindictam acriorem de eo exper-
ret, molitus est per alios, quod per se implere
non poterat. Nulla pestis efficacior est ad noce-
dum, quàm familiaris inimicus. Immisit igitur in
corda sodalium, & qui cum eo habitabant fallo-
rum fratrum, vt assiduis calumnijs & opprobrijs
eum fatigarent. Multo tempore vir sanctus eo-
rum nequitias & improbas machinationes inui-
cto animo pertulit; sed cum malignitatem eo-
rum, finem nullum habere animaduerteret, rur-
sus in syluam Liualliam redijt. Sed cùm neque i-
bidem inuidiæ pestis deesset, immò multò etiam
vehementius grassaretur, cælesti voce admoni-
tus in montem Petritium iuxta Castellionem
Burianensem abijt. Sed cùm ibidem frequentiam
pastorum, amicam solitudinem perturbantium,
ferre non posset, egressus indè, tandem, lustrato
vndique loco, Castellionem deuênit; vbi à viro
quodam honesto & mãsuetudinis laudibus miri-
ficè ornato, humanissimè exceptus est, & benignè
liberaliterq; habitus. Habebat idem, vxorem pa-
ri pietate & mansuetudine præstantem, quæ cùm
die quodam febre miserabiliter infestaretur,
Guilielmus hospitæ suæ misertus, Christi nomen
ardentissimis precibus super eam inuocauit, &
protinus sæuientis morbi vim repressit. Hinc
cùm hospes eum studiosiùs colere & tanquam
sanctissimum honorare inciperet, ille ab omni
honoris cupiditate abhorrens clanculùm fugam
iniit: atque ad ecclesiam S. Nicolai perueniens, à
Guidone presbytero viro admodum venerabili,
benignè exceptus fuit. Nec multò pòst eius bene-
ficio fretus, in vallem, quæ dicitur stabulum Ro-
dis, est introductus. Erat aũt stabulum Rodis, so-
litudo horribilis sanè, & planè inculta. Ibi villa
quodam

Multa patitur à falsis fratribus.

Quidam vir bonus, recipit illum in domũ suam.

Precibus pellit febrẽ ab hospita sua.

Stabulũ Rodis solitudo horrida

quodam tugurio extructo, in tanta innocentia reliquum vitæ tempus, annum videlicet cum dimidio, exegit, vt volucres cæli cum illo vescerentur, bestiæ ferocissimæ depositâ quodammodo rabie naturali mansuetæ redderentur, eumque reuererentur. Animalia quantumcumque syluestria, sacratius vestigia, humi prostrata, deosculabantur. Diceres Eliam inter coruos, ouem Christi inter lupos, Lazarum inter canes, Danielem inter Leones, Moysen inter serpentes, Dauidem inter vrsos, Ioseph inter Aegyptios, Benedictum inter volucres. Cœpit etiam ibidem spiritu prophetiæ ditare.

à sancto viro habitatur.

Erat ijsdem temporibus sanctus Albertus, bonæ indolis adolescens, viri Dei minister, & eius sanctissimis disciplinis præclarè institutus. Hunc cùm iá leni morbo correptus, transitũ suũ ad cælestem patriam instare cognosceret, Castellionem destinauit, vt ei sacerdotem, qui sacrosanctis mysterijs iter eius muniret, adduceret. Venit sacerdos, de cuius manu postquam omnia sacramẽta ritè percepisset, subitò (dictu mirabile) primus pallor, qui ex squalore & inedia corpori eius obrepserat, in gratissimum colorem mutatus est. Denique ita excessit è vita, vt defunctus viuere, & viuens mortuus, videretur, cui viuere Christus fuerat, & mori lucrum.

Albertus præclarus viri Dei discipulus.

Feliciter obdormit in Domino. Philip. 3.

Corpus fuit à discipulo Alberto, & presbytero sepulturæ mandatum in hortulo, quem, ipse dum viueret, proprijs manibus coluerat. Quo in loco, postea, humili schemate constructum est oratorium, vbi morbidis & varijs depressis languoribus, multiplex à Domino præstatur beneficium. Ibidem cæcis restituitur visus, surdis auditus, claudis incessus, leprosis munditia, & cuiuis

Miracula ad eius tumulum.

quauis in calamitate opem eius imploranti, ineffabilis Domini misericordia. Obijt autem vir sanctus anno incarnati verbi 1156. 4. Idus Februarij. Sepultusq; est in Stabulo Rodis in agro Sensi.

Vide Cæsar. Baron. Ann. Tom. 2.

*PASSIO BEATISSIMORVM MARTYrum, Saturnini Presbyteri, Datiui, Felicis, Ampelij, & multorum aliorum. Ex ijs quæ in actis publicis relata sunt. Martyrium fortiter consumârunt. Anno Christi Domini 303. Marcell. Pap. 7. Dioclet. & Maxim. Impp. 20.*

11. Februar. Persecutio Christianorum.

TEmporibus Diocletiani & Maximiani, bellum diabolus Christianis indixit isto modo, vt sacrosancta Domini testamenta, scripturasque diuinas ad exurendum peteret, basilicas Dominicas subuerteret, & ritus sacros cœtusque sanctissimos celebrari prohiberet. Multi metu suppliciorum perterriti, tradendo diuina testamenta, à fidei cardine cadebant; Sed multò plures eas conseruando, & pro sanctissimis Christianæ fidei mysterijs, ad extremum vitæ spiritum pugnando, intrepidè sese in quoduis periculum inferebant. Aduolabant vndiqueuersum immensa agmina confessorum, & vbi quisque hostem repererat, castra illic Dominica collocabat.

* Abitinēsi.

Cum die quodam in ciuitate † Alutinensi, bellica tuba, Christianæ fidei hostes ad arma conuocaret, gloriosi martyres, vt sese impijs conatibus opponerent, in domo Occani Felicis conuenerunt; qui dum sacra mysteria singulari pietatis studio celebrarent, fuerunt à Coloniæ magistratibus appræhensi, quorum nomina hæc fuisse recensentur; Saturninus presbyter cum filijs quatuor, id est, Saturnino iuniore, & Felice lectoribus; Maria sanctimoniali, Hilariano infante. Datiuus qui

Nomina sanctorum martyrum.

qui & senator. Felix, Felix alius, Emeritus, Amelius, Rogatianus, Quintus, Maximianus, Thelica, Rogatianus, Rogatus, Ianuarius, Cassianus, Victorianus, Vincentius, Cæcilianus, Restituta, Prima Fua, Rogatianus, Guinalius, Rogatus, Pomponia, Secunda, Ianuaria, Saturnina, Martinus, Dantus Felix, Margareta maior, Honorata, Regiola, Victorinus, Pelusius, Faustus, Dacianus, Matrona, Cæcilia, Victoria, Herectina, secunda Matrona, Ianuaria.

Hi apprehensi, producebantur alacres ad forum. Ibi primum aggressi confessionis palmam, magistratûs elogio sustulerunt. In isto namque foro, iam pro Dominicis scripturis dimicauerat cælum, cum Fundanus ciuitatis quondam episcopus, scripturas Dominicas traderet exurendas. Quas cum Magistratus sacrilegus igni apponeret, subitò imber sereno cælo diffunditur, ignis scripturis sanctis admotus extinguitur, grandines adhibêtur, omnisq; ipsa regio, pro scripturis Dominicis, elementis furentibus, deuastatur.

Diuino miraculo, scripturæ seruãtur.

Hinc igitur Christi martyres, grauissimis o multi vinculis, Carthaginẽ ad Anolinum proconsulem missi sunt. Ibãt læti & alacres, atque per totum iter Hymnos Domino, canticaque psallebãt. Producti autem ante Proconsulem, admirãda sanè constantia sæuientes Diaboli impetus retundebant. Primus omnium Datiuus à Proconsule de statu & conditione sua interrogatus, intrepidè se Christianum esse respondit. Quo responso accepto, iussit eum in eculeum leuatum vngulis ferreis crudeliter laniari. Cumque carnifices, iussa crudelia atroci velocitate complerent, & erectis vngulis martyri imminerent, subitò se per medium Thelica fortissimus martyr, tormentis subie-

Martyres supradicti mittuntur Carthaginẽ.

Datiuus suspenditur in eculeo.

subiecit, atque clamauit, quia Christiani sumus nos. Proconsul ea animi magnitudine contusus primum obstupuit, deinde ira grauiter exardescens, ingemiscensque, Christi martyrem iniquentibus ictibus vehementer contusum, perfidentibus vngulis discerpi iussit. At contra Christi martyr Thelica, de media carnificum rabie, preces huiusmodi cum gratiarum actione Domino fundebat; Deo gratias; In nomine tuo Christe, fili Dei, libera seruos tuos. Talia precanti Proconsul, Quis, inquit, est auctor tecum congregationis vestræ? Qui crudelius sæuienti carnifici clara voce respondit; Saturninus Presbyter & omnes. Querente igitur Proconsule Saturninum, eum ostendit; non quod illum prodiderit, sed vt eum quem secum aduersus diabolum dimicare cernebat, glorioſum redderet: atque vt illi panderet, se (quia de Dominica collecta quæstio erat) integram collectam præsente nimirum presbytero, celebrasse.

Thelica martyr fortissimus.

Inter tormenta Deo gratias agit.

In hisce igitur corporis laniamentis constitutus martyr, tortori pariter & Proconsuli his vocibus impietatem & scelus exprobrabat; ô vos infelices, quid tanto furore contra Deum insanitis? quid innocentes laniatis? Non sumus homicidæ, nõ fraudẽ fecim⁹. Deus miserere; Gratias tibi ago; Domine da mihi constantiã. Libera seruos tuos à captiuitate huius seculi. Et cum vngularum ictibus concussa fortius latera sulcarentur, profluensque sanguinis vnda, violentis tactibus emanaret, Proconsulem sibi dicentem audiuit; Incipies sentire, quæ vos pati oporteat. Martyr verò adiecit; Ad Dei gloriam. Gratias ago Deo regnorum. Apparet regnum æternum, regnum incorruptum. Deus sanctiſs. Deus Altiſs, Deus omnipotens, tibi laudes

Thelicæ insignis virtus & animi magnitudo.

Dirè torquetur.

iudes pro nomine tuo agimus. Cui per Iudicem dictum est; Custodire te oportuit Iussionem; impp.& Cæsarum. Defatigato autem tandem corpore, forti atque constanti sermone victor proclamauit; Minas vestras, tormenta vestra, atq; supplicia nihili facio. Sola mihi lex Dei, quã didici, pro qua morior, curæ est. Ipsam custodio, in ipsa consummor. Domine Iesu Christe tu es spes nostra. Tu spes Christianorum, tibi seruimus; à te gratiam & misericordiam sempiternam expectamus. Talia voce libera, & cum gaudio proclamante Anolinus magis torquebatur. Cuius tandem rabies ferocitate saginata, martyrem carceribus recludi iussit.

Egregia fortitudo, inter tam acerba tormenta.

Thelica recluditur in carcerem.

Post hæc Datiuus rursus ad certamen trahitur. Qui cum pendendo in eculeo extensus, se, voce sæpius repetita, Christianum esse, & collectam fecisse fortiter proclamaret, emersit sanctissimæ Victoriæ martyris frater, vir sanè togatus, sed à sanctissimo religionis Christianæ cultu, ipsis temporibus alienus. Qui suspensum in eculeo martyrem, profanis vocibus hactenus arguebat; Hic est, dicebat, qui sororem nostram Victoriam seduxit. Hic qui puellares animos præstigijs suis in fraudem allexit. Hic qui sororem nostram, vnà cum Secunda & Restituta, Carthagine secum ad Alutinensem Coloniam perduxit. Hæc eo clamitante, Victoria non ferens collegam suum iniquis appeti criminibus, statim Christiana libertate prorumpens: Nullius, inquit, præstigijs, quem admodum tu dicis, seducta sum: neque ego cum ipso ad Alutinensem Coloniam veni: sed omnia mea sponte peregi. Nam & in collecta fui, & Dominicum cum fratribus peregi, quia Christiana sum. Tunc impudens aduocatus, maledicta exaggerabat

Victoriæ frater impius, & gentilis, calumniatur martyrem.

Victoria constanter fratris sui calũnias refutat.

gerabat in martyrem: quæ martyr glorioſus fe-
culeo conſtanter refellebat.

Datiuus diriſsimè torquetur.

Inter hæc Anolinus furore excandeſcens, pe-
mi vngulas in martyrem iubet. Carnifices cru-
lentis vultibus aduolabant, dictoque citius fecta pectoris, diruptis cutibus, viſceribuſque diuul-
ſis, nefandis aſpectibus, adnixa crudelitate pandebant. Inter hæc martyris mens immobilis, & licet membra rumpantur, diuellantur viſcera, latera diſſipétur, animus tamen martyris integer incō-
cuſſuſque perdurabat.

Preces eius ad Chriſtū in tormētis.

Deniq; dignitatis ſuæ memor Datiuus, tali voce preces ad Dominum ſub carnifice ſæuiente fundebat. O Chriſte Domine non confundar. Hac voce Proconſulem rurſus acrius in ſe excitauit. Cuius recrudeſcente ſquitis, geminata martyris dignitas, iterato vngulis ſulcantibus, exaratur. At martyr, ad vulnerum cruciatus ſæuiſſimos, priſtinam ſuam repetens orationem, Rogo, ait, Chriſte non confundar. Quid feci? Saturninus eſt presbyter noſter.

Saturninus presbyter vocatur ad cruciatus.

Poſt hæc Saturninus ad prælium poſtulatur. Datiuo interim in carcerem recluſo. At vero Saturninus recenti martyrum ſanguine delibutus, cum in eculeo penderet, admonebatur in eorum fide perſiſtere, in quorum cruore perſtabat. Hic cum interrogatur, vtrum ipſe auctor eſſet aliis ad Chriſti religionem: reſpondiſſetque, auctor: Emeritus lector ad certamen exiliens; Quin, inquit, ego ſum auctor, in cuius domo collecta facta fuit. Proconſul, qui iam toties martyrum cōſtantia victus fuerat, impetus Emeriti perhorreſcens, meditata iam diu in martyribus voce, terrorem ſuæ iræ commouit: atq; carnifices, vt vires ſuas in Saturninum oſtenderent, hortatus eſt. Ruſit illi in ſenile presbyteri corpus, illudq; graſſante rabie

Emeritus proſilit ad certamen.

Saturninus cruciatur.

ibie,rupta neruorum connexione, diſcerpunt, it tali voce Dominum presbyter precabatur. Rogo te Chriſte exaudi,Gratias tibi ago Deus,iube me decollari.Rogo Chriſte miſerere: Fili Dei ſubueni.Cui Proconſul; Quare contra præceptũ Imperatorum facis?Et presbyter:Lex ſic iubet,lex ſic docet, inquit. Legis denique voce deterritus Anolinus: Parcam, inquit; eumque in cuſtodiam carceris redigens:exoptato ſupplicio deſtinauit. atrociter. Mittitur in cuſtodiam.

Poſt hunc Emeritus ad ſupplicia protractus & à Proconſule interrogatus, quare contra præcepta Imperatorum alios in domum ſuam ad Dominicum celebrandum recepiſſet? Quia, inquit, fratres mei ſunt, ideoq; illos cũ gaudio ſuſcepi. Hoc dato reſponſo,ſtatim in eculeo extenſus iubetur atrociter vexari. Qui cum validos ictus, innouato carnifice,pateretur: Rogo ait, Chriſte ſubueni.Et interloquenti Proconſuli,non oportuerat te eos ſuſcipere,reſpondit. Non potueram quin ſuſciperem fratres meos. At Proconſul ſacrilegus;Sed prior erat iuſſio Imperatorum & Cæſarum. Contra religioſiſſimus martyr. Deus, inquit,maior eſt quã Imperatores. Rogo te Chriſte Ieſu,da conſtantiam. Breuiter patior, libenter patior:Chriſte non confundar- Emeritus conſtantiſſimè reſpondet. Torquetur.

Iam ferina rabies, ore cruento tormentis martyrum ſaginata, languebat, cum Felix nomine & paſſione,proceſſit in prælium :acieſque Domini omnis incorrupta,& inuicta perſtabat. Tyrannus autem mente proſtratus, animo & corpore diſſolutus: Spero,inquit,vos hanc potius partem eligere,qua poſſitis viuere , vt inuictiſſimorum Imperatorum præceptis obtemperetis. Contra quæ,inuicti martyres Chriſti,tãquam ex vno ore dixerunt Felicis certamen.

Præclara martyrium vox.

dixerunt; Nos Christiani sumus, non possimus nisi præceptum Domini, legem sanctissimam ad extremum vitæ spiritum custodire. Qua confessione confusus grauiter Anolinus, Felicem fustibus cæsum, cælesti concilio martyrum, explet passione, sociauit.

Alterius Felicis agō.

Hunc protinus sequitur alius Felix, qui pari virtute congressus, etiam ipse fustium læsione, superioris est Felicis martyrio copulatus. Post hos suscepit certamen Ampelius, custos legis, scripturarum diuinarum fidelissimus conseruator; Hic, Ampelij martyrum.

quærente Proconsule, an in collecta fuisset: Hilaris atque securus alacri voce respondit; Cum fratribus feci collectam, Dominicum celebraui, & scripturas diuinas habeo mecum, sed in corde meo conscriptas. Christe, tibi laus, tibi gloria, et exaudi me Domine. Qui cùm hæc dixisset, cernicibus contusus, quasi iam in tabernaculum Dominicum cum fratribus relegatur. Hunc sequitur

Item Rogatiani Quinti.

Rogatianus. Qui cōfessus Domini nomen, supradictis fratribus iungebatur illæsus. Quintus verò applicitus, egregiè nomen Domini magnificeq confessus, cæsus fustibus in carcerem truditur; condigno martyrio reseruatus. Hunc sequebatur Maximianus in confessione par, in congressione similis, in victoriæ triumphis æqualis. Post

Maximiani. Felicis.

quem iunior Felix, spem salutemque Christianorum Dominicum esse proclamans. Cum similiter etiam ipse fustibus cæderetur, Ego, inquit, deuota mente celebraui Dominicum, collectam cum fratribus feci: quia Christianus sum. Qua confessione meruit fratribus etiam ipse sociari.

Saturnini Iunioris.

At iunior Saturninus, martyris Saturnini presbyteri progenies: in certamen optatum festinus accessit, properans patrijs virtutibus gloriosissimus

nis adequari. Cui cum Proconsul furibundus dixisset; & tu Saturnine, interfuisti? respondit Saturninus: Christianus sum. Egi Dominicum, quia Saluator est Christus. Quo nomine Saluatoris audito, Anolinus exarsit: & in filium, patrium instaurat aculeum. Ibant in adolescentis latera; paternis vulneribus lassi lictores, & adhuc humectatem in vngulis patrium sanguinem, cognato filij cruori miscebant. At iuuenis gemini sanguinis admixtione recreatus, medelam potius, quam tormenta sentiebat: & recepta in tormentis fortitudine, fortissimis vocibus exclamabat, Scripturas Dominicas habeo: sed in corde meo. Domine Iesu Christe da constantiam: Spes enim est vitæ. Anolinus autem, & quarè, inquit, contra Imperatorum præcepta facere voluisti? quia respõdit martyr: Christianus sum. Hoc audito: Parce, inquit, & statim cessante tormento, in Patrium consortium relegatur.

Dirè torquetur.

Interea mergebat in noctem horis labentibus dies, & consumptis cum sole tormentis, defecit ira tortorum rabies: & cum sui iudicis crudelitate languebat. Desertus igitur à die Tyrannus, comprehensus à nocte, tot ac tantis congressionibus superatus, cum iam vlterius cum singulis confligere non præsumeret; deuotas confessorum mentes hisce fraudibus & blanditijs est aggressus; vidistis, quibus sint affecti tormentis, qui mente impia Imperatorum nostrorũ iussa cõtemnunt; ideoque paterno vobis animo cõsulo, vt prudenter eorum insaniam declinetis: & salutem vestram eorum dementiæ præferatis. Ad hęc gloriosi martyres Christi, læti ac triumphantes vno ore exclamarunt: Christiani sumus. Qua voce prostratus diabolus, & Anolinus confusus,

Anolinus Proconsul martyres blanditijs post tormenta aggreditur.

Sanctos omnes in carcere martyrio destinaut.

Victoriæ virginis encomion & certamen egregium.

Et nè deuotissimus fœminarum sexus, floentissimusq; sacrarum virginum chorus, certaminis tanti gloria priuaretur, omnes fœminæ, Christo Domino auxiliante, in Victoria congressæ sunt & coronatæ. Etenim Victoria sanctissima fœminarum, flos virginum, decus & dignitas Confessorum, honesta natalibus, religione sanctissima, moribus temperata, in qua naturæ bonum, candida pudicitia, relucebat, respondebatque pulchritudini corporis fides pulchrior mentis, & integritas sanctitatis: ad secundam palmam rethinctam se in Domini martyrio lætabatur. Huicnamque ab infantia iam clara pudicitiæ signa fulgebant, & rudibus adhuc annis, apparebat rigor castissimus mentis, & quædam dignitas futuræ passionis. Denique postquàm plena virginitas vltimum ætatis tempus expleuit, cùm puella nolens & reluctans ad nuptias à parentibus cogeretur,

Fugit nuptias.

clàm se subduxit, illusoq; simul cum parentibus sponso, ad ædem pudicitiæ portumq; pudoris ecclesiam, intacta virgo confugit, ibi cõsecrati Deo

Deo se consecrat.

dicatiq́ue capitis in perpetuam virginitatem, sacratissimum crinem inconcusso pudore seruauit. Hæc ergo ad martyrium properans, florentem pudicitiæ palmam, triumphali dextera præferebat. Namque interroganti Proconsuli quid profiteretur, clara voce respõdit: Christiana sum. Et cùm à Fortunatiano fratre rogato, eiusque defensore, vanis argumentationibus mente capta esse diceretur, Victoria respondit, Mens mea est: nunquàm

Mirabilis constantia virginis.

mutata sum. Ad hæc Proconsul, Vis ire, inquit, ad Fortunatiano fratre tuo? respondit: Nolo, quia Christiana sum, & illi fratres mei sunt, qui Dei præcepta custodiunt. Mox cùm hæc Anolinus re-

disset,

disset, furijs agitatus exarsit, & puellam, sacratissimam martyrem Christi, in carcerem vnà cum cæteris relegans, passioni omnes reseruauit.

Vnus adhuc supererat, Hilarianus martyris Saturnini presbyteri filius; qui ætatem suam paruulam, ingenti deuotione vincebat. Hic patris fratrumque triumphis iungi desiderans, diras, tyranni minas non tam exhorruit, quàm in nihilum duxit. Huic cùm diceretur, patrem tuum aut fratres tuos secutus es? subitò de breui corpore iuuenilis vox auditur: Christianus sum, & mea sponte atque voluntate, cùm patre meo & cum fratribus feci collectam. Proconsul existimans facilè posse puerum, tormentis infantiæ terreri: amputabo, inquit, tibi nasum & auriculas, & sic te miserum & turpitèr deformatum demittam. Ad hæc Hilarius clara voce respondit; Quicquid facere volueris fac, quia Christianus sum. Mox in carcerẽ recipi etiam ipse iubetur; ingentiq; cũ gaudio vox Hilariani auditur, dicentis: Deo gratias. Hic certaminis magni pugna perficitur, hic diabolus superatur, & vincitur: hic martyres Christi de passionis futuræ gloria æterna, iugi congratulatione lætantur.

Hilariani pueri, virilis animus.

Vide pueri voces.

*VITA S. SEVERINI, ABBATIS AGAVnensis, ex ea quæ est per Faustum Presbyterum eius discipulum. Obijt anno Christi 508. Symmachi Papæ 10. Anastasij Imp. 18. sub Clodoueo Francor. rege.*

Vide Cæsar. Baron. Ann. Tom. 6.

BEatus Seuerinus, religiosus Dei cultor, parentes habuit generis nobilitate conspicuos, qui eum à prima ætate in literis & pietate instituendum curârunr. Tandem eòusque in scientia & vitæ integritate progressus est, vt

11. Februar. Eius natales clari.

insigni Agaunensium monasterio (vbi fortissimus Christi martyr Mauritius quiescit) Abbas præficeretur. Suauissimus virtutum eius odor, longè latèque sese diffuderat, & cunctis eum celebrem reddiderat atque venerabilem. Carnis vel generis splendorem, longè superabat mentis generositate, & virtutum gloria. Magna illi erat animi compunctio, qua fiebat, vt semper esset animo ad cælestia suspensus; ita tamen & sibi & Deo intentus, vt nequaquam aliorum salutem vlla ratione negligeret. Omnibus se præbebat affabilem, & q consilij aut solatij captandi causa ad ipsum accesserant, tanta verborum dulcedine & prudentia reficiebat, vt verè se religioso adfuisse gauderent.

Fit Abbas Agaunensis.

Ea tempestate, Clodoueus Rex Francorum difficili admodum, & periculosa laborabat febre, ita vt à medicis salus eius iam conclamata esset. Vt autem rumor sanctitatis beati Seuerini, adei perlatus est, hortantibus eum amicis, virum Dei ad se vocauit: vt eius precibus salutem à Domino obtineret. Missi sunt continuò viri quidam primarij, qui summo cum honore Seuerinum adducerent. Abeunt illi ad virum sanctum, eumque comiter salutantes, orant, vt Regi de salute periclitanti succurrat, & mortis periculum suis precibus auertat. Respondet vir sanctus ad omnia benignè, seque optimi Regis voluntatem minimè neglecturum ostendit. Conuocatis itaque in vnum fratribus valedixit, ijsque vbertim discessum eius deplorantibus, saluberrima monita salutis tradidit, atque, vt pacis & vnitatis studium diligentissimè colerent, singulos in vltimo complexu admonuit. Cum autem iam iter ingressus ad oppidum Niuernense peruenisset, ibique orationis causa templum ingressus à custodibus de

Clodoueus Rex eum ad se vocat.

Fratres, multum dolent eius abitum.

Episco-

piscopo quæsiuisset, atque ex ijs intellexisset, loquendi audiendique beneficio, antistitem illorũ priuatum toto anno, vi morbi oppressum, lecto decumbere, vir sanctus misericordia permotus, ad Eulalium Episcopum festinus abijt; visoque illo, humi se prostrauit, & supplices ad Dominum manus, cum multis precib⁹ diu extendens, tandẽque è terra surgẽs, surdo & muto Episcopo dixit; Loquere, oro, mecum Sacerdos Domini. Tùm ille: Sit, inquit, nomen Domini benedictum, qui per te mei misertus est. Et S. Seuerinus porrigens ei manum. Surge ait serue Dei, in nomine Domini nostri Iesu Christi. Hodiè enim te mecum sacris adesse mysterijs oportet, populusque de more à te benedici debet. Sub his verbis Eulalius sanus surrexit, & eadem die sacra mysteria, insigni pietate, peregit, ac populo benedixit.

Eulalium Episcopum surdum & mutum, lecto quoque affixum sanat.

Ex illo quidem die, B. Seuerinus in diuinis laudibus cum Episcopo permansit; Postridiè verò cœptum prosequens iter, Lutetiam peruenit. Ibi in ipsa vrbis porta, hominem leprosum, miserũ valdè & omni consolatione destitutum conspicit. Eum igitur ad se vocans, peramanter osculatur, simulque sputo eum liniens, & Dominum inuocans, lepram omnem prorsùs ab illo expulit. Indè verò ad Regis aulam se conferens, eoque benignè salutato, procumbit in preces; ijsque absolutis, casulam, qua indutus erat, super Regem ponit, & confestim febre profligata, Rex surrexit incolumis, gratias agens Deo, & flexis genibus seruum eius venerans: cuius precibus salutem repẽtè esse consecutus.

Leprosum curat.

Francorum Regẽ Clodoueum, febricitantem sanat.

Mansit aliquamdiu apud eum B. Seuerinus; multosque tum aulicos, tum ciues Parisienses, depulsis morbis & malis, quibus premebantur,

Multa eius miracula in

fusa ad Deū prece, saluti reformauit. Lętabatur ciuitate Parisienū. cęci post longas tenebras cæli lumen aspicientes, surdi se audire gratulabātur, claudi ingrediebantur alacres, muti tacētia diū ora in creatoris laudabāt laudes, dæmoniaci à teterrimorū spirituū vexatione se gaudebāt absolutos. Eiusmodi verò mirificis operibus, vir Dei creuit apud oēs, præclara sui existimatione, & laudabatur Christus in fideli seruo suo. Rex quoq; Clodoueꝰ potestatē ei fecit, quantā vellet pecuniā ex thesauris ipsius accipiendi, & pauperibꝰ elargiēdi. Præterea è carceribꝰ abeūdi copiā fecit omnibꝰ, quos vir Dei cēsuisset dimittēdos: quorū sanè ingēs fuit numerus. Attulit ea res, multis incredibilē iucunditatē, qa nihil expectārāt aliud, q̄ vt diuersis affectū supplicijs, interimerētur. Ac verò vbi sensit vir Dei tempus adesse, quo ex hoc exilio ad verā libertatē migraret, regi & Parisiensibꝰ valedicens, ad castrum Nantoniēse properauit, vbi presbyteri duo Palchasius & Vrsicinus, in tēplo ex lignis cōstructo, Deo ministrabāt. Ad hos vir sanctus cùm venisset, comiter eos alloquens, indicauit se eò propterea aduenisse, vt illic vita functus, ab illis sepeliretur. Deindè cùm illis Faustū presbyterū (qui Joannis assiduus in eius ministerio fuerat) cōmendasset, cū tanto sanctitatis testimonio excessit è vita, vt locus ille, in quo decubuit, multo lumine circundatus, qualis ac quantus corā Deo esset restaretur. Fuit corpus exanime sacris indutū vestibus, summo cum honore in oratorio castri illius conditū, vbi multa præclara sanè miracula fiunt. Posteà verò, vbi defuncto Clodoueo, Childebertus eius filius regnū obtinuit, amore tanti viri accēsus, magnificā super eius monumentū, Basilicā erexit, & donis atq; muneribus præclarè auxit.

Abit ad castrum Nantonicnse.

Moritur vir sanctus.

VITA

VITA S. ANTONII MAGNI INTER DEI Pontifices, & admirabilis inter Patriarchas, ex ea quam Nicephorus Philosophus, & orator eximius præclaro encomio cõtexuit. Migrauit ex hac vita anno à Christo Domino 901.

Vide Cæs. Baron in Notatio. Martyr Rõ. 12. Februa.

QVamquã nõ magni admodũ referre puto, eius in terra patriã parentesq; indagare, qui solam in terris adhuc constitutus, supernam patriã noperat, tamen quia videmus vniuersorũ opificem & omniũ Dominũ, patriam & maiores admisisse, & humilis Bethleẽ omni lingua prædicari, nec in sancto Pontifice fas esse statui, prætermittere. Patria ergo quæ sit vna, inueniri nõ potest. Nam Asia quidem & Europa gloriã inter se partitur; hęc quidẽ propter Thraciã illa verò propter Phrygiam, eius ortum sibi vendicãtes. Cum autem res sit inter eos controuersa, apparet alia tertia patria, nẽpè Regina vrbium, quæ etiã eũ aluit, vlnis suis amplectens, ex quo ferè pueritiæ fascijs eũ euolui contigit, vt qui postea ei futurus esset decus, & ornamentum.

Patria S. Antonij Episcopi.

Parentes habuit è Phrygia oriundos, muneribus Imperatorijs & maximis rei militaris laudibus ornatissimos, à quibus optimis disciplinis imbutus, honestæ cuidam virgini animi & corporis nobilitate insigni, matrimoniali vinculo sociatus fuit. Cum ad quintum ætatis peruenisset annum, doctus à Spiritu sancto (neque enim ad Ludimagistrum venire, pueriles ineptias declinans, in animum induxit) omnes sacras orationes ingeniosè memoriter pronuncians, res etiam ipsas imitabatur: & præclara quadã imagine in se exprimebat. Hinc cum annũ attigisset duodecimũ, ad res diligentius considerandas se applicans, genus vitæ discreuit & elegit: alijsque reiectis, monastica flagrabat cupiditate. Neque diu, (matura secum deliberatione habita,) distulit propositum, sed statim ad virũ quendam virtute & prudentia insignem, qui sacro præerat monasterio, contendit. Qui cùm ingeni

Parentes eius.

Nota tantillæ ætatis, mores & ingenium.

Fit monachus.

eius felicitatem, animi & morum compositionē candoremque, prima fronte inspexisset, summo cum gaudio in suam eum societatem admisit, & monastico habitu donauit.

Quam præclare se gesserit in monachatu.

Ibi tum Iuuenis ille admirabilis tam ardenti studio pietatis incubuit, vt parum esse putaret, si totas noctes in hymnis & canticis & rerum diuinarum meditatione traduceret, nisi talentum à Deo sibi concessum, in proximi salute procuranda quam diligentissimè expenderet. Præclarè enim statuebat charitatem, fontem omniū bonorū esse: Hanc omnium suarum actionum & laborum principiū & finem ponebat. Hac vna egregiè exultus, & inanis gloriæ vitium à se repellebat, & furiosos perturbationum impetus sedabat, & benignè faciendi disciplinam perfectè colebat. Hac fluxos mundi honores & interituras diuitias constanter despiciebat, neque magnum quidquam eorum esse existimabat, quæ nō ad immortalitatis gloriam sine errore eū ducere possent.

Fit presbyter.

Cum aūt, procedēte tēpore, ad ætatē peruenisset virilem, fuit statim presbyterij honore decoratus, & monasterio Præfectus. Hinc, vt ipse alios, tanq̄ strenuus dux exercitus, factis suis ad virtutē excitaret, inedia & vigilijs & cęlesti sanè vitæ conuersatione, suis iter pādebat, hostēq; primus submouebat: vt tutū infirmioribus fratribus refugiū præstaret. Corporis ei vix vlla cura erat; Hyeme pariter & æstate, vna eadēq; veste vtebatur; pane & oleribus pueritiā ad vltimā & senilem ætatem perduxit. Erat in eo bonorum omnium, mirabilis quidam concentus. Austeritas, incredibili quadā suauitate temperata, & lenitate asperitas, ita vt neque inutilis vnquam esset reprehensio, propter austeritatem, neque lenitas suauitasque propter

Ecce viri sancti, pijssima exercitia

admi-

admixtam austeritatem contemptui. Hæc videns eius parens, ad monasticam vitam aspirare cœpit; atque tandèm filij sui virtutibus allectus, sacrum ab eo habitũ susscepit; & cùm aliquot annos magna cum alacritate sub proprij filij disciplina Deo militasset, plenus dierum, plenus virtutum, plenus gratiarum, dignam laborum suorum coronam suscepit.

Pater eius, vitam complectitur monasticã.

Parente, hoc modo, vita functo, oblatum misericordiæ tempus minimè neglexit, sed omnes benignitatis suæ fontes aperiens, pauperũ squalorem soluit; & quidèm tanto studio, tanta charitate, vt non modo ex rebus superfluis, sed etiam necessarijs plurima largiretur. Statuebat enim illam demùm veram esse misericordiam, quæ nõ ex ijs quæ redundant, sed quæ desunt, benignè aliquid impertitur. Neque tantùm vna ciuitate suum benefaciendi studium circumscribi volebat, sed Scythas & Thraces, & cum alijs, Mysos quoque benefaciendo pertransibat. Quin etiam cùm ad eos, qui in Olympo rerum omnium indigi, cælitùm in terris vitam imitantur, magno auri pondere onustus veniisset, vniuersùm ijs erogauit, vacuusq; ad ciuitatem suam reuersus est. Cumq; meditabundus secum pertractaret, vndenam rursus pauperibus vectigal compararet, fortè ei homo quidam ignotus occurrit, qui ingentem auri vim ei obtulit, dicens; Accipe, quod insumas in vsus pauperum, quorum curam geris. Quo accepto dicto citiùs, ex oculis eius euanuit. Fuit hoc celebri rumore diuulgatum, prorsùs vt fama mirabilium virtutum eius omnes excitati, eum Episcopum deposcerent. Nec quieuit Pontificum, Sacerdotum, & ipsius denique Imperatoris voluntas, donec ad eum gradum eueheretur. Qua in dignitate

Benignitas Antonij in egenos.

Quænam sit vera misericordia.

Miraculum.

Fit Episcopus.

gnitate constitutus, tanta sanctitatis gloria micuit, vt non tàm homo quàm angelus in humano corpore videretur. Antè omnia prima & præcipua illi pauperum, viduarum, & orphanorum cura fuit. Nemo erat qui cum inopia conflictaretur, pupillus non lachrymabatur, vidua maximum viduitatis suæ solatium nacta fuerat; ecclesiam ipse suam diligentissimè lustrabat, lites componebat, iniuria affectis pacem atq; salutem reddebat; Denique tanta sub illius regimine pax, tranquillitas, & concordia vigebat, vt maior omninò non posset.

In Episcopatu, prima illi cura pauperum fuit.

Intereà Antonius qui tota mente in cœlum versabatur, ætate iam grandis febre corripitur, qua naturalem humorem vehementiùs depascente corporis ergastulo liberatus fuit. Mox autem, vt consueto campanarum signo, obitus eius vniuersæ ciuitati innotuit, gemitus & lachrymæ omnium consequutæ sunt. Erat mulier quædam pauperula, cuius crus ex vehementi lapsu confractum erat; Hæc cùm in tugurio quodam, ex palea fœnoque constructo iaceret, audito tristi nuncio, repentè voce priuata fuit. Cumque paululùm respirasset, atque ad se redijsset, cœpit miserabili valdè eiulatu suam tragicè deplorare calamitatem. O duram, dicebat, & immanem hanc noctem, in qua extincta fuit benigna lux pauperum. Iam concidit spes vitæ, iam perijt pauperum viaticum. O quænam Erinnys meas pedum plantas mutilauit, vt nec funus quidem, quod effertur, possim consequi eius, qui multos extraxit è sepulcro molestiarum, Cùm hæc & plura alia deflendo diceret mulierecula, atq; tandèm doloribus victa in somnum incidisset, vidit accedentem ad se Patriarcham & manu confractum crus cruce consignantem, dicè-

Moritur vir sanctus.

Mulier calamitosa, eius obitum valdè deplorat.

tem-

temque; Iam es curata, iam citra vllum impedimentum tibi ingredi licet. Putabat se mulier inani (vt fieri solet) somnio deludi, sed cum euigilaret, læta integris viribus exiliuit, & voce maxima cunctis stupendum rei miraculum narrauit. Alia quoque mulier, quæ laborabat occultè diuturna plaga morbi, contactu loculi à longo tormento, breui temporis momento liberationem inuenit.

Curatur à S. Antonio per visum.

Item alia cõtactu loculi curatur.

Postquàm verò sacrum corpus terræ mandatũ esset, & octauo, post iusta facta, die, cunctis visum esset, sacras reliquias in monumento aliquo celebriori recondere, eccè tanta odoris fragrantia emanauit è tumulo, vt omnes diuinam in eius reliquijs virtutem clarissimè cognoscerent. Nono autem die, cùm in defuncti gratiam, pauperibus alimenta præberentur, certusq; frumenti numerus distribueretur, cùm iàm mille pauperes (quibus omnia & numero & mẽsura assignata erant) vniuersa assumpsisse putabantur, eccè tres cophini remanserunt, quæ nulla largitate exhauriri poterant, immò quanto crescebat pauperum numerus, tantò etiam alimentorum copia: eius misericordia & benignitate, qui benedictus & gloriosus est in Sanctis suis. Amen.

Odor suauissimus ex eius tumulo.

Multiplicatur panes magno miraculo.

## VITA S. MARTINIANI EREMITAE, *ex ea quæ est per Simeonem Metaphrasten.*

PRoximè ciuitatẽ Cęsaream Palestinæ mons est qui vocatur Locus arcæ. In eo monte sita est solitudo, quæ eximia monachorum sanctitate admodùm celebris est. Ad hanc solitudinem Martinianus annos natus octodecim, iuuenis specie liberali, & insigni corporis pulchritudine prædituς, commigrauit; in qua incredibili austeritate & angelica puritate annos quinque

13. Februar.

Martinianus adolescens petit eremum.

&

& viginti vitam exegit, atq; tanta cum ingentiomniũ admiratione sanctitate floruit, vt prædicta valde miracula diuina virtute patraret. Vndè humani generis hostis acriter ei infensus, variatis insidias struxit, vt tandem aliquandò eum ab insigni sanctitatis studio auerteret, vel per lapsum aliquem in præcipitium deturbaret.

Accidit autem quodam die, vt in ciuitate Cæsarea, duobus familiariter inter se de diuina Martiniani viuendi ratione cum admiratione colloquentibus, impudica quædam mulier, suggestione Satanæ, appropinquaret; audiensq; viros illos miris præconijs Martinianum extollentes, diceret; Profectò miror ego, vos tanti hominem mortalem & fragilem & eædem peccati seruituti obnoxium qua nos omnes vel inuiti opprimimur, facere, tantaq́ue admiratione celebrare. Ego sanè eius potiùs stultitiam admiror, quòd se tanquam feram agrestem in solitudinem concluserit, neq; vultus hominum sine offendiculo ferre valeat. Sed vt vanitatem eius, & inane sanctitatis studium aliquandò cognoscatis, ibo & ostendam frustrà eum tantos labores assumere, nullaq́ue omninò virtute præditum esse, Nam quòd in solitudine ab omni hominum conspectu remotus, nulla peccati contagione polluatur: mirum non est; sed si meis tentationibus resistere, & speciem meam eadem (qua hactenus vos eum vixisse dicitis) puritate contemplari potest, eamq́ue despicere, tum demum eum omnibus & Deo, & hominibus admirandum iudicabo.

Hæc cùm dixisset, domum properauit, & exutis, vestibus, laceris se pannis induit, & fune se præcinxit, & consuetis corporis sui ornamentis in peram missis, vento & pluuiâ ingruente ad

montem

nontem iuit. Mira autem diaboli versutia tempus hoc ad sanctissimi viri illius subuersionem captabat. Nam vt propè cellulam venit, voce sanè lachrymabili orare cœpit vt vir sanctus eam in cellulam suam reciperet. Miserere mei, dicebat, serue Dei, neque permittas me miseram eodem Christi sanguine tecum redemptam, à bestijs deuorari. Hæc & alia multa cum eiulatu flebili clamante motus est misericordia, & mulierem (fusis tamen prius ad Deum precibus) in cellulam recepit: & excitato raptim igne, appositisque dactylis, solam eam reliquit, seque tanquam à peste quadam in interiorem cellulam reclusit. Illa verò conceptam animo fraudem diligenter versans, intempestæ noctis silentio meretricio se habitu ornauit, & manè diabolica arte egregiè instructa, aduentum viri sancti præstolata est. Manè facto, vir sanctus cùm eam tanto vestium splendore ornatam cerneret, obstupuit: & quid sibi vellet tanta vestium mutatio, ab ea quæ heri fuerat, quæsiuit. Tum illa & oculis & voce ad fraudé compositis; Ego, inquit, mi Domine, cùm multa de corporis & animi tui pulchritudine eximia, in ciuitate Cæsarea intellexissem, exarsi protinùs incredibili quadam cupiditate te videndi; & quodnam quæso hoc tuum tantæ afflictionis est studium? quanam quæso de causa, tanta vitæ austeritate te maceras? Nunquid hæc est diuina mens, vt te intempestiua abstinentia conficias? Quæ nã scriptura dicit, non esse comedendum, nec bibendũ, nec legitimum ineundum matrimonium? An ignoras à D. Paulo. Honorabiles nuptias, & thorũ immaculatum dici? Quis Prophetarum aut Patriarcharum non fuit iunctus matrimonio, & factus est hæres regni cœlorum? Non Enoch ille magnus

Diabolus ei per procacem fœminam insidiatur.

Intromittit fœminam, vrgente conscientia.

Vide argumenta contra cœlibatũ, & cognosce auctorẽ Satanam.

Heb. 13. Genes. 5.

magnus & admirabilis, coniunctus matrimonio, sublatus est in cœlos, & non vidit mortem vsque in hodiernum diem? Magnus autem ille Abraham & sanctus inter Patriarchas, nonne habuit tres vxores & Dei amicus vocatus est? imò Deū ipsum in tabernaculo vidit, eiusque Angelos hospitio excipere meruit? Isaac verò quid? nunquid vxores habuit, & regnum cœlorum est assecutus? Rursus autem Iacob, nunquid duas habuit vxores, & duas concubinas, & valuit luctari cum Angelo, viditque Deum facie ad faciem? Moyses autem ille Princeps prophetarum, & Dei seruus, nunquid habuit duas vxores, & cum Deo est locutus & populum Dei ex acerba Aegyptiorum seruitute liberauit? Similiter & Dauid & Salomon & alij innumerabiles, nunquid legitimo coniuncti matrimonio, & susceptis liberis digni habiti sunt regno cœlorum? Hæc dicens mulier & viri sancti manum contrectans, in fraudem eum impulit, & animi robur, multis magnisq; licèt virtutibus valatum enerauit.

Gen. 18.

Gen. 24. Gen. 29. & 32

Exodi 2.

Eneruatur virile pectus blanditijs Satanæ.

Respondens itaque dicit ei: Si te accepero vxorem, quò te ducam, aut vnde alam, cum hactenus pauperem & ab omnibus rebus inopem vitam duxerim? Cui illa: Nihil te, inquit, hæc cura solicitet, tantùm mihi licitum sit tua frui pulchritudine, & iuuentute: & ego aurum & argentum, seruos & ancillas, atque possessiones præclaras suppeditabo abundè. Hæc illa dicente, vel potius hæc eo loquēte, qui fuit homicida ab initio, nempè diabolo, totus in amorem impudicæ mulieris inflammatus est: & nefario se operi commiscere volebat; sed, expecta, inquit, mulier, vt videam si iter tutum est, nè superuenientium hominum oculos, qui benedictionis gratiam frequentes à me

ne expetere solent, offendamus.

Hæc cùm dixisset, rupem excelsam conscendit, atque oculos in omnes partes versans, salutari diuini iudicij timore concussus est: cœpitque summam Domini Dei sui bonitatem, cui annis quinque & viginti cum tanta iucunditate seruierat, pia mente recolere; atque in cellulam suam reuersus, arreptis, quæ sors obtulerat, sarmentis aridis luculentum focum excitauit. Accensa autem flamma & in altum sublata, solutis calceis, nudis in ignem pedibus prosilijt, & ait: O Martiniane, quid agis, quid meditaris? Hunc ignem qui ad tempus est si pati potes, accede ad mulierem & cupitis eius amplexibus fruere; An non intelligis, ô Martiniane, diaboli fraudes? Matrimonium tibi persuadet mulier sanctum & immaculatum, quid igitur? Annis viginti quinque Christo seruijsti, & nunquid te aliquo incommodo aut molestia affecit? Quid? omnes tuos præteritos labores, vna voluptate, eaque tam fœda, tam bruta, perdere decreuisti? Hæc dicens & eadem sibi admiratione quadam inculcans, vim lachrymarum profudit, exclamauitque; Hei me miserum quò ruo, quò pergo? Deindè cùm paululum in terram prostratus quieuisset, rursùs se voracibus flammis exurendum tradidit, donec adustus humi caderet; Tùm grauissima ex imo trahens corde suspiria, inconstantiam suam acerbissimis lachrymis defleuit, & obnixè Domini misericordiam deprecatus est; Domine, dicebat, Deus meus, qui scrutaris corda & renes, tu scis fragilitatem meam; esto mihi propitius propter impetum meum, quo cæca mente ad peccatum & interitum meum miser properabam. Hæc cùm orasset, & Psalmum 72. plorando decantasset, mulier, quæ

Redit eitò ad sanam mentem, & se proijcit in ignem.

Detestabilis mulier, tota mente resipiscit.

quæ cuncta à longè spectabat, mente & corpore cõtremiscere cœpit, atq; tota ad se rediens, nõquam de profundissimo excitata somno, ornamentis in ignem proiectis, pannis laceris è pera rursùs eductis se induit; deindè cùm lachrymis lugubri fletu se ad pedes viri sancti abiecisset, orare & obtestari: vt sibi ignosceret. Tu enim nosti, dicebat, varias esse artes & fraudes diaboli. Voluit me, fateor, tanquam laqueo, ad sempiternam animæ tuæ perditionem, abuti. Peccaui, sed da veniam vir sanctissime, atque viam mihi demonstra, qua tuta aduersus inimici fraudes deinceps incedere valeam.

Hæc dicens ingenti lachrymarum imbre terram rigabat; Cui vir sanctus, postquam multa eaque præclara salutis dogmata tradidisset: Vade, inquit, ad sanctam Bethleem, ibique require sanctam Paulinam virginem quæ ædificauit templũ Domini. Abijt protinùs vt iussa fuerat Zoë (hoc namque mulieri nomen erat) atque ad Paulinam perueniens benignè ab ea susceptа est, & in sacram virginum societatem peccatrix libenter propter pœnitentiam admissa. Ibi verò præteritas vitæ maculas tantis lachrymis deleuit, & peccati rubiginem tanto pœnitentiæ ardore consumpsit, vt miraculis clara, ex hac vita migrauerit.

Zoë abit ad S. Paulinam in Bethleẽ.

Clara miraculis moritur.

Interea Martinianus, qui adustionis dolore graiter laborabat, postquam septimo mense collapsas vires nonnihil restauraſſet, vt diaboli fraudes & insidias præcaueret, aliò commigrare decreuit. Veniens itaque ad portum maris cum quodam nauclero egit, vt eum ad rupem quandam excelsam & angustam in medio mari sitam transferret, pactumque iniit, vt bis singulis annis, panem

tem & aquam quibus victitaret, nauicula sua adferret, atq; ipse vicissim assiduis pro Naucleri eiusque familiæ salute, precibus apud Deum intercederet, simulq; ex iuncis palmarum sportas aliaque opera venalia cõtexeret; quæ ipsi Nauclero in mercedem cederent. Placuit hæc cõditio summopere Nauclero, & virum Dei ad rupem naui- Martinianus in mari degit solus in rupe.
gio suo transuexit; in qua sub dio omnibus aëris iniuriis expositus, lætus & alacer Domino Deo suo seruiebat.

Sed neque hîc malignus cessauit iustum bello lacessere. Nam cum nocte quadam, horrendos in mari fluctus excitasset, ostendebat ei, quod fluctus quindecim cubitis ferebantur supra caput eius. Sed hanc quoque tempestatem Martinianus fusis ad Deum precibus sedauit, diabolumq; cum voce & minis sibi insultantem profligauit. Sex itaque annos vir sanctus postquam incredibili vitæ austeritate in ea rupe exegisset, eccè tibi noua tentatio eaque omnium, quas hactenus pertulerat grauissima. Die quodam ingens & immanis Eecè noua & mira tentatio.
valdè tempestas exorta certam in nauis perniciem, quæ non longè ab ea rupe vehebatur, conspirauerat, atque omnes tandèm, miserandum sanè in modum fluctibus hauserat, vnica tantùm puella eximia pulchritudine excepta, quæ dolij vnius adminiculo, quod in extremo mortis periculo apprehenderat, semianimis ferè ad rupem delata est. Hæc cùm Martinianum in rupe conspicata esset, opem eius in vltimo vitæ discrimine implorare cœpit. Obstupuit vehementer vir sanctus, & non hominem sed ipsum inimicum dæmonem esse arbitrabatur, & primùm opem adferre recusauit; sed cùm præsens mortis periculum immineret illi cerneret, protensa manu eam è fluctibus

attraxit; secumque in excelsam rupem (quemadmodum, charitas per omnia suadebat) addux. Sed cùm eam incredibili pulchritudine præditã cerneret, prorsus quid ageret ignorabat Nam illum cum sola degere certissimum ruinæ periculum esse putabat. Tutum autem in periculo religium omninò dabatur nullum.

Edito crucis signo mittit se in mare, & delphinorũ tergis ad littus euehitur.

Tandem verò tale ab vltima desperatione consilium cœpit. Pane & aqua puellæ in alimenta traditis, inuocatoq; cum lachrymis Christi Iesu nomine, signo crucis fluctus signans, alto se mari commisit. Eccè autem duo delphines suis eum tergis exceperunt, atq; per omnes fluctus ad litus saluum & incolumem deposuerunt. Hoc autem nouo & stupendo beneficio à Deo affectus, toto quoq; amoris igne exarsit, & reliquum vitæ cursum in continuis varijsq; peregrinationibus confecit. Nudus & omnium rerũ indigus sine baculo, sine pera, montes & syluas oberrabat, & cælo tota mente ac desiderio intentus, ea quæ ad corporis alimentũ, necessaria erant, à viris pijs accipiebat.

Venit Athenas, ibique moriturus, vocat ad se Episcopum.

Tandem cùm iam consummato cursu repositam sibi iustitiæ coronã à Domino acceptarus esset, venit Athenas; & ingressus ecclesiã, fessa & nimio labore exhausta membra in scamnũ declinauit, vocatoq; ad se episcopo, à quo cùm benedictionis gratiam & sepulturę beneficium humiliter postulasset, subridente vultu, beatum Deo spiritum reddidit. Et hic quidem fuit certaminum illius finis, hic terminus, qui inuictum se contra omnes diaboli insultus athletam, immò præclarũ sanè martyrem exhibuit. Nunc consequens est, vt virginis illius in rupe relictæ historiam & egregium ei certamen prosequamur.

Igitur postquàm vir sanctissimus Martianus ex oculis

oculis & aspectu eius delphinorũ obsequio ablatus esset, illa assiduis precibus horroré loci & inimicorũ metum propulsabat, & vitam pane & aqua sustẽtauit, donec nauclerus constituto tẽpore ex pacto, noua oneratus annona rediret. Sed accidit cùm ille rupi appropinquans mulierem videret, ingenti pauore correptus, tanquàm viso quodã spectro retrocederet, neq; omnino se suãque nauiculã littori cõcrederet & certè passis velis iterùm in altum prouectus fuisset, nisi puella Christi Iesu nomine sæpius inclamato, & se Christianam declarasset, & metũ ab eo hoc modo depulisset. Nauclerus ergò postquã totius rei seriẽ intellexisset ægrè quidem Martiniani discessum tulit, sed tamen virginis illius cõstantia & sanctitatis proposito facilè consolatus est. Igitur Photina (hoc enim nomine virgo appellabatur) vt virilius omnibus inimici insultibus in illo stadio repugnaret, habitum simul cum animo virilem sumpsit, & mentem assiduis precibus ac diuinarũ rerum contemplatione, ad terrenarum contemptum excitabat, & lana ac tela panem sibi & aquam (quibus corpusculum aleret) quæritabat. Tertio autem quoque mense accedebat nauclerus, & ea, quæ cùm ad victum tum ad laborem necessaria erant, afferebat. Porrò cùm ad eam rupem maris fluctibus eiecta esset, nata erat annos quinque & viginti, in petra verò annos sex in omni sanctitate & incredibili vitæ duritia vixit. Duobus autem mensibus antè quàm nauclerus eam visitaret, beatum Deo spiritum tradidisse inuenta est. Corpus eius viuido colore odorem spirabat suauissimum, ità vt magis viuenti quàm mortuo simile esset. Funus fuit cum hymnis & lampadibus ab Episcopo Cæsariensi, in ciui-

Virgo in rupe relicta, vt se gesserit.

Photina induit se habitu virili, in rupe ex qua Martinianus discesserat.

Mortua apparet pulcherrima.

tate Cæsarea sepulturæ traditum. Ad gloriam Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & laus cum sanctis eius.

Vide Cæs. Baron. Ann. Tom. 2.

## *MARTYRIVM S. VALENTINI Presbyteri & Asterij, itemq; Marij & Marthæ, Audifax & Habacuc nobilium Persarum, ex ijs, quæ Surius optima fide ex antiquissimis martyrologijs, & MS. Codicibus habet. Passi sunt anno Christi 270. Dionys. Pap. 10. Claudij Imp. 2.*

14. Februar. Peregrinatio religionis causa,

IIS fortè temporibus, quibus Claudij persecutio acriter in Christianos desæuiebat, venit quidam ex Persida Marius nomine, cum uxore Martha & filijs Audifax & Habacuc, vrbicum Apostolorum limina conceptum diu pietatis & deuotionis studium exoluerent. Cumq; Romam delati, in castrum trans Tyberim hominem quendam inuenissent Quirinum nomine, omnibus suis facultatibus propter Christum nudatum, & plagis insuper multiplicibus affectum, eum incredibili deuotionis studio amplectuntur, & de suis facultatibus læti ei ministrant. Erant cum eo alij non pauci vinculis propter nomen Domini lesi constricti; quorum pedes lauabant, & aquâ filiorum suorum capitibus infundebant. Dum hæc fiunt, Claudius pro sua in Christianos rabie ducentos sexaginta duos in amphiteatro ciuitatis, militum sagittis interfici iussit; quos Marius & Martha incrypta, via Salaria in cliuo cucumeris sepelierunt. Eâdem verò nocte, beatum illum Quirinum gladio interfectum & in Tyberim proiectum multis cum lachrymis similiter in crypta condiderunt, in cœmiterio Pontiani octauo Calend. Aprilis. Quod cùm audisset Claudius, iussit eos

Claudij persecutio in Christianos

Quirinus Martyr, à Mario & Martha sepultus,

os ad supplicia & necem inquiri, sed illi cum vniuersa familia statim inde commigrantes, venerunt trans Tyberim ad cœnaculum quoddam, in quo cum reliqua Christianorũ multitudine duobus mensibus in precibus & hymnis mira deuotione Christo seruierunt.

Valentinus comprehenditur, & cõpedibus vinctus, ad Claudium adducitur.

Inter hæc Claudius magis magisque sæuiens, comprehendit insignem quendam presbyterum Valentinum nomine, eximia admodùm prudentiæ opinione præstantem. Qui cùm catenis & cõpedibus oneratus in palatio iuxta amphiteatrum conspectui eius oblatus esset, & interrogatus à Claudio verbis leniſsimis, quarè sua prudentia, quam omnes suspiciebant, ad vanitatis superstitionem abuteretur: Valentinus statim luculenter sanè de Deorum vanitate, & ineffabili Christi Iesu gratia & omnipotentia differere cœpit, tanta auctoritate, tantaque virtute, vt Claudius in eius sententiam protinus cesisset, si non Calphurnij præfecti contraria persuasione & importunitate à concepto studio reuocatus fuisset. Is enim voce maxima, cùm Imperatorem attentas aures eius doctrinæ præbere, & ciuibus etiam Romanis eam commendare cerneret, in cœtu Reipublicæ exclamauit; Seduceris, ô optime Princeps, Tu æquum esse censes, id relinquere, quod ab incunabilis apud te hactenus tam sanctum fuit?

Claudius propendet in Christianismum.

Mutatur verbis præfecti.

His dictis Claudius à sententia dimotus, Valentinum Calphurnio præfecto examinandum tradidit, vt si secùs in eo deprehenderet quàm ratio & leges patriæ dictabant, tanquàm sacrilegum seuerè puniret. Calphurnius præfectus suscipiens Valentinum, tradidit eum cuidam Asterio principi suo, vt dicẽdi facultate qua aliquid

Valentinus traditur Asterio.

fortassis valere credebatur, atque blandiùs à Christi fide ad impium simulachrorum cultum traduceret. At verò Valentinus, vt primùm Asterij domum ingressus fuit, fixis statim in terram genibus pro salute domus illius & Asterij, ardentissimas ad Christum preces fudit. Tu, dicebat, Domine es lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina quæso tenebras familiæ huius, vt cognoscat te Deum verum Iesum Christum. Audiens hæc Asterius. Quid, inquit, homo prudentissime, tu Christum vestrum lumen appellas? Certè huius rei ego experientiam capere volo: vel egregiam istam fallaciam coercebo. Est mihi filia adoptiua, quæ ante duos ferè annos luminibus orbata est; huic si tu Christi tui virtute visum restituere potes, ego, quæcunq; præceperis, lubens faciam. Cui Valentinus: Adduc, inquit, illam in nomine Domini nostri Iesu Christi ad me. Quæ cùm ab Asterio anxio & tremebundo adducta fuisset, Valentinus fusis cum ingenti lachrymarum vi ad Deum precibus, sacras suas super eam manus imposuit, & clausa lumina aperuit.

Ioan. 1.

Cæcam Valentinus illuminat.

Credit Asterius, cum vxore & baptizantur.

Hoc cùm vidisset Asterius, humi se cum vxore ad sancti pedes prostrauit, & sacrosancto regenerationis lauacro expiatus, ad Christi militiam adiunctus est. Erat apud eum ingens Christianorum multitudo in vinculis, quæ statim pristinam libertatem recuperauit, & nomen Domini hymnis & canticis miro cum gaudio celebrauit. Interea fama miraculi ad aures Marij & Marthæ peruenit, qui nouo gaudio perfusi eò cum filijs conuolârunt, ibidemque duobus & triginta diebus, pari cum cæteris deuotione, CHRISTI Iesu

ſu bonitatem & gratiam celebrârunt.

Poſt hos autem dies Claudius Aſterium requiſiuit; cumque eum cum vniuerſa domo Chriſto nomen dediſſe intelligeret, miſſis eò confeſtim crudelitatis ſuæ ſatellitibus, omnes ad ſe vinctos adduci iuſſit. Et quidem Aſterium cum omni familia in ciuitate Oſtia crudeliſſima internecione deleri præcepit. Valentinum autem fuſtibus cæſum capitali ſententia condemnauit. Qui decollatus eſt via Flaminea ſub die 16 Calen. Martia rum. Cuius corpus collegit matrona quædam Sabinella, & ſepeliuit eodem in loco vbi capite cæſus eſt.

Aſterij cum tota familia martyrium.

S. Valẽtinus capite plectitur.

Poſtremò Marius & Martha, quos pecunijs cumulatos eſſe exiſtimabat, adduci iuſſit; qui cùm ab eo interrogarentur, qua de cauſa & quib. ſumptibus tantum itineris ſpacium ex Perſide confeciſſent, reſponderunt; Nos famuli Chriſti Ieſu, vt Apoſtolos eius honore debito proſequeremur, eosque nobis apud omnipotentem Deum interceſſores faceremus, ingenti animi deuotione hoc tædium longinqui itineris alacres deuorauimus. Et quam, inquit, Claudius, obtinetis generis nobilitatem? Sumus, reſpondet Marius, claris admodùm natalibus orti; Nam ego quidem ſum filius Imperatoris Maromeni, & hæc filia Cuſuntis ſubreguli. Tùm Claudius auidis faucibus prædæ inhians, & facultates, inquit, veſtræ præſtonè ſunt? Reſpondent illi; Facultates noſtras ei à quo illas accepimus, Domino, inquam, noſtro Ieſu Chriſto dedimus. Claudius hoc audiens, furore vehementer excanduit, atque eos Vicario Muſciano excarnificandos tradidit.

Marius filius Imperatoris & Martha filia Cuſuntis ſubreguli.

Eâdem die, omnia tormentorum genera in medium prolata sunt, vt eorum aspectus horrorem eis incuteret. Muscianus verò nostis, inquit, præceptum principum nostrorum? Cui Audifax, Nescimus, respondit, Tùm Muscianus: Hic est, inquit, edictum principum, hæc mens & voluntas Imperatoris nostri inuictissimi Claudij, vt dijs sine mora sacrificetis, & primos in aula honores consequamini. Si autem recusatis, vt omnibus hisce supplicijs excarnificati, vitam crudelissimè finiatis. Quarè agite, & vos principum iussis obedientes præbete, & generis vestri splendorem renouate. Ad hæc Audifax filius eorum natum aior; Stultã rem locutus es. Muscianus autem conuersus ad Marium, Martham & Habacuc; & vos, inquit, ad hæc quid dicitis? Respondent illi. Omnes quasi vno ore locuti sumus. Muscianus hoc responso in furorem versus, vestimẽtis eos expoliatos fustibus crudeliter mactari iussit. Martha verò, vt eo spectaculo grauius torqueretur, ante eos stare est iussa. At illa: ô filij, inquit, constantes estote. Marius verò: Gloria tibi Domine, inquit, Iesu Christe.

Sancti martyres fustib. cæduntur.

Muscianus tanta eorum constantia grauiter commotus, in eculeo eos suspendi, eorumque latera igne primùm exusta vngulis ferreis, crudelem in modum dilacerari iussit. Illi autem inter tam acerba tormenta vultu alacri clamabant: Gratias tibi agimus Domine. Post hæc Muscianus depositis de eculeo summitates manuum præcidi iussit. Quod cùm fieret, Martha profluentem sanguinem mariti & filiorum colligebat, eoque, magno cum gaudio, tanquam pretiosissimo vnguento caput suum vngebat. Deinde Muscianus manibus colligatis per ciuitatem eos

Vruntur & lacerantur eorũ latera.

Manus amputantur.

vos circumduxit, sub voce præconia, Deos blasphemare nolite. Clamabant autem Marius, Audifax & Habacuc; Non sunt dij sed dæmones, qui vos & principem vestrum in interitum sempiternum pertrahunt. Muscianus cùm omnes suos conatus illorum constantia deludi videret, eodem die capitis eos damnauit. Ducti itaque via Cornelia tertiodecimo ab vrbe miliario, ad Nymphas Catabassi, sub arenario decollati sunt, Quorum corpora matrona quædam Felicitas nomine, semiusta rapuit, & in prædio suo sepeliuit. Porrò Martham Muscianus in puteo necari præcepit, vbi glorioſum certamen & illa confecit; quam eadem Felicitas sanctorum corporibus sociauit.

Decollátur.

Martha in puteũ proiecta, martyrium obit.

## PASSIO S. VALENTINI EPISCOPI

*Interamnensis, ex ea quam Surius optima fide ex antiquis MS. Codicibus habet. Porrò notandum est: Hunc Episcopum, alium esse ab eo, quem Petrus in Cat. lib. 1. c. 15. habet, qui vixit temporibus Iustini. Imper. Passus verò hic videtur tempor. gentil. Imper.*

Vide Cæs. Baron. not in martyr. Rom.

ERat in Vrbe Roma, Craton quidam summis oratoriæ facultatis laudibus ornatissimus, cui erat filius Cheræmon nomine, qui iuuenis admodum, eam incurrerat ægritudinem, vt incuruato dorso caput inter genua deprimere cuntantáque erat eius calamitas, vt nulla medicorum arte vel industria curari poterat. Cuḿque pater omnem salutis spem de filio abiecisset, exitit quidam Fonteius Tribunitius, qui eodem & graviore etiam malo germanum suum vexatum

14. Februar. Craton insignis Rhetor.

Valentini laus.

fuisse dicebat, curatumq; à quodam Episcopo Valentino ciue Interamnensi, viro magnæ sanctitatis opinione celebri, & virtutum omnium splendore mirificè ornato.

Valentini ad Cratonē, in Vrbem Romam aduentus.

Audiens hæc Craton, summa diligentia & magno cum honore, per viros quosdam apprimè nobiles, Valentinum Romam adduci curauit, & filium ei suum Cheræmontem multis cum lachrymis sanandum obtulit. Cui Valentinus Episcopus dixit; Tu si vis, curabitur, At ille: Dimidiā, inquit, substantiæ meæ partem tibi dare constitui, si ab hac eum calamitate liberaueris. Miror ego sane, inquit, Valentinus te virum prudentem nō aduertisse, quæ dixerim; Tu si vis, curabitur. Nam si abiectis idolis, & sceleratorum hominum simulachris, in Christum credideris, optatam filius tuus salutem consequetur; censum verò tuum, cuius mihi dimidiam partem polliceris, offer pauperibus, qui pro filio tuo orent; mihi autem nulla ratione persuadebis, vt aliud quid quàm fidem tuā pro salute filij tui expetam.

Fides Christiana, etiā operibus declaranda est.

Craton orator dum hæc audiret, procidit ad pedes Episcopi & se credere in Christum Iesum dixit. At Episcopus: Fides, inquit, Christiana non verbis tantùm, sed operibus demonstratur: quarè volo te re ipsa fidem declarare. Idolis igitur manufactis, renuncia, & delicta tua sacro fonte expiato, & sic demùm ab vniuersis sceleribus tuis expurgatus, in numerum filiorum Dei recipieris. Cui Craton; Quomodo quæso aqua quæ sordes corporis lauat, peccata animæ tollere poterit?

Aqua baptismatis, quo modo purget animā.

Tùm Valentinus: Aqua, inquit, per mysterium inuocatæ Trinitatis, spiritus sancti gratiam in se recipit, & per eam vniuersa crimina quantumuis enormia, protinùs mundantur. Hæc cum dixisset,

se, luculenta admodum oratione de Christiana dignitate, eiusq; mysterijs disseruit. Sed Craton, qui tota mente in salutem filij sui propendebat, Missas quæso facito, inquit, longioris orationis ambages; nam ex hoc vno veritas constabit, si salutem consequatur is propter quem hæc dicuntur.

Tunc Valentinus cubiculum solus cum Cheræmonte ingressus est: & totam diem vnà cum nocte in precibus & lachrymis pro salute illius exegit. Media autem nocte tantus splendor cubiculum inuasit, vt ij qui foris rei exitum præstolabantur, protinùs illud cum Valentino & filio Cheræmonte flammis absumendum putarent. Sed cùm Cheræmontem (qui tribus iam annis nullam omninò vocem ediderat) psallentem, & clara voce nomen Christi prædicantem audirent, gaudio incredibili perfusi, fores sibi reserari postulârunt; quas tamen vir sanctus ante completam orationem aperire noluit; sed mane facto, Cheræmontem illis saluum & incolumen tradidit. Quo miraculo victus Craton, vnà cum coniuge & tribus discipulis Proculo, Ephebo, & Apollonio, qui artium maximarum disciplinis illius studio erudiebantur, fidem amplexus baptizatus est. Porrò omnes illi abiectis humanæ sapientiæ studijs, totos se ad diuinarum literarum cognitionem contulerunt, quorum opera multi ab errore ad veritatem & fidei professionem perducti sunt; ita vt Abundius vrbis Præfecti filius, Christi se famulum publica voce clamaret.

Cheræmon Cratonis filius, tribus annis contractus, fit repente sanus.

Craton cũ tota domo sua baptizatur.

Hinc indignatio omnium penè senatorum accensa, Valentinum primùm virgis cæsum, carceribus mancipauit. Videntes autem eum in ipsa

ipsa cæde & custodia gloriari, eiusque constantia Christianorum animos confirmari, medio noctis silentio eiectum de carcere, iussu Placidi verbis Præfecti decollauerunt. Sacrum corpus fuit à Proculo, Ephebo, atque Apollonio, in ecclesiam Interamnæ ciuitatis, nocturno itinere trãslatum, & honorificè sepultum; vbi cùm quotidianis vigilijs in Dei laudibus permanerent, tenti à gentilibus Leontio consulari traditi sunt. Quos cùm neque blanditijs, neque supplicijs frangere posset, capitalem sententiam subire iussit. Porrò SS. Martyres felici agone consummati, à B. Abundio non longè à corpore Sancti Valentini sepulti sunt.

S. Valẽtinus decollatur.

Item Proculus, Ephebus & Apollonius.

## *VITA ET MIRACVLA S. AVXENTII Abbatis. Ex ijs quæ Metaphrastes, purè & germanè, sed admodum prolixè conscripsit. Vixit ad tempora vsq; Zenonis Imp. qui regnare cepit. Anno Domini 474.*

Vide Tom. 6. Annal. C. Baronij.

14. Februar.

TEmpore Theodosij iunioris, anno eius imperij 35. fuit vir quidã Auxentius nomine, ex genere quidem orientali, pietate autem & Christiana doctrina eximiè eruditus, corporis verò robore & specie singulari præditus. Hic cùm patruum suum Bizantij militantem, ex Syria ascendens magno studio requisiuisset, & præter opinionem è vita excessisse inueniret, ipse in defuncti patrui locum nomen suum militiæ tradidit, & pari virtute militari celebre reddidit. Et quamuis in exercitu esset insignis, factaque eius fortissima summam laudem mererentur; ipse tamen insignior humanæ gloriæ contemptor, tota mente ad promouendum insitum sibi pietatis studium aspirabat. Hinc frequens illi conuer-

Auxentius dat se militiæ.

uersatio cum sacro monachorum cœtu, & maxi-
mè cum Iohanne quodam, qui propè septimum
à Clubo stabat, cuius vitam & actiones sibi imi-
tandas proposuerat.

Frequens illius conuersatio cũ monachis.

Porrò benignitatis & misericordiæ studium imprimis sanctum illi fuit, prorsus vt nunquam aliquem, stipem mendicantem inanem à se repelleret. Die quodam pauperum vnus precibus valdè importunis indusium ab eo postulauit; cumque illi vnicum tantum, quo indutus erat, ad manus esset, pauperem illum ad locum quendam deuium pertraxit, ibidemque ei proprium, quo indutus erat, indusium tradidit: sola ipse in penula remanens. Aliquot verò post diebus palatium ingredienti, mulier quædam passis crinibus ei obuiam occurrit, clamans & eiulans; O vis magna, quæ affertur ab Auxentio, qui comedis dæmonia. Viginti annis hic latui, & nunc miser tua virtute egredi compellor. Auxentius cùm admotis equo calcaribus, è turbis, quæ ad has mulieris voces vndique confluebant, se subducere vellet, illa immundo agitata spiritu, acrius sequebatur, adeò vt Auxentius flens & suspirans, preces pro ea funderet, dæmonemque expelleret.

Curat dæmoniacam Auxentius.

Post hæc vir sanctus nè quam ex humana laude labem contraheret, relictis omnibus, in desertas Bithyniæ partes se recepit; Vbi in monte Oxea qui decem ferè à Chalcedone milliaribus distat, indutus veste ex pilis & pellibus contexta, vitam in omni sanctitate instituit, & in angustam cellulam lætus se inclusit. Cum autem fama sanctitatis eius longè latèque vagaretur, Comitissa quædam luminibus repentè orbata è Nicomedia supplex ad eum venit, vt eius precibus visum recuperaret. Cui vir sanctus pro sua in calamitosos mise-

Fugit ad deserta loca. Vide asperitatem vestitus.

Cæcam sanat.

misericordia, fusis ad Deum precibus extinctum lumen contactu manuum suarum restituit. Hoc fuit principium miraculorum eius in monte Oxeæ.

Eorum autem qui ab immundis vexabantur spiritibus, ingens quotidiè ad eum confluebat multitudo, ex quibus plurimi sanctissimis eius precibus sunt curati. Die quodam venerunt ad eum duo morbo elephantiaco turpiter deformati, vt sanitatem ab eo perciperent. Quibus vir sanctus: Nostis, inquit, ô fratres qua de causa ira Domini in vos desæuiat? Vos frequenter leuissimis de causis sacrosanctum illius nomen in vanum sumitis, iuratis, ac peieratis, ideoque iusto illius iudicio præsens hæc calamitas vos premit. Sed iam tandem peccatum vestrum agnoscite, & ad mentem redite, vt sanitatem consequamini. Hæc cum dixisset, omnes ad precandum hortatus est, & ipse flexis genibus & ingẽti lachrymarũ vi profusa, tandem surgens oleo sancto à vertice ad pedes vsque eos inunxit, & sanos atq; incolumes à se dimisit. Simili modo paralyticũ, & duas fœminas à legione dæmoniorum obsessas, liberauit, & mutæ quoque beneficium loquelæ restituit.

Crebra iuramenta, lepra punita.

Oleo sancto curat leprosos.

Item dæmoniacas & mutam.

Post aliquot autem annos, quibus sanctus hic mundi voluptatibus renũciauerat, Theodosio iuniore Imperatore è præsenti vita sublato, cùm Marcianus Christianæ religionis cultor eximius in imperiũ successisset, ingens repẽtè rerũ omnium perturbatio ac præcipuè religionis confusio exorta est. Quidam enim Eutyches presbyter, in summa, refutata iã antè & abolita à Basilio, Gregorio, & Iohanne Chrysostomo Episcopis sanctimoniæ ac eruditionis laude præstãtissimis, deliramenta ab inferis excitare, & renouare contende-

Eutyches hæreticus, tempore

Marciani Imperatoris.

ndebat, peſtemq; vnam omniũ teterri mam in ecclesiam inuehere conabatur. Quam vt oppri neret, Marcianus totius orbis Episcopos Chalce donem conuocauit. Cumque sexcenti & triginta eò conuenissent, Imperator & Episcopi omnes,

Synodus Chalcedonensis.

Absentium in concilium vocari postulârũt. Qui cum mordicùs resisteret, diceretque monachorũ non esse docere sed potiùs doceri: fuit à militibus & clericis quibusdam, eam in rem ab Impera tore missis, inuitus adductus. Ex monte igitur hoc modo per vim abreptus, cùm pariter cum eis ad Synodum pergeret; multa in via miracula patrabat. Dæmones ex obsessis corporibus vi precum

Vir sanctus post tot miracula iniuria afficitur.

sarum expellebat, morbidos sanabat, & quauis calamitate affectis auxilium & opem afferebat; usque adeò vt milites & clerici virtute miraculorum eius in admirationem rapti, eum præstigiatorem ac Christi illusorem appellarent, & tanquam hominem mente captum firmis carceribus & monasterio quod erat in Phelio, concluderent. Neque hac iniuria virum illum sanctissimum affeciſſe contenti, multorum iudicio tanquam maleficij reum condemnârunt. Quod

Patientia eius.

ille tulit patientissimè: Immò quantò maiori ab hominibus contumelia afficiebatur, tanto magnificentius nomen Domini prædicabat: & in contumelijs alacrius exultabat. In vinculis autem cùm in monasterio illo à militibus detineretur, quamuis loci illius monachi inopiæ eius eximia quadam benignitate consulerent, & iniuriam omnem à viro sanctissimo propulsarent,

Mira eius abstinentia.

ille tamen humanam consolationem penitus admittere recusauit; immò in tãta austeritate vitę perseuerauit, vt cibi omnis potûsque expers, cælesti cõsolatione & animũ & corpus sustentaret.

Post

Erat locus ille sic dictus, à Ruffino Consule, qui ecclesiã Apostolorũ cum monasterio ædificauit.

Post hæc, cum maleuolorũ inuidia non quiesceret, fuit ad Ruffinianas deductus, propè sanctos Apostolos, in monasterio B. Hypatij, vt ibi ex omnium conspectu remotus, vitam in silentio transigeret. Fuit autem à sacris loci illius incolis cum maxima incredibilis beneuolentiæ significatione exceptus; & quia videbant illum virum esse diuino spiritu plenum, omnibus ab illo die ad monasterium confluentibus, hospitij beneficium concedebant, & prompto alacrique animo pauperibus & hominibus calamitosis ministrabant, eòque magis quòd Auxentius vi precum suarum consueta miracula quæ inuidorum calumnijs iam obscurata erant, renouaret. Immundos spiritus verbo virtutis ex obsessis corporibus profligabat, lunaticos, paralyticos, & alijs oppressos languoribus mira facilitate curabat.

Miracula eius in monasterio B. Hypatij, vbi cõclusus tenebatur.

Dum hæc geruntur, missi sunt ab Imperatore, qui Auxentiũ adducerẽt, vt vir sanctus suo cõsensu sanctam & œcumenicã Synodũ, confirmaret. At ille quamuis summa vi primum resisteret, indignum se clamitans qui suam sententiam doctissimorum Episcoporum decretis adiungeret, & ab insita humilitatis virtute, canem se mortuum appellaret, Imperatoris tamen & Episcoporum omnium mandato sententiam dicere compulsus, constanter sanè & præclarè Nestorij & & Eutychis manifestum furorem, quo scelerata de persona Christi, ac Dei genitrice Maria, dogmata in Ecclesiam inuehere conabantur, redarguit. & sacrosanctam Synodum stabiliuit. Hæc cum summa cum Imperatoris & Patrum omnium gratulatione peregisset, protinus se ad intermissa solitudinis certamina, in monte aspero sanè &

Auxentius ducitur ad Imperatorẽ honorific. è

Auxentius damnat Nestorij & Eutychis errores, & probat fidem Chalcedonensis Synodi.

le & horrido, Ruffinianis propinquo, recepit; vbi quæ & quanta perpessus fuerit, & quam inuicto animo contra dæmonum insidias & fraudes decertauerit non erit abs re explicare.

S. Auxentius redit ad solitudinem.

Quadam nocte cum tota mente in cœlis versaretur, innumerabilis dæmonum multitudo cum terribili quodam rugitu adfuit, vt eum vel terrore aliquo concuterent, vel certè à sublimi orationis studio præpedirent. Sed ille malignis eorum insultibus assuetus, solo crucis signo in fugam eam conuertit, mentisque aciem in oratione planè immotam seruauit. Frequenter se Satanas in angelum lucis transformans, sub magno pietatis prætextu, insidias struxit, sed nunquam tamen in fraudem impellere potuit. Erat enim diuinarum scripturarum peritissimus, & discretor spirituum valdè eximius. Porrò nihil in eo maiore encomio dignum esse videtur, quam benefaciendi studium, quo incredibiliter erga proximum ardebat. Nam licet ab omni familiari hominum conuersatione & amica societate seclusus in solitudine degeret, precibus tamen in rebus afflictis & desolatis multis opem adferebat; & fama virtutum suarum plurimos ad se quotidiè alliciebat: quorum nemo non aliquo insigni ab eo affectus beneficio recessit. Terrenarum & præterlabentium rerum contemptum omnibus sine intermissione inculcabat. Quid enim, dicebat, hæc vobis ad veram felicitatem conferre poterunt? Non sumus à Deo ad pastum, & solam corporis curam, vt pecudes, creati: sed ad immortale decus & gloriam. Quid igitur aliud nobis in vita faciendum est, cùm nos immortales, diuinoque semine generatos esse sentiamus, quam vt abiectis & repudiatis mortalibus rebus, de immor-

Dæmones eum terrere nituntur.

Crucis signo eos fugat. 2. Cor. 11.

Summũ eius studiũ, proximis benefaciendi.

Terrenarum rerum contemptum eis inculcat.

talibus atque diuinis noctes & dies, cum incredibili voluptate cogitemus.

Hæc & alia multa, quæ nos propositi nostri memores omittimus, cùm diceret: plures diuino amore sauciati, rebus mundanis & malis renunciare, eiq; adhærere volebant: quos tamē vir sanctus, admittere recusabat; monēs eos vt vitā suam corrigētes, inprimis omnes facultates suas dispersarent; ne vllam haberēt occasionem reuertendi aliquando ad vomitum, & retro respiciendi. Præclarè enim & prudenter sentiebat, rem tantam vt stabilis ac cōstans esse possit, nō leui cōsideratione aggrediendā; sed summa cū maturitate, ac perfecta veteris hominis expoliatione, quæ omnem corporis voluptatem, perindè vt moriētes faciēt, à se expelleret. Vndè paucos quidē in consortiū sui certaminis & vitæ societatem recipiebat, sed quos videbat strenuos esse bonorum operum æmulatores, & cum inimico, inuicta virtute congredi posse confidebat, summo cum gaudio amplectebatur, eosque tunica ex pilis & pellibus contexta vestitos, in interiora deserti loca mittebat, vt ibi antè omnia fraudes & insidias dæmonum addiscerent, quo postea in spiritu eruditi, infirmiores docere possent. Parum enim esse putabat vir sanctus, in solitudine delitescere, sed totis eam in rem viribus incumbebat, vt cùm per se, tùm per suos discipulos, alios è laqueis diaboli eriperet, atque ad pietatis studium adduceret.

Nota prudētiam viri illius sanctissimi, in recipiendis monachis.

Vide quomodo etiā in solitudine curam proximi habeat.

Erat quædam Eleuthera, quæ multo tempore Pulcheriæ à cubiculis fuerat; hæc cùm diuino amore saucia importunis precibus instaret, vt eam monasticæ vitæ disciplinis imbueret, & à turbulentis mundi negocijs auulsam Christo consecraret: respondit Auxentius: se admirari (nā

mirum

nirum vt eius spiritum & cõstantiam probaret) quare tantam vitæ austeritatem sine graui aliqua necessitate expeteret; maneret porrò in statu seculari, in quo benè viuendo salutem suam optimè constituere posset. Sed cum illa, diuino spiritu ad perfectionis studium excitata, instaret & vrgeret, & lachrymis suis vim adferret; gauisus vehementer vir sanctus eam Christo consecrauit, & in campo suburbani Cyreta nomine, diuinarum scripturarum meditationi assiduò insistere iussit; ijsque sanè disciplinis eam imbuit, vt aliæ multæ & virgines, & præclaræ matronæ eius exemplo prouocatæ, ad eius societatem se aggregarent. Cùm autem numerus paulatim accresceret, voluit omnes vniformi habitu vestiri, qui ex pilis contextus, & magnis pallijs ad talos vsque demissis superinductis, alios vel solo aspectu ad reuerentiam & pium quendam horrorem excitabat. Hic habitus ijs in locis ab Auxētio primùm inuentus, & religiosis fœminis traditus est.

Eleutheream Christo cõsecrat, & monialem facit.

Nota habitũ hunc religiosarum fœminarum.

Porrò cum fœminei sexûs fragilitatem optimè perspectam haberet, non desistebat animos earum pijs adhortationibus ad continentiæ certamen acuere; & frequenter apud eas differebat, quantũ scelus esset oblatũ semel virginitatis votũ & datam Christo fidem violare. Peracta autem adhortatione montem habitationis suæ locum repetebat, vbi nocte quadam in tugurio suo cùm de more precibus & vigilijs incumberet; vidit in spiritu magnum illum Simeonem Stylitem mortalitatis vinculis solutum, ad beatam immortalitatem commigrantem. Tanta enim mentis in Deum puritate vigebat, vt ea quæ in altera orbis parte fierent, contemplaretur. Tandem deuexa

Mentis eius in Deum puritas.

ætate, plenus bonorum operum, & admirandis virtutibus ac miraculis clarus in monte, qui Co-

Vita excedit vir S.

pem dicitur, beatum Deo spiritum tradidit: cuius corpus in oratorio ab eo instar monasterij instructo, cum multis suorum lachrymis, conditum fuit; vbi per multiplicem Christi benignitatem eximia eius sanctitas in hodiernum usque diem miraculis claret.

Vide Cæs. Baron. Ann. Tom. 2.

*MARTYRIVM SS. FAVSTINI ET IOuitæ, ex eo quod est per Surium, cui Ado & antiquissima Martyrologia fidem faciunt. Mortis sententiam accepêre Anno Christi 122. Alexand. Pap. 2. Hadriani Imp. 3.*

15. Februar. Patria Faustini & Iouitæ fratrũ.

BEatissimi viri Faustinus & Iouita, nobilissimis in ciuitate Brixia orti parentibus, Christi fidem, quam religiosa mente didicerant, instanti solicitudine prædicabant. Erant enim non solum germanitate carnis coniuncti, sed etiam virtute spiritus ita vniti, vt concordi vbique studio, Christum annunciantes, copiosam regionis illius multitudinem, ad veræ fidei cultum perducerent. Erat siquidem eo tempore eiusdem ciuitatis Brixiæ Episcopus, Apollonius nomine, qui ob metum persecutionis sese in abditis occultabat. Is cum famulos Dei ardentissimo persecutionis feruore flagrare conspiceret, accitos ad se ecclesiasticis gradibus sublimauit. Denique Faustino, qui natu maior erat, presbyterij officium tradidit: Iouitam verò iuniore natu ministrorum Christi numero sociauit. Suscepti itaque diuinis ministerijs, cœpêre tãto propêrius verbi prædicationis insistere, quanto magis eos sacerdotalis dignitas inuitabat.

Faustinus sit Presbyter, & Iouita Diaconus.

Eo tempore Italicus Comes, qui Rhetiarum populis

populis præerat. cùm esset supra modum dæmoniacis cultibus occupatus, lumen quod ipse cæcitatis suæ inuolutus tenebris respuebat, moliebatur etiam insano studio à suæ prouinciæ hominibus arcere. Vndè factum est vt veniente Hadriano Imperatore in partes Liguriæ, ad fluuium Adduã ei occurreret, ac talibus apud eum ore sacrilego uteretur conquæstionibus; Inuictissimè Imperator inquit, consule Romanæ Reipub. tuæ, consule sacratissimis dijs nostris; Sunt duo viri in ciuitate nostra Brixiana, qui nescio quem Christum prædicantes, plures iam à magnorum deorum nostrorum cæremonijs auerterunt. Hos nisi vestri numinis censura coercuerit, certum est diuinam his in locis culturam obliterari. Audiens hæc Imperator plenam ei necis & suppliciorum omnium in Christianos potestatem dedit. Qua accepta Italicus furore præceps, Brixiam iuit, & fortissimos Christi athletas comprehensos suo conspectui præsentari iussit. Qui cum adducti essent, Italicus Comes his ferè verbis eos aggressus est; Edicto inuictissimi Imperatoris nostri constitutũ est, vt omnes Christiani ad deorum nostrorum cultum transeant. Si qui verò repugnare inuenti fuerint, diuersis affecti supplicijs parêre coguntur. Ad hæc Faustinus & Iouita responderunt; Tẽpus nostrum iam aduenisse credimus, quo exultare potius quàm terreri debeamus. Quod verò ad edictum attinet, nos huiusmodi edicto obedire diuino mandato prohibemur. Audiens hæc Italicus Comes, firmis eos carceribus vsque ad Imperatoris aduentum custodiri iussit.

Hadrianus Imperator venit in Gallias.

Sistuntur martyres coram Italico Comite.

Faustini & Iouitæ præclarum responsum.

Quinta autem die Imperator aduenies, vt primum per Comitem de eorum constantia certior factus fuit, iracundia commotus: Et quali,

inquit, sunt isti progenie, aut quibus natalibus orti, vt ad nostram maiestatē audiendi reseruantur? Cui Comes, Certè, inquit, ô Imperator, pro claro admodum genere nati sunt; quippè, quorū parentes primas in huius ciuitatis senatu semper tenuerunt, & qui summo deos nostros honore prosecuti sunt. Hi verò quibus præstigijs in eam mentem impulsi sint, incertum habeo. Imperator his auditis è carcere eductos suis aspectibus præsentari iussit. Quos cùm multis blanditijs, & inanibus verbis, ad Solis & Lunæ statuam adorandā inducere conaretur, illi constanter negārunt, se diuinos honores ad Dei creaturas, & opera manuum hominum vllo modo translaturos. At Imperator ad Solis statuam adductos iubet sacrificare, vel in tormentis acerbissimis vitam abijcere. Tunc Iouitā conuersus ad statuam, dixit; Tu qui ad effigiem Solis formata es, transfigurare in effigiem picis ad eorum confusionem qui te quasi Deum adorant. Hæc cùm dixisset, statua carbone atrior reddita est. Cumque, mandāte Imperatore, ministri fuliginem spōgijs abstergere, & pristinum ei splendorem reddere vellent, tota simul in fauillam resoluta est.

Adducuntur in Imperatoris conspectum.

Solis statua, fit instar fuliginis nigra.

Redigitur in fauillam.

Tunc Imperator ira vehementer excandescēs, sine mora ad bestias eos condemnauit. Fuerunt quatuor leones aspectu sanè terribiles, in eos immissi, qui grandi velocitate irruētes se ad Sanctorū pedes proiecerunt: dimissoq; in terrā capite, vestigia eorum lingebant. Hæc cernens Hadrianus leopardos adduci mandat; sed illi cùm simili beneficio martyres afficerent, vrsos dimitti iubet; atque vt acriùs desæuirent, latera eorum ardentibus faculis exuri præcepit, vt dolore stimulante vel inuiti irruerent. Hæc dùm fierent, leones

Damnantur ad bestias.

rus & leopardi, impetu in ministros facto, ad vnũ omnes deuorárunt: martyres verò inter bestias securi, summis diuinam potentiam ac bonitatem laudibus celebrabant. Tum Faustinus: ô Christianorum tyranne, inquit, nondum tu diuinam potentiam agnoscis? Vbi nunc sunt minæ tuæ, quas nobis intentabas? Nonne vides omnia tormenta tua Christi virtute superata esse? sed vt te victum tandem aliquandò fateare, adduc si quæ alia præterea habes.

Bestiæ ministros Hadriani dilacerant.

Faustinus insultat Hadriano.

Hæc cùm magno animo Imperatori insultans Faustinus diceret, Orphetus quidam, prophanus sacerdos, qui Imperatori sanguine iunctus erat, vt aliquo modo animum eius graui exulceratum iracundia sanaret: Bono (inquit) animo esto, ô imperator, ego enim desperatos hos homines inuicta Saturni Dei nostri potentia, à peste & exitio, in quod cæca mente miseri ruunt, liberabo: atq; ad maiestatis tuæ gloriam, sempiterna prædicatione celebrandam, adducam. Hæc dicens, sublata Saturni statua, cum Sacerdotibus & Italico Comite ad locũ certaminis perrexit. Vix propiùs accesserant, cùm repentè feræ furore percitæ in eos insiliunt, & temporis momento crudelem in modum dilacerant. Exoritur Paganorum clamor horribilis, quòd cernerent statuam bestiarũ conculcatam pedibus, suorum fœdatam sanguine sacerdotum. Interim cùm per vniuersam ciuitatem clamor vagaretur, atq; ad aures coniugis Italici, Afræ nomine, peruenisset, illa vehemẽter morte viri sui perculsa lachrymis & luctu deformata, ad locũ conuolauit: deos oẽs deasq; impotentes, & miseros clamitãs. Quomodo enim, dicebat ad Imperatorem, opem ab ijs præsto labimur, qui ferarum rabie prostrati iacent? Hæc cùm diceret,

Feræ deuorant Italicũ Comitem, cum multis alijs.

Afra, Calocerus, & alij multi, credũt in Christum.

repudiato idolorum errore, se cum Calocero & alijs viris primarijs non paucis, credentium numero sociauit.

Feræ obediunt mandato martyrũ.

Hadrianus horum conuersione turbatus, ait martyres; Vsquequo mihi illuditis? Si Christum quem colitis verus Deus est, exite à feris liberi. Tunc martyres ad bestias: Ite, inquiunt, in nomine Domini ad loca deserta, neque vlli omnino vim inferatis. Nec mora, recedentes ab eorum conspectu velut oues mansuetissimæ, montium deserta petierunt. Sed Imperator, qui totus horrendis peccatorum tenebris immersus erat, ampliori indignatione correptus, in ardentes igneum globos eos proijci iussit. At martyres in medijs flammis illæsi consistentes, expansis in cælum manibus Deum laudabant. Imperator hæc videns magos eos esse clamitauit, & rursus in carcerem trudi præcepit: vbi angelica visitatione intempestæ noctis silentio confortati sunt.

Mittuntur in flammas martyres illęsi.

Post hæc Hadrianus excelsum ante templum Martis tribunal erexit, vt ibidem crudelissimæ mortis sententia martyres condemnaret. Cum autem Calocerus ex officio eos vinctos adducere iuberetur, ille beatos martyres magna cum reuerentia præcedens, eo cum honore Imperatori illos exhibuit, vt non homines morti obnoxios, sed potentissimi alicuius regis legatos ducere videretur. Vndè Hadrianus suspirans, animique dolore permotus, in palatium se recepit. Fausumque ac Iouitam insciò populo ad se adduci iussit; quos cum neque minis, neque blanditijs in suam allicere sententiam posset, tetro carceri ad diem persecutionis suæ manc-

Sistuntur martyres Imperatori à Calocero magno cum honore.

pauit.

Interea

Interea Calocerus, inuento non longè à Brixiana ciuitate Apollonio Episcopo, cum omnibus suis ab eodem baptizatus est. Quo cognito Imperator, nimio furore succensus, omnes Caloceri ministros sine mora capite plecti, Calocerum verò vnà cum Faustino & Iouita catenis astrictos, posse Mediolanum trahi iussit. Ingressi autem ciuitatem martyres, à sancto Apollonio, & vniuersa Christianorũ multitudine, cum insigni charitatis officio excepti sunt, & mirificè ad certamen intrepidè subeundum confortati. Tertio autem die in thermis Herculanis (vbi Hadrianus tribunal parauerat) iussi sunt dijs sacrificium offerre. Illis verò constanter respondentibus, se nullo modo dæmonijs & inanibus simulacris, sed Deo vero tantùm sacrificaturos, Hadrianus stimulis furoris exagitatus, iussit liquefactum plumbum singulorum ori infundi, vt simul cum acerbissimo cruciatu vitam extorqueret; sed plumbum mox in eos qui illud infundebant, resiliens, nullum martyribus dolorem intulit.

Calocerus, cum omnibus suis baptizatur, ab Apollonio Episcopo.

Faustinus Iouita, & Calocerus vincti, ducuntur Mediolanum.

A plumbo nihil lædun tur.

Post hæc eculeo iniectos, resina, stupa, & oleo vnà cum eculeis exuri iussit. Et quidem igne accenso, flamma ingens ad sydera tendebat; sed martyres in medio incendij illæsi permanentes, Christi virtutem & eximiam erga suos benignitatem voce maxima prædicabant, populumq; ad veritatis cognitionem inuitabant. Et sanè multi rei miraculo permoti clamabant: Magnus est Deus Christianorum; & abiurata nefanda idolorum impietate Christo alacres & læti nomina dabant. Confusus igitur Hadrianus, nesciensque quo furore & quibus potissimùm cruciatibus Christianorum virtuti occurreret, Romam iturus: vinctos omnes ferro, per singulas ciuitates

Multi credunt in Dominum.

multis cum opprobrijs trahi iussit. Calocerus verò *Fabricio cuidã apud Alpes Cotias tracto, postquàm multa ibidem pro Christi nomine passus esset, ad extremum Mediolanum reductus præclaram martyrij coronam accepit.

*hunc vocat Ado Sapritium.

Calocerus Mediolani martyrium subit.

Porrò Faustinus & Iouita Romam perducti, cum ab Hadriano: ad immolandum dijs compellerentur, ipsíque maiori constantia resisterent & populum cùm verbo fidei, tùm exemplo virtutis, ab impia idolorum superstitione ad Christum attraherent, Hadrianus, nè grauiora impietatis suæ damna ab illis pateretur, eos Aureliano Comiti extremo afficiendos supplicio tradidit. Qui cùm eos ad Brixianam ciuitatem reduxisset: & multis nequicquàm verbis, de immolandis deorum sacrificijs compellasset, iussit eos extra ciuitatis portam in via Cremonensi capitalem subire sententiam. Quam positis in terram genibus, lætí cum gratiarum actione à lictoribus exceperunt, quintodecimo Kalend. Martiarum.

Faustinus & Iouita decollantur.

## CERTAMEN S. ONESIMI, *Discipuli S. Pauli Apostoli, primi post S. Timotheum, Ephesiorum Episcopi, ex eo quod est per Metaphrasten. Martyrium fortiter consummauit anno Redemp. humani. 110. Anaclet. 8. Traian. Imp. 11.*

Vide Cæs. Baron. Annal. Tom. 2.

16. Februar.

CVm Romæ Satanas suam in Christi seruos maximè exerceret rabiem, Onesimus, Pauli Apostolorum principis discipulus egregius, fuit à Præfecto vrbis Tertullo ad Traiani Imperatoris tribunal furibundè protractus. Hic est Onesimus ille qui Apostolicis decoratur testimonijs. Hic est, qui sua integritate vitæ, & morum probitate, diuino illi Paulo persuasit, vt literis pro

Onesimus sistitur ad tribunal.

Præclaræ laudes Onesimi.

pro eo apud Philemonem dominum suum interederet. Hic est qui seruilis necessitatis vincula, præclaris actionibus dissoluit, & integram libertatem eximia sanctitate adeptus est. Hic est qui egregio pietatis studio Christi Apostolis in carcere & vinculis constitutis fideliſſimè ministrauit. Hic qui tam præclarum ab Apostolo testimonium consecutus est, vt eum intima dilectione, & filium & fratrem appellauerit. Sic enim ad Philemonem scribens, inquit: Rogo te pro filio meo, quem ego genui in vinculis meis, Onesimum aliquando tibi inutilem, nunc autem tibi & mihi vtilem, quem misi. Tu autem eum, hoc est, mea viscera accipe; quem ego volebam apud me retinere, vt pro te mihi seruiret in vinculis Euangelij.

Onesimus Pauli filius & frater.

Atque hæc quidem, quæ per tot laudes procedunt, planè ad bonorum omnium thesaurum aperiendum sufficerent, quem Vas illud electionis & fratrem, & filium suum appellat: filiũ quidem, propter amoris magnitudinem, quo erga eũ mirificè flagrabat: fratrem autem, quòd vinculorum omnium & tristitiæ se socium indiuiduum præberet. Atque hunc quidem, qui & corpus assiduo ieiunio, & animam precibus ac vigilijs contra diaboli tyrannidem præclarè munierat: Tertullus ad tribunal adductum, quisnam, & cuius conditionis esset, interrogauit; Cui Onesimus liberè ac cõstanter respõdit; Christianus ego sum; olim quidem famulus hominis: nunc verò gratus Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi seruus. Et quanam occasione, inquit Præfectus, & quo precio in nouum hoc dominium translatus es? Cui Onesimus: Occasione, inquit, certè non alia, quàm veritatis: & odio cultûs simulacrorum.

Onesimus sistitur Præfecto, & illi præclarè respondet.

Pre-

Precium verò quo redemptus sum, est preciosissimus Domini nostri Iesu Christi sanguis, quo de morte ad veram & sempiternam vitam transiimus. Cui Præfectus: Vellem, inquit, vt tu rationibus ac scripturis nobis probabili aliquo argumento hac de re differeres. Tùm Onesimus lucolenta sanè oratione præclarè de Christiana pietate multa differuit & multiplicem impietatem, qua simulacrorum cultores nefariè pollutos esse dicebat, egregiè confutauit. Ac postremò Præfectum enixè rogauit, atque obtestatus est, nè certissimo æternæ perditionis suæ periculo oblatam veritatis lucem à se repelleret.

Onesimus in carcerem conijcitur.

Præfectus placidè quidem Onesimi orationē ad aures admisit, sed nihilominùs virum sanctū cum ijs qui illi adhærebant, in carcerem tenebricosum coniecit; vbi postquàm totos decem & octo dies in summis afflictionibus perduraſſet: fuit ab ipso Tertullo sub specioso quodam fictæ clementiæ prætextu, è ciuitate expulsus, nè confluentem vndique populum ad simile certamen cum Imperatoris dedecore inuicta virtute subeundum, excitaret, confirmaretque. At Onesimus è carcere eiectus, cum Apitione, strenuo in veri Dei cultu commilitone, Puteolos abijt, ibidemque Christianorum numerum, diuini verbi prædicatione mirum in modum auxit multiplicauitque, prorsùs vt Tertullus eo pietatis studio ad tam acrem furorem prouocatus fuerit, vt missis furoris sui satellitibus, ad atrocissima supplicia atq; cædem pertraxerit.

Onesimus multos conuertit ad Christum.

Onesimus cū Apitione iterum comprehēditur.

Fuerunt tunc sancti à satellitibus hunc ferè in modum comprehensi & Præfecto furorem aceqdem spiranti oblati, Manus lignis quibusdam crudelissimè affixerunt, latera verò ac dorsa assiduè tor-

torquebant, donec in conſpectum iudicis ad tribunal venirent. Quò mox vt ventum fuit, Oneſimus à quatuor viris extenſus, virgis immaniter cæſus eſt, vt non modo ſupplicio ſed multò magis ignominia afficeretur. Sed cùm vir ſanctiſſimus in tormentis exultaret, & ignominiam illam ſummum decus ac gloriam reputaret, Præfectus verbera verberibus tanta crudelitate multiplicari iuſſit, quoad Oneſimus diſruptis omnibus corporis venis, ſupinus volueretur, atque tibijs & femoribus fractis, ſolutoq; mortalitatis ergaſtulo, ad immortalem coronam lætus euolaret. 15. Kalend. Martias. Sacræ illius reliquiæ, fuerunt à muliere quadam Imperatorio ſanguine clara, ſummo cum honore ac reuerentia exceptæ, & in thecam argenteam reconditæ. Indè autem poſteà, ad locum, vbi fuerat Epiſcopus ordinatus, (Epheſum nempè) translatæ. Ad gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui potentia & honor cum Patre & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum. Amen.

Cœditur virgis atrociſſimè.

Moritur; in tormentis.

Corpus eius in theca argentea repo nitur, ſed poſtea trãſfertur.

## *MARTYRIVM S. IVLIANAE VIRGInis & martyris, ex eo quod Simeon Metaphraſtes conſcripſit. Paſſa eſt anno à Chriſto nato 290. Sub Imperatore Maximiano.*

Vide Cæſ. Baron. not in martyr. Rom.

FVit in ciuitate Nicomedia, virgo quædam Iuliana nomine, incredibili ſanè pulchritudine, & tàm præclaris animi dotibus prædita, vt ex aſſidua rerum conditarum contemplatione, in vnius & omnipotentis Dei cognitionem veneri; repudiatoque idolorum cultu (cui vterque parens nefariè admodum deditus erat) omnem vitam ſuam orationi & ſacrarum literarum lectioni traderet. Erat autem eodem tempore vir qui-

16. Februar.

Iulianæ virginis præclaræ dotes.

Eleusius impius, ambit nuptias Iulianæ.

quidam Eleusius nomine, genere & dignitate quidem clarus, & summis Imperatoris amicus, sed dæmoniorũ cultui in tantum deditus, vt capitales perpetuò cũ Christiano nomine inimicitias gereret. Hic summo studio Iulianæ nuptias ambiebat, neq; vllis sumptib⁹, vt eximia eius forma aliquando frueretur, parcebat. Iuliana verò, quæ tota mente in Christianæ pietatis studiũ propendebat (vt ei spem nuptiarum præcluderet) negauit se vllo modo ad nuptialem thalamum eum admissurum, nisi Præfecti munus ab Imperatore consequeretur. Ille, cùm summo eius esset amore captus, ingenti pecuniarum vi aditum sibi ad eũ dignitatis gradum aperuit, & statim nouo honoris titulo decoratus, virginis fidem postulauit. Tum illa: Rectè quidẽ, inquit, hoc se habet, sed nisi abiecto dæmoniorũ cultu, ad Christi seruitutẽ accesseris, nunquam meis amplexibus potieris.

Hoc cùm accepisset responsum Eleusius, ira vehementi commotus, patrem virginis accersiuit, eiq; quanta esset affectus à filia eius contumelia, cum horrendo verborum fulmine, narrauit. Pater cùm præter opinionem hæc de filia sua audiuisset, graui affectus dolore, domum properauit, & iram, ficta lenitatis specie, dissimulans: Dic mihi, inquit, ô filia, quid causæ, quòd splendidas illas & honorificas Præfecti nuptias differas? Dic, inquam, ô gratissima oculorũ meorum lux. Cui virgo: Desine, inquit, quæso te, ô pater, has nuptias auribus meis inculcare; Nisi enim is ante omnia Deum omnipotentem pura & sincera fide agnoscat venereturque, nunquam ego vlla conditione nuptias istas amplectar. Quid enim aliud hoc fuerit, quam corpore esse coniunctos, & hostili odio animis dissidere? Hoc responso pa-

Virginis cõstantia.

ter

ter in furorem versus: Per maximos (inquit) deos tu amas tormenta; immò quid dico tormenta, feris & canibus ego corpus tuum deuorandum tradam. Martyr verò; Quid cunctaris? inquit; Veniant canes, veniant feræ, atq; adeò multæ mortes, si fieri possit, pro vna. Hac virginis constantia fractus pater, mitissimis verbis atq; blanditijs eam aggressus est. Sed cum illa blanditias æquè ac tormenta despiceret, pater eam iniectis vinculis, in carcerem trusit, & verberibus superare cõtendit.

Pater eam in carcerem trudit, & verberibus afficit.

Cùm verò inuictum virginis animum supplitijs frangere non posset, tradidit eam sponso, vt tyrannidis suæ libidinem in eam expleret. Ille accepta virgine, primùm quidem & vultu & oculis grauem in eam furorem spirabat; sed cùm diligentiùs in eam oculos conijceret, animus eximia eius pulchritudine captus, iram protinùs mitigauit, ac cupiditas totũ tandem deuicit. Rursus igitur ad blanditias conuersus, orare & obsecrare cœpit, vt benignum ei ad nuptias assensum præberet. Quòd si, inquit, dijs sacrificare nolis, tibi hoc liberum sit: tantùm tu mihi coniungere. Cui virgo: Certè, inquit, nisi tu priùs Christo per lauacrum regenerationis coniunctus fueris, mihi coniungi non poteris, Cui rursus Eleusius; Et hoc quoque tui amoris causa lubens admisero, nisi graue ab Imperatore nobis immineret periculum. Si enim hoc ad eius notitiam perueniret, non solùm honore, sed ipsa etiam vita miserrimè priuaremur.

Præfectus, eius amore iterùm capitur.

Tum Iuliana: Tu quidem, inquit, hunc mortalem & qui ad tempus est, regem, times, ego verò immortalem illum, & regum omnium Dominũ, ac creatorem nihili faciã? Nunquàm certè tu, vel

Præclaræ virginis vox.

alius

alius quispiam hoc mihi persuaserit. Quare si velis, tu quoque Deum verum, calcatis idolis agnosce: eique soli seruias. Sin minus tu me interfice, manda igni, cæde flagellis, trade bestijs, omnia tormentorum genera in me exerce. Hæc cum audijsset Præfectus, incredibili furore agitatus, iubet illam quatuor loris extensam, nerui & virgis crudelissimè cædi; cæsam verò è capitis capillis tamdiu suspendi, donec aulsa cum crinibus cute, in terram decideret. Post hæc, cum in Christi cõfessione immobilis permaneret, latera eius candentibus laminis exuri, & femora ferro configi, confixamque ad carcerem duci iussit. Illa verò, cum in medijs constituta supplicijs, preces ad Deum cum lachrymis funderet, ecce Satanas angelico splendore coruscans ei apparuit, horãs vt ad tempus furori Imperatoris locum daret. Neque enim, dicebat, existimare debes, Deum crudelem esse, qui æneam in mortali corpore fortitudinem requirat. Quare cede nõnihil suppliciorum atrocitati, & dijs simulata offer sacrificia, nè tormentorum, quæ te adhuc expectant, magnitudine victa, dijs verè sacrificare cogaris. Illa autem admiratione perculsa, & quisnam, inquit, tu es? Ego respondit ille, sum Dei Angelus missus vt te è media suppliciorum atrocitate eriperem. Præbe igitu te mihi obedientem, nè iustas inobedientiæ tuæ pœnas luas. His verbis ad gemitus & lachrymas conuersa Iuliana: Domine, inquit, Iesu Christe, quid faciam? hiccine tuus famulus est, qui me ad simulatam impietatis speciem inducere conatur? Vix hæc effata fuerat, cum vox cælitus dilapsa eam ad constantiam corroborauit dicens; Confide Iuliana, & disce quisnam sit qui te ad mei negationem incitare conatur.

**Virgo sancta crudelissimè flagellatur, & è capillis suspẽditur.**

**Diabolus sub Angeli specie, ei apparet.**

Ad

Ad hanc vocem, vincula, quibus constricta tenebatur, soluta sunt: & virgo præsenti numine Christi confirmata, dæmonem, non quidem vinculis corporeis, sed vigenti fide & diuinorũ virtute verborum ità alligauit, vt ad eius voluntatẽ se componere, & tremebundus voci virtutis eius, parere cogeretur.

Virgo sancta, dæmonẽ vincit.

Interea Præfectus qui ardenti vindictæ cupiditate ardebat, misit qui virginem ad se reducerent. Illa autem, cùm pristina corporis pulchritudine, Dei benignitate recuperata compareret, Præfectus in stuporem versus: Vsquequò, inquit, tu oculos nostros præstigijs tuis fascinabis? Cui virgo; Vsquequo tu Christi virtutem & potentiã non agnosces? Sed resipisce tandem aliquando ab hac mentis tuæ insania, ne ignis ille inextinguibilis tibi & improbis omnibus constitutus, vos inuoluat & sempiternùm excruciet. Hac dicẽdi libertate furor Præfecti acriùs concitatus eò prorupit, vt virginem in ardentem fornacem conijceret, ac voracibus flammis exurendam traderet. Illa verò flammas (dictu sanè mirum) profusis lachrymis extinxit, & sua virtute viros numero circiter quingentos ad Christi confessionem perduxit. Hi omnes cùm voce concordi clamarent. Vnus Deus Christianorum, fuêre iussu Præfecti crebris gladiorum ictibus interfecti; quibus fœminæ centũ & triginta insigni virtute ac confessione se sociárunt: ac eandem martyrij palmam perceperunt.

Virgo, recuperata diuinitùs valetudine, sistitur Præfecto.

Mittitur virgo in fornacem.

500. viri credũt in Christum, & necantur gladijs.

Item fœminæ 130.

Iuliana verò hoc spectaculo mirificè recreata, fuit in lebetem copioso igne bulliẽtem iniecta; sed lebes diuina virtute ruptus, virginem quidem illæsam reliquit, lictores verò crudelissima ad vnum omnes, internecione deleuit. Præfectus videns crudelitatis suæ ministros tam miserè con-

Iuliana mittitur in lebetem.

Læta præbet ceruicem suam feriẽdam.

sumptos, vestem suã præ furore nimio dilacerauit, exclamauitque; Tollite magam, & gladio terficite. Tùm gloriosa victrix Iuliana, nè diuturna optata martyrij corona fraudaretur; vultu alacri, lætis oculis, & summa cum exultatione niueam ceruicem feriendam præbuit: atq; ità cœlos martyrij corona redimita, læta conscendit.

Sacræ eius reliquiæ, Romã trãslatæ.

Sacratissimum eius corpus fuit ab egregia quadam matrona & insigniter pia, Sophia nomine, Romam translatum, vbi dignum eius certaminibus templum ei erexit. Eleusius verò paulò pòst dignas impietatis suæ pœnas luit. Nam in mari naufragium cum alijs multis passus, vi tempestatis fuit quidem in littus eiectus, sed præda canib. effectus, nè sepultura quidem dignus fuit. Ea hoc fuit præclarum Iulianæ martyrium, quæ cùm anno ætatis suæ nono Eleusio desponsata esset, decimo & octauo anno ætatis suæ, post varia certamina, martyrij palmam adepta est.

## *MARTYRIVM SS. ET GLORIOSORVM Christi martyrum Leonis & Paregorij, qui martyrium subiêrunt Pataris; Ex Simeone Metaphraste.*

13. Februar.

BEatus Paregorius vir eximia sanctitate præditus, cùm sanguinis effusione Christi Ecclesiam, vt multi alij, consignasset, Leonem, qui ei in omni actione vitæ socius fuerat, adeò ardẽter suo exẽplo ad simile certamen incitauit: vt requiem nullam caperet, nisi in Christi cõfessione, eodem certamine viriliter occumberet. Erat enim hic Leo à iuuentute egregiè pius, vitamque omnem monasticis disciplinis strenuè exercuerat. Indumẽtum eius erat ex pilic contextũ, prorsùs vt vel ex ipso externo corporis cultu & mordi gra-

Leo à iuuẽtute, fuit monachus egregius.

grauitate Apostolicam vitam, & præcursoris Domini disciplinam non obscurè æmulari videretur.

Illis diebus Lollianus ab Imperatoribus Proconsul electus, venit ad Procuratorem vrbis Patris, vt profanum Serapidis festum cum eo celebraret, pariterq; Christianos ad insanum idolorũ cultum cogeret. Cùm verò multi propositorum suppliciorum metu territi à Christiana fide nefariè deficerent, & execrandum festum cũ impijs peragerent, Leo facibus diuini amoris vehementer accensus, per medium forum) quod Tychæum dicitur) gradum ad locum, in quo dæmonib. immolabãt, intulit, arreptisq; lucernis & cereis in honorem idolorũ accensis, ait ad Mystas iniquitatis; Vos si existimatis Deos habere vires, dicite vt sese defendant; Hæc cùm diceret lucernas & cereos in frustra comminutos, pedibus cõculcauit: & summa cum grauitate populo concurrente ac clamante, indè recessit. Interim cùm factum hoc longè latèq; vagaretur, atq; ad aures Procuratoris peruenirent, ille tanquam fera quædam immanis sanguinem sitiens, iussit virum sanctum à satellitibus suis comprehendi.

Leo cõfringit cereos, in honorem idolorum accensos.

Comprehensus autem martyr, vultu alacri & ad hilaritatem composito, ad Procuratorem accessit: & constanter Deorum vanitatem, impietatemque redarguit; Procurator verò, & qua, inquit, audacia tu Deorum cælestium religionem euertere præsumis? Ad hæc dixit sanctissimus Leo; Multos tu mihi Deos cælestes nominas, cùm vnus tantùm sit Deus cælestium & terrestrium, Dominus noster Iesus Christus, filius Dei viui: cui ego in spiritu contrito deseruio semper. Dij verò quibus tu tantos decernis honores verè dæ-

Leo à militibus comprehenditur.

Confessio martyris.

monia sunt, & simulacra nullo sensu prædita. Ego autem omnia supplicior̃ genera prius subire paratus sum, quàm relicta fide nostra, ad impium simulacrorum cultum transire.

Martyr cæditur flagris & in torrentem demergitur.

Cùm deindè multa admodum luculenter in ratione fidei differeret, Iudæorum & gentilium multitudo exclamauit, vt silentium ei à Procuratore imponeretur. Procurator verò cum sua spontè satis ad iram incitaretur, iussit venerandi martyris corpus flagris crudeliter cædi, atq; in confessione Christi perseuerantem martyrem manibus pedibusque ligatis, in torrentem demergi. Vix impius Procurator sententiam protulerat, cùm Leo sublatis ad Deum oculis gratias egit: & vltimum spiritum in precibus pro persecutorũ suorum salute fusis, in medijs fluctibus emisit.

## *MAXIMI, CLAVDII, PRAEPEDIGNÆ & duorum filiorum eius martyrium, inueniet lector in gestis S. Susannæ die 11. Augusti.*

## *VITA S. AVXIBII, ARCHIEPISCOPI Solensis, qui fuit discipulus sancti Apostoli, & Euangelistæ Marci. Fertur̃q; ab eo baptizatus. Claruit sub Nerone Imperatore.*

Vide Cæs. Baron. in Notat. Martyr. Rõ.

19. Februa. Roma patria Auxibij.

BEatus Auxibius Romæ diuitibus admodũ, sed idolorum cultu nefario pollutis, natus parentibus: fratrem vnicum habuit Themistagoram, longè à suis moribus in primis annis dissimilem. Erat enim Auxibius vrbano &, vt vnius ingenio, mente verò casta atq; pudica, & vt vno verbo dicam, cunctis erat virtutibus egregiè ornatus. Cùm autem à parentibus, omnibus: humanæ

æ sapientiæ disciplinis fuisset imbutus, voluerunt eum nuptijs satis splendidis, & præclaris dignitatibus ornare, sed ille cùm animo maximo & mente altiori, contemptis rebus terrenis, ad altissimarum rerum cognitionem aspiraret, noluit hisce vinculis à proposito cursu retardari. Quarè cùm parentes vim inferre tentarent, pater quidem minis, mater verò blanditijs: ipse Roma relicta, clàm conscensa naui paucis ad vitæ sustentationem assumptis pecunijs, Rhodum appulit: inde verò transmisso mari, quod est in Pamphylia, Cyprum venit, vbi in vico quodam, qui Portus dicitur constitit, vt à maris iactatione, colla plás vires nonnihil reficeret.

Fugit parentes & nuptias.

Venit Cyprum.

Accidit autem vt eodem tempore Barnabas cũ Marco eas regiones peragrarent, & populis illis, extrema diuini verbi fame laborantibus pabula salutis ministrarent, & constanti prædicatione impietatem profligarent. Vndè Iudæi & gentiles intolerabili quadam rabie in diuinos Apostolos accensi Barnabam Constantiæ mortis supplicio affecerũt: Marcus verò cùm eodem furore ad necem inquireretur, fuga sibi, immò Christi ecclesiæ salutem peperit. Nam postquam dies tres in spelúca quadam delitescens, furorem eorum declinasset, egressus inde transijt cum Rhodone & Timone per Limnetem, veniensq; tandem in vicum, qui Portus dicitur, inuenit ibidem Auxibiũ rerum Christianarum studiosissimum, sed nondũ per lauacrũ regenerationis in numerum filiorũ Dei adoptatum.

Barnabas Constantiæ, pro Christo occisus.

Hunc igitur Christi Apostolus Marcus, cùm religionis & pietatis studio incredibili flagrantem cerneret, statim salutari fonte à veteris vitæ delictis expiauit, & impositis manibus, Spiritus sancti gra-

Auxibius à Marco baptizatur, & ordinatur Episcopus.

gratia mirificè repleuit, prorsùs vt eum episcopali administratione dignum iudicaret. Itaque cùm multa eum de diuini verbi prædicatione cuiuisset, & Euangelij mysteria ei inculcasset, episcopumq; Solensium ordinasset: Fili, inquit, Auxibi nunc quæ dicturus sum diligenter attende, vt ciuitatem illam dæmonum mancipium, profundissimisque errorum tenebris immersam, ad veram lucem transferas, & à seruitute in libertatem vindices. Nemo te cognoscat Christianum esse, sed magna cum prudentia ac circumspectione in eorum familiaritatē te insinues, & sic procedente tempore, tanquam infantibus, sobriè diuini verbi pabula ministrabis, & sermone tanquam lacte eos nutries, donec paulatim robustiores perfectioresque effecti, solidioris cibi capaces reddantur. Hæc & alia multa cùm dixisset Marcus, is quidem cum Timone & Rhodone nauigauit Alexandriam: Auxibius verò obfirmato ad omnes labores animo, Solos iter instituit.

Marci, documenta ad Auxibium, quomodo & ordine, gentiles ad Christi fidē traducere debeat.

Erat propè ciuitatis portas, templum Iouis, in quo profanus sacerdos vitam agebat, vt statuto tempore idolo sacrificia offerret. Hic vt vidit beatum Auxibium iter eò facientem, benignè eum ad se inuitauit, & cibo potuque liberaliter refectum, quisnam & vnde esset, & quæ causa profectionis, quæsiuit. Cui cùm Auxibius se Romanum esse, & ciuitatis Solensis benemœnitate ad eum habitationis locum inuitatum esse respondaret, sacerdos ille gratuitum ei ad tempus aliquod hospitium humaniter obtulit. Nec abnuit vir sanctus; effectique paulatim cùm doctrina tùm virtutis exemplo vt

Auxibius manet apud Iouis sacerdotem.

ut agnita veritate libentèr consueta impietatis sacrificia relinqueret, ac tandem ardenti studio se totum in viri sancti disciplinam traderet. Hoc felici successu magis iam confirmatus Auxibius, cœpit eadem ratione ciuitatem aggredi, eam ex prædicto loco Iouis, vbi se continebat, per interualla latenter ingrediens ac clanculum ibidem docens. Hæc cùm multo tempore peregisset, & Paulus ex reditu Marci, Auxibium Solis agere intellexisset, missis ad Heraclidem Archiepiscopum literis, monuit eum vt Auxibium Solis Episcopum constitueret.

Auxibius, Iouis sacerdos fit Auxibij discipulus.

Auxibius confirmatus Episcopus à D. Paulo.

Heraclides acceptis literis statim summa diligentia Auxibium quæsiuit, inuentumque in templo Iouis, secum vnà in ciuitatem Solensem introduxit, & locum construendo Ecclesiæ ædificio designauit, hortatusque Auxibium, vt aperto deinceps marte dæmonem aggrederetur, & Euangelium palàm omnibus confidenter annunciaret, cum benedictionis gratia eum Solis reliquit. Tùm Auxibius nihil cunctatus, nouæ Ecclesiæ fundamenta iecit, multorumque operis, qui iam CHRISTO sua nomina dederant, breui ad culmen perductam multis precibus omnipotenti Deo dedicauit. Post hæc prædicationis munus in publico ciuitatis loco opportunè importunè aggressus, maximam hominum multitudinem ad veritatis cognitionem adduxit. Neque verbis tantùm, sed multò magis stupendis rerum factis, fidem confirmabat, & gratiam Saluatoris nostri in omnium conspectu præclarè constituebat. Confluebant ad eum ex vicinis vndique locis ægri, dæmoniaci, & variis calamitatibus miserè oppressi, quibus solo

Dedicat Ecclesiam Auxibius.

Multos ad Christum conuertit.

Themistagoras, venit ad Auxibiu fratrem suum.

verbo in Christi nomine, optatâ salutem tribuebat. Inter alios autem frater eius Themistagoras fama virtutum eius excitatus, cum coniuge sua Timo fœmina virtutis studiosa Solos venit, & in ptismatis gratiam, mutata prioris vitæ institutione, ab eo humilitèr, petijt obtinuitq;. Qua perepta Themistagoras Christi amore vehementer accensus, diaconatûs gradum ab Auxentio consequutus est. Timo verò vxor eius, eadé in Ecclesia, diaconissa ordinata fuit; ac soluta, mutuo consensu, carnali copula, vterq; diuinis mysterijs in omni sanctitate sedulò seruiuit.

Eodem tempore erat in agro quodam, qui Solopotamius vocatur, vir quidam, qui vt nomine ita etiam pietatis studio, Auxibium antistitẽ egregiè imitabatur. Nam vt primùm ab eo lustralib. fuit aquis expiatus, indiuiduum se in omni vitæ sanctitate & laborib. infinitis comitem præbuit & magistri institutum tam præclarè discipulus æmulatus est, vt beatus antistes cùm vitæ terminũ instare sibi intelligeret, eum sibi successorem ex diuina voluntate elegerit. Annos quinquaginta vir sanctissimus, cùm admiranda sanctitatis opinione, & stupẽdis rerum factis ecclesiã illã administrauerat, cùm præclara iustitiæ corona redimitus ex hac vita migraret. Sanctæ & venerandæ eius reliquiæ fuerunt cum vnguentis & sustibus in loculo, quem ipse sibi Auxibius præparauerat, depositæ; è quibus omnia sanitatum genera adeos manârunt, qui dignè eas venerati sunt; & Christi gratiam meritis & intercessione sancti antistitis obtinere meruerunt; quorum quidem ingens fuit numerus.

Moritur S. Auxibius.

Die quodam viri quadraginta dæmonibus obsiti, qui Paphum habitabant, cùm auditione acce-

ccepiſſent, quanta vir ſanctus ad tumulum ſuum miracula patraret, ſumma cum feſtinatione eò properarunt; Et eccè in ipſo itinere quadam obumbratione viri cuiuſdam, mirabili ſplendore coruſcantis, qui eis obuiam fiebat, ab immundis ſpiritibus curati ſunt, cuius gratiam, ſancto Auxibio Solis, ad eius tumulum dignis laudibus acceptam retulerunt.

S. Auxibius poſt obitum occurrit dæmoniacis, eoſque ſanat.

*PRAECLARVM MARTYRIVM S. SAdath Epiſcopi, & 128. qui cum eo fortiter idipſum ſubiere, Temporibus Conſtantij Imperatoris, ſub Sapore rege Perſarum, Anno Redemptoris 344. Iulij Pap. 8. ex Metaphraſte.*

Vide Cæſa. Baron. Ann. Tom. 3.

SAnctus Sadoth qui in epiſcopatu Salec & Cteſiphon regiarum apud Perſas ciuitatum, Symeoni, ſub Conſtantino martyrio vita functo, ſucceſſit, eodem anno, fuit terribili quadam viſione, de futura martyrij palma admonitus. Videbatur enim in ſomnis ſibi videre, ſcalam interris ad ſumma cæli faſtigia erectam, in cuius cacumine Symeon requieſcens magnis vocibus eum ad ſe inuitabat. Vndè nihil de martyrij corona & futuro certamine dubitans, antè omnia populum ſibi commiſſum, diligentiſſimè in fide & pietatis ſtudio inſtruxit, ipſeque incredibili deſiderio, ad certaminis gloriam aſpirabat.

20. Februar.

Viſio S. Sadoth.

Secundo itaque perſecutionis anno, Sapor Perſarum Rex magno in Chriſtianum nomen furore concitatus, venit Salec & Cteſiphontem primarias regni ſui ciuitates, & ſtatim Epiſcopũ Sadoth inſignem iuſtitiæ ac pietatis cultorem, cum alijs finitimæ regionis clericis & monachis numero 128. comprehendit: ferroque crudeliter

Sapor Rex Perſarũ, multos comprehendit Chriſtianos & diræ eos affligit.

vinctos in tetrum, & obscurum carcerem detrusit: in quo mensibus quinque non solum contrema rerum omnium inopia, sed cum multis variis supplicijs præclarè decertârunt. Nam ijn eos cogerent Soli tanquam vero Deo sacrificare, & ipsi constanter tantùm scelus execrarent, ministri crudelitatis à rege submissi, tantis eos supplicijs torserunt, vt ossa horribilem stridorem qui foris aliorum auribus capiebatur, ederent, & ferrea aliorum pectora ad misericordiam prouocarent. Porrò cùm acrius interdum furibundi irruerent, & partim minis, partim blanditijs, semper autem ferè horrendis supplicijs vrgerét, & vim inferrent vt regis voluntatem exequerentur; Sadoth tanquam dux & patronus suorum inuicta virtute occurrebat, impiaque Deorum numina confutabat, & Christi gloriam cùm magna suorum exultatione dignis laudibus extollebat, adeoque martyres ad certamen inuictis animis subeundum acuebat, vt omnes tanquàm vno ore

Inuicta martyrum virtus.

exclamarent: Eccè parati sumus prompto & alacri animo glorioſam pro nomine Domini nostri Iesu Christi mortem oppetere, quarè nolite cunctari, quin mortem, quam nobis minitamini, celeriter inferatis.

Hanc tantam fidei & confessionis constantiam cùm tyranni animaduerterent, tulerunt in eos capitis sententiam, quam lęti & alacres exceperunt, atque in confessione Christi Iesu extra ciuitatem constanter occubuerunt. Venerandum verò & glorioſum Athletam Sadoth, vinctum in aliam patriam, quæ vocatur Bethuza, duxerunt, atque ibi in ciuitate Bethlapat, capitis abscissione, martyrij palmam promeruit.

Cæduntur 128. martyres.

Idem S. Sadoth.

VITA

VITA S. EVCHERII XXXIII. AVRELIAnensis Episcopi, ex ea quæ optima fide Apud R.P.L. Surium exstat; Claruit tẽporibus Caroli Martelli Frãcorum Principis, à quo multa & grauia passus est.

*Obijt autem Anno Domini 727. vel sequenti.*

Vide Cæs. Baron. not. in martyr. Rom. Item Tom. 9. Annal. anno Domini 741.

EVcherius vir vitæ venerabilis ac Deo dignus, ortus est parentibus iuxta seculi dignitatem, nobilibus, & Deo (vt credimus) acceptis. Genitrix illius cùm nocte quadam ab ecclesia, expletis nocturnis hymnis, domum redijsset, & in suo cubiculo quieti se dedisset, vidit in somnis virum quendã niuei candoris vestibus indutũ, thoro suo astantem, & oculis instar gemmarum coruscantibus, terribilem, sibique dicentem; Ane Deo dilecta, benedictum in vtero ferens puerum, futurum in hac vrbe magnæ sanctitatis antistitem. Cui venerabilis matrona: obsecro te, inquit, vt mihi benedictionem ore tuo largiaris. Intueor enim vultum tuum veluti angelicum. Cui Angelus: Rectè, ait, quidem cernis; Iam nunc igitur benedicam tibi, & semini tuo ex te nascituro.

20. Februar.

Visio Angelica, matri eius oblata.

Hæc cum expergefacta marito per ordinem explicaret, ille timore & gaudio perfusus, in gratiarum actione permanens, rei expectabat euentum. Nato autem puero propter honorem diuinæ reuelationis, parentes eum episcopo Ansberto, qui id temporis in Augustodunensi vrbe sanctitatis officio fungebatur, regenerãdum Domino sacris fontibus obtulerunt. Qui cum gratulatione eum accipiens, expiatum proprijs de sacra vnda suscepit manibus, & maximo cum honore ad parentes remisit.

Baptizatur ab Ansberto episcopo.

Cum autẽ septimo ætatis suæ anno literarum studijs

studijs traderetur, tantos in disciplinis omnib. cit progressus, vt omnes etiam anteriores sui antecelleret; & quidquid legendo vel audiendo didicisset, affatim in eo inundabat. Cùm verò

1 Cor. 7. 1 Cor. 1. quando in illam D. Pauli sententiam incidit, qua ait: Præterit figura mundi huius, & sapientia huius mundi stultitia apud Deum reputabatur,

Fit mona-chus. relicto militiæ secularis cingulo, ad cœli & cæl stium rerum cultores se contulit, & in monasterio Gemetico regularis vitæ institutum comple xus est.

Eo tempore Suauaricus eius patruus qui Aure lianensis ecclesiæ populum pontificali fulsit ho-

Carolus Martellus is fuit. nore regebat, ex hac luce migrauit. Tũ verò omnis eius loci plebs pariter congregata, ad Caroli inclytum Francorum principem, legatos cum muneribus & humili prece mittit; vt Eucherium plebi Aurelianensi pontificem præficeret. Qui protinus supplicationi benignè annuens mit-

Cogitur es-se episcop. Aurelianen-sis. quendam ex aula sua qui Beatum Eucherium i cœnobio euocaret, & si non spontaneum ret uitum ad vrbem Aureliam perduceret. Quo cõperto vir sanctus graui mœstitia afflictus, parere coactus, ita eam prouinciam suscepit, vt non ho noris, sed oneris loco eam haberet. Ecclesias ne que & monasteria circumquaque constructa fre quenter summa cum diligentia lustrabat, atque in eis commorantes omni charitate & benevo lentia prosequebatur.

Crescebat interim fama eius longe latequ per orbem; cumque opinio eius passim vulgare tur, inimicus humani generis inuidens eius sa ctitati atque gloriæ, quosdam malignitatis su veneno corrupit, permouitque vt inuidia excep ti suggererẽt Carolo principi, vt virum beatis

com-

omnibus illi sanguinis propinquitate coniunctis in exiliũ relegaret, illorũq; honores partim suis sib' adijceret, partim in suos satellites cõferret. Interea gens nefanda Ismaelitarũ ad depopulandam prouinciam Aquitaniam ingressa, extremũ totiregno excidiũ minitari videbatur. Cui Carolus cum copioso Burgundiorum Francorumq; exercitu obuiam procedens, insignem est victoriam adeptus, & ingenti cum præda domum reuersus. Cumque Aurelia Ligeris alueum transiens Parisios pergeret, prospero rerum successu elatus, iussit Beatum Eucherium se sequi. At ille tametsi minimè ignoraret insidias sibi præparatas, sponte neus se periculo dedit, nè principis sibi à Deo constituti voluntatem contra præceptum D. Petri negligere aut aspernari videretur. 1. Petr. 2.

Anno itaque sextodecimo pontificatûs sui Aurelia egressus, & Lutetiam quoque ex principis voluntate prætergressus, Vernum fiscum publicæ ditionis aduolauit; moxque vt celebri sermone principis auribus vulgatum est, sanctum sacerdotem adesse, iussit eum à suis militibus comprehensum, cum reliquis propinquis in exilium deportari. Ille verò nihil omnino ea iniuria commotus Coloniam perrexit; vbi tanta fuit à sacerdotibus & clero, & populo denique vniuerso honoris & beneuolentiæ significatione exceptus, vt cunctis illorum opibus, haud secus atque propriis vteretur. Quod cùm Carolum diu latere nõ posset, ille metu perterritus, nè fortè illorum auxilijs & subsidijs adiutus, munitiora regni loca occuparet, tradidit eum clàm tutiori loco in Hasbania Roberto Duci custodiendum. Qui sanè illum maxima cum gratulatione susciens, eo honore dignatus est, vt omnium illi facultatum

S. Eucherius deportatur in exilium. Coloniam veniens magno cũ honore excipitur.

suarum

suarum liberam potestatem faceret. Sanctum itaque Eucherium, sexto exilij sui anno, vinculis mortalitatis solutus, diuini luminis perfusus claritate, victor intrauit in cœlum, sepultusque in ecclesia B. Trudonis, præclara sanctitatis suæ, ut pauca edidit miracula. Cæci multi ad sacrum eius tumulum visum receperunt, claudi plenum gressu restituto adepti sunt sanitatem, dæmones quoque fine numero fugati, alijs alia atque alia, dignè eius suffragia implorantibus, beneficia à Domino Deo concessa.

Abit è vita S. Eucherius.

Miracula ad sepulcrum eius.

*VITA ET MARTYRIVM S. MONTANI, & Sociorum eius Lucij, Iuliani, Victorici, Flauiani, &c. ex ijs, quæ optima fide extant apud R. P. Surium.*

*Fuerunt hi discipuli S. Cypriani, vt ex eius epistolis constare potest, & paulò post illum passi sunt. Anno nempè Christi 262. Dionys. Pap. 2. Valer. & Gal. Impp. 8. Hæc gesta, partim ab ipsis martyribus, partim ab alio, qui præsens interfuit, scripta sunt.*

Vide Cæs. Baron. Ann. Tom. 2.

POst popularem tumultum, quem ferox vultus Præsidis in necem concitauit, postque diei, sequentis acerrimam Christianorum persecutionem, apprehensi sumus Lucius, Montanus, Flauianus, Iulianus, Victoricus, Primolus, Renus & Donatianus cathecumenus, qui baptizatus in carcere statim spiritum tradidit, nec non & circa Primolum similis consummationis exitus contigit. Nam & ipsum ante paucos menses habita confessio baptizauit. Igitur apprehensis nobis, & apud Regionantes in custodia constitutis, sententiam Præsidis milites nunciabant, quòd die hesterno ardens, nobis interitum minaretur. Sed cùm Præses viuos nos flammis exurere cogitaret, Domi-

24. Februar.

Donatianus & Primolus in carcere obeunt.

dominus, cuius opem tota fide assiduis precibus implorabamus, furentem Præsidis iram à nobis vertit, & accensum in exitium nostræ carnis ignem, non sine ingenti miraculo, extinxit.

Ignis diuinitus extinguitur.

Tunc præses à proposito suo, Domino volente, confractus, mitti nos in carcerem iussit. Nos verò nequaquam fœdam illam loci caliginem expauimus, moxque carcer tenebrosus, spiritu præluente, resplenduit, & contra obscuritatis deformia & cæca noctis contecta, instar diei, fidei deuotio candida luce vestiuit, & ad summum ascendebamus locum pœnarum, quasi ascenderemus in cœlum. Quales illic dies duximus, quales transegimus noctes, exponi nullis sermonibus possunt: nec tormenta carceris vlla affirmatione capiuntur. Sed paucis diebus visitatione fratrum nos refrigerauimus. Post ipsam noctem dies nobis hilaris augebatur. Et continuò eadem die, subito rapti sumus ad Procuratorem, qui defuncti Proconsulis partes administrabat.

Mittuntur Martyres in carcerem.

Rapiuntur martyres ad Procuratorem.

O diem lætum, gloriam vinculorum; ô optata vocis omnibus catena. O ferrum honorabilius atque preciosius optimo auro. O stridor ille ferri qui strepebat, dum trahitur per aliud ferrum. Loqui nostrum futurum solatium videbatur, atq; ne hac iucunditate tardius frueremur, à militibus vbinam nos Præses audire vellet, huc atque illuc per totum forum circumducti sumus. Tunc nos in secretarium vocauit quia necdum hora passionis aduenerat. Vndè prostrato diabolo victores sumus in carcerem reuersi, & ad alterã victoriam reseruati. Hoc itaque prælio victus diabolus ad alteras se astutias vertit, fame nos & siti tentare molitus. Et hoc suum prælium multis diebus fortissimè

Reducuntur in carcerẽ.

Fame & siti, confessores tentantur.

tissimè gessit; ita vt ægrotantium copia ad Solonem fiscalem & aquam frigidam laboraret. Infectantes eramus horam illam, quando fiscalium cibus, sed penuria & necessitas inferretur: qui cibus nullus nobis suberat. Dominus autem nostris laboribus refrigerium, per Lucianum nostrum charissimum præbuit; qui disrupto catenarum obice, velut per duas phialas per Hereniacum Hypodiaconum & Ianuarium catechumenum, alimentum indeficiens omnibus ministrauit. Hoc subsidium ægros & laborantes nimium suffulit. Eos quoque qui per Solonis & aquæ frigidæ incommodum in ægritudinem iam inciderant, ab infirmitate reuocauit. Sed tamen, ô fratres, hæc certamina nostra Domino grata accidere non potuissent, nisi veræ charitatis fraternæ officio hæc eadem, vt reliquas omnes vitæ nostræ actiones, meriti fuissemus, quod sanè in medijs periculis constituti, diuina reuelatione cognouimus.

Releuantur martyres, à graui fame & siti.

Martyrium, sine fraterna dilectione, nihil prodest.

Visio Montani.

Nam cùm Montanus non æquo animo cum Iuliano verba habuisset, ob factum quoddam mulieris, quæ ad communionem obrepserat, cumque post correptionem, quam in eam congesserat, in rigore ipso discordiæ mansisset, ostensum est eadem nocte Montano quanta ob hoc peccati macula esset pollutus. Narrabat enim, is se visum huiusmodi vidisse. Cum enim, dicebat, centuriones nos ad certaminis locum producturi aduenissent, deferentque in campum quendam immensum: facta sunt vestimenta nostra candida, & caro ipsa vestimentis candidior, visum oculorum ad intima cordis admittebat. Ego autem oculos in pectus meum conijciens, vidi illud sordibus quibusdam turpiter maculatum. In visione verò exper rectus Lucianum obuiam habui, cui visionem referens

frens: Profectò, dixi, has sordes discordia illa, quam ego cõtra Iulianum nutriui, in pectus meum, inuexit; statimque in gratiam, composita pace cum fratre meo redij, nẽ grauissimos totius vitæ meæ labores, vna iniquitatis macula polluerem: & integram eorum iacturam, cum certissimo salutis meæ periculo facerem. Hæc martyres omnes simul de carcere ad fratres scripserant. Reliqua autem nos pleno sermone complectemur.

Cum igitur per plurimos menses tenebricoso recluſi carcere, fame ac siti diu laborassent, tandem sero produci iubẽtur, & ad prætorium Præsidis admoueri. Et omnibus quidem gloriosa voce professis, cùm Flauiani adiutorium reclamaret amore peruerso, negans eum diaconum, quod confitebatur inter cæteros, id est, Lucium, Montanum, Iulianum, Victoricum, dicta sententia est, Flauianusque rursus receptus est. Interim cæteri ducebantur ad victimæ locum. Concursus vndique gentilium & omnium fratrum fuit. Erat illic videre martyres Christi, fælicitatem gloriæ suæ vultus hilaritate testantes: ita vt possent prouocare ad propriæ virtutis exempla, etiamsi tacerent. Sed nec sermonis largitas defuit. Nam exhortationibus suis singuli plebem corroborauerunt. Et Lucium quidem propter ingenitam lenitatem, & probam ac modestam verecundiam, infirmitas etiam grauis & labor carceris fregerat; ac propterea cum comitibus paucioribus solus ante præcessit: ne multitudo nimiæ pressuræ, de fusione sanguinis inuideret; qui tamen & ipse non tacuit, sed comites suos quomodò potuit, instruxit. Iulianus quoq; & Victoricus insinuata iu fratribus pace, & commendatis omnibus cle-

Producũtur martyres ad Prætorium Præsidis.

Amici Flauiani, nitũtur eum liberare.

ricis, maximè eis, qui famem carceris visitauerant, ad passionis locum cum gaudio & sine rauore venerant. Sed enim Montanus corpore & mente robustus, quanquàm & antè martyrium gloriosus, quicquid semper veritas postulat constanter & fortiter dixerit, sine vlla exceptione personarum: tamen de martyrio proximo crescens, prophetica voce clamabat; Sacrificans dijs eradicabitur, nisi Domino soli. Et hoc frequenter iterabat, insinuans & inculcans non licere deserto Deo, ad simulacra & manufacta figmenta transire; Hæreticorum quoque superbiam & improbam contumaciam retũdebat, obtestans eos, vt vel de copia martyrum intelligerent Ecclesiæ veritatem, ad quam redire deberent. Deindè lapsorum abruptam festinanter negationem pacis, ad plenam pœnitentiam & Christi sententiam differebat; nec non integros quoque ad tutelam integritatis exhortans: State fortiter, fratres, & constanter militate dicebat. Habetis exempla; nec vos lapsorum perfidia destruat ad ruinam, sed nostra tolerantia magis ædificet ad coronam.

Præclara admodũ Montani laus.

Arguit hæreticos Mõtanus.

Hortatur fideles ad cõstantiam.

Cùm autem iam carnifex immineret, & gladius super ceruices eius libramento nutante penderet, expansis ille manibus ad Deum, voce clara, ita vt non tantum ad totius plebis aures, sed & ad Gentiles quoque ipsos sonus vocis euaderet, orauit, rogans & deprecans, vt Flauianus (qui de comitatu eorum, per suffragium populi remanserat) sequeretur die tertio. Et quô precis suæ fidem faceret, manualem, quo oculos fuerat ligaturus, in partes duas discidit, & iussit alteram reseruari, qua Flauiano oculi post crastinum ligarẽtur. Sed & in medio eorum, solùm seruari iussit, vt nec le-

pul-

sulturæ consortio separaretur; & perfectum est ab oculis nostris, quod Dominus in Euangelio Matthæi 11.
eo repromisit, vt qui tota fide peteret, quicquid peteret impetraret. Nam post biduum, secundùm quod postulatum fuerat, Flauianus quoq; productus gloriam suam passione perfecit. Itaque post suffragia illa, post voces, vt suprà diximus (quibus quasi pro salute eius, amicitia inimica surrexerat) reuocabatur in carcerem virtute robusta, mente inuicta, fide plena. Hærebat lateri eius incomparabilis mater, quę pręter fidem, qua ad Patriarchas pertineret, in hoc etiã se Abrahę filiam comprobauit; quæ filium suum & optabat occidi, & quòd interim remansisset, contristabatur, glorioso dolore. Mira sanctæ mulieris matris Flauiani fortitudo. Gen 22.

Sed ille collaudans matris animum, vt dilationem suam non doleret: Scis, inquit, mater meritò castissima, vt semper tentauerim, si confiteri contigisset, martyrio in eo frui, & frequenter catenatus videri, & sæpè differri. Si ergò contigit, quod optaui, gloriandum potiùs est, quàm dolendum. Et cùm ad carceris ianuam veniretur, difficilius multò & tardiùs quàm solebat aperiebatur, obnitentibus etiam ministris; ità vt videretur obfirmatũ, spiritu quodam repugnante atque retinente, indignum esse, carceris sordibus eum fœdari, cui cæleste habitaculum pararetur. Quia tamen diuinitatis corona dilata, dignas causas habebat; iam cæli & Dei hominem inuitus admisit. Qualis illic mens fuit biduo illo, quæ spes, quçuè fiducia, cùm martyris Dei animus & de collegarum petitione prçsumeret, & de sua crederet passione futuram? Dicam quod sentio. Dies ille post biduum tertius, non quasi passionis, sed quasi resurrectionis dies sustinebatur. Admirans erat de- Flauiani ad matrem cõsolatio.

nique turba gentilium, qui vocem Montani petentis audierant.

Producitur Flauianus, ad locũ certaminis.

Postquàm verò produci tertio die iussus est, rumore cognito, confluebant increduli & perfidi, fidem martyris probaturi. Egrediebatur de carcere Dei testis, iam ad carcerem non reuersurus. Communis omnium magna lætitia, sed magis habebat in animo suo certum, quòd, & fides propria & petitio antecessorum suorum extorqueret Præsidi vel inuitam, licèt populo reclamante, sententiam. Vndè & occurrentibus fratribus & salutare cupientibus, fide tota pollicebatur, quòd in Fuscano cum omnibus pacem facturus esset. Ingressus deindè prætorium, cum miraculo omnium in custodiarũ loco stabat, expectans donec vocaretur. Illic nos in latere eius constituti eramus, iuncti penitùs hærentes, ità vt manus manibus teneremus, exhibentes martyrij honorem & cõtubernij charitatem. Ibi condiscipuli eius suadebant cum lachrymis etiam, vt præsumptione deposita, sacrificaret interdùm, posteà quicquid vellet, facturus; nec incertam illam & secundam mortem plusquàm præsentem vereretur. Sed ille gratias agens, quòd amicitia duce, quantum in ipsis erat, consultum sibi vellent, tamen & de fide, & diuinitate non tacuit; dicens multò melius esse primo in loco, quantùm ad libertatem integritatis pertineret, occidi, quàm lapides adorare. Tùc deindè, summum esse Dominum, qui imperio suo omnia contineret, ac propterea solus colendus sit, addens & illud, viuere nos etiam cùm occidimur, nec vinci morte, sed vincere.

Vides hic familiarem admodùm fuisse martyribus, huius historiæ auctorem.

Egregia Flauiani constantia.

His illi retusi & reuicti, ad crudeliorem sensericordiam contulerunt, certi eum à propetu voluntatis suæ vel tormentis deponi posse. Et cũ ad-

admoueri iussus esset, interrogatus à Præside, quarè mentiretur se diaconum, mentiri se negauit. Cumq; reclamante populo ac dicente, Mentiris: iterùm à Præside interrogaretur, an verè mentiretur, respondit; Quod est compendium mentiendi? Ad hoc populus exasperatus torqueri eum iteratis clamoribus postulauit. Sed Dominus qui serui sui fidem sciebat, nõ est passus probari martyris corpus, tormenti alicuius vel leui laceratione pulsari. Cor enim Regis ad sententiã statim flexit, & testem suum vsq; ad mortem fidelem, consummato cursu & agone perfecto, coronauit.

Amici eum tormentis, à sententia dimouere conantur.

Sententia mortis in eum fertur.

Exindè iam gaudens, quia per sententiam dum passionis suæ erat certior, etiam iucundo colloquio fruebatur. Et sic effectum est, vt iuberet hæc scribi, & ad propria verba coniungi; addi quoque ostensiones suas voluit, quarum pars ad moram bidui pertineret. Cùm adhuc, inquit, Episcopus noster solus passus fuisset, ostensum est mihi hoc, quasi Cyprianum ipsum interrogarem, an pati ictus doleret martyr futurus, de passionis tolerantia consulebat, dicens: Alia caro patitur cùm animus in cælo est, & nequaquã corpus hoc sentit, cùm se Deo tota mente deuouit. O verba martyris, martyrem cohortantis. Posteà, inquit, cùm plures paterentur, contristabar in visu nostris, quòd quasi à collegis meis remansissem. Et apparuit mihi vir quidam dicens. Quid contristaris? Cui cùm causam tristitiæ meæ dicerem, ait; Confessor es, tertiò martyr eris per gladiũ, & sic impletum est. Nam confessus Christum primò in secretario, secundò publicè, reclamante populo, iussus recludi, à collegio suo remansit, & productus post confessiones duas, tertiò passionẽ perfecit.

Flauianus, accepta sententia iussit certamen martyrum scribi.

Visio oblata Flauiano.

cit. Deindè, inquit, cùm iam Succeſſus & Paulus cum comitibus ſuis coronati fuiſſent, & ego poſt infirmitatem conualeſcerem, video ad domum meam veniſſe Succeſſum Epiſcopum, vultu pulcher & cultu adeò claro, vt effigies difficulter agnoſceretur. Quem cùm vix agnoſcerem, ait mihi: Miſſus ſum nũciare tibi, quoniam tu paſſurus es. Hoc cùm dixiſſet, ſtatim fui à duobus militibus ſuperuenientibus ad fraternitatis multitudinem perductus, inter quos apparuit mater mea dicens: Laudo te, quia nemo ſic martyrium duxit. Et verò

Flauiani egregia præconia.

nemo. Nam, vt omittam carceris abſtinentiã ſingularem, & vt accipientibus cæteris vel modicũ cibi, qui de ſordibus penuriæ fiſcalis exhibebatur, ſolus ſe ab ipſo modico continuit, tanti habens ieiunijs multis & legitimis fatigari, dummodò alios victu proprio ſaginaret.

Ad illa igitur veniam, quòd cum tanto honore deductus eſt, qui à tot ſacerdotibus comitatus, eius diſciplinis omnibus ordinatis, ad inſtãr ducis dirigi meruit. Sic regnaturum cum Deo martyrem, iam ſpiritu ac mente regnantem, etiam itineris tota dignitas exprimebat. Sed nec de cælo teſtimonium defuit. Imber largus & lenis temperato rore deſcendens, fluebat, ad multa profici-ens; Primò, vt Gentiles perniciter curioſos, interuentu pluuiæ refrenaret; & vt diuertendi daretur occaſio, quò ſacramentis legitimæ pacis, nullus profanus arbiter intereſſet; & quod Flauianus ipſe ore ſuo dixit, ad hoc pluebat, vt Dominica

Iohan. 19.

Paſſionis exemplo aqua ſanguine iungeretur. Sic conſummatis omnibus fratribus, & pace perfecta, proceſſit è ſtabulo; quod Fuſciano de prædicto iunctum eſt. Ibi cùm editiorem locum & ſermoni aptum conſcenderet, ſilentio manu facto, mo-

huiusmodi verba emisit; Habetis, inquit, fratres dilectissimi nobiscum pacem, si Ecclesiæ pacem noueritis, & dilectionis vnitatem seruaueritis. Nec putetis pauca esse quæ dixi, cùm & Dominus noster IESVS CHRISTVS passioni proximus, hæc nouissimè dixerit; Hoc est mandatum meum vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. Deindè ad locum victimæ, expleto sermone, descendit; & ligatis oculis ea parte, quam Montanus seruare antè biduum iusserat: fixis tanquàm ad precem genibus, passionem suam cum oratione perfecit.

Vltima Flauiani ad populum adhortatio.

Ioan. 15.

## VITA D. MATHIAE APOSTOLI, IOACHIMO PERIONIO, BENEDICTINO CORMŒRIACENO AUCTORE.

Vide Tom. 1. C. Baronii.

MAthias Christi Apostolus, Bethleemitanus, ex tribu Iuda originem habuisse dicitur. Is Christum (quemadmodũ ex libro Lucę qui Acta Apostolorum inscriptus est intelligi potest) ab initio doctrinę ac prædicationis seruus, nunquam ab eo posteà discessit; nec tamẽ vnà cum cæteris ex communi discipulorum numero, ad apostolicæ dignitatis arcem elatus est, sed in locum Iudæ, qui magistrũ discipulus prodidit ac vendidit, post Christi ascensum successit. Quod quemadmodùm euenerit aut factum sit, non erit alienum exponere.

24. Februar. Mathiæ patria.

Cùm Christus Apostolis spectantibus in cælũ ascendisset, Apostoliq́ue & alij qui vnà aderant Hierosolymis, domum in qua habitabant, redijssent, non ità multò pòst Petrus Apostolus surgẽs, omnes qui circumstabant, numero ferè centum & viginti, condiscipulos conuenit his verbis; scripturam impleri oportere, quam Spiritus san-

Petrus conuocat discipulos numero 120.

Psalm.108. ctus ore Dauidis prædixisset de Iuda, qui deuo-
isset eorum qui Iesum Christum comprehen-
runt. Eum quidem eundem gradum honoris in-
ptum esse quem ipsi consecuti essent, sed præ-
scelere dignissimum, consecutum esse eiusmo-
vt suspensus, diffusis intestinis omnibus, medi-
crepuerit. Idque omnibus Hierosolymitanis n-
compertum exploratumque fuisse, vt ager lingu-
eorum, Ager sanguinis nominaretur. Scripsum e-
nim esse in libro Psalmorum: Fiat domicilium eo-
rum desertum, nec sit qui in eo habiter: Episcopa-
tumq; eius alter accipiat. Proindè in eius locum
sufficiendum cooptandumq; esse vnum ex is qui
semper Christum vnà cum ipsis, iam ex eo tempo-
re secuti essent, cùm à Iohanne baptizatus esset, ad
id temporis quò in cælum ascendisset, qui vnà cu
eis palam ac publicè Christum à mortuis excita-
tum esse testificaretur.

Ager sanguinis.

Hac Petri oratione ceteri adducti, duos consti-
tuerunt ac proposuerunt, Iosephum qui Barsa-
bas dicitur, & Mathiam de quo præsens nobis ser-
mo est. His oblatis communibus Deum precibus
inuocârunt, vt ostendere dignaretur, vtrùm eorū
vellet, in Iudæ locum succedere. Cumque eis sor-
tes dedissent, Mathias sorte ad Apostolatûs hono-
rem delectus est. Nec verò hoc honoris gradu in-
dignum se præstitit. Nam cùm in partitione pro-
uinciarum, Iudæa ei nutu diuino obtigisset, mul-
tos partim doctrina, partim vita, quam integer-
rimam agebat, partim miris inusitatisque oper-
bus, quæ in profligandis ægrotorum morbis edi-
bat, ad Christianam religionem fidemque trâs-
duxit.

Iosephus & Mathias proponuntur, vt alter eorum in locum Iudæ succedat.

Mathias multos ad Christum conuertit.

Quod cùm Iudæi, quos ad sanam mentem
praua deducere non potuit, acerbè ferrent, eum
ad

id Pontificem pertraxerunt, doctrinamque ei ac religionem, vt crimen, obijcere cœperunt. Ille magna fiducia præsentiq́ue animo fretus, hoc stanim respondisse dicitur; ea quæ ipsi vt probra & crimina obiectarent, non longam desiderare orationem. Christianum enim esse, non criminosum esse, sed glorioſum. Cumque Pontifex ex eo quæsiuisset, si tempus ac locus pœnitẽtię daretur, mutarene consilium vellet? Deus, inquit, prohibeat, nè à veritate, quam semel inueni ac secutus sum, aliquandò tanquam transfuga deficiam. Tum cõcitati populi furore, Pontifex, præter priuatum odium impulsus, eum sententia sua lapidibus primùm obruendum, deindè securi feriendum esse pronunciauit. Duo autem testes quos subornauerant, primi in eum lapides iaculati sunt. Ille verò lapides, testimonij causa, vt secum sepelirẽtur rogauit; atque hoc modo beatus Apostolus ad Christum migrauit 8. Kalendas Martij. Corpus eius ex Iudæa Romam primùm, deindè Roma Treuiros translatum esse dicitur.

Christianũ esse gloriosum est.

S. Mathias Apostolus lapidibus obruitur.

Translatio eius.

## VITA ET MIRACVLA S. TARASII, *Archiepiscopi Constantinopolitani, eruditione & pietate insignis, ex ijs, quæ Ignatius monachus, Diaconus, & sacrorum Vasorum custos, scripta reliquit. Abijt verò è vita: Anno à Christo Domino 806, multis pro fide Catholica exantlatis laboribus.*

Vide Cæs. Baron. In Notat. Martyr. Rõ. & Tom. 9. Ann.

MAgnus hic & sacrosanctus Tarasius, qui Christi humilitatem & mansuetudinem ab infantia vsq; ad senectutem pulcherrimè expressit, patrem habuit Georgium, summa apud eos qui id temporis imperabant, auctoritate & excellentia præditum: matrem verò Encra-

25. Februa.

Parentes Tarasij.

tiam fœminam multis virtutibus ornatam, vnà-que sanè parentem antiquissimo Patriciorum stemmate insigniter nobilem. Porrò cùm omnibus tàm doctrinæ quàm pietatis disciplinis, diligentissimè à parentibus imbueretur, ad eá virtutis opinionem peruenit, vt consulari dignitate, perfecta iam ætate, protinùs honestatus, ipsi Imperatori ab arcanis scriptis fieret.

Fit Consul, &c.

Sed licèt in medio honorum decursu constitutus, aulæ, quotidiana vitæ conuersatione, interesse cogeretur, mente tamen & cogitatione à mundana ambitione alienus erat; prorsùs vt iam tunc magnum aliquod & præclarum futuræ sanctitatis specimen populo vniuerso de se præberet. Neque sanè ea spes populum fefellit, vt qui mox acceperit id, quod desiderabat. Nam cùm eo tempore hæresis eorum summè vigeret, qui cum imaginibus, & præcipuè ijs quæ Christi eiusque matris effigiem nobis repræsentant, bellum gerunt, & propugnatores earum omnes è vita excessissent, vno Paulo Episcopo excepto, qui laborantis Ecclesiæ extremo periculo grauiter perculsus, abiecta Pontificali infula, in Flori monasterio, mutato habitu, sacro se monachorum cœtui sociauerat; vnus Tarasius inuentus fuit, qui grassanti pestiferæ hæreseos malo, præclara virtute obuiam iret. Nam vt primum Irene & Constantinus Imperator eius filius, Pontificis in monasterium fugam intellexerunt; ira pariter ac metu repleti, eò aduolârunt: & inopinatæ illius fugæ causam quæsiuerunt, Quibus Pontifex, cùm & animæ suæ periculum, & corroboratâ contra ecclesiam Christi hæresim, longa orationis serie exposuisset, eadem conclusit; si matrem suam ecclesiâ, quàm à Christo Domino sceptri potentia defendendam susce-

Iconomachorum hæresis.

Tarasius solus hæreticis resistere inuentus fuit.

discesserant, à nefanda hæresi, in pristinam fidei puritatem, libertatemque restitutam vellent, vt Tarasium virum diuinis virtutibus ornatum, ouilis Christi pastorem constituerent.

His Pauli sermonibus, Irene & Constantinus ab ira ad lenitatem traducti, statim mentis oculos in Tarasium defixerunt: atque ex læta populi, senatusque totius acclamatione Pontificem designarunt. At Tarasius antequam eum dignitatis gradum conscendere, & maximo illi muneri se alligare vellet, voluit vt tàm Imperator, quam reliqui omnes Christi fideles, sex sanctis Oecumenicis Synodis, & ijs quæ ab ipsis piè decreta sunt, consentirent. Nec recusarunt eius admonitioni, tanquàm angeli voci, obtemperare, quinimmò data fide affirmabant, se instar ouium ducentem fideliter pastorem secuturos.

Designatur Pontifex Tarasius.

En vult vt Oecumenicis obtemperent Cõcilijs, modò ipsum velint habere Episcopum.

His ità constitutis, Tarasius sacerdotali ac Pontificia dignitate, non tam ornatus quam oneratus cœpit multò adhuc, quàm antè diligentius, omni virtutum studio & perfectione se exercere. Præter alias autem virtutes, quibus mirificè sanè decoratus fuit, & longum nimis singulas referre foret: misericordiæ & benignitatis disciplinam, sanctissimè coluit. Pauperum ingentem multitudinem quotidiè cibis mensæ suæ alebat. Claudos, cæcos, paralyticos, & alia quauis calamitate miseros, paterna sanè cura ac diligentia fouebat. Nudos & frigore vexatos, vestibus contegebat, & proprijs sæpè manibus esurientibus, instar famuli, cibum potumque ministrabat.

Misericordia & benignitas eius in pauperes.

Porrò cùm esset quieti & diuinarum rerum studio addictissimus, & alios vellet paribus ornatos virtutibus, & armis fidei instructos, contra grassantem adhuc hæreticorum phalangem paratos esse

Monasterio constrvit.

tos esse, monasterium in finistra parte Bosphori Thracij constrvxit; è quo multi, immobiles catholicæ fidei columnæ, eius imbuti disciplina prodierunt; qui hæreticorum aciem sæpius inrunt, dissolueruntque. Ipse autem Tarasius, ex totis viribus in defensionem orthodoxæ fidei uersus hæreticos incumberet; summa auctorita (qua plurimùm apud Imperatorem valebat) ob tinuit, vt œcumenica Synodus conueniret, qu tandem aliquandò Iconomachorum hæresi ad internecionem deleretur. Igitur cùm iussu Imperatorum, Pontifices ex vnaquaque regione in regiam ciuitatem confluerent, quidam ex exercitu Imperatoris Constantini, qui olim imperij sceptra non piè administrârat, sacro Apostolorum templo (in quo pontifices conuenerant) leonina animis appropinquantes, exclamârunt; se nulla ratione imaginum cultum, iàm antè à Constantino damnatum, laturos. Hæc cum dicerent, minas magno cum furore iactabant, & omnibus Episcopis necem se allaturos, si secùs statuerent, affirmabant; factumque est improbis horum conatibus vt pontifices, sessione relicta, discedere cogerentur.

Is fuit Constãtinus Copronymus.

Minæ Iconomachorum.

Synodus Nicena 2. cõtra Iconomachos.

Tunc verò Tarasius, qui incredibili fidei ac pietatis zelo ardebat, Imperatorum, mandato Synodum secundò congregauit, & die ipso quo Tecla prima fœminarum, martyrij palmam adepta est, pontificibus ritè congregatis, orationem grauitatis pietatisque plenam instituit, qua luculenter admodùm hæreticorum impietate profligata, cultum imaginum probauit stabiliuitque; prouisus vt sacrosanctus Episcoporum cœtus, illi acclamaret, & piam imaginum venerationem recuperet, approbaretque.

Iam

Iam verò hoc modo damnata hæresi, Tarasius ac cæteri Antistites, populum & alios quosuis primarios viros à Catholicæ fidei integritate, & cultu imaginum alienos, ad vnitatem reducere conati sunt: & claudicantes quidem pijs honestisque monitis sanabant, peruersos verò & in sententia obduratos, doctissimis verborum sententiarumque congressionibus conuincere, & immenso labore in viam veritatis dirigere, annixi sunt. Porrò Tarasius qui magis virtutis exemplo, quàm acerrima verborum contentione, populũ in pietatis officio ac diuinorum obseruantia mãdatorum, seruare volebat, Sacerdotes inprimis ab omni terrenarũ rerum immoderata cupiditate refrænabat, & summis viribus Simoniacã impietatem profligauit.

Nota qua via modoq; Tarasius hæreticos ad sanã fidem, reducere conatur.

Tarasius Simoniam profligat.

Vt verò erga impios & diuinis legibus rebelles, erat seuerus ac durus, ità erga miseros & calamitosos valdè misericors. Nam cùm quidam ex his, qui apud Imperatorem dignitate plurimũ poterat, homo splendore & gloria & diuitijs insignis, accusatus fuisset, quòd magno auri pondere Imperatorem fraudasset, & multa alia per summam iniustitiam ab Imperatorijs diuitijs auertisset, eaque de causa multis quotidiè supplicijs afficeretur, & intolerabili cruciatu, vt ablata restitueret, torqueretur, is desperatione fractus, capta fugiendi opportunitate, nocte quadam ad asylum confugit: & intra templi adyta sese recondidit. Ij verò quorum custodiæ commissus erat, veriti Imperatoris indignationem, statim templum circundederunt, & quia per vim non poterant, dura famis necessitate indè eum extrahere cogitabant. Quod cùm Tarasius audiuisset, protinus maxima motus misericordia, hominem vi-

Quidam à magistratibus reus, ad sacram aram confugit.

Tarasius eũ pascit.

ficta-

sitauit,& multo tempore ibidem pauit,& ab imminenti mortis periculo eripuit. Nam cùm milites egredientem aliquandò ad requisita naturæ structis insidijs, de manu & protectione Antistis ad aulam Imperatoris abripuissent: ipse intùs dolore repletus, sine mora ad aulam contendit, & eos, qui grauiùs aliquid in virum illum, à sacris Ecclesiæ liminibus per vim abductum, statuere præsumerent, ecclesiasticæ pœnæ vinculis aligauit, sacraq; fidelium communione indignos iudicauit. Illi autem tam horrendo sacri iudicij fulmine perterriti, nõ amplius quæstionibus, sed verbis & rationibus pecuniam extorquere conati sunt, & virum illum tanquàm innocentem ab omni suspicione criminis absoluerunt. Taliter erat in omnes vir diuinus, nihil dubitans, pro omnium suarum salute sanguinem, si opus fuisset, profundere.

**Tarasius excõmunicat omnes, qui læderẽt eum qui ad Ecclesiam confugerat.**

Eo tempore Constantinus, cùm solus Imperij gubernacula, matris custodia liberatus, administraret, iuuenili temeritate præceps, quidquis sibi licere, quod liberet, existimabat. Hinc effrænata carnis cupiditate insolentior factus, legitima vxore per summum scelus repudiata, aliam voluit ad imperij dignitatem extollere. Quod vt ad aures beati Antistitis peruenit, ille sancta indignatione repletus, constanter restitit, & multis scripturæ locis impium facinus redarguit. Postremò addidit, mortẽ potiùs & grauia subibo supplicia, quàm mea sententia sceleratas nuptias cõfirmabo. Constantinus nihilominùs, falsis excusationibus in medium productis, libidinis suæ intemperantiæ satisfacere voluit, ac tãdem Episcopo nequicquam obtestante, & Dei hominumq; fidem contra execrandum facinus imploráte, ea-

**Constantini Imperatoris peccatũ.**

co

libidinis impetu victus, propriam coniugem sic amandat, & illicito concubitu se cõtaminat. Deindè cùm eadem constantia Episcopum suis aduersari cupiditatibus cerneret, multis certè & grauibus eum iniurijs affecit, & plusquam AEgyptiaca seruitute oppressit ac immani crudelitate in eum eiusque ministros ac familiares desæuijt. Qui ille excelso & infracto planè animo ità permisit, vt nunquã aliquod impatientiæ aut pusilli animi signum vel dicto vel facto ostenderit. Gustauit planè vir sanctus Iobi tentationes etiamsi non in rebus similibus.

Constantinus reijcit legitimam coniugem suam.

Tarasius multa patitur ab imperatore.

Eximia eius fortitudo.

Igitur post plurima certamina, cùm annos viginti & duos Pontificalem cathedram multis virtutibus & eximia sanctitate adornâsset, corporeis solutus vinculis ad immortalitatis gloriam commigrauit: & incredibile sui desiderium vniuersæ ciuitati reliquit. Eo tempore Nicephorus sceptra administrabat, qui tãtum ex sanctissimi illius viri obitu, dolorem conceperat, vt vix vlla consolatione luctum suum moderari posset. Procidebat supra pectus glorioſi corporis, & ipsum tegens purpura, funebrem faciebat lamentationem, eum vocans pastorem, patrem, imperij adiutorem, luciferum, qui nunquàm occidit, reipublicæ ducem, diuinum magistrum, exercitûs inexpugnabile propugnaculum, & inimicorum, sua ad Deum intercessione, strenuum profligatorem. Similiter vniuersus religiosorum cœtus, inter hymnos & psalmos quibus funus prosequebatur, crebris singultibus voces interrumpere cogebatur. Pauperes & egeni patronum suum deflebant. Pupilli & viduæ protectorem, immò parentem suum deplorabãt. Qui in vinculis & carcere tenebantur, lumen ac consolationem suam ab-

Migrat è corpore.

Nicephori dolor, ex obitu viri sancti.

Luctus religiosorum, in funere beati viri.

ablatam esse clamabant. Omnis denique ætatis sexus, multis cum lachrymis corpus sequebatur, donèc in Bosphoro Byzantino, in monasterium ab eo ædificatum, summo cum honore inferetur; vbi in templo omnibus, qui pro Christi nomine sanguinem fuderunt, sacro, reconditum est, multisque admodùm miraculis clarum, certissima sanctitatis suæ signa declarat.

Sepelitur in suo monasterio.

Miracula ad eius sepulcrum.

Erat quædam muliercula sanguinis profluuio grauiter laborans, quæ optimam facultatum suarum partem in morbi illius curatione impenderat. Cumque nullam iam consequendæ salutis spem à medicis sibi reliquam cerneret, ad beati huius auxilium tota fiducia aspirauit, haud dubia sibi persuasione proponens, si conceptum deuotionis suæ studium, ad sanctissimi Tarasij monumentum persoluere posset, se desideratam diù salutem consecuturam. Cùm verò leges monasterij, fœminas ab ingressu sacri illius loci arcerét, illa assumpto virili habitu, pia fraude, sacros loci incolas decepit, & clàm ad egregij illius patroni tumulum confugit, atq; optatam salutem protinùs, hausto oleo, quod in honorem sancti iugiter ardebat, obtinuit. Simili remedio alium quidam laborantem oculum sanauit. Præterea innumerabilis multitudo, quæ graues à dæmone infestationes patiebatur, & claudorũ, cæcorumque, & alijs calamitatibus laborantium, non exiguus numerus, præsentissimum ab eo remedium recepit.

Iam verò etiam aduersus hæreticos, quamuis hinc excessisset, diuina virtute præclarè dimicauit. Leo enim adhuc imperij sceptra administrans, cùm Iconomachorum hæresim mordicùs defendam susciperet, vidit in somnis beatum Tarasium

sium ad se accedentem, & graui cum ira cuidã Michaëli iubentem, vt strictum ensem in viscera eius fortiter vibraret. Ille verò iussui morem gerens, gladio Imperatorem transegit. Hæc visio cũ Imperatorem in summas angustias impelleret, vt visionis veritatem anteuerteret, Michaëlem illũ, in sancti monasterio diligenter inquisiuit: & multomonachos carceribus & tormentis subiecit, dicens: nocturnum eius interfectorem, per eos sibi esse indicandum, quem etiam vt imperij euersorem, extrema quæque passurum fremens minabatur. Cogebat enim metus visionis, vel inuitum monachis cuncta narrare. Vix sex dierum spatiũ intercesserat cùm visionis veritas adimpleta est. Nam Michaël eum interfecit, & sceptra ab eo imperij extorsit, possedit q;. Sed tempus me deficiet, si cuncta præclari & diuini Patris miracula narrare velim; quarè quod reliquũ est, nos eius virtutibus & fide excitati, pari studio & diligẽtia hæresim profligare, & pietatem ac fidem sinceram, contra hæreticorum perfidiam ac rabiem, tueri conemur.

Leo Imperator Iconomachus sub mortẽ quid viderit.

Michaël Balbus, Leonem interfecit.

*VITA ET GLORIOSA PASSIO, S. Nestoris, Episcopi Pergensis, ex ea quæ est apud Surium, ex antiquissimis Martyrologijs. Martyrio occubuit. Anno Christi 254. Sede vacante. Decij Imp. II.*

Vide Cæs. Baron. Ann. Tom. 2.

EX eorum, cælestium planè athletarum, numero, qui Decij tyranni tẽpestate viriliter cõtra vim ac potentiã dæmonum decertârunt: non infimus est beatissimus Nestor; qui Episcopali munere fungens, tanta fide & religione, tanta humilitate & modestia emicuit, vt ipsi etiam Irenarcho vita & conuersatio eius esset for-

26. Februa.

Nestoris vitam etiam Irenarchus veretur.

Martyres in Pamphylia sub Pollione Præside.

midabilis, nec literis tyrannicis apud illum agere, aut illi se opponere auderet. Erat tum in Pamphylia, Præses Pollio, qui Christianos ad edendæ idolis immolata, compellebat. Passi sunt tunc beati martyres Papias, Diodorus, Comon & Claudianus. Porrò Irenarchus communicato cum suo consilio definiuit, Nestorem ante omnes comprehendendum esse, aliter enim, dicebat aduersus Christianos nunquàm præualebimus. Hæc cùm Nestorem minimè laterent, pro commisso sibi grege vehementer solicitus, pro se verò nihili, nocte ac die in domo sua, tanquàm bonus pastor Dominum precabatur, vt gregem à luporũ morsibus præseruaret.

Cingitur ab hostibus, domus eius.

Interim quidam ex ciuibus nequitia & improbitate insignes, domum eius vndiq; circundant, & vnus magnis vocibus Nestorem vocat. Qui completis precibus foras ad eos egressus, ab illis reuerẽter satis submisso capite honoratus est. Quibus Nestor, Ecquænam, inquit, filioli causa est, ob quam huc ad nos accessistis? Responderunt illi. Omnis curia vocat te. Ille itaque signo se crucis

Consignat se cruce.

muniens, placidè admodùm eos sequebatur. Vbi autem in forum ventum fuit, protinus ab omni curia honorificè salutatus, fuit inter alia subsellia, in thronum satis magnificum collocatus. Cùmque Nestor cur isthuc facerent, quæreret: illi responderunt; Facimus hoc pro dignitate; nam tua vita & conuersatio sic meretur. Ille verò, satis, inquit, mihi hactenùs honoris habitum est; dicite iam, cur me accersiri volueritis. Tùm Irenarchus: Nosti, inquit, Domine edictum Imperatoris? & Nestor, Ego, ait, præceptum non Imperatoris, sed omnipotentis Dei noui. Cui Irenarchus

Constanter respondet Irenarcho.

Assentire, inquit, nobis, Nestor, prompto, & tranquillo

millo animo, ne ad tribunal iudicis voceris. Ego verò respondit Nestor, cælestis regis præceptis & voluntati assentior. Tum Irenarchus: Certè, inquit, dæmonium habes. Immò dixit Nestor, vtinam à dæmonibus vos immunes essetis, nec dæmones coleretis. Itanè, inquit Irenarchus, homo importunissime, ausus es Deos nostros dæmones appellare? At ego apud Præsidem efficiam, vt tormentis adactus, eos veros Deos esse confitearis.

Cruce se signat.

Sanctus Nestor, cum crucis signum sibi impressisset, quid tu, inquit, mihi tormenta minaris? Ego neque tua, neque Præsidis tormenta quidquam timeo, sed ea quæ mihi Christus Deus meus minatur. Porrò Irenarchus, Pergam statim, cum Nestore profectus est. In ipso autem itinere martyr, excitato subitò terræmotu, & voce cælitus ad eum dilapsa, mirificè ad certamen est confortatus; adeò vt tribunali Præsidis Pergæ, ab Irenarcho oblatus, vultu oculisque, mirabilem animi fortitudinem declararet. Præses verò, cùm de nomine illum suo percunctatus esset, & ille se Christianum esse, ac Nestoris nomen obtinere respondisset, pone, inquit, dijs thura, & ego te honoribus ac diuitijs auctum, sacerdotum nostrorum principem constituam. Tum sanctus martyr sublatis, cum eximia pietate, ad cælum oculis, cruce se signauit: & conuersus ad Præsidem dixit; Etiamsi varijs corpusculum hoc tormentis subijcias, si vincula, si bestias, si ferrum adhibeas, nunquàm certe adduci potero, vt nomen Domini mei, super omnia benedictum, perfida negatione conculcem.

Ducitur ab Irenarcho Pergam.

Præclara martyris confessio.

His dictis, iussit eum Præses in equuleo suspendi, & crudelissimè torqueri. Nec mora, ministri

Torquetur atrociſſimè.

furore crudelitatis armati, latera ferreis vnguis immaniter ſecant, & coſtas carnibus nudant, ſed martyr tantis tormentis fœdatus, vel potius vnatus, voce iucunda Domino pſallebat, adeò

Inſignis fortitudo.

Iudicem in maximam admirationem & pene in ſtuporem traheret. Cum autem turba horrendis clamoribus, vt eum Præſes è medio tolleret, vociferaretur; Viſne, dixit, Præſes, dijs ſacrificare, & eſſe nobiſcum? an mauis adhærere Chriſto crucifixo ſub Pontio Pilato; Cui ſanctus martyr in Chriſto bene confidens reſpondit; ſceleratiſſime fili diaboli, non modo tu Dei conſpectum non vereris, ſed me quoque ad eandem ſceleris communionem pertrahere conaris? Cum CHRISTO Deo meo ſemper fui, & ſum, & ero.

Crucifixus martyr, cõfirmat Chriſtianos.

Videns itaque Præſes, inſuperabilem animi eius conſtantiam, crucis eum ſententia damnauit. Fuit continuò impiorum manibus cruci affixus, è qua tanquàm è cathedra Chriſtianos docebat, atque in fidei conſtantia confirmabat. Cumque omnes perfuſi lachrymis, ab eius ore penderent, tandem viribus exhauſtus, Filioli, inquit, oremus & flectamus genua ad Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Omnibus autem in genua prouolutis, & ſimul ipſo de cruce orante, cùm dixiſſet, Amen, obdormiuit in Domino.

Vide Cæſ. Baron. Tom. 5. Annal.

*VITA S. PORPHYRII, EPISCOPI Gazæ, ex ea, quam Marcus eius miniſter & familiaris prolixè admodùm conſcripſit. Extat apud Metaphraſten. Claruit anno Chriſti 398. Anaſtaſij Papæ I. Arcad. & & Honor Impp. 4.*

Gaza

GAza ciuitas est Palestinæ, in confinio Aegypti, populo admodùm frequens, & diuitijs clara, sed eo tempore, nefando dæmonum cultu turpiter polluta. Huius ciuitatis sacerdotium, accepit hic noster Porphyrius, Thessalonica oriundus, generis dignitate minimè ignobilis: sed mẽte & rerum cælestiũ amore terrenis honoribus longè maior. Nam cùm vitam omnibus numeris virtutũ absolutam, sibi proponeret, spreto generis & opum splendore, in Scetem profectus, monasticã est ibidem amplexus disciplinã. Cùm verò amore sacra loca visitandi incredibili teneretur, eò abijt, & persoluto pietatis studio, venit ad partes Iordanis, vbi annos quinq;, cum summa vitæ austeritate in spelunca Deo seruiuit; adeò vt ex animia loçorum illorum siccitate, in morbum grauissimum inciderit, & sedem suam indè Hierosolymam transferre coactus sit.

26. Februar. Patria Porphyrij.

Amplectitur vitã monasticam in Scetem. Degit in spelunca.

Accidit, eo tempore, vt ego ex Asia ad terrã sanctam adnauigarem; cumq; loca sacra venerabundus obirem, vidi ibidem sanctum hunc, magno pietatis studio, licèt affecta grauiter valetudine, Domini sepulcrum, & alia loca veneranda visitantem. Quodam autem die, ei occurrẽs, cùm cernerem illum præ nimia corporis debilitate, non valentem progredi, manum ei adiutricem porrexi, atq; vt meis tanquã suis innixus viribus, me famulo vteretur, rogaui. Quod ille planè recusauit, sed crebris suspirijs ingemiscẽs, quòd nondũ se suis, propter Christũ, nudasset facultatib', quereatur. Hoc ergò solo scrupulo cõflictatus, petijt à me, vt Thessalonicam nauigarẽ, & diuisa cũ fratribus (qui ei superstites erant) hæreditate, eam in pauperes erogarẽ. Ego cùm promptũ me alacrẽque ad tam præclarum pietatis opus præberẽ, ac-

Distribuit vir sanctus, omnes suas facultates in pauperes.

cepto mandato abij; & possessiones illius tribus aureorum millibus vendidi, preciumq; pauperibus distribui. Vestes vero, & argentum, & alia mille quadringentos aureos mecum tuli, quæ vt sanctus omnia in pauperes & egenos benignè distribuit, adeò vt ipse quotidiano egens alimento, arte sutoria victum sibi quæreret, & panem gratis oblatum manducare nollet.

Ordinatur presbyter, Porphyrius inuitus.

Cùm hæc ità se haberent, Praylius sanctorum locorum sacerdos, audita vitæ eius admiranda sanctitate, inuitum presbyterum ordinauit, & venerandi ligni crucis custodiam ei concredit. Erat autem Porphyrius annos natus quadraginta, cùm ad sacerdotalem dignitatem inuitus assumptus est; tertio verò sacerdotij sui anno, Aenea Gazæ episcopo, tum vita functo, succedere coactus fuit.

Fit Episcopus Gazæ inuitus.

Adeò namque inuitus eum dignitatis gradum ascendit, vt nullum omninò lachrymandi finem faceret. Tandem cùm Gazæi, longa consolatione dolorem eius mitigassent, acquieuit, & cum reliquis se itineri accinxit. Porrò Gazæi idololatræ, cùm de aduentu noui episcopi, & admiranda vitæ eius sanctitate certiores facti fuissent, suggestione dæmonis, viam omnem (per quam necessariò ciuitatem ingredi debebat) cœno, & graueolentibus herbis, & fumo, & teterrimo odore replerunt: vt ijs fraudibus nos suffocarent, vel quod sanè periculum erat, visum adimerent. Sed nos Christi benè numine tuti, licèt non sine magna molestia, salui & incolumes ciuitatem ingressi sumus.

Idololatrarũ nequitia.

Accidit autem illo anno, extrema quædam terræ illius sterilitas, cuius causam ciues ferè omnes Porphyrio ascribebant; atque vt eum apud populum vniuersum in inuidiam traherent, con-

stanti

tanti rumore diuulgabant, se à Marna responsum accepisse, quòd Porphyrius tantorum ciuitati malorum auctor esset. Cùm autem siccitas quotidiè magis magisque populum affligeret, congregati in Marnæo idololatræ, multis precibus & sacrificijs à Marna suo beneficium pluuiæ postulârunt, sed re infecta tandem abierunt.

Marna idolum Gazensium; est aũs Iupiter.

Tũ verò nos Christiani cũ fœminis & pueris, numero centũ & octoginta, cùm sancto Porphyrio templũ D. Opt. Max. sacrum, indicto prius ieiunio, ingressi sumus, & tota ibidem nocte in precibus triginta, & totidem genuflexionibus, trãsactis, manè, præcedente venerandæ crucis signo, cũ hymnis & canticis, ad antiquam ecclesiã, quæ est à parte occidentali ciuitatis (quã aiunt ædificasse Asclepam episcopum, virũ sanctitatis laude clarum) egressi sumus; indè verò ad martyrium sanctissimi Timothei simili deuotionis studio digressi, preces totidem rursus fudimus, vt squalentem nimia siccitate terram misericors Deus pluuia sua irrigare dignaretur. Postremò autem, cùm precibus iam ex animi sententia persolutis, ciuitatem repeteremus, inuenimus nobis idololatrarum scelere & furore, ingressum, obseratis portis, præclusum esse. Cumque duas ibi horas fletu & gemitibus ageremus, benignus & clemens Dominus populi sui lachrymis & maximè viri sancti precibus ad misericordiam flexus, subitò cælum nubibus texit, & copioso imbre terram inebriauit. Cuius rei miraculum gentiles è mœnibus ac turribus spectantes, portis patentibus, summo cũ gaudio Christianos exceperunt; & multi sublatis vocibus, Christus solus Deus, ipse solus vicit, exclamârunt: ex quibus viri centum

Christianꝰ ieiunio & precibus, pluuiam impetrant.

Multi idololatræ; credũt in Christũ.

tum viginti septem, & fœminæ triginta quinque, pueri verò quatuordecim à veteris vitæ delictis ritè expiati, ad Christum adiuncti sunt. Alijpræterea centum & quinq; eodem anno sacrosanctæ fidei mysterijs, & baptismate initiati sunt.

Porrò alij in sceleribus suis planè obdurati, multis virum sanctum contumelijs & probris afficiebant, & intolerabili odio Christianum nomen prosequebantur. Porphyrius verò die noctéq; pro eorum conuersione preces ad Dominū fundebat. Habebat vir sanctus ministrum quendam Barocham nomine, virum incredibili fidei ardore flagrantem, & sanctitatis etiam opinione celebrē, qui grauia multa ab idololatris frequenter sustinuit. Is cùm die quodam in vicum ad quēdam idololatram profectus esset pro canone Ecclesiastico, & impius ille canonem tradere differret, factum est, vt Barocha verba cùm eo commutare cogeretur. Qui furore mentis prouocatus agricolas quosdam sui similes aduocauit, & Barocham clauis tam acriter contudit, vt semiuiuū extra pagum in solitudine reliquerit. Alio die, contigit singulari Dei benignitate, vt Cornelius diaconus cum alijs duobus Christianis eò iter haberet, viso Barocha mirati sunt, impositumque humeris suis in ciuitatem importârunt. Verum gentiles arbitrati eum esse mortuum (neq; enim fas erat mortuum in ciuitatem inferre) in furorē versi Barocham humeris Cornelij excussērunt, & grauissimis eum & reliquos duos plagis afficerunt.

Historia Barochæ S. Porphyrij ministri.

Interim dùm hæc fiunt quidam fratres renunciant beato Episcopo; qui conturbatus eò ire festinauit & verbis blandissimis Barocham è furibundi populi manibus, & ab imminenti mor-

à periculo liberare conabatur; fecitque tandem, multis ipse oneratus contumelijs, vt idololatræ Barocham à suis in ecclesiam abduci paterentur; in qua vir sanctus assiduis lachrymis & precibus, pristinam illi à Domino sanitatem obtinuit. Non multò pòst, Defensor populi, ingenti hominum stipatus caterua, nouo rursus furore in Christianos inuectus est, clamans & dicens: patrias leges ab illis nefariè esse violatas, quòd mortuum in ciuitatem inducere præsumpsissent. Hæc cùm minitando & clamando diu repeterent, & episcopus solita benignitate, eos à furore, ad lenitatem ac modestiam, nequicquam inducere conaretur, Barochas diuino zelo excitatus surrexit, & arrepta, quam sors offerebat, fuste, omnes in essusam fugam compulit, ac tanto terrore compleuit, vt nullo modo à metu & fuga se colligere possent. Ab illo igitur tempore, virum illum sanctum & defensione fidei flagrantem, timuerunt idololatræ: neque vlla deinceps molestia, afficere ausi sunt.

Porphyrius impetrat suis precibus Barochæ sanitatem.

Barochas fuste impios idololatras in fugã vertit.

Porphyrius autem cùm totis viribus nefariam idololatrarum superstitionem delere conaretur, direxit me ad sanctissimum Episcopum Constantinopolitanum, vt is auctoritate & gratia, ab Imperatore Archadio impetraret, vt Gazæ simulacrorum templa diruerentur, & glorioſa Christi trophæa omnibus palàm adoranda proponerentur. Egò verò profectus, rem ex animi sententia confeci, & cum edicto Imperatoris lætus domum remeaui. Aegrotabat eo tẽpore Porphyrius, & ex animi idololatrarum afflictione in febrem inciderat, qui tamen ex meo aduentu, & prospero rerum successu, protinus pristinæ sanitati restitutus est. Statim itaq; exhibito Imperatoris edicto, ido-

Templa idolorum, Gazæ, clauduntur.

lorum templa, euersis simulacris, clausa sunt. Impia tamen gens Marnæ simulacrum latenter consuluit: & paulò pòst ad nefaria sacrificia maiore studio ac contentione redijt; quæ res cùm Porphyrium latere non posset, omnibus modis operam dedit, vt ab ea impietate, gentẽ liberaret, neque vllam rei feliciter perficiendæ occasionem neglexit.

Mulier parturiens, grauissimè periclitatur.

Accidit eo tempore, vt mulier quædam Aelia nomine, natalium sanè splendore illustris, periculoso valdè partu conflictaretur; adeò vt foetus nulla obstetricum industria, ex materno vtero educi poterat, nisi viuus infans medicorum cultris (quæ vnica tantùm ars reliqua erat) secaretur, ne conflictantem cum intolerabilibus cruciatibus matrem, simul vnà secum extingueret. Septem iam dies in his doloribus exegerat, quibus parentes & cognati dæmonum superstitioni supra modum dediti, infinita sacrificia pro salute filiæ immolauerant. Vnica inter omnes erat nutrix, sacrosanctis fidei nostræ mysteriis initiata, quæ maxima animi ægritudine affecta, in Christianorum oratorio, cum multis lachrymis preces fundebat; hæc die quodam Porphyrium ingressa, supplex rogauit, vt precibus suis periclitanti mulieri opẽ aliquã adferret. Tùm Porphyrius, cùm probè nosset totam illam familiã, (quæ erat sanè amplissima) cùm horrẽdo nefandissimæ superstitionis cultu miserè conflictari, cernens sibi præclaram conuersionis eius occasionem oblatam; Vade, inquit, ad nutricem & acceptã priùs ab omnibus fide, quòd relictis simulacris ad Christum transibunt, dic cõfidenter parturienti mulieri coram omnibus; sanat te Iesus Christus filius Dei viui; crede in ipsum, & viues.

Porphyrius liberat mulierem, à periculosissimo partu.

Na-

Nutrix accepto hoc mandato domum cucurrit, & mulierem in extremo iam vitæ periculo constitutam inueniens, & reliquos omnes luctu lachrymisq; fœdatos, clamauit: Bono animo estote. Ego enim missa à medico præstantissimo, iã protinus filiæ vestræ salutẽ promitto, si data fide, spondere velitis, ea vos præstituros, quæ postulauerit. Illi his auditis, ad eam pariter accurrunt, & omnes facultates se daturos spondent, & quidquis deniq; aliud facturos, si modò filia ab impendente mortis periculo liberata, infantem viuum ederet. Tum nutrix voce maxima coram omnib. dixit, Iesus Christus filius Dei viui te curat, crede in eum & viues. Vix hæc nutrix effata erat, & statim cum magno eiulatu mulier fœtum effudit. Omnes autem qui præsentes erant exclamarunt; Magnus est Deus Christianorum: Magnus est Sacerdos Porphyrius. Atque hi fine mora, numero omnes sexaginta quatuor, Christo nomina sua gratulantes dederunt.

Multi accedunt ad Christi religionem.

Idololatræ autem cùm hoc prospero rerum Christianorum successu, acriori inuidia stimularentur, CHRISTI fideles quibuscunque poterant iniurijs, clàm, palàm, afficiebant; quòd vir sanctus Porphyrius diutius non ferendum, propter infirmiora membra, putauit. Quare Constantinopolim ad Iohannem Chrysostomum nauigauit, vt pariter iunctis viribus ab Imperatore nouum edictum impetrarent, quò & impiam superstitionem internecione delerent, & quotidianas iniurias à Christianis omnib. propulsarent. Fuerunt viri sancti ab Eudoxia summo cum honore ac reuerentia excepti, & donis etiam muneribusque affecti. Illa enim cùm esset pietatis ac religionis studio valdè dedita, magnam ex

Porphyrius proficiscitur ad Iohannem Chrysostomum

Excipiuntur Porphyreorum

gius & Iohānes, ab Eudoxia Imperatrice honorificè.

eorum præsentia & diuinis sermonibus lætitiam hauriebat; & benignè postulata concessit; Arcadiumque maritum importunis precibus tamdiu fatigauit, donec Cynegium quendam virum primarium cum potestate summa, Gazam mitteret, qui simulacra omnia euerteret, & debitas de sceleratis idololatris pœnas sumeret.

Templa simulacrorū Gazæ.

Erant in ciuitate publica simulacrorum templa octo; nempè Solis, Veneris, Apollinis, Proserpinæ, Hecates, Hierion, seu Sacerdotum, Fortunæ ciuitatis, quod vocabant Tycheon, & Marnion, quod dicebant esse Critæ generis Iouis, eratque omnibus reliquis gloriosius. Erant præterea alia plurima in ædibus & pagis simulacra, quæ omnia decem continuis diebus Cynegius cum militibus suis euertit, vno tantùm Marnio excepto quod idolorum sacerdotes summa vi, obstructis ingenti lapidum aceruo foribus, tutati sunt.

Delubra dæmonū euertuntur Gazæ.

Dum hæc autem geruntur, Porphyrius Episcopus consilium habuit, quidnam potissimum de Marnio statuendum esset. Alij enim dicebant illud debere effodi; alij autem comburi, alij locum purificari, & ad Dei ecclesiam sanctificari. Igitur cum in diuersas sententias, alij atque alij multis rationibus traherentur, Episcopus indicto omnibus ieiunio diuinam mentem consulendam statuit. Cumque diem vnum ieiunio & precibus consecrassent, & vesperè ad sacram synaxim omnes pariter conuenirent, eccè puer quidam annos natus septem, lingua Syriaca exclamauit dicens; Comburite intus ad solum vsque templum, facta sunt enim in eo multa grauia, & maximè hominum sacrificia; quarè flammis illud exurite. Picem humidam, sulphur, & seuum porcinum adferte, & æneas portas inungite, ignemque subijciæ

Ieiunio & precibus quid non obtinetur à Deo?

scire. Testificor vobis coram Deo ne aliter fiat.

Cùm voces hæ ad aures Episcopi peruenissent, admirans vehementer, sublatis ad cælum manibus Deum glorificauit; & vt certius cognosceret, ne fortè aliorum fraude puer instructus talia clamasset, eum ad se adduci iussit. & acriter illi productis virgis minatus est ni diceret, cuius instinctu voces illas edidisset; At puer cùm ne verbulũ quidem responderet, & strictissimum diu silentium, minitante nequicquam episcopo, seruasset: eadem lingua Græca (cuius planè tam ipse quàm parentes expertes erant) easdem voces repetiuit, templum comburendum esse ex Dei voluntate constanter pronunciauit. Tum episcopus nihil cunctandum esse ratus, allata pice ignem Marnio iniecit, & fanum exussit; & nouum ibidem, insigni opere in crucis figuram formato, templum extruxit: resque Christianorum doctrina & sanctitate mirum in modum promouit. Porrò non est hoc loco silẽtio prætereundum, insigne quoddam miraculum, quod eo tempore quo noua ecclesiæ fabrica construebatur, accidit.

Puer loquitur.

Græcè loquitur, cum nunquam didicisset.

Extruit nouum templum Porphyrius.

Sunt intra sacrum templi ambitum putei quidam, è quibus vnus immensæ est profunditatis. In hunc tres pueri ludibundi, subito casu decidẽrũt; ita vt ab omnibus pro certo extincti putarentur. Vndè magnus populi eiulatus totam ferè ciuitatem compleuit, atque ad aures quoque episcopi peruenit, qui statim concitò gradu ad puteum abijt. & facto silentio, ardentissimas preces multis cum lachrymis ad Dominum pro salute puerorum fudit. Tandem hora vna in precibus exacta, iussit quendam per funes in puteum descendere, vt pueros extraheret. Nemo non certo certius pueros iam aquis suffocatos esse putabat; cùm

Tres pueri cadunt in puteum.

ecce

Vide insigne miraculum.

eccè pueri illæsi planè ac salui lapidi prægrandi insidentes inuenti sunt. Tum clamor & lætitia orta fuit, & Christiani cum canticis & hymnis confluentes, diuinam potentiam ac bonitatem debitis laudibus celebrarunt. Augebat enim, miraculum lætitiæ magnitudinem, quod singuli in membris suis, crucis effigiem pulcherrimè expressam haberent. Vnus quidem in media fronte, alius autem in dextera, circa digitos: alius verò in humero dextero. Quæ res multos idololatras ad Christi cognitionem perduxit.

Signa crucis impressa' pueris; diuinitus.

Illo autem tempore venit in ciuitatem, mulier quædam Antiochena, pestifera Manichæorum hæresi infecta, quæ per summam simulationem pietatis, & fictum veræ fidei amorem plurimos eodem veneno infecerat, & in perniciem sempiternam pertrahebat. Quod cum episcopus accepisset, vocatam ad se mulierem multis rationibus & infinitis sacræ scripturæ locis ab eo errore ad synceram Catholicæ fidei integritatem adducere conatus est. Sed illa, inani quadam prudentiæ opinione inflata pertinaciter restitit, & temeritate loquendi præceps, multas blasphemias euomuit. Tum episcopus, cùm illam furore quodam mentis salutaria dogmata contemnere, & in perditionem ruere ac alios similiter in eandem pellere cerneret; Deus, inquit, linguam tuam percutiet, & blasphemum os obstruet, ne amplius loquatur iniqua. Vix sententiam vir sanctus protulerat cùm protinus supplicium sequutum est. Statim enim tremere vehementer cœpit, & linguæ officio priuata, postea in morbum incidit, à quo nunquam conualuit, sed ad tenebras sempiternas ex eo deuoluta est.

Iulia nomine.

Iulia Manichæa, Gazæ quosdam corrupit.

Vltio diuina corripit mulierem.

Porrò Episcopus, cùm iam templo ex animi senten-

intentia perfecto (quod Eudoxianum appellari voluit propter insignem Imperatoris Eudoxiæ liberalitatem, quam in eo construendo præstiterat) res Christianorum in tuto collocasse viderentur, totum se ad pauperum inopiam subleuandam contulit. Erat enim summè misericors, & vix vnquam ad conspectum calamitosi alicuius lachrymas continere poterat. Vndè cuiuis mendico tam ciui quam peregrino quotidiè sex obulos dari præcipiebat, præter ea quæ ipse per se, in vestitu, argento & auro, vnicuique dignitati suæ conuenienter præbebat. Sacro autem quadragesimali tempore, totis quadraginta diebus decem obulos vnicuique pauperi assignauit, quam etiam eleemosynam testamento sempiternum confirmauit.

Templum ab episcopo Gazæ constructū, Eudoxianum appellatum.

Interea cum rebus hoc modo constitutis summa pace Christiani frui viderentur; idololatræ vzi inuidia stimulante maximè propter templi magnificentiam (quod omnium, quæ eo tempore erant, maximum celeberrimumque esse dicebatur) nouos quosdam tumultus concitârunt, in quibus Episcopi domum (ipso sibi fuga consulente) despoliârunt, ac diripuerunt omnia, quæ illic forte inuenta. Postquam verò Proconsulis diligentia tumultus sedati, & idololatræ debitis ab eo supplicijs affecti fuêre, Sanctus Porphyrius paucis post annis superstes, in morbum incidit, & multis virtutibus ac miraculis clarus, anno episcopatus sui vigesimo quarto ad Dominum migrauit.

Idololatræ Gazenses, nouos tumultus excitant.

S. Porphyrius decedit.

VITA

## VITA S. ANDRONICI ET EIVS CONIVGIS Athanasiæ, ex ea quæ est per Simeonem Metaphrastem.

Claruit Anno Domini 320. & sequentibus teste Cæsare Baronio Annal. Tom. 4. 27. Februar.

IN diebus Theodosij magni Imperatoris, erat in ciuitate Antiochia iuuenis quidam argentarius nomine Andronicus, pietate & bonorum operum gloria illustris; qui vxorem accepit pari pietate præditam Athanasiam nomine; filiam Iohannis argentarij. Porro cum vterque ampliſſimas à parentibus obtineret facultates, eas in tres partes hoc modo partiti sunt; vt primam in subleuanda pauperum inopia reseruarent; secundam Monachorum, eorumq; qui diuinis rebus operam dabant, necessitatibus deputarent; tertiam verò in propriæ familiæ educationem prudenter ac moderatè expendebant. Andronicus autem, postquã duas ex sua coniuge proles (quarum vni Iohanni; alteræ verò Mariæ nomen erat) susceperisset, sese deinceps cum summa vxoris voluntate, ab omni carnis cupiditate continuit, & tota mente ad pietatis studium contulit, atque ad absolutam virtutum perfectionem aspirauit.

Adronici & Athanasiæ pietas.

Facultatum distributio.

Viuunt continenter in matrimonio.

Non multo post accidit vt vtraque proles eiusdem vno acerrima febre correpta, vitam cum morte commutaret, & insignem parentibus mœstitiam inferret, & ipsa denique ciuitas vniuersa (cui Andronicus propter eximiam modestiam & animi mansuetudinem valdè charus erat) ea de causa in luctu & squalore versaretur. Athanasia autem tantum ex morte vtriusque dolorem conceperat, vt longioris vitæ tædio victa, violentas sibi manus adferre vellet. Erat extra vrbis mœnia celeberrimum S. Iuliani martyris templum, in quo

Proles moriuntur.

Athanasiæ dolor ex morte prolium.

parentes

parentes eorum quieſcebant, & tunc etiam in idem monumentum funera liberorum ſuorum intulerant. Ab eo Athanaſia nullis rationibus ſe uelli patiebatur, ſed lachrymis tota & luctu deformata, die ac nocte orbitatem ſuam ibidem deplorabat. Cõtigit autem media nocte, quòd Martyr Iulianus in habitu monaſtico ei appareret, & aſperis ſanè verbis eam increpans diceret; Quid nos hic quieſcentes moleſtia afficis? Quid infantum obitum veſana mente deploras? Satius certè foret quod tua peccata defleres. Dico enim tibi mulier, quod qua benignitate conditor Deus creaturis ſuis neceſſaria vitæ alimenta largitur; eadem planè tuis pueris, quos terrenis bonis priuauit iam largitus eſt. Et ſicut olim fame afflicti, à te cibum poſtulare ſolent, ita nunc à Chriſto Domino panem cæleſtem in regno cælorum poſtulant, accipiuntque.

Iulianus martyr ei apparet.

His auditis, Athanaſia à luctu & lachrymis ad gaudium & exultationem conuerſa, retulit marito, quæ, nocturna in templo viſione, acceperat, & ait; Reuera Domine mi, ſi me audis, facies mihi poteſtatem monaſterium ingrediendi, vt mente & corpore caſta, reliquum vitæ meæ tempus, in Chriſti ſeruitio ſedulo peragam. Cui Andronicus benignum cum gaudio præbens aſſenſum, vocato ad ſe ſocero omnes tradidit facultates, mandauitque, vt ex ijs Noſocomium & Xenodochium monachorum conſtrueret; deindè omnibus ſuis ſeruis manumiſſis, relicta domo, relicta terra & cognatione, ſvna cum coniuge profectus eſt, ad patres in Scetem, ad Danielem Abbatem virum ſanctitatis, & prudentiæ opinione celebrem, qui eos cum gaudio excepit, & ſalutaribus monitis, aliquamdiu inſtructos, Athanaſiam quidem in monaſterio

Nudant ſe omnibus ſuis facultatibus.

Andronicus proficiſcitur ad patres in Scetem cũ coniuge ſua.

nasterio Tabennesiotarum collocauit: Andronicum verò monastico indutum habitu, sub sua disciplina militare permisit.

Post annos autem 12. quibus strenuè in omni vitæ sanctitate Christo militauerant, ingens desiderium sacra loca visitandi inuasit Andronicum. Neque difficulter Abbas Daniel potestatem ei dedit loca sacra reuerenter obeundi; quin data benedictione, eum lubens dimisit. Contigit autem dùm iter per Aegyptũ haberet, & sub spina fessis animum ab æstu Solis & laboris nonnihil recreare vellet, vt vxor eius virili induta habitu, eò ad loca sacra iter quoque faciens transiret, & in cõiugem suum ignota incognitum incideret. Cumque mutua se salutatione honorassent, placuit eis vt simul in silentio tamen, iter facerent, & sacra loca visitarent. Quæ postquam summa cum reuerentia lustrassent, & pio suo desiderio fecissent satis, tanta inter eos beneuolentiæ & amoris magnitudo creuit, vt alter ab alterius complexu familiaritate auelli se non pateretur. Placuit igitur ex sanctorum patrum auctoritate & consensu, vt simul in eadem cella degentes, mutuis se obsequijs & salutaribus monitis fouerent, atque ad omnem vitæ perfectionem alter alterum incitaret erudiretque. Neque enim quisquam eorum qui in Scetem, & vicinis locis habitabant, eos coniuges esse nouerat, immò nec ipse Andronicus, vel tenui aliqua suspicione eam esse Athanasiam consequi poterat, vsque adeò pristinam corporis pulchritudinem ieiunijs & vigilijs fœdauerat.

Andronicus visitat loca sacra.

Andronicus non nouit vxorem suam.

Habitant simul, nec tamen Andronicus coniugem vnquã agnouit.

Postqam verò Alexandriæ alios ferè duodecim annos simul in eodem habitaculo, in omni vitę sanctitate ac castimonia exegerant: Athanasia mulier

multis & assiduis pœnitentiæ laboribus exhausta, in morbum incidit. Andronicus verò cum incredibili eam amore (quam tamen virum esse credebat) complecteretur, & mortis ei periculũ imminere cerneret, concito gradu ad sanctum Menam profectus est, vt Senem monachorum patrem indè secum ad Athanasiam cum mortis iam doloribus conflictantem, adduceret. Venit ille, & lachrymantem Athanasiam, inueniens; Athanasi, inquit, abba ecquid est hoc quòd, expleto iam laborum tuorum curriculo, cum merces tibi amplissima in cælis constituta sit, lachrymaris? Cui Athanasia non, inquit, hoc deploro, ò venerande senex, sed Andronicum vnum mihi omnium in vita dulcissimum. Sed quæso te, vt postquam corpusculum meum terræ tradideris, schedulã, quę modò sub capite meo requieuit, illi tradere digneris. Hæc cum dixisset, suauiter in manus creatoris sui spiritum efflauit.

Athanasia abit ad Christum.

At verò cum ad exequias ingens monachorum turba de more confluueret, inuenta est Athanasia vera fœmina. Quod vt celebri rumore diuulgatum fuit, fœminam scilicet incredibili planè virtute, & naturæ fragilitatem continentia & duritie, vitæque austeritate Patres etiam sanctissimos superasse; omnes Lauræ Alexandriæ, & vniuersa ciuitas, & omnes denique monachi Scetæ, cum ramis & palmis conuenerunt, & venerandas reliquias summo cum honore ac gaudio extulerunt. Andronicus autem non multò post coniugem suam felici agone sequutus est.

Honorificè sepelitur.

## *MARTYRIVM SS. IVLIANI, EVNI, Besæ & Macaris, qui idipsum consummárunt anno Christi 253. Decij Imp. 1. Sede vacante. Ex eo quod extat apud Cæsar. Baron. Tom. 2. Annal. Ecclesiast.*

27. Februar.

DEcius Imperator, vt initio clementia & humanitate suorũ, sibi animos conciliare est visus, ita paulò post animo planè immutatus, minis & edictis crudelissimis, in Christianos præcipuè sæuire non destitit. Nam diuulgato edicto, tanta rabie & crudelitate in nomen Christianum debacchatus est, vt tempus illud adesse videretur, q̃ Dominus futurũ prædixerat, in quo electi etiam, si fieri posset, in errorem inducerentur. Omnes namque metu perculsi obstupescebant, atque ex illis, qui cum dignitate, tum diuitiarum affluentia præstare videbantur (qui quidem non pauci erant numero) nonnulli timore perterriti, dijs se vltrò colendis offerebant; alijs priuatis ædibus in publicum raptati, ad delubra à magistratibus ducebantur; multi vicinorum suasu eò pellicebantur; qui quidem nominatim euocati, ad impura & profana eorum sacrificia se conferebant.

Decij crudelitas in Christianos.

Mathæi 24. Marci 13.

Lapsorum ingens numerus.

Horum autem non pauci, quasi minimè esset sacrificaturi, sed illi ipsi potius victimæ & sacrificia idolis futuri, pallore exalbescebãt, & formidine attoniti obstupescebant, adeò vt à frequente populi turba, quæ circũsistebat, dum se omnibus perspicuè patefaciebant, cũ ad moriendũ tum ad sacrificandũ eadem timiditate esse affectos, risui & ludibrio haberentur. Alij paratius ad altaria procurrentes, duro ore & impudenti, constanter asseuerabant, se nunquam cum Christianis legibus

legibus commercium habuisse, de quibus verissima illa Domini est sententia: Diuitem difficulter posse saluari. Ex reliquis, qui tenuiores erant, magisq; obscuri, pleriq;, vtrumq; istud hominum genus quod postremò posuimus imitabantur, Alij fugam capessebant, comprehendebantur a- Matth. 19.
lij atque ex prensis multi in vincula & carcerem tradebantur: ibidemq; multis inclusi diebus, tandem antequam ad tribunal accederent, Christum impiè eiurabant. Quidã tormentorum pericula fortiter subeuntes, ad extremum turpissimè succumbentes fidem pernegabant.

Cæterùm qui Domini erant, tanquam firmæ & beatæ columnæ, eius ope & gratia roboratæ, fidei firmitati, quæ in eorum animis penitùs insidebat, ires ac tolerantiam aptè & appositè respondentem adepti, admirabiles & insignes eius regni martyres & testes facti sunt. Quorum primus erat Iulianus, homo podagræ doloribus adeò oppressus, vt neque incedere, neque pedibus consistere posset. Hic cum alijs duobus qui eum gestabant, ad iudicem adducitur, quorum alter extemplò fide per summum scelus abiurata, ad dæmonis castra transfugit; alter verò nomine Cronion cognomento Eunus, & senex ipse Iulianus Dominum ingenuè sunt confessi, ac triumphum de hoste egerunt clarissimum. Iuliani Confessio & virtus inter lapsos egregiè emicat.

Eunus famulus Iuliani manet constans in fide Christi, altero in perfidiam labẽte. * Alexãdriã. Iulianus cũ Euno famulo viuus cremat us.

Nam per totam vrbem*, quæ certè amplissima est, camelis insidentes deducti, & ità sublimes verberibus cæsi, tandem immenso quodam rogo & supra modum exardescente, hominum multitudine vndiq; circumfusa, combusti sunt. Cumq; ad locum supplicij adducerentur, miles quidam nomine Besas, illis interdum opem ferre, & ijs, qui contumelia eos afficiebant, ex aduersò resi-

fistere laborabat. Quod cum populus furibundo clamore ægrè ferret ilicò indè abreptus, ad instar in præclaro illo prælio pro Domino fuit pro, tanquam fortissimus Dei bellator, strenuè viriliter se gerens, securi demum percussus est.

Resas miles, dum martyres tutari nititur, securi demum percutitur.

Alius quidam genere Afer, qui & appellatione Macar, & ob vitam quam diuinæ gratiæ subsidio degisset, verè Macar, id est, beatus fuit, cum ad fidei negationem, iudice eum ad eam rem magnoperè cohortante, adduci non posset, viuus crematus est.

Macar stabilis in fide perseuerás, viuus comburitur.

## *VITA SS. LVPICINI ET ROMANI*

*Abbatum, ex ea quam D. Gregorius Turonen. Episcopus scripsit, Excoluerunt hi Sancti monasticam vitam, temporibus Chilperici Regis Francorum, circa annum Domini 565. sub Pelagio Pap. II. Iustino Iuni. Imperante.*

Vide Cæs. Barō Tom. 7. Annal. & not. in martyr. Rō.

LVpicinus & Romanus germani fratres, eximij à teneris pietatis cultores, cùm ætate iam perfecta, & maximarum artium cognitione imbuta, ad suscipienda matrimonij vincula à parentibus cogerentur, non mediocri animi dolore affecti sunt: propterea quòd firmiter sues apud animos constituerant, illibata & corporis & mentis integritate diuinis se rebus mācipare. Sed cū genitor importunitate maxima instaret, & Lupicinū natu maiorē ad nuptias impelleret, ipse nè qua in re patris animum rebellione offenderet, sponsali quidē vinculo alligari se passus est, sed re vera tota mente à carnali copula abhorrebat. Romanus verò nuptias constanter semper refutauit.

22. Februar.

Lupicinus cogitur ad nuptias. Romanus eas respuit.

Parentibus verò felici morte ex hoc seculo sublatis, communi consensu Lorensis eremi opa-

ca

ta lustrantes (quæ inter Burgundiam & Alemaniam sita Auenticæ adiacet ciuitati) placuit, vt fixa ibidem tentoria figerent, victumque solis herbarum radicibus quærerent. Neque segniter rem aggressi, prostrati solo, Dominum diebus singulis cum psalterij modulamine deprecabantur. At verò humani generis hostes liuore contra eos maximo concitati, primùm insidias struere, vt ab arduo sanctissimæ istius vitæ instituto depellerent. Sæpè tantas tamq; acres eorum infestationes patiebantur, vt immensis dolorum cruciatibus torti, domum paternam repetere cogitarent; ac tandem & ætas immatura quotidianis victa iniurijs cessit & eremum deseruit.

Petunt eremum.

Relinquunt eremum, ob dæmonum infestationes.

Intereà cum relicto solitudinis habitaculo, ad villas propinquiores veniissent, & pauperis cuiusdam mulierculæ domum hospitandi gratia ingressi essent, cœpit illa virorum istorum habitum, & vultuum maciem ac squalorem admirata, de itineris & vitæ ratione multa inquirere. Qui cùm non sine confusione rem totam per ordinem panderent, ait illa; Oportuerat certè vos virtiliter contra inimici insidias decertare, nec vllas eius fraudes vel inimicitias formidare: & dubio procul, præclaram tandem de eo victoriã adepti fuissetis. His auditis rubore summo propter ignauiam suffusi sunt; & paululum à mulíere seorsùm digressi, mutuis se sermonibus ad repetendum certamen corroborarunt; sumptisq; in manu bacillis, armati vexillo Crucis, ad eremum regressi sunt; in qua multo tempore consueras dæmonum insidias, ac lapidum ictus sustinentes, tandem Dei auxilio superatis inimicis, expediti perseuerârunt.

Citò ad eremum redeunt, & vincunt dæmones.

Tum verò turbæ paulatim ad eos confluere & salutaria monita postulare cœperunt; quibus tanta virtute & suauitate pabula salutis ministrarit, vt eandem vitæ societatem cum ijs omni tempore expeterent. Quarè viri illi sanctissimi, qui omnium saluti consultum cupiebant, succisis syluis, & in plana redactis, monasterium construxerunt, in quo ita Deo ac pietati vacabant, vt proprijs sibi laboribus victum quærerent. Tantus autem feruor loci illius proximos, breui inuasit, vt alijs atque alijs ad idem vitæ institutum confluentibus, priori monasterio aliud quod erat eo amplius, adijcere cogerẽtur; ac tandem etiam secundo tertium, quod & commoditate & amplitudine priora longè superabat. In his frequens satis monachorum numerus in omni sanctitate ac seueritate disciplinæ degebat; quorum omnium Lupicinus Abbas, curam tam animæ quàm corporis habebat. Cùm autem die quodam extrema rei familiaris inopia laboraret, neq; haberet vndè tantam multitudinem sustentaret, fuêre illi thesauri quidam antiquitùs in eremo reconditi, diuina reuelatione ostensi; è quibus annis plurimis, coëmpto cibo, fratres alebat, & sanctam congregationem conseruabat.

Construunt tria monasteria.

Reuelantur ei thesauri absconditi.

Factum est autem, vt quodam tempore Lupicinus fratres ex officio visitans, inueniret in domo quadam, magnum ferculorum apparatum, & piscium multitudinem; vndè commotus, cunctos quos parauerant cibos, tam pisces, quàm olera, in vnum congessit, aitque; De his pultibus reficiantur fratres; non delicijs vacent, quæ mentem à diuino impediunt officio. Tunc viri duodecim habito consilio, locum reliquerunt; & iracundia in-

flammati statuerunt, ad relicta semel mundi oblectamenta redire.

Interea cùm per deserta vagantes, AEgyptum mollas carnium inquirerent, Romanus, qui per visum rem totam cognouerat, sine mora Lupicinum adijt, atque modo & ratione disciplinæ patrum prudenter institutæ, acriter reprehendit, dicens: Profectò satius foret, te nunquam fratres accedere, si eos verborum austeritate dispergere, & non potiùs lenitate colligere, atque in officio continere potes. Lupicinus verò cùm contra disereret, & se paucorum expulsione reliquorum saluti egregiè prospexisse, & paleas à tritico separasse diceret, Romanus eo relicto ad Dominũ confugit, & vi lachrymarum in oratione profusa obtinuit, vt illi (qui iam cæca mente, in abrupta vitiorum præcipitia ruebant) salutari dolore compuncti ad mentem redirent: & singuli sibi monasteria (quæ vsq; in hodiernum diem in Dei laudibus perseuerant) construerent. Romanus autem summa diligentia infirmorum curam suscepit, & nutantia in virtutis certamine corda, oratione sua confirmabat.

Romanus, Lupicinum reprehẽdit.

Eccè quanta orationis virtus.

Factum autem est die quodam, dum sedulus fratres visitaret, vt ingruentibus noctis tenebris, ad hospitium quoddam leprosorum diuertere cogeretur. Erant in eo nouem viri lepræ morbo miserè deformati: quorum pedes insigni charitatis officio postquàm lauisset, omnes in stratum vnum nocte illa quiescere voluit. Illis autem alto sopore depressis, vir sanctus extensa manu, corpora singulorum tetigit, & luridæ lepræ maculas mira virtute fugauit.

Romanus sanat leprosos.

Lupicinus autem deuecta iam ætate, Regem Chilpericum (qui tunc Burgundiæ præerat) ac-

Nota rem miram.

cessit; ad cuius ingressum Regis cathedra (qui ille fortè ad conuiuium residebat) intremuit. Vide Rex non mediocriter perterritus: Terræmotus, inquit, factus est. Alijs autem respondentibus, nihil se commotionis sensisse, Citò, inquit, quamcyùs ad portam occurrite, nè quis fortè nobis nociturus adsit. Neq; enim sine causa hæc cella contremuit. Qui protinùs concurrentes, offenderunt senem in veste pellicea, quem Regis ipsius conspectibus obtulerunt. Cui Rex, Quis, inquit, es? vndè venis? & quæ te necessitas nostra adire palatia compulit? Ille, verò, Sum, inquit, Dominicarū ouium pater, quas cùm Dominus spiritualibus cibis iugi administratione reficiat, corporalia eis interdum alimenta deficiunt; Ideoq; petimus vt ad victûs vestitûsq; necessaria aliquid tribuatis. Rex hæc audiens, agros & vineas amplissimas ad eorum necessitates statim deputauit: quas vir sanctus admittere planè recusauit. Neq; enim decet, dicebat, monachos mūdanis extolli facultatibus, sed in humilitate cordis Dei regnum iustitiamq; eius exquirere. At Rex hæc verba admirans, præcepit aulæ suæ ministris, vt annis singulis trecentos modios tritici, eodemq; numero mensuras vini, ei traderent: ac centum insuper aureos ad comparanda fratrum indumenta darent. Quod usq; nūc à fisci ditionibus capere referuntur.

Lupicinus agros & vineas, à Rege Chilperico oblatas, non vult recipere.

Moriuntur senes.

Post hæc senes ætate pariter ac virtutib. prouecti, beato fine ad immortalitatis gloriam commigrārunt. Et quidem Romanus cùm à fratre, quo in monasterio sibi sepulcrū fieri vellet, quæreretur, respondisse fertur; Nosti frater, Dominū singulorem mihi seruo suo curationis gratiam cōcessisse, multosq; per manuum mearum impositionē ac crucis Dominicæ signum à varijs languoribus et-

reptos esse; ideoque in monasterio, à quò mulierum accessus arcetur, collocari non debeo, nè fœminas à consuetæ benignitatis gratia, post mortem meam, excludere videar. Quarè funus eius elatum fuit, atque eminùs à monasterio in monte paruulo sepultum; cuius paulò pòst monumentum celebri admodum noui templi structura honoratum fuit, & miraculorum maximorum virtute clarum euasit. Lupicinus verò intra monasterij basilicam sepultus, reliquit Domino multiplicata concreditæ sibi pecuniæ talenta, id est, sanctã optimorum fratrum congregationem diuinis virtutibus florentissimam.

Monumentum Romani miraculis clarum.

# MARTIVS.

## VITA S. ALBINI, ANDEGAVENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Vide Cæs. Baron. Ann. Tom. 7. & notat. in martyr. Rom.

*Ex ea quæ est per Fortunatum Presbyterum. Interfuit hic Concilio Aurelianensi tertio, habito Anno 26. Childeberti Regis Francorum, Anno à Christo 540. Vigilij Pap. 1. Iustiniani Imp. 14.*

BEATISSIMVS Albinus Veneticæ regionis, claro admodùm stemmate natus generis nobilitatẽ maximis virtutum ornamẽtis egregiè ampliauit. Qui tenera adhuc ætate, mẽtis altitudine præsentis vitæ ludibria contemnens, in Cincillacensi monasterio Deo se consecrauit, tantaq; virtutum omnium excellentia militauit, vt totius cõgregationis regimini, summa omniũ gratulatione præficeretur. Quo in munere, singulari prudentiæ & pie-

1. Martij. Patria Albini.

Petit monasterium. Fit Abbas.

Creatur Episcopus.

pietatis significatione quinque & viginti annis versatus, ad Pontificalem gradum ciuitatis Andegauensis euocatur. Hanc verò summam sanctitij dignitatem tanto virtutum splendore administrauit, vt cunctis è cælo ad salutem eorum procurandam, dilapsus videretur. Paupertatis malis ab omnibus, quibuscunque poterat modis, quam longissimè repellebat; ita vt aliorum necessitatem suam esse arbitraretur; lãguores à miserorum corporibus fugabat, omnesque ad se venientes, & opem in rebus afflictis implorãtes, paterna quadam beneuolentia recipiebat.

Insignis eius in oẽs misericordia.

Quadam vice ad vicum Geginam præteriens, voces lugubres cùm miserabili eiulatu audiuit; cumque tantorum fletuum causam quæsisset, intellexit parentes filij sui mortem deplorare; ad quos vir Dei accedens, blandis eos consolatus est verbis; & statim in oratione multis cum lachrymis prostratus, mortuum ad vitam reuocauit. Et monasterio dein Asiaco, quod paterna solicitudine visitauerat, rediens, cæcum quendam magnis vocibus opem postulantem obuiam habuit, cui salutaris impressione crucis, lumen pristinæ restituit. Andegauis item Maurilio quidam, oculorum orbatus lumine, instanter ab Albino signum sanctæ crucis palpebris suis imprimi petiit, qui Dei misericordiam cum gemitu implorans, protensa dextera cæcum illustrauit.

Mortuum excitat.

Cæco visum reddit.

Item alio.

AEtherea illustris quædam fœmina, cum regio persecutione in Dullacensi villa in vinculis teneretur; statuit vir sanctus habitu corporis mutato periclitanti opem adferre. Ingressus igitur ad illam, multis beneuolentiæ & humilitatis signis excipitur à fœmina, rogante atque obsecrante, vt è graui captiuitatis miseria eripere eam ve-

Vir

si Dei precibus mulieris motus, apprehensa extera sequi se confidenter eam iubet. At è cubiculis quidam per summum contemptum in sacerdotis faciem insufflans, à pio conatu eum impedire voluit; qui mox tanti sceleris pœnas soluens, morte subitanea mulctatus, cæteris ingentem, eamque salutarem formidinem, incussit; atque ita piam fœminam è vinculis solutam, in libertatem restituit.

Fœminam à captiuitate liberat.

Accessit quandoque pius Pater in vicum, cui Albinia nomen, piæ deuotionis studio. Ibi cæcus quidam, dum misericordiæ opem, ab eo magno clamore flagitat, cœpit miserabili dæmonis infestatione torqueri; quem vir Dei, fusis de more precibus, & à miserandis corporis tenebris, & ab immundi spiritûs infestatione liberauit.

Cæcus dæmoniacus curatur.

Plurima similium virtutum opera vir sanctus edidit, quorum singula referre longum foret, nec necessarium ducimus. Vnum hoc ad instructionem omnium qui Christi in terris munere funguntur, silentio præterire non possumus: tanta nimirum eum animi magnitudine in sceleribus hominum corripiendis præditum fuisse, vt nullis principum vel regum minis, nè quidem morte acerbissima proposita à constantia deijci potuerit. Vnde cùm personas quasdam anathematis fulmine ab Ecclesiæ communione repulisset, & episcopi alij, vt eas ab omni vinculo excommunicationis solutas, in sinum Ecclesiæ reciperet, inferent, vrgerentq;, & vi mala etiam coactum ad hoc impellerent, illo stricto Dei iudicio sibi proposito, in hûc modum respondit: Etsi vestrę subscribere sententiæ vi mala compellor, dùm vos causam Dei recusatis defendere, ipse potens est vindicare; & graui mox animi ægritudine oppressus,

Magnanimitas eius, incastigãdis hominum sceleribus.

Moritur pro iustitiæ defensione.

pressus, antè è vita migrauit, quam iniquo pactolato subscriberet. Quis neget hoc martyrij genus & quidem acerbissimum esse, nam cum pro iustitiæ defensione sanguinem fundere non posset, quòd sanè illi gratissimum fuisset, extrema iustitiæque iustitiæ confectus, expirauit. Et hic quidem fuit, post multos in terris exantlatos labores beatissimi Præsulis finis; cuius sacrum corpus à Germano Parisiorum Episcopo, huius Pontificis successore, cum debito honore (prout præclara eius sanctitas merebatur) cum in aliud egregio opere templum transferretur, tres paralytici integram membrorum sanitatem consequuti sunt, & duo præterea cæci meritis eiusdem Sancti gratissimum Solis lumen aspexère. Administrauit autem Pontificiam dignitatem cum summa integritate & eximia sanctimoniæ laude, annis viginti quinque & mensibus sex, pro qua à Domino sempiternam iustitiæ coronam, anno ætatis suæ octogesimo in cælis recepit.

Præclara miracula in translatione reliquiarũ eius.

## *VITA S*SVITBERTI, VVERDENSIS Ecclesiæ primi Episcopi, & Confessoris, Saxonum Frisonumq; Apostoli: ex ea quæ est prolixè admodùm conscripta, à Marcellino presbytero, & S. Ludgero primo Monasterienſi Episcopo.*

* alias Suuiberti.

Vide Cæs. Baron. Tom. 8. & 9. Annal. Ecclesiast.

*Obijt hic Sanctus Anno Domini 717.*

1. Martij. Hic Pontifex in exilio mortuus est.

ANno Domini sexcentesimo quadragesimo septimo, tempore sanctissimi Papæ *Martini & martyris eximij, Constantino Rege manorum, Osvvino, sancti Osvvaldi Regis martyris fratre, Angliæ sceptra moderante, fuit in Anglia in regno Nord Humbrorum princeps quidam, Comes, de Nortingram, Sigibertus nomine, qui cum coniuge sua Berta insigni admodum nobili-

Genus S. Suitberti clarissimum.

litate fœmina; miræ virtutis fulsit insignijs. Habuit Berta matrem Ostridam, patrem Edilredum, Ilredus Ostum, Ostus Eugistum, à quo Britannia, Angliæ primum nomen, edepta est.

Bertæ & mariti eius Sigeberti Comitis pietas.

Pia hæc & nobilis Comitissa frequenter cum magna animi sui voluptate considerans multorum principum filios, mirabili virtutum splendore ornatos, primarias ecclesiasticæ dignitatis sedes in Anglia administrare, multiplicesque pietatis fructus cum summa regni totius pace ad populum vniuersum transmittere, increbili diuini luminis cupiditate inflammata, assiduis precibus à Domino prolem postulare instituit, quam sacro eius seruitio perpetuo consecrare posset.

Berta postulat à Deo prolem.

Nocte quadam leni sopore oppressa, visa sibi videre est, rutilantem in firmamento miræ magnitudinis stellam, ex cuius Orientali parte, duo lucidissimi radij miro fulgore micantes procedebant; quorum vnus Germaniam, alter Galliam spectabat. Tandem vero postquam illam summa cum admiratione diu contemplata esset, è cælo in stratum eius delapsa est. Quo casu, ingenti formidine correpta, edito clamore, Sigebertum de lecto excitauit; qui ex insolito coniugis clamore, membrorum omnium tremore correptus, tantæ formidinis causam studiosè quæsiuit. Nec mora, mane facto, Aidano Lindisfarnēsi Episcopo accurato visionis serié diligenter exponunt; qui diuini luminis splendore illustratus cōiectura minimè dubia, eos in spem prolis, quæ multis doctrinæ & sanctitatis suæ claritate, lucē allatura esset, vocat. Nec sanè fefellit eos coniecturis veritas, nā puer

Visio Bertæ Nascitur eis filius.

omnis futuræ sanctitatis indicijs in lucē editus ab ipsis penè incunabilis, egregiū virtutū maximarum

rum specimen præbuit; & nè aduersa vitiorum tempestate quassatus, in cæcos errorum scopulos aliquando impingeret, ad tutissimum religionis portum, ætatis suæ quintodecimo, confugit. Anno ætatis suo quintodecimo, religionem intrat.

postquam nouem annos continuos, assiduis rum diuinarum contemplatione exegisset, sacerdotij gradum adeptus est; quem annis deinde septem, tanta vitæ sanctimonia administrauit, vt Reges & principes in magnam sui admirationem pertraheret.

Egbertus Eboracensis Antistes, Canonicum eũ ordinat. Fit Abbas.

Egbertus autem Eboracensis ecclesiæ Archiepiscopus, fama sanctitatis eius excitatus, vocatum ad se in sanctissimi Apostolorum principis Ecclesia, Canonicum fecit; vbi biennio indefesso vigiliarum & orationum diuinarumque rerum studio exacto, Abbas monasterio, Dacore dicto, Præfectus est. Erat tunc temporis in Anglicanis hominibus tam ardens deuotionis pietatisque studium, vt certatim non modò plebeij, sed viri principes, & reges ipsi, spretis mundi delicijs & opibus, in summa vitæ paupertate Christi fideliter vestigijs insisterent. Alij igitur animarum saluti strenuam operam nauabant, terrasque ignotas cum ingenti periculo & labore lustrabant, vt homines cæcis errorum tenebris miserè inuolatos, ad clarissimam Euangelij lucem vocarent. Anglorum admiranda pietas.

Abbas Columbanus.

quorum vnus sanctus Columbanus Abbas duodecim clericis stipatus, Galliam peragrauit, & a misera dæmonum seruitute plurimos ad Christi libertatem transtulit. Alij sanctorum limina singulari animi deuotione obibãt, & res mirabiles Deo duce gestas, intimis sensibus recondebant.

Rex Coadualla, & rex Offa, fiunt monachi.

quorum Coaduualla opibus & honore potens Rex, & Offa Cantuariorum Rex, insignes admodùm fuêre; qui anno Domini sexcẽtesimo octuge-

simo

gesimo nono, spreto regali diademate, ad sacra monachorum castra confugêre: & à Sergio Papa externis spiritualis militiæ insignijs donati sunt. Alii diuini amoris facibus vehementius inflammati, in vastas solitudines, & ab omni familiari hominum congressu vacuas, sese abdiderunt, quorum S. Iudocus & S. VVinocus regum filij mirabiles extitêre.

Iudocus & VVinocus regum filij fiunt eremitæ.

Suitbertus autèm occultò numinis instinctu edoctus, spretis nouæ dignitatis honoribus (in quibus vno dũtaxat anno perstitit) magno studio & labore ad animarum salutem procurandam se comparauit. Nam vt VVilfridus Episcopus Lindisfarnẽsis, deinde Merciorum, nouissimè Eboratensis Archiepiscopus, Romam iturus, flante Fauonio, mirabili Dei prouidentia ad Frisiam appulsus, per totam hyemem gentem illam cæcis errorum omnium tenebris miserabiliter immersam, noua Euangelij luce illustrãdam suscepit, & aliquam gentis illius ad Christum conuertendæ spem ostendit; Egbertus vt gentem Frisonum Saxonumque (à quo Angli originẽm duxisse feruntur) à misera dæmonum seruitute, in Christi libertatẽ vindicaret, missis duodecim insigni admodum pietate & eruditione viris, præclarè, quod Dei virtute & gratia moliebatur, effecit. Horum autem nomina fuerunt: VVillebrordus, Suitbertus, Acca, VVigbertus, VVillibaldus, VVinibaldus, Lebuinus, duo Ewaldi, VVerenfridus, Marcellinus: & hi quidem omnes sacro presbyterij ordine insigniti. Postremò Adelbertus Leuita, Deirorum regis filius, quorum alij sanguine suo euangelij veritatem confignârunt, alij ad extremũ usque spiritum pro eorum salute laborantes, placidè quieuerunt.

VVilfridus Dei prouidentia, in Frisiam venit.

Nomina eorum, qui primi in Frisia, ad gentis cõuersionem missi fuêre.

Hi igitur excellenti vitæ puritate, contra omnem perfidię rationem muniti, anno Dominicæ centesimo nonagesimo, Sergij verò Rom. Pont. tertio, Imperante Iustiniano religionis & pietatis laude florentissimo, & Aldevvino Coloniensis ecclesiæ episcopo decimo, in VViltenburg siue Traiectum prospero vento delati sunt. Agebatur tempestate Radbodus, Frisiæ Rex, virtute Pipini de Herstallo, principis Christianissimi Maiores domûs Franciæ, pulsus, fugatusque apud insulam quandam (quam à Deo quodam suo Fostæ) Fostelandiam appellabant. Hanc Christi sacerdotes magna virtute ingressi, Iouis & Fostæ delubra destruxerunt, multoque tandem sudore tres viros Euangelio genuerunt.

Radbodus Rex Frisiæ.

Destruunt Christi Sacerdotes, Iouis & Fostæ delubra.

Radbodus verò audita idolorum suorum ruina sanctum VVigbertum comprehendi, & acrocissimis mactatum supplicijs, interimi iussit; reliquos exilij pœna mulctatos, Euangelij prædicatione interdixit; qui incredibili gaudio pro accepta pro Christi nomine contumelia perfusi, ad Pipinum se receperunt; à quo egregio humanitatis & beneuolentiæ officio excepti, nô multò post tyranni viribus planè contritis, in eâdem messem missi sunt. Et primò quidem ab omni iniuria Barbari, quâquam in scelere perfidiæ obdurati, se cõtinuerunt; seuera nimirum Pipini denunciatione prohibiti, nè quâ Christi seruis calumniam interrent. Sed non potuit illa Barbarorum modestia supplicium formidine constituta, esse diuturna; nam simulatq; minimam concepti, in seruos Dei furoris expromendi occasionem oblatã viderunt, eã minimè neglexerũt. Cum enim Suitbertus paucis stipatus neophytis, fidei calore incensus, ad diuersas Germaniæ prouincias excurrisset

VVigbertus martyr in Frisia.

Alij pulsi abeunt ad Pipinũ Franciæ Principem.

& vicum

vicum quendam Duerstat dictum, nefaria idolorum cultura celebrem inueniſſet, inſtitit diuini verbi fulmine execrandam impietatem deijcere; quo Barbaræ mentes vehementius irritatæ, ſublatis clamoribus, violenta manu in carcerem eum traxerunt, omniq́ue ſcelere occultam ei necem inferre contenderunt. Sequebantur eum multis cum lachrymis VVerenfridus & Marcellinus, quos ille forti & inuicto animo conſolatus ad conſtantiam ne mortem pro Chriſti gloria ſubeundam extimeſcerent, hortatus eſt.

Suitbertus in vincula conijcitur.

At verò cùm carceris ſqualore circumdatus, omnique humano ſolatio deſtitutus, orationi incumberet, adfuit ſubitò cæleſti conſpicuus ſplendore Dei Angelus; qui Chriſti famulum confractis vinculis, ferriſque reſeratis, in libertatem reſtituit, atque vt conſtanter Euangelium enunciaret, ei præcepit. Pergit igitur confidenter Suitbertus, & maxima vbique ſui admiratione, plures iam à morte ad vitam reuocare incipit. Stupebant Barbari Chriſti virtutem, idolorumq́ue ſuorum vanitatem paulatim agnoſcentes, impietatem deteſtabantur.

Angeli viſitatione vinculis liberatur.

Eodem anno peruenit in villam quandã Hollandiæ quam Hageniſtein appellant, in qua impijs idolorum cultoribus ſacrũ ſolenne erat, ſumma ab ijs religione celebratum. Hic vir Dei animo inflammato, cunctos ad ſe vocauit, & maxima vocis contentione nefandã ſceleris impietatẽ, qua contra Chriſti erãt, explicauit, omnibuſq́; ni reſipiſcerẽt, horrendũ ignis ſempiterni ſupplicium denunciauit. Chriſti verò gratiam, & bonitatem & immẽſas regni cæleſtis opes, tãta claritate in oculis eorũ cõſtituit, vt vehementer earũ amore eos inflãmaret. Tunc Barbari ne inani verborum iactãtiæ

Prædicat S. Suitbertus in Hagenſtein, villa Hollandiæ.

fidem adhibere viderentur, Giſelbertum interea quendam luminibus ab vtero materno miſerabatum adducũt, vt eum Chriſti virtutẽ, quem prædicabat, illuſtraret; ſi faceret, ſine mora omnes Chriſto libenter nomina darent: ſin autem, crudeli mortis ſupplicio, vt impoſtorem & paternarũ traditionum ſubuerſorem mactarẽt. Iuſta hac neceſſitate compulſus Suitbertus, flexis cum ſumma veneratione genibus, ſupplices Deo preces obtulit: & ſancto ſalutiferæ crucis ſigno ſuper oculos cæci formato, cum corporis lumine cæleſtem animæ lumen induxit. Tantæ igitur fidei miraculo omnes perculſi, manus in cælum tendunt, Deiſeruum cum ingenti admiratione venerantur: idolorum vanitatem execrantur, certatimque diræ prioris vitæ ſuperſtitione relicta, ad ſanctiſſima Chriſti ſacra confugiunt.

Homini à natiuitate cæco, viſum reſtituit.

Hagenſteinenſes credũt in Chriſtum.

Interea numero fidelium indies magis magisque creſcente, viſum eſt cunctis gregi vniuerſo antiſtites præponere: quorum auctoritate facilius id quod hactenus multo ſudore partum erat, conſeruaretur. Conueniunt igitur fratres, & Neophyti omnes; nec longa conſultatione habita, VVillebrordum & Suitbertum cæteris omnibus eo in munere præferendos iudicant. Suitbertus igitur Pontificia fultus auctoritate, multò fidentius alacriuſque in opus incumbere & perfidiæ reliquias miraculorum etiam virtute extirpare cœpit.

Suitbertus & VVillebrordus Epiſcopi cõſtituuntur.

Accidit vt eccleſiã in Malſen in comitatu Teſterbandiæ, ſuper amnẽ, ſolenni dedicatione conſecraret. Huic, Splinderus adoleſcẽs quidã admodum generoſus, vt intereſſet, ſumma nauigij contentione laborauit. Volebat autẽ actus viri ſanctiquos fama eius celebres vbique fecerat, ſtudioſiùs ex-

Suitbertus conſecrat eccleſiam in Malſen.

explorare: vt inueniret homo à Christiana veritate alienus, quod in eum calumniaretur. Contigit autem vt dicacitati & facetijs intētus, è margine nauiculæ in aquas decideret, & antè quam auxilium adferri posset, fluctibus haustus mergeretur. Tunc clamores ingentes, cum eiulatu valdè lugubri exorti, plurimos ad triste spectaculum excitarunt; donec res ad parentes delata est; qui animi dolorem multis lamentis testantes, huc atq; illuc currsitabant, si quā fortè opem inuenire possent. Tandem Christianorum exemplo admoniti, cadauer iàm aquis extractum in templū Martis deferunt. Ibi tum multis precibus pro filij salute illum numen fatigatum est, tantisque obsecrationibus laboratum, vt Christianos, qui spectatores aderant, vehementer ad misericordiā incitarent. Hortantur igitur Guntherum (hoc nāque nomen puri adolescentis erat) vt execrabili errore relicto animo confidenti ad Suitbertum iret, opemq; supplicibus ab eo verbis contenderet, qui Christi virtute minimè dubiam salutis spem præstaret. Ille vt erat luctu lachrymisq; oppletus, quanta potuit celeritate maxima, ad seruum Dei veri properat, orat, obsecratq; vt aliqua sui misericordia capiatur, filiumq; qui erat vnicus, morte miserabili extinctū ad vitam reuocet. Si faciat, se prorsus cum tota familia & cognatis Christo credituros. Suitbertus quamuis hominem multis rationibus ab animi ægritudine releuaret, & ad firmissimam salutis spem in Christo constituendā excitaret, ad cadauer tamen venire piè recusauit: asserens Deum, cuius iudicia vera & iusta sunt, nequaquā in re tā graui tentādum esse. Sed cum ille vehementius instaret, & per oēs sanctitates obsecraret, iuit Suitbertus; cui Mechtildis mater

Splinteri, luctu assiduo miserabiliter deformus occurrens, tantam misericordiam incussit, vt maxima de Dei bonitate, concepta fiducia ad corpus defuncti accesserit: & fusis, cũ ingẽti lachrymarũ vi, ad Dominũ precibus, apprehẽsa dextera defuncti erexerit & sanũ eũ Christũ Iesum magna voce cõfitentẽ, parentib. tradiderit. Attulit hoc vniuersis non solum ingentem admirationem, sed tantam etiam formidinem, vt statim confracti idolis Christo nomina darent, cœlestemque vindictam, si diutiùs in perfidiæ scelere permanerẽt, vehementer pertimescerent.

Defunctum adolescentem, ad vitã reuocat.

Multi credũt in Christum.

Intereà VVillebrordus, qui Romæ à Sergio Papa, Archiepiscopi munus, cum sacra manuũ impositione acceperat, in Germaniam rediit. Cui Suitbertus circa Embricam, festiuo occurrẽs gaudio, magnifica Dei opera enarrauit, & in societatẽ sacri muneris accepit; qui coniunctis deindè viribus, non modo Hollãdiam, Frisiamq; à flagitiorum tenebris in lucem iustitiæ vindicârunt, sed & Lotharingiam & Daciam cum eximio fructu obeuntes, plurimos ad Christi seruitutem adiunxerunt. Post longa tandem itinerum spatia magno labore emensa, iterum se Traiectum receperunt; vbi VVillebrordus Apostolicæ Sedis auctoritate primus Archiepiscopus, dignitatem illam multis titulis ornatam constituit.

VVillebrordus & Suitbertus Hollandiam & Frisiam, conuerterunt.

VVillebrordus primus Traiectensium Archiepiscopus.

Suitbertus autem alijs etiam gentibus euangelicæ libertatis felicitatem annunciare cupiens, VVestphaliam & Saxoniam inferiorem alacritate incredibili peragrauit, diabolicæque versutiæ fraudes patefaciens, è durissima miserrimaq; seruitute plurimos in libertatẽ vindicauit. Erat Monasterij mulier quædam, quæ tanto tamq; misera-

Suitbertus prædicat VVestphalis

bili

lili membrorum contractu laborabat; vt mõstro magis quam homini similis esset. Cumque omnibus penè facultatib. in medicos expensis, à spe salutis depulsa esset, audita celebri viri Dei fama petijt se ad eum adduci. Adducitur misera, & supplicibus ab eo precibus in Christi nomine, quem annunciari audierat, sanitatis beneficium postulans, protinus est cõsecuta; Hæc virtutis fama, statim in Bilueldiam ad prædiuitem quendam virũ Adelbertum nomine peruenit: qui in vltimum vitæ discrimen pestilentis morbi contagione deductus, in firmam spem salutis animum erexit, si vel conspectu viri Dei frui posset. Nec mora, duo ex eius famulis Monasterium profecti, adducunt Adelbertum, qui spe animarum magis, quàm corporis salute excitatus, minimè cunctatus est hominem, fusa de more oratione, à præsenti mortis periculo eripere, & fugatis errorum tenebris ad clarissimam veritatis lucem transferre.

Mulierem contractam sanat.

Liberat prædiuitẽ quendam à mortis periculo.

Hoc miraculo cum vberrimo animarũ lucro, patrato, magna Christianorum gentiliumque stipatus caterua, Monasterium repetijt. In via autem cæcum quendam magnis vocibus opem implorantem obuiam habuit; cui misso per VVilleicum presbyterum baculo suo, visum restituit: multosque paganorum eo facto ad Christum adiunxit. Hinc animo inflammato, Brunsuicensibus Christi gratiã annunciare properauit; Cumque summa vocis contentione, dura perfidorum pectora expugnare non posset, vidit signis rursus & prodigijs opus esse. Erat in vico, qui præcæteris hominum frequentia celebrior erat, homo quidam, cuius sinistrum latus omni sensu priuatum erat, omnemq; medicorum industriã

Cæco baculo suo, visum restituit.

Prædicat Brunsuicensibus.

vi morbi superabat; hic audito Suitberti aduentu summis infimisq; precibus, ne ad se veniret graueretur, orat. Venit sine mora vir Dei, hominemque salutifero crucis signo, cum ingenti paganorum admiratione, sanũ restituit. Mox igitur facto hoc hominum sermone diuulgato, varij animorum motus exorti sunt; alij Christi virtutem debitis laudibus extollebant, alij maleficum à medio tollendum clamabant, tantaque populi commotio facta est, vt collecta manu nefaria, S. Suitberti & satrapã eius loci, qui Christianorum rebus studebat, occidere pararent. Suitbertus conspiratione comperta, ne vno temporis momento, morte sua, quam minimè horrebat, rem Christianam in periculum adduceret, cessit impijs eorum conatibus, relictoq; felice Bosone presbytero, qui neophytorum animos ritè curaret, ad Boructuarios migrauit; quorum mentes teterrima ignorantiæ caligine obcæcatas, non sine multis magnisque periculis, prædicationis lumine illustrauit.

Apoplecti-cũ, signo crucis sanat.

Tumultus.

Boructuarios ab errore liberat & ad Christum adducit.

Erat in villa Velsenberch, vir quidã opum existimatione princeps, Ethelhere dictus. Hic dæmonio obsessus, grauissimo catenarũ pondere constrictus iacebat; tanta enim rabie cũ in alios, tum in seipsum ferebatur, vt nullis vinculis nullis hominum viribus cõpesci posset. Hunc Suitbertus solo verbo crucisq; signo, & à dæmonis tyrannide liberauit & tanto diuino cognitionis lumine illustrauit, vt plurimos suo exemplo à prauitate vitæ & perfidiæ scelere, ad ardentissimum virtutis pietatisque studium excitaret. His sanè felicibus initijs Boructuariorum salus egregiè crescebat, firmabaturque, donec hominis vnius intemperantia, quod multo sudore partum fuerat, dissolutum dissipatumque est. Venit, eo tempore

Dæmonio obsessum crucis signo liberat.

Bruno

Bruno magnus Saxonum satrapa in prouinciam Bructuariorum, pernoctansq; in vico Ratingen, orta inter ipsum & loci eius primicerium ex egestate dissensione, vitam homini per summum scelus eripuit. Amici sceleris grauitate vehemēter commoti, eadem crudelitate satrapam confodiunt. Hinc statim atrox bellum inter vtramq; gentem exortum, mutuas cædes excitauit, & res Christianorum planè dissoluit.

Bruno Saxonum satrapa, primicerium vici Ratingen interficit.

Item Satrapa confoditur.

Suitbertus angelico monitu Coloniam petens, honorificè admodum è Plectrude Ducis Pipini sanctissima coniuge susceptus, alijs atque alijs miraculis nouam sibi sanctitatis famam conciliauit. Quarè nobilis matrona, eximia viri sanctitate delectata, ei vicum, quem VVerdam appellant, non ita procul à Rheno dissitum liberali donatione à Pipino impetrauit; vbi Suitbertus celebre in honorem Gloriosæ Virginis monasterium à primis fundamentis erexit.

Suitbertus venit Coloniam.

Monasterium in VVerda constituit.

Erat in vico vir quidam nomine Hungerus, cui postquam ad Christi fidem adiunctus est, Petro nomen impositum fuit. Erat enim fidei calore incredibili accensus, ideoque hoc nomen à Suitberto obtinuerat. Hic dùm summa diligentia nè opus aliquo temporis spatio intermitteretur, interuenit: accidit, incertum quo casu, vt curru lapidibus vehementer onusto, opprimeretur. Cumque omnium opinione iam mortuus ad sepulturam deferretur, & lugubri eiulatu multi funus prosequerentur, Suitbertus ad triste spectaculum gemitibus & clamoribus excitatus, iussit corpus ad suam domum deportari; ibidemque multiplicibus cum ardēti lachrymarum vi precibus hominem ad vitam reuocauit; vixit autem idem Petrus, in sancto monasterij eiusdem seruitio, et-

Suitbertus mortuū ad vitam reuocat.

iam post migrationem S. Suitberti sanus & incolumis.

Migrat ad cælum.

His alijsque quàm plurimis maximarum virtutum ornamentis excultus, in monasterio à se constructo, anno ætatis suæ sexagesimo nono, Egilolpho Colonienſem diœcesim sedulâ pietate administrante, migrauit ad cælum; Sacrum autem corpus cum multis suorum lachrymis in ecclesiam delatum, nouis rursum miraculis omnium animos in sui admirationem, Deique laudes excitauit. Cùm enim ingens pauperum & miserorum turba, qui hactenus sancti præsulis beneficio vitam sustentârant, conflueret, adfuit fortè aliorum misericordia adductus vir quidam, tetro cacodæmone obsessus, qui solo feretri contactu, à longa hostis nequissimi vexatione liberatus est. Accessit deinde cæcus quidam, valdè lugubri eiulatu à viro sancto opem flagitans: nec prius sacras etiam psallentium voces clamoribus suis interrumpere destitit, quàm luminis beneficium impetrasset.

Dæmoniacus, contactu feretri S. Suitberti sanatur.

Cæcus visum recipit.

Longum nimis foret singula quæque referre, quæ vir diuinus tam in terris quàm in cælis cum ingenti animarum salute edidit. Erat VVerdensis quidam ciuis, Suuederus, insigni admodùm pietate præditus, qui anno Domini septingentesimo decimo octauo, Susatum, gentilium ciuitatem, ingressus, ad perfidi cuiusdam hospitis & in Deum scelerati domum diuertit. Cumque inter pocula de Deorum potentia disputatio exorta esset, Suuederus scelerata hominum impiorum oratione commotus, Deorum vanitatem ostendere, impietatemque constanter execrari, Deum Christi virtutem, in S. Suitberto admirandis rerum factis coruscantem, prædicare & extollere

Insignis pietas, cum miraculo admirando, coniuncta.

Sur-

turbari hominis constantiam cum summa Deorum suorum iniuria ludibrioq; admirantes, præcipiti mentis furore in eum inuadunt, multisque plagis affectum,& lingua,qua impietatem redarguerat,per summam crudelitatē priuatum, è domo exturbant. Sed Suitbertus pro cuius defensione hæc patiebatur,præclarè adfuit. Omnes enim illos, qui numero septem,tanti sceleris rei erant, subitò luminibus orbatos & cruciatu intolerabili affectos, maximum animi dolorem cum multis gemitibus & clamoribus coniunctum edere compulit; opemque ab eo, quem malè mulctauerant, & contumelijs affecerant, infimis precibus postulare. Suuederus quamuis morte penè circumuentus, eximia tamen pietate Christiani hominis officium erga perfidos assumpsit. Nutu igitur, & signis, omniq; ratione ad luctum & lachrymas & sceleris in Deum eiusque seruum admissi detestationē eos hortatus est. At illi multis precibus, & lachrymis cum crebro singultu veniam petere,manus in cælum tollere, & maximis vocibus falsa Deorū numina detestari. Suuederus hāc significatione doloris,incredibili gaudio exultans,suauiter eos amplexatus est, omnesq; benignè susceptos, ad spem recuperandi visus,si secum ad S. Suitbertum pergerent,excitauit. Pergunt igitur alacriter, seseque totos Suuedero committunt. Ille ante monumentum cum circūfusa turba cōsistens,quia lingua non poterat,corde tacito Suitberti opem implorauit. Et eccè visus sibi sanctus adesse, qui sacræ manus suæ cōtactu loquelam restituit,laxatisq; linguæ fibris, ad Dei laudes prouocauit. Cæci vocē eius in quē sceleram perpetrârant audientes,& timore perculsi,& spe ad simile sanitatis beneficium consequēdum

exci-

excitati, obnixius veniam & misericordiam postularũt, quam cum animarum etiam salute protinus obtinuerunt. Refert hic Marcellinus vir excellenti vitæ integritate præditus, qui horum omnium scriptor est, ipsos panes qui ad vescendũ in mensa appositi erant, quandò perfidi in Suiberum ea crudelitate, qua dictũ est, inuecti sunt, in lapides durissimos trãsmutatos esse, qui etiam ad sempiternam rei memoriam ad sepulcrum Sancti Suitberti ab ijsdem collocati sunt.

Nota rem admirandã.

Eodem anno quatuor viri diuersis temporibus vsq; ad mortem pestilenti contagione laborantes, ad sepulcrum eius cum oblationibus adducti, sanitatem consecuti sunt.

Tempore verò Pipini Regis Francorum filij Caroli Martelli Principis, Hildegerus Archiepiscopus Colonienſis, (qui mediante Rangefredo, sancto successerat Agilolpho) cùm quadam die contra perfidos Saxones cum eodem Pipino in expeditione profectus fuisset, graui admodum lapsu, armis onustus ex equo in terram decidit, fractisq; scapulis cum altero brachio, cerebroq; comminuto in vltimam vitæ desperationem adductus est. Nocte verò sequenti Sanctus Suitbertus in somnis adfuit, monuitq;, vt cum firma recuperandæ sanitatis spe sepulcrum in VVerdã visitaret. Paruit ille protinus, & sanitatem cum ingenti omnium admiratione recepit.

Hildegerus Archiepiscopus Colonienſis, sanatur ad sepulcrum S. Suitberti.

Hisce alijsq; quam plurimis præclaris miraculorum virtutibus: Pipinus incredibili erga Suitbertum amore affectus, castrum munitissimum ad monasterij eius, in quo sancti corpus quiescebat, defensionem exstruxit: vnde insignem sæpè victoriam de hostibus suis reportauit. Cum autem Christianorum iugum, collectis vndique viribus,

ibus Saxones & VVestphali excutere decreuissent & Pipinum cum suis penè circumuentum internecione delere pararent, Pipinus suis planè diffidens viribus, cùm rem in vltimum discrimen adductam videret ex equo descendens, fixis in terram genibus, manibusque in cælum sublatis, Suitberti opem implorauit; promittens si è præsenti periculo eriperetur, se nudis pedibus VVerdam iturum, & vota ad sancti sepulcrum soluturum. Et eccè cælitus diffusa lux, Christianorum exercitum circumcinxit, tantoque hostium animos pauore cõpleuit, vt missis continuò legatis, pacem postularent; quæ libens à Pipino concessa fuit, & vota singulari pietatis studio ab eo persoluta.

Pipinus Francorum Rex, Suitberti ope mortis periculum euadit. Votũ eius.

Anno Domini septingentesimo quinquagesimo nono, quo Pipinus Franciæ Rex mandato & auctoritate Zachariæ Papæ consecratus fuit, Hunaldus comes de Angiers, VVerdense propugnaculum contra paganorum impetus tuendum accepit; qui cùm plerisque sui exercitûs militibus pestilenti contagione correptus, & à medicis relictus, magna animi fiducia ad Suitberti merita confugit, sanctissimo se voto astringens, si mortis periculum euaderet, eius se seruitio mancipaturum. Vix voto emisso, morbi contagione liberatus conualuit, multosque suo exemplo ad sancti memoriam celebrandam prouocauit.

Hunaldus Comes, à mortis periculo, emisso voto statim liberatur.

Eodem anno Stephanus Papa eius nominis secundus Alstulphi Longobardorum regis atrocissimi ecclesiæ hostis, armis petitus, in Franciam, cum sacro Cardinalium cœtu ad regem Pipinũ peruenit. A quo eximijs beneuolentiæ & amoris signis exceptus, præclaras Sancti Suitberti virtutes intellexit; rogatusque vt sanctum in diuorum

Stephanus Papa venit in Frãciam ad Pipinum regem, petitus armis Astulphi regis Longobardorum.

rum numerum referret, non inuitus concessit. Sed aduersa valetudine grauiter oppressus, negotium hoc venerabilibus patribus & Pontificibus, sancto scilicet Hildolpho Treuirorum, Bonifacio Moguntinorum, Archiepiscopis, Fulcario Leodiensi Episcopo, & præcipuè Hildegero Coloniensi Archiepiscopo commisit; qui tamè bellorum tempestatibus impediti, desiderio suo satisfacere non potuerũt. At Hildegerus, antè quàm in bello Saxonico pro Christi fide occumberet, VVerdam contendit, vt sacrum Suitberti corpus de terra sublatum auctoritatè Apostolica exaltaret. Aderat tunc fortè ciuis quidam Coloniensis, Robertus nomine; idemque mutus & surdus, apprehensam sancti dexteram deuotè exosculatus est; qui mox non sinè astantium omnium stupore, & auditum & loquelam meritis S. Suitberti recepit.

Hildegerus in bello Saxonico, pro Christo occisus.

Mutus & Surdus sanatur, osculata dextera S. Suitberti.

Est autem diuorũ catalogo asscriptus à Leone 3. Papa, Carolo Magno inclyto Pipini regis filio imperante, qui cùm gentiles Hispanos ad Christi fidem armis adiungere contenderet, Saxones & VVestphali in perfidiæ scelere perdurantes, arrepta occasione monasterium S. Suitberti & templum ab eo constructum, flammis absumpserunt. Quo in scelere, antè alios insignis Ogellus Oesterbach de Paderborne, cùm gloriabundus de perpetrato facinore se commilitonibus suis venditaret, iusto Dei iudicio dignas temeritatis & sacrilegij pœnas debita & horribili morte luit. Subitò namque in terram retrorsum decidens, fractis ceruicibus expirauit. Tres interim horas scelerati corpus insepultum iacuit; cùm fama per castra dispersa, tandem ad consanguineorum aures peruenit; qui cura sepulturæ assumpta, in

Leo Papa, cælitûm ei honores decernit.

Vide pœnas hominis sacrilegi.

cœmiterio S. Suitberti fossam parare volentes, nulla id ratione efficere potuerunt: quin defluente semper humo, fossa compleretur. Cuius rei miraculo attoniti, intellexerũt scelestum eo planè loco quem prophanauerat, indignum esse. Amicis interim pauidis, quid facto opus esset, consultantibus, alij quidam cadauer piscibus Rheni deuorandum tradiderunt. Nota rem stupendam.

Intereà nunciatur Nothelino & Occoni præcipuis satrapis, Ogellum Dei & S. Suitberti vindicta perurgente, sceleris sui pœnas dedisse. Qui vehementer indignati, casu hoc accidisse dixerunt, nullaque omnino potestate S. Suitbertum præditum esse, vtpotè qui ne templum quidem honori proprio dedicatum, ab incendij flamma tueri potuisset; multa deinde conuitia & blasphemias in sanctum iocando iactitârunt: sed non impunè. Nothelinus enim subitò oculorum lumine priuatus, & acerbissimo viscerum dolore cruciatus, reatum agnouit, flexisque humiliter genibus, Deo vouit, si pristinam visus facultatem reciperet, quòd templum in cineres redactum erigeret, supplexque sacra Suitberti lumina visitaret. Conualuit protinus, & votum eximia pietate impleuit. Diuina vindicta, in Suitbertum blasphemantes.

Occo verò cum opimis Christianorum ditatus spolijs domum pergeret, & in via, ignarus quid Nothelino accidisset, de vastitate templo illata gloriaretur mox scelerata lingua obmutuit, & aurium auditus obstructus est. Redijt hoc modo domum ingenti mœrore oppressus; & dolore admissi sceleris perculsus, non priùs sanitatis remedium inuenire potuit, quàm Nothelini exemplo scelus magna animi humilitate detestatus, voto suscepto Suitberti sepulcrum visitaret,

ret, collatisq; facultatibus monasterium téplumque restauraret. Vbi deindè amore erga sanctum concepto, relicta dignitate opibusq; contemptis, miro deuotionis studio, toto vitæ suæ tempore seruiuit.

Anno Dominicæ incarnationis septingentesimo octuagesimo tertio, Carolus Caroli Francorum Regis filius, cõserto iuxta munitionem Domi prælio, insignem contra VVestphalos obtinuit victoriam, multosque internecione deleuit: ter quos Bruno quidam vir prædiues, & armorũ gloria illustris (qui anteà Eldack dictus ad Christi fidem conuersus, hoc nomen Brunonis assumpserat) cùm Ducis sui imperio coactus bello interesset, multis concisus vulneribus spem salutis abiecit; sed cùm ei Suitberti in mentem veniret, & quomodò perfidis etiam opem suam benigne admodum præstitisset, concepta fiducia ad patrocinium Suitberti confugit: vouitque si imminentem mortis horam euaderet, sese sacro eius seruitio in VVerda mancipaturum. Hæc ille suspirijs & gemitibus identidem repetebat: & ecce Suitbertus mira claritate refulgens; visus est misero adesse, & ad firmam salutis spem erigere. Splendor interim mirabilis Christianorum oculos, (qui iam tutò inter mortuorum cadauera, fuso fugatoque hostili exercitu, versabantur) perstringebat. & ex luminis claritate, suspicantes aliquem sanctitate conspicuum, inter cadauera occisum, singula diligenter explorant; inuentoque Brunone mortiferis vulneribus confoso mirantur hominem viuere posse. At ille multis lachrymis cum crebro singultu rem totam exponere cœpit, quomodò imperio sui Ducis coactus arma contra Christi fideles Christianus sumere dehuil-

S. Suitbertus apparet Brunoni grauiter vulnerato, & ipsum piè inuocanti.

buisset: iustoq; Dei iudicio prostratus, & in vltimum vitæ discrimen adductus, meritis S. Suitberti, (quem in omni vita patronum elegerat) huc usq; seruatus esset. Illi visione luminis admoniti, fidem verbis facilè adhibent; nec mora, omni humanitatis officio hominem fouent refouentq;, & breui ad pristinam sanitatē reducūt. Qui tàm eximio Suitberti beneficio excitatus, sacro se eius seruitio in VVerda consecrauit.

Leo Papa 3. à Romanis oculis & lingua priuatus.

Fama indè miraculorum magis magisque crescente, Leo Papa tertius, cùm per summum Romanorum scelus insidijs petitus, lingua oculisque priuatus fuisset, & singulari Dei beneficio angelico ministerio sanitati restitutus, ad Carolum Franciæ Regem peruenisset (à quo nō multò pòst in sedem suam restitutus est) VVerdam, vt Suitbertum inter diuos referret, contendit. Confluebat eò ingens sexūs vtriusque multitudo, ad tantę celebritatis actum. Inter quos vxor Bartoldi Domini de Grinbergen, Irmgardis dicta, germana venerabilis patris Hildebaldi Colonienſis Archiepiscopi, duabus stipata pedissequis, & filio suo Gocellino octo circiter annorum puero, matris sui consensu eidem celebritati interesse decreuit. Cumque conscensa naui, littori appropinquarent, Gocellinus, margine lubricante in Rhenum decidit, submersusque ex oculis omnium euanuit. Quo viso mater eiulatu valdè lugubri, limora compleuit, nec vllam consolationem admisit: quin concito gradu ad Suitberti ecclesiam properans lamentis se dedit, noctemque insomnem ducens, vouit: si filium viuum reciperet, se sacro eius ministerio ipsum oblaturū. Certatim à multis vncis ferreis alijsq; instrumentis nauticis, laboratū est, vt ex aquis defunctus extraheretur;

cumq; diu frustra sudatum esset, Lambertus Dosel Embricensis quidam vnco vestem apprehendit extractumque matri præsentauit. Quæ manu eum amplexata affectu, cum multis lachrymis ante Suitberti sepulcrum deposuit, nec prius à fletibus precibusque cessauit, quàm cunctis vt par erat, mirantibus, vita defuncto redita fuit. Clamores igitur ingentes cùm incredibili lætitia exorti sunt; moxque Bertoldus resuscitati parens, vt adfuit, & filium, cuius mortem lamentabatur, viuum sanumque vidit, protinus argentea torque, qua Gocellinus ornatus erat, deposita, sacro eum Suitberti seruitio mancipauit. Irmgardis verò Bertoldi coniunx, & Archiepiscopi Colonienſis Hildebaldi germana soror, manus in cælum tollere, Suitberti virtutem & merita prædicare, omnibusque modis cunctos ad Dei bonitatem debitis celebrandam laudibus inuitare,

Puer Gocellinus aquis suffocatus, ad vitam renocatur ad sepulcrũ S. Suitberti.

Anno septingentesimo septuagesimo septimo, tres adolescentes generis quidem nobilitate clari, sed virtutibus obscuri, facta conspiratione, arcam in qua sacra Sancti Suitberti ossa asseruabantur, auri gemmarumque splendore decoram, spoliare decreuerunt; cumque iam sacrilegas in eam manus conijcere vellent, arca (mirum dictu) in sublime se extulit, nec tamen à nefario conatu desistiterunt, sed vnus eorum audacia insignis, deas laminas vi auulsit, quibus tanquam opulentis spolijs fugam inierunt. Cùm verò extra VVertinam omneque periculum se constitutos arbitrarentur, intra eiusdem oppidi mœnia versantes, triduoque inani labore consumpto, nihil se proficere intellexerunt. Neque cibum interim vel potum sumpserunt; tanta contentione, vt periculum

Nota miraculum.

lum euaderent, laborabant. Tandem precioſum metallum argentario cuidam venale obtulerũt; qui diligentius iterum atque iterum hoc ipſum contemplatus, ſe hoc ſuis manibus finxiſſe & exornaſſe dixit, & ſacrilegio de Suitberti ſepulcro ſublatum eſſe confirmauit. Fit, oborta inter eos contentione, populi concurſus; & ſacrilegi manifeſtò conuicti, ſcelus fatentur; & quomodò triduo errantes effugium nullum inuenire potuiſſent, exponunt.

Fraudulẽter homo morbidus fratribus VVerdẽſis cœnobij obtruditur.

Fuit quidam Seuerinus inferioris VVeſaliæ cius vir humanę gloriæ ſupra modum appetens, & opibus ac potentia valdè clarus. Huic erat filius maximarum artium disciplinis egregiè inſtructus, ſed caduco morbo, quem lunaticum vocant, miſerabiliter obnoxius. Pater hac filij miſeria grauiter perculſus, ne ex eo aliquam ignominiæ notam familia contraheret, callidè cum ingenti præſentis pecuniæ vi multisque promiſſionibus VVerdenſi eum cœnobio obtulit. Fratres viſo Conrado (hoc namque adoleſcenti nomen erat) fraudis ignari, maxima animi lætitia eum recepérunt; ſed cùm interiecto paucorum dierum interuallo, humi ſæpè labantem, & clamores valdè miſerabiles edentem vidiſſent, omnis eorum lætitia in graues mœrores mutata eſt. Tanta enim rabie interdum agitabatur, vt fratres eo relicto omnes diffugerent, nec quiſquam eſſet qui opem ei adferre auderet. Igitur à fratrum conſortio, & communi menſa remotus, cœpit graui ſuſcepti ſtatûs tædio laborare, & in miſeranda ſolitudine contabeſcere: & tandem, vt fieri ſolet, longa animi ægritudine victus conſilium inire, vt vel ad ſæculi delicias rediret; vel ſi hoc minùs ex voto ſuccederet, vitam inuiſam vio-

lenta morte abrumperet. His cogitationibus inter nocte dieq; æstuans, & modò consentiens modò acriter resistens, Suitberti assidnò opem implorabat; qui nocte quadam adesse visus, eum ad constantiam in Dei seruitio ad vltimum vsque spiritum seruandam, hortatus; &, vt intelligas, inquit, quanta vos oēs in hoc loco Deo seruientes solicitudine complector: eccè infirmitatem tuam aufero. Perge igitur & strenuè in DEI laudibus perseuera, fratribusque, vt te in societatem recipiant, denuncia. His dictis, disparuit; & ipse sanitatem consequutus, suauissimum virtutum omnium odorem toto vitæ suæ tempore præbuit.

Lunaticum sanat S. Suitbertus per visum.

## *VITA S. SIVIARDI ABBATIS Anisolensis, per quendam eius contemporaneum.*

*Claruit temporibus Theoderici Regis Francorum, cuius regni anno 8. ex hac vita migrauit, qui fuit Christi Domini 604.*

Vide Cæs. Baron. Notat. Martyr. Rom. Tom. 8. Annal.

1. Martij.

NAtus est Sanctus Siuiardus in pago Cenomannico, nobili admodùm prosapia, patre scilicet Sigiranno; matre verò insigni pietate fœmina Adda. Et quidem Siuiardus in primo adolescentiæ flore, inter cæteros coætaneos illustre semper eximiæ pietatis specimen præbuit: ætatem moribus transcendens. Labores in litteris incredibili alacritate ferebat: nullisque poterat diuinæ sapientiæ epulis satiari: & quanquam maturâ esset sapientia præditus, tanta tamen modestia erat, vt nihil nisi de consilio doctissimorum agere, nihil attentare vellet. Cumq; Doctoris interdum officio fungi cogeretur, tanta id modestia, tantaq; suauitate exequebatur: vt ab

Genus Siuiardi & patria. Mores eius & studia in adolescētia.

obe

oreeius, discipuli auelli non possent. Cùm autem verborum sententiarumq; grauitate, plurimos à prauitate vitæ ad honestatis studium traduceret; tùm id multò excellentiùs, clarissimis virtutum exemplis faciebat.

Itaque vt se totum diuinarum rerum studio liberius daret, crucemq; omnibus suis cupiditatibus defigeret, ad monasticæ vitæ disciplinam confugit: quam tanta constantia tantaq; mentis altitudine coluit, vt cunctis maximarum virtutum ornamentis cultissimus, communi fratrum consensu sacerdos & pater omnium eligeretur. Erat omnibus alloquio suauis. Senioribus honorem condignum, æqualibus pietatis affectum, iuunioribus rigorem disciplinæ: cum summa mansuetudine exhibebat. Sacrarum erat vigiliarum patientissimus; Corpus ità castigabat vt spiritui seruire cogeret, non opprimeret. Antè omnia verò pauperum, & egenorum curam indefessam habebat, omniumque, quauis aduersitate oppressorum, patrocinium cum gaudio suscipiebat. Summam perfectionem, in ardenti charitatis studio, quod proximi necessitatibus consulebat, repositam putabat.

Complectitur vitam monasticã.

Catalogus virtutũ eius

Post genitoris sui sancti Sigiranni decessum, fratres ex Anisolensi monasterio, eum sibi pastorem constituerunt. Qui cura animarum susceptâ, societatem illam pace & ocio sancto constituto florentem, omnibusq; bonis mirificè affluentem effecit. Vbi tanquam sol inter astra virtutum omnium splendore collucens, vitam miro modo consummauit; nam vt corporis ægritudine oppressus, ad cælestem palmam tetendit, frater quidam, tota mentis acie diuinis rebus intentus, lumen quoddam summæ claritatis sibi appropin-

Creatur Abbas Anisolensis.

Præclara eius mors.

quare vidit. Quo viso timore & gaudio pariter correptus, contemplatur manifestò, duos Apostolos Petrum & Paulum, quorum honore animus Siuiardi decorata miro fulgore candebat. Prout verò hæc contemplantem & Dei bonitatem omnibus laudibus extollentem accessit Siuiardus, Ego quidem, inquit, ô frater nunc graui carnis carcere liberatus, Christi gratia & bonitate ad sempiternam lætitiam pergo. Tu autem frater mi has logias, quas germanæ meæ, eiusque sororibus paraui deferto.

Quis non miretur huius sancti eximiam in fratres charitatem, qui illam amoris in proximos flammam, nè tunc quidem extingui passus est, cùm iam à corpore auulsus, ad cælestem patriam properauit? Hoc enim semper in vita præstitit coluit, hoc noctes diesq; animo agitauit, quomodo cum propriæ etiam salutis dispendio, aliis consuleret. Fratres suos hac vna sæpius ratione consolabatur, quòd singulari Dei beneficio ab aduersa vitiorum tempestate, ad tranquillum tandemumq; religionis portum translati essent. Quare monebat & inculcabat assiduò, vt nullis temptationum procellis frangerentur, nullis impetuni hostis conatibus cederent, sed constantes vsque ad extremum vitæ spiritum in Dei obsequio persisterent. Fore namque, vt in vltimo vitæ discrimine, fructum, quem iàm propter cęcas errorum tenebras, quibus mens humana miserè inuoluta est ignorant, clarius cognoscerent, & abundantius reciperent.

Ad perseuerantiã suscepti propositi, semper hortabatur monachos.

VITA

## VITA S. CEADDAE, EPISCOPI, Merciorum & Lindisfarnorum, ex ea quæ est per Bedam lib. 3. cap. 28. & lib. 4. cap. 2. & 3. Ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum. Ordinatus est anno Domini 664. Obijt verò anno Domini 672. Adeodati Papæ 4. Constan. Pogon. Imp. 5.

Vide Cæsa. Baronij. not. in martyr. Rom. Item Tom. 8. annal. Ecclesiast.

CEadda Abbas monasterij Lestingaheu, qui fuit frater reuerendissimi Antistitis Ceddi, cùm sanctitatis opinione clarus esset, & rerũ diuinarũ cognitione egregiè instructus, quã pręclaris admodùm operibus exornabat, vocatus à rege Alchfrid Cantiam, antistes ibidem à VVini Episcopo (qui solus tunc temporis in vniuersa Britannia legitimè ordinatus inueniebatur) consecratus est. Successit autem in locum Archiepiscopi Deusdedit, qui iam multis clarus virtutibus, vitæ cursum consummauerat. Id temporis Britannia quadã erroris opinione de celebrando Dominico Paschæ die laborabat, nec erat episcoporũ quisquã, præter vnum VVinum canonicè ordinatus. Ceadda aũt magno studio & labore ecclesiasticæ veritati curam impendebat, vniuersamq; terram, Apostolico more, pedibus peragrabat.

2. Martij.

Cosecratus Episcopus.

Interea Vitalianus Romanæ Ecclesię Pontifex, Theodorum à se Episcopum consecratum in Britaniam cum potestate summa misit, vt & animos hominum erroribus liberaret, & ea quæ ad benè beateque viuendum spectarent, ordinaret. Ceaddam itaque Episcopum cùm argueret, diceretque pontificium munus cõtra sacras constitutiones administrare, respondit ille; Ego quidem me hoc munere semper indignũ iudicaui, lubẽsq; me eo ô Theodore, abdicabo; nam nisi me ad hoc obedientia compulisset, suscepissem nunquam.

Vitalianus Romanæ Ecclesiæ Pontifex.

Insignis humilitas eius.

Hac humilitatis voce & Theodoro satisfactum egregiè fuit, & viri virtutem admirans, in Pontificia eum dignitate confirmauit.

Eo tempore prouinciæ Merciorum Rex Vulfhere præerat, qui in demortui Iarumanni Episcopi locum sibi suisq; à Theodoro Episcopum postulauit. Et quia Ceaddæ virtutes multis rationibus perspectas habebat (qui vitam tunc temporis in monasterio suo tranquillam agebat) hunc potissimùm desiderabat; obtinuitque tandem à Rege Oswi (in cuius ditione erat) vt gentis Merciorum & Lindisfarorum Episcopatum administraret.

Pro monasterio construendo, quantum illi Rex contulerit.

Rex autem Vulfhere pietate viri & candore morum eius mirum in modum delectatus, donauit illi terram quinquaginta familiarum, ad construendum monasterium in loco Etbearue; id est, ad Nemus, in prouincia Lindissi. Episcopalem autem sedem habuit in loco qui vocatur Lieicidfelt, in quo & defunctus ac sepultus est. Fecerat sibi domicilium non longè ab ecclesia remotum, in quo quoties à labore & ministerio verbi vacabat, cum paucis monachis diuinarú rerum contemplationi operam dabat.

Postquàm autem duobus cũ dimidio annis ecclesiam suam cum summa pietatis laude rexisset, adfuit tempus quo ad sempiternam gloriã vocabatur. Erat fortè, cũ vno summæ perfectionis monacho, quem Ovvinum appellabãt (qui regiæ domus administratione, cui præfuerat, relicta, monasticã vitã apud S. Ceaddam profitebatur) in suo domicilio, & ille quidẽ clauso cubiculi sui ostio diuinis attentè rebus vacabat, hic verò (quia diuinarum rerum studio minùs idoneus habebatur) eò acrius omne studium operi manuum impen-

Ovvinus egregius monachus, ex præfecto aulæ regiæ.

pendebat. Contigit interea ab Ovvino lætas suauissimè canentium voces per aëra audiri, & quasi cœlo ad terram descendere, ipsumque cubiculum in quo Episcopus erat, circundare, transactoque quasi dimidiæ horæ spatio, rursùs de terra ad cœlos ascendere: Ovvinus hac rei nouitate attonitus, dùm animo solerti scrutatur, quid sibi voces illæ suauissimæ prætenderent, Episcopus dato signo Ovvinum ad se vocat; mandatque vt omni mora postposita fratres, qui in ecclesia erant, conuocaret; qui mox ad mandatum adsunt. Tùm Episcopus, orationem pietate plenam instituit, qua omnes & singulos admonuit, vt mutuam charitatem & beneuolentiã colerent. Instituta quoq; disciplinæ regularis, quæ vel ab ipso didicissent, & in ipso vidissent, vel in Patrum dictis aut factis inuenissent, indefessa contentione sequerentur: deinde obitûs sui diem iàm proximè instare dixit.

Angelorum concentus.

Ceadda prædicit obitũ suum.

Ovvinus autem congregatione fratrum soluta, solus accessit, & toto in terram corpore prostratus: Obsecro te, inquit, mi pater, quidnam erat canticum illud cæleste, quod audiui? Cui ille; Si voces carminis audisti, præcipio tibi in nomine Domini, nè eas antè obitum meum cuiquam pandas. reuerà autem Angelorum spiritus fuerunt, qui me ad cælestia præmia vocabant. & post dies septem hoc mortalitatis ergastulo solutum, secum adducturos promiserunt. Quod quidem vt ei prædictum erat, ita opere completum est.

Erat autem vir diuinus, cùm cæteris maximarum virtutum laudibus præditus, tùm diuini numinis timore ità omnia vitæ suæ consilia moderabatur, vt nihil nisi prius diuino iudicio ob oculos posito, ageret, nihil nisi mentem diuinam consuleret, attentaret. Memoriam nouissimorum ità

Timor Domini, quam efficax in viro sancto.

profundè cordi suo infixã gerebat, vt si fortè vehementior venti flatus insurgeret, continuò misericordiam Domini inuocaret: Si violentior ira insisteret, procidens in faciem obnixius oraret. Si cælũ aliquo tonitrui fragore emissis ignibus coruscaret, statim ad ecclesiam conuolaret, nec prius à precibus, quam optata serenitas rediret cessaret. Cũ autẽ à suis interrogaretur, quarè hoc faceret: respõdit vir sanctus; Nõ legistis, quia intonuit de cælo Dominꝰ & Altissimus dedit vocem suam. Misit sagittas suas, & dissipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos? His aliisque multis signis à Deo ad nos missis, de calamitatibus, quæ propter impenitas scelera & flagitia communibus rebus impendẽt, præmonemur, vt arcum illius in nos intentum vitæ conuersione fugere, & tela sanctissimo illius cultu retundere valeamus. Repræsentat nobis hoc metu extremi iudicij seueritatem, vt fastum & insolentiam humanæ mentis comprimat, & animos nostros à scelere deterreat: Non igitur iudicia illius horrebimus, non metu illius perterriti omnia à nobis flagitia repellemus? Quare quoties Dei beneficio admonemur, non oportet eos ad maiorem audaciam instituti sceleris eo abuti, sed intimos animi nostri recessus excutere, nè quid in nobis, sit; quod oculis diuinæ maiestatis displiceat.

Quid agendum dùm grassatur tempestas.

Psal. 17.

Obijt autem Ceadda sexto die Nonarum Martiarum, & sepultus est quidem primo iuxta ecclesiã S. Mariæ: sed postmodũ ibidẽ cõstructa ecclesia beatissimi principis Apostolorum Petri, in eandẽ sacra eius ossa translata sunt; vbi quidam phreneticus laborans, sanitatem consecutus est. Fuit insuper mirum erga sacras eius reliquias pio-

Miracula eius post mortem.

rum

nm deuotionis ſtudium. Nàm vt plurimi ipſos pulueres ſtudiosè collectos in aquas miſerunt, earum hauſtu varios corporis languores depule, runt.

## MARTYRIVM SS. MARINI ET ASTERII, *ex eo quod Euſebius in Eccleſiaſtica hiſtoria lib. 7. cap. 14. refert. Paſſi ſunt Chriſti Anno 262. Dionyſ. Pap. 2. Valer. & Gallien. Impp. 8.*

Vide Cæſ. Baron. Ann. Tom. 2.

TEmporibus ijs cum ſumma eccleſia Chriſti pace frueretur, Marinus vir & genere illuſtris & diuitijs locuples, capitis, propter Chriſti teſtimonium Cæſareæ Paleſtinæ, damnatus fuit. Cùm enim præcipuum inter alios, in Romano exercitu dignitatis gradum obtineret, & ordo poſtularet vt maiore quodam honore (qui κλῆμα appellatur) potiretur; adfuit fortè qui, gratis ambitionis peſte correptus. Marinum pro tribunali comparentem in crimen vocaret, quod relictis dijs patrijs, Chriſti fidem ſectaretur. Iudex (qui Achiuus erat genere) vehementer cõmotus, quod Marinũ vultu animoq; imperterritũ, nõ modò negantẽ, ſed conſtãter Chriſtianæ fidei religionem profitentem audiret, trium horarum ſpatium ad deliberandum ei conceſſit.

3. Martij.

κλῆμα dignitas apud Romanos: quam qui adipiſcuntur, eos Centuriones fieri aiunt.

Mox igitur è iudicio excedentem Theotecnus, qui ciuitatis illius erat Epiſcop⁹, ad colloquiũ inuitat, & manu prehenſa ad eccleſiam recta deducit; ipſumq́ue ſanctuarium cum eo ingreſſus, ſacroſanctum Euangelij librum adfert. Tùm gladium, quo erat præcinctus, ex vna, ex altera verò parte librum oſtendit, præcipitque, vt quod magis ex animi ſententia eſſet, deligeret. Vbi verò omni

Theotecnus Cæſarienſis Epiſcopus.

omni cunctatione remota librum accipit; Age inquit Theotecnus. Tene quod habes, & Domi hæresce, cuius spiritu roboratus gloriâ æternum pro caduca consequêris. Abi in pace. Mox indè deuntem præco pro tribunali aduocat, qui cùm maiorem, quàm anteà, fidei ardorem ac studium declarasset, actutùm indè, vt erat, ad mortem tracta abductus, martyrio coronatus est.

Marinus cæditur.

Asterius etiam, vir è senatorum Romanorum numero, cum Imperatoribus inprimis charus, tum omnibus & nobilitatis & facultatum gratia conspicuus, in eadem ciuitate propter diuinam animi propensionem, omnium sermone celebrabatur. Qui cum martyri ipso mortis articulo adesset, simulatque è vita migrârat cadauer sublatit, & splendida ac preciosa tectum veste, humeris impositum, decenti sepulcro condidit.

Asterius senator, Marini corpus mandat sepulturæ.

Huius viri familiares, cum alia infinita præclara eius facta, tùm istud inprimis, quod sequitur, plenum admirationis, memorant. Cæsaræ Philippi, quam Phœnices Paneada vocant, ferunt victimam quandam in fontes (qui illic ex radicibus montis Panei, prorumpunt, ex quibus Iordanem profluere dicunt) in quadam diei festi, Gentilium celebritate, mactatam conjici, atque eam dæmonis vi ac potestate mirandum in modum ab eorum aspectu euanescere, miraculumque videri præsentibus valdè memorabile. Quibus Asterius quodam tempore fortè interfuisse asseruit; ac cum videret tam multos illius rei admiratione obstupefactos, eorum erroris admodum misertus esse. Deindè sublatis in cœlum oculis Deum omnium rerum moderatorem per Christum supplicem precatum, vt dæmonium illud, quod populum tãto errore cæcauisset, comprimeret, ipsumque

Iordanis vndè profluat.

Asterij virtus, in populo ab errore reuocando.

ne à fraude ac fallacijs, quas hominibus solet
rendere, coerceret. Hoc modo cum Deum o-
sset, repentino victimam fontibus supernatas-
e, atque ita rem illam quam tantoperè mirari
consueuerant, in nihilum interijsse; vsque adeò
nullum inposterum in eo loco ex ea omninò
eteretur miraculum.

Fit autem martyrij palmam consecutus cùm supradicti martyris extremis interesset exequijs, & capite cæsum cadauer subiectis suis humeris, & substrata, qua induebatur veste exciperet. Asterius martyrio occumbit.

*VITA SS. MARTYRVM HEMITERII, & Chelidonij Calagurit anorum, filiorum Marcelli Centurionis; ex ea quam Prudentius pulcherrimo versu cecinit. Martyrij coronam percepêre Christi Anno 298. Marcelli Pap. II. Diocletian. & Max. Impp. XV.*

Vide Cæs. Barō. Tom. 2. Annal.

HEmiterius & Chelidonius militaris gloriæ laude insignes, postquàm multo tempore Cæsari præclaram in rebus bellicis operam nauâssent, secumque animis reputarent, longè clariorem eam esse gloriam, quæ ardenti mentis studio, vni Christo, abiectis cruentis sæuæ militiæ armis, militat: consilium inter se inierũt, quomodo à Cæsaris castris ad cælestia se transferrent. Atrox tunc summæ crudelitatis tempestas in Christianæ fidei cultores grassabatur, omnesque omnium generum homines per horrenda supplicia ad impium deorum cultum quærebantur, cùm hi duo præclari milites mutuis cohortationibus se ad certamen pro Christi gloria subeundum excitabant. Nosne, dicebant, ad immortalem gloriam creati, & preciosissimo conditoris

3. Martij.

Mutua cohortatio, ad certamen subeũdum.

ditoris noſtri ſanguine redempti, perituris diuitijs ſerniemus? & ad Dei ſimilitudinem fictis ſe-matique terrenis fæcibus immorabimur? Nunquid ad ludum, ad iocum nati ſumus? Nunquid ad inanem gloriam, duriſſimo huius militiæ ſtudio conſectandam procreati? Pudeat diutius cæcis errorum tenebris inuolui, quin potius ad veriſſimæ virtutis & ſempiternæ gloriæ excellentiam aſpiremus.

Tribuno militiæ ſe ſiſtunt ac Cæſaris militiæ renunciãtes liberè Chriſtum profitentur.

His cohortationibus mutuis egregiè confirmati, alacri animo ad militiæ tribunum properant, aureaque collo detracta torque, militiæ renunciant. Hactenus, inquiunt, Cæſari militauimus: nunc verò, quoniam ſummus ille Imperator clariorem benignitatis ſuæ lucem mentibus noſtris immiſit, & ad cæleſtis gloriæ præmia vocare dignatus eſt, certum deliberatumque eſt ad illius caſtra tranſire. Clariſſima enim Angelorum ſtipendia vehementer nos inflammant, vt pro Chriſti ſummi æternique Dei gloria ad extremum vitæ ſpiritum decertemus. Nam ij, quos vos deos putatis, diuiniſque honoribus, cæci ſcelere & amentia, afficitis, vaniſſima ſunt ſimulacra, nec vllam vobis opem aut ſalutem præſtare poſſunt.

Iniiciuntur eis vincula.

Hæc cum magna animi libertate & conſtantia dixiſſent martyres, varia ſtatim ſuppliciorum genera parantur. Et primo quidem rigidiſſima manibus iniecta vincula, grauiſſimoque ferri pondere onerati ſunt: multiſque catenarum amplexibus circũdati, ad ſupplicium tracti. Factum eſt verò (vt refert Prudentius) temporum malitia & tyrannorum ſcelere, qui martyrum præclara certamina ex omni memoria hominum tollere conati ſunt, vt multæ chartæ, quæ res geſtas illuſtriſſimorum martyrum continebant, interciderint: atque

aque hoc modo horum martyrum certamina, magna ex parte interierint.

At verò cùm in certaminis loco præclari martyres consisterent, fideique suæ rationem inuictis animis testarentur, mirabilis quidam splendor circa eos apparuit, qui instar candidissimę nubis paulatim sursum ascendit, donec prouolutis in terram genibus martyres Christo ardentius supplicarent, & sic ipsum cælum penetrare visus est. Cæduntur gladio martyres.

Perbat hoc spectaculo, ingenti horrore perfusa, multitudo populi, ipseque carnifex pauore tabescens manum retrahebat; qui tamen, nè optata martyres gloria diutiùs fraudarentur, ictum peregit.

Præclara apud eorum sepulcra eduntur miracula nam & dęmones ab obsessis corporibus prę- Miracula apud eorum sepulcra. senti martyrum virtute fugantur, & homines in scelere obstinati, si fortè accedant, horribili cruciatu torquentur. Alij à prauitate vitæ ad honestatis pietatisque studium excitantur. Alij à varijs languoribus mirabiliter curantur; nemoque nō, quicunque accedit, martyrum virtutem, Christi gratia & benignitate experitur.

## VITA SANCTI CALVPPANI RECLVSAE ea quæ est per Gregorium Turonen. Episcopum. Migrauit è corpore Anno Domini 579. Pelagij Pap. secundi 2. Iustini Iun. Imp. 14.

Vide Cæsar. Baro. Tom. 7. Annal.

3. Martij. Caluppanus ab ineunte ætate monachus.

CAluppanus cùm ab ineunte ætate miro pietatis studio flagraret, tradidit se monasterio Meletensi apud terminos Aruernos; vbi tanta vitæ austeritate, tantaque cibi parcimonia diuinis rebus incumbebat, vt communem cū fratribus manuum laborem, nimia inedia attritus

tritus, ferre non posset. Factum itaq; est, vt & fratres, & ipse monasterij Præpositus tarditatem illi exprobrarent: indignumque dicebant (ni parem cum cæteris operam faceret) qui panem omnibus sumeret.

Caluppanus assiduis his exprobrationum verbis fatigatus, vallem haud procul à monasterio conspicatur; de cuius medio, lapis, natura præbente consurgens in excelsum, quasi quingentis aut amplius pedibus prouehitur: nullam penitus cum circumpositis montibus habens coniunctionem. Cuius vallis medium fluuius alluit, qui huic montem placidè contingens, dilabitur. In huius ergò lapidis scissuram (quæ priscis quondam propter transitum hostium receptaculum fuit) eremita sanctus ingreditur, & exciso lapide habitacula statuit: in quæ nunc per scalam valdè difficilem scanditur. Locus etenim ille tàm difficilem ascensum præbet, vt etiam ipsis feris magnã molestiam exhibeat. Hoc in loco oranti (vt ipse nobis cum lachrymis referre solitus erat) serpentes super caput eius frequenter decidebant, ingentemq; horrorem, spiris suis collum inuoluentes, inferebant. Sed fuit hoc antiqui serpentis, inuentum, qui hoc eum terrore à suscepto cursu auocare contendebat.

**Caluppani mirabile habitaculum.**

**Dæmonum insidiæ.**

Nam cùm ille immota mentis acie in oratione permaneret, nec posset his terroribus frangi: eccè duo immensæ magnitudinis dracones adfuêre, quorum vnus altero validior, erecto pectore se totum contra os B. viri erexit. At ille ingenti pauore correptus obriguit, & omnium membrorum officio destitutus, lapidis instar corruit. Hac oppressus formidine, cùm quid ageret, ignoraret, resumpto spiritu, quia lingua non poterat,

erat, mente orationem Dominicam protulit; noxque membra, quæ inimici arte reuincta erãt, paulatim, ad officium redire cœperunt. Tum vir Dei protensa dextera, ori immanis hydræ crucis signum impressit, ac diuinorum virtute verborũ in fugam compulit. Interea alius obuolutus B. viri pedibus insidias struebat, cui vir Dei in Christi nomine abire iussit. Qui protinùs valido cum sonitu recedens, tanto cellulam fœtore repleuit, vt non dubia sui nominis indicia relinqueret.

Signo crucis fugat draconem.

Erat autem Caluppanus assiduus diuini numinis cultor, tantaque suauitate cęlestium rerum considerationi inhærebat, vt vel à lectione vel oratione vacaret nunquam. Cibum panis monasterium ei benignè suppeditabat. Si verò aliundè quippiam à fidelibus ad se delatum esset, hoc eximio charitatis affectu egentibus distribuebat. Piscem interdum de flumine sumebat, qui ad sancti voluntatem confestim aderat. Illud verò inprimis diuini viri pietatem illustrem reddit. Cùm non sine magna difficultate, aqua è profundo vallis hauriretur, supplicibus à Deo precibus obtinuit, vt fontis vena in ipso cellulæ suæ habitaculo scaturiret, quæ eam aquæ copiam præbebat, vt sibi & ministro suo sufficeret. Accessit quodam tẽpore Auitus Episcopus mecũ ad mirabilẽ viri vitã studiosius cõtemplandã, à quo diaconatus ac presbyterij gradum consecutus est, qui hęc officia summo cũ corporũ tũ animarum fructu exercebat. Nec tamẽ ea propter sese in publicum dabat, sed per fenestellã de rebus diuinis suauiter disserebat, & sacro sanctæ crucis signaculo mirabili virtute diuersa morborum genera fugabat. Denique in hac sacra religione, vitę cursum quinquagesimo ætatis suæ anno feliciter consummauit.

Assiduo legit vel orat.

Benignitas eius in egenos.

Fontem à Deo impetrat.

Caluppanus fuit presbyter.

Vide Cæsar. Baronium in not. martyr. Rō.

# *VITA S. CHVNEGVNDIS IMPERATRICIS & virginis, ex ea quæ est apud Surium. Claruit sanctitate circa annum Domini 1030.*

2. Martij. Imperatores, in coniugio virgines.

CHunegundis quamuis sacro matrimonij vinculo Henrico secundo Romanorum Imperatori copulata esset, puritatis tamē amore acriter incensa, ab omni se libidinis contagione ad extremum vitæ spiritum illibatam conseruauit, quod clarissimo ipsa testimonio (dùm veritatis virginitatisque hostis multis mendacijs & calumnijs eius pudicitiam traducere conaretur) cōprobauit: nam & ignitos vomeres illæsis plantis calcauit, & omnem ignis sruitiam egregiè superauit. Cum autem summa Imperij gloria floreret, maximosq; ad omnē luxum exercendum stimulos haberet, eos ita pietatis studio repressit, vt opes omnes & facultates ad Christi gloriam illustrandā transferret. Templa igitur & monasteria regali magnificentia erigebat, opibusque quæ ad vitam tranquillè beatēq; traducēdam necessariæ videbantur, dotabat. In loco Bambergensi ecclesiam eximio operē sub Apostolorum principis & Georgij martyris patrocinio statuit, cui pari elegantia monasterium ad Aquilonarem plagam, in honore S. Michaelis Archangeli, sub regula B. Benedicti successit. Terriam deindè sub ordine Canonicorum protomartyri Stephano dedicauit, quam Benedictus Pontifex solēni ritu consecrauit. His accessit monasterium Saluatoris nostri Iesu Christi, quod sacris virginibus sancti Benedicti regulam sectantibus, donauit. Ardebat incredibili virgo sancta pietatis amore omnibusque modis diuini numinis cultum amplifi-

Nudis plantis, ignem illæsa calcauit.

Liberalitas Chunegundis in monasteria & ecclesias.

plificatum cupiebat. Cumque Henrici sui voluntatem pijs his operibus mirificè consentientem haberet, nullum non monasterium vel nimia antiquitate collapsum, vel opibus exhaustum; eximia eius pietate egregiè refectum fuit. Et quidem Henrici Imperatoris, omnibus maximarum virtutum ornamentis exculti ssimi vita & res diuina virtute gestæ, litterarum monumentis ab Adelbodo Vltraiectensium Episcopo illustrata sunt; nunc ergo Chunegundis, cuius in terris conuersatio cælestis fuit, vitam in oculis omnium constituamus, quò ad similem pietatis gloriam incitemur.

Adelbodus Episcopus Vltraiectensis, scripsit huius S. Imperatoris vitam, teste Sigeberto.

Postquam Henricus vitam hanc cum meliore commutasset, cœpit virgo Dei acriùs ad rerum diuinarum intelligentiã aspirare: & diurno quidem tempore assiduo studio benignè faciẽdi disciplinã excolebat, omniumq; necessitatibus larga manu consulebat; nocturno verò, mentis altitudine in cælo versabatur. Mòx autem vt Conradus in defuncti locum ad regni gubernacula ad motus fuit, omni terrenarum rerum cura expedita, Christo arctissimo sanctissimoque religionis vinculo se cõiunxit. Aderat Anniuersarius trãsitus Henrici dies, cùm Archiepiscopos ad Confugiensis ecclesia dedicationem inuitauit; & eccè inter Missarum solennia imperiali decentissimè cultu ornata, summũ ante altare virgo Deo deuota processit, ibiq; crucẽ è ligno in quo Christus pro generis humani salute mactari sustinuit, obtulit. Deindè peracta Euangelij lectione, regalem auri fulgore micantem vestem, cunctis obstupescentibus à se proiecit, & tunicam fusciorem, quam suis ipsa manibus texuerat, induit. Postremò mundanæ gloriæ vanitatem, præcisis capillis, excelso

Mortuo Henrico, in religione Deo se cõsecrat.

S. Chunegundis, monasticum induit habitum.

admodum animo dãnauit, & sacrum ab Episcopo velum gratulabunda accepit. Nemo qui tanto spectaculo intererat, lachrymas continere potuit, cum principem fœminam summis opibus affluentem, cuncta despicere & pro nihilo reputare, & Christi amore vehementer incensam, incredibili mentis alacritate rerum omnium inopiam appetere cernerent. Sacris igitur hoc modo ædibus libenter inclusa, admirabile virtutis specimen cunctis præbere, & non modo sese, sed omnes ibidem Christo seruientes mirabiliter ad cælestium rerum amorem excitare cœpit. Diuinarum rerum considerationi noctes cũ diebus iungebat, nec prius in somnum fessa declinabat lumina, quam extrema lassitudine opprimeretur; & tunc quidem delicata virginis membra, no lectus mollibus suffultus plumis, sed duro stratus cilicio excipiebat.

Sacris sedibus libenter includit.

Lectus eius cilicio instratus.

Accidit quandoque, vt sacra quædam puella sacros illi de more codices prælegeret, cumq; in multã noctem lectio protracta fuisset, caligantes oculos clausit, lumenq; manibus elapsum, ingentem flammã excitauit, suaq; sæuitia extremũ exitium minabatur. Clamore igitur cum miserabili eiulatu, cunctos ad auxilium excitabat, cum Chunegundis colluctantes inter se flammas signo crucis repressit, seque suasque ab interitu liberauit.

Signo crucis, incendium extinguit.

Habebat secum sororis suæ filiam Iuttam nomine, sacris ædibus inclusam, quæ à primis annis, optimis disciplinis nãbuta, & litterarum cognitione non mediocriter instructa, materteram nõ minus religionis quam dilectionis amore secuta fuerat. Cumq; mirifico virtutum suarum splendore, omniũ sibi animos egregiè cõciliasset, tùm facilè materterã singulari sua modestia & prudẽtiæ

tiæ opinione eò adduxit, vt primam in ipso cœnobio eam Abbatissam constitueret: quæ tamen postquam ad eum honoris gradum euecta & libertatem assecuta fuit, paulatim seuerioris disciplinæ obliuiscì cœpit. Matertera vt statim diffluentes mores animaduertit, indignè admodùm patiebatur pietatis cultum in ea interire, per quã cæteri excitari debuissent. Grauissimis igitur verbis eam cùm priuatim tum publicè ad veteris disciplinæ seueritatem reuocare institit; deindè orare & obsecrare, nè vellet se suasq; prauitate vitæ in sempiternum animarum periculum adducere; sed cùm nullam melioris frugis spem daret, velut materteræ patrocinio aut familiaritate vanè confisa, & quadam diè, cæteris diuinis rebus operam nauantibus, cum quibusdam in conclaui epulantem reperisset, zelo pietatis armata cum verbo correptionis, dexteram eius maxillam percussit: quæ, quasi sigillum quoddam, formã digitorum, toto vitæ suæ tempore retinuit. Fuit hoc nõ modo illi acerrimus deinde ad virtutẽ stimulus, sed plurimos (ad quos huius rei memoria peruenit) à vitijs ad melioris vitæ frugem reuocauit.

Iuttam neptem suam, Abbatissam constituit.

S. Chunegun discedit dissolutam Abbatissam.

Quindecim in monasterio annos incredibili vitæ austeritate vixit, omnibus tamen suauis admodum & benigna. Nihil erat eius seueritate iucundius, nihil iucunditate seuerius; tristis in risu, in tristitia suauis; tandem diutino vigiliarum & ieiuniorum labore grauata, in morbum incidit; qui quotidiè infestior factus, tẽpus adesse indicauit, quo ad sempiternã coronã vocanda erat. Interim ex more regales tanq; Imperatrici parabãtur exequiæ; aurea feretro obtendenda proferebãtur velamina: cui illa, cõiectis oculis, Amictus iste, ait, nõ est meus, auferte hinc. Ornatus hic alienus est;

15. annos vixit in monasterio.

Non vult vt Imperatrix,

sedvt sancti monialis sepeliri.

istis terreno sponso, & his cælesti sum copulata. His miseræ carnis vilem materiam inuolute, eorpusque iuxta tumulum fratris mei, ac domini Henrici Imperatoris componite. His iam dictis, in manus Domini spiritum commendans, carnis sarcina abiecta, ad suum animæ reuolauit authorem. Funus in Bambergensi ecclesiá cum insigni mœstitia gaudio tamen conjuncta curatum fuit. Sanctitatis eius merita, multis per orbé manifesta signis apparent. Nam & infirmi, quacunq; ægritudine oppressi, sanitatem recipiunt, & mentes in scelere pertinaces, & horrenda peccatorú caligine inuolutæ, illustrantur.

Moritur.

Præclara ejus miracula post obitū.

Anno incarnationis Domini 1189. Indictione secunda, Tremone tertiodecimo Bambergensis Ecclesiæ Episcopo, quarto sui Pontificatus anno, ad vincula S. Petri, dùm populus solito more ad sacrum virginis tumulum, orationum & vigiliarum causa adesset, dæmoniacus quidam, qui proprium filium, mente planè, ab omni pietatis & sceleris cognitione alienata flammis exussérat, duris constrictus funibus adfuit, statimque aliorum adiutus precibus, præceps furor & amentia cessárunt, & linguam horrendas anteà blasphemias vomentem, in Dei laudes laxauit. Mox alius quidam omnium membrorum officio miserè destitutus, adductus fuit, qui optatam etiam salutem multis ibidem precibus consecutus est. Huius rei fama alij duo excitati, eandem sanitatis gratiam adepti sunt.

VITA

## VITA S. VVINVVALOCI ABBATIS;

*Sanctitate & miraculis clarissimi: ex ea quam F. Laurent. Surius eruit ex M. S. Codicibus. Floruit temporibus S. Patritij, Hybernorum Archiepiscopi: qui claruit anno Christi Domini 431. & sequent. Teste C. Baro. 5. & 6. Tom. Annal.*

3. Martij.

Clarissimi natales eius.

BVVinwalocus, Patre quidem Fracano, præcipua in Britânia nobilitate (Cotonij quippè Britannici regis erat consobrinus) Christianáq; religione spectatissimo, Matre verò eximiæ pietatis matrona oriundus, tanto ab ipsis pueritiæ annis rerum supernarum cepit flagrare desiderio ac terrenarum contemptu, vt nullum non moueret lapidem, quò eum pij parentes cuidam viro Dei liberalium artium ac sacræ paginæ studijs traderent imbuendum. Tandem voti compos effectus pius puer, tam felices breui tempore, vt erat præstantis ingenij ac memoriæ tenacis, sub spiritali patre pro carnali iam amplexo, in vtrisque fecit progressus; vt quiuis adolescentis mentem copiosis S. Spiritûs benedictionibus prę-uentam illustratamque facilè aduerteret; quem & tum miraculorum gloria clarificauit. Vnius siquidem ex condiscipulis, communi directore orandi gratia longius profecto, cum socijs ludibundi ac per agros cursitantis crus fractum, ilicò pia ad Deum fusa precatione ac salutifero Crucis signo, summo omnium gaudio & admiratione, pristinæ sanitati restituit. Multæ porrò vt erat in pauperes ac miseros commiserationis, cũ non suppeteret quo eorum posset leuare inopiam, saltem animis aliquod adhibebat leuamen. Cæcum quendam ex languidorum turba seorsum

Felix profectus eius in literis.

Præclara eius miracula.

Fractũ crus sanat.

Ergà pauperes benigna

Cæcus visum recipit. Actor. 3.

abductum Apostolicis verbis illuminauit. Sorori quoque germanæ vno oculorum miserando casu orbatæ, eundem integrum ex anseris domestici, qui eum excusserat ac deglutiuerat, ventre ferro dissecto extractum restituit: anseremq; sanum ad gregem remisit.

Item Soror eius oculũ.

Intereà cum longè lateq; fama virtutum eius sese diffunderet; multi ad eum confluere ac in eius sese disciplinam tradere cepêre. Quorum vnus, cum aliquandò arcana diuinarum scripturarum elucidata mysteria accuratiùs repeteret, ac ruminaret, fortuitò (vt adsolet) somno correptus, à serpente mortifero ictu in pede appetitur. Intumescente interim corpore, morteq; subitanea iam imminente, summa celeritate accitus vir sanctus, aqua oleo à se sacrato permixta in potum ægro data, integrè eum sanauit: serpentem verò squamis horridum, linguamque vibrante trisulcam S. Crucis signo peremit.

A serpente percussum curat ac serpentem occidit.

Opilionem quendam, ouibus per campos dispersis, sæuissima exorta tempestate propemodum exanimé factum, lupisque rapacibus vndiq; circundatum, cum in monasterio degeret S. VVinwalocus, ab eodem piè inuocatus, mirabiliter ex hiãtibus eorum faucibus eruit. Quod quidem tam præclarum miraculum vanam totus abhorrens gloriam, eidem, alicui publicare, præcise prohibuit. Iuuené quoque nobilissimum, Fracani parentis eius equo in famoso quodam equestri certamine rapacissimo cursu volanti insidentem, ac (cum impetum diutiùs ferre non valeret) validissima inter aspera saxa excussione interemptum, sola oratione viuificatum, parentibus integrum ac robustum consolabundus reddidit.

Opilionem absens inuocatus à lupis liberat.

Humilitas eius.

Mortuum suscitat.

Cæterùm cum S. Patritij, qui hisce temporibus in

in Hybernia florebat excellentissimarum virtutum opinio ad beati VVinwaloci aures peruenisset, auidissimeque aspectu & colloquio eius perfrui exoptaret, apparuit ei idem beatus Antistes, vultu angelico ac capite aureo diademate coronato: eumq; post desideratissimos vtrinque collatos sermones est adhortatus, vt non se, sed Christum Dominum suis vbiq; præsentem inquireret, eumq; sibi vitæ præceptorem deligeret: copiosi quoq; quandoq; dominici gregis pastorem ac directorem eum fore prædixit. Hanc aũt visionẽ cũ vir Dei monasterij præfecto exposuisset, susceptis ab eodem cum solita benedictione 11. discipulis exercitatissimis, adq; ardua quæq; promptissimis, sola prouidentia diuina nisus incertum ingressus iter, tandem ad ignotam quandam insulam appulit: atque in ea triennio cum socijs eremiticam ducés vitam perdurauit. Eam demùm ob frequentes admodum tempestates, nimiamq; sterilitatem habitationi hominum planè incommodam deserere coactus, inuocato sacratissimo Christi nomine, mare magnum ac spatiosum (ò rem stupendam ac maris rubri prisco miraculo comparandam) virga pastorali percutiens ac aquas diuidẽs, cum discipulis consertis, vt iusserat, manibus, siccis pedibus pertransijt; atque ad certum locum cælitùs demonstratum, grata sanè amœnitate ac fructuum vbertate admodùm conspicuum perueniens, cum idem aquarum penuria laboraret, præfata virga, terræ puluerem designans, diuina virtute lympidissimum produxit fontem: pietatisque excitauit domicilium, non tam opere visendum quam optimis disciplinis clarum.

De S. Patritio consule 5. & 6. Tom. Annal. C. Baronij.

Apparet ei S. Patritius glorioſus.

Peregrinatio eius.

Exodi 14. Mare cum ſuis ſiccis pedibus tranſit.

Fontem diuinitùs producit.

Vacabat ibidem venerabilis Pater diu noctuque precibus, ieiunijs, alijsque exercitijs spiritualibus; eratque ei assidua colluctatio non tam aduersus carnem & sanguinem, quam aduersus principes tenebrarum, qui in varias horrendas sese transformantes formas, deuotionis eius tranquillitatem interturbare nitebantur strenuè. Quos ille quidem scuto fidei galeaque salutis benè munitus, S. Crucis triumphalem hastam cũ diuinæ scripturæ telis penetrabilibus in eos vibrans, facilè fudit ac penitùs prostrauit. Quæ verò orationis vis cæterarum eius virtutum ac miraculorum imbres complecti, digneque percurrere posset? Omnibus siquidem numeris absolutus omnia tam corporalium quam spiritualium defectuum ac morborum genera nullo penè negotio curabat. Cæci, claudi, surdi, leprosi paralytici, incolumes se ab illo redire lætabantur. Cuiusdam sui discipuli matrem defunctam, cũ iam ad tormentorum loca à dæmonibus perducerentur, liberauit atq; ad vitam reuocauit.

Spiritale eius bellum.

Varia eius alia miracula.

Defunctam viuificat.

Erat pater hic venerabilis, adspectu angelicus, sermone compositus, in Dei opere strenuus & indefessus, mente & corpore integer, ingenio perspicax, consilio magnus, in Dei proximique charitate perfectus. Vestis ei non lanea aut linea, sed ex caprinis erat pellibus. Lectus ei non ex plumis aut pannis mollibus, seu etiam ex paleis, sed ex durissimis arborum corticibus sternebatur. Sedes eius mollis erat arena lapillis permixta. Panis, quem quotidie eodem sumebat pondere hordeaceus erat, cineribus permixtus. Pulmentum ei fiebat ex farinula hordeacea & modico olere. Sabbatis & Dominicis diebus pisce & caseo vescebatur. Quadragesimæ dieb⁹, bis in hebdomada sume-

Catalogus virtutum eius.

Victus & amictus parcimonia.

sumebat cibum. Vinum & potionem omnem, quę ebrietatem adferre posset, haud aliter atque venenum repudiabat. Sed hæc pauca è plurib. commemorasse sufficiat.

Ab Angelo prænunciatur obitus eius.

Porrò cum iam plenus dierum nocte concubia ab angelo obitûs sui diem insequentem fore didicisset, ac manè ad se accitis fratribus exitum suum eorum precibus ac eos Deo commendasset, cunctaq; suauiter disposuisset; ad hòram tertiam incruentum obtulit sacrificium; sumptoq; cæleſti viatico, ita vt sacræ assistebat aræ, animam in manus creatoris efflauit. Corpus fuit multis cum discipulorum lachrymis honorificè ibidem tumulatum; multò verò post tempore occasione persecutionis Nortmannicæ translatum est Gardauum in Flandria ad S. Petri monasterium in monte Blandinio situm: cuius Translationis commemoratio fit Kalend. Augusti.

Ad altare reddit Domino spiritum.

Vide Io Molan in Indiculo SS. Belgij.

Ferbuit potissimũ anno Domi. 880. teste eodem in Chronico cap 12.

Vide Cæs. Baron. Anna. To. 3. & not. Martyr Rom. hoc die.

*ILLVSTRE MARTYRIVM S. HADRIAN, & aliorum 23. ex eo quod habetur optima fide apud Surium 8. Septemb. Passi verò sunt, sub Galer. Maximiano in oriente regnante anno Christi Domini 311. Eusebij Papæ 3. Constantini Imp. 6.*

4. Martij. Hic est dies natalis eius. 8. enim Septemb eius translatio celebratur.

IN diebus illis tyrannus Maximianus ciuitatẽ Nicomediam ingressus, omnibus illius incolis seuero edicto præcepit, vt quoscunq; nossent Christianæ religionis studio deditos, eos proderent, quò conceptum animi sui in Christianos furorem explere posset. Tanta namq; tyrannide in veræ pietatis cultores sæuiebat, vt partim suppliciorum metu, partim magnificis admodum præmijs propositis, alios ad aliorum proditionem cogeret. Miserandum sanè erat hoc spectacu-

Sæua Christianorum persecutio.

ctaculum. Vicini vicinos, amici amicos, propinqui propinquos, partim præmijs illecti, partim pœnarum metu territi tradebant.

Christiani vincti, offeruntur Maximiano.

Fuerunt tunc quidam egregij Christi fideles inter spelæa ferarum, nocturnis vigilijs ac precibus incumbentes inuenti, & protinùs ferro crudeliter vincti in ciuitatem adducti. Qui mox Maximiano oblati, interrogati sunt ab eo vndè essẽt, & vtrûmne audiuissent quænam essent constituta supplicia, omnibus Christianæ religionis cultoribus. Cui illi constanti animo responderunt:

Præclarè respondent Maximiano

Nos quidẽ hic nati, religione Christiani sumus: supplicia autem audiuimus, sed stultissimam illã iussionem, & mentem tuam in profundo impietatis demersam irrisimus. Quibus ait; Istanè vos iussa nostra à vesana mente profecta dicitis? Per deos magnos, inquit ad principes, extendantur & virgis crudeliter cædãtur, videamusq; quis Deus eorum de manibus illos meis eripiet.

Cæduntur neruis.

Hæc cum dixisset, tres crudelitatis ipsius ministri, crudis boum neruis armati præstò fuerunt, & verberibus eos fatigare aggressi sunt. At martyres, quorum inuicta erat virtus. Quin, inquiunt, ô hostis Dei, tres etiã alios adde; quò enim plures tortores fuerint, tanto pulchriores nobis contexes coronas. Maximianus hanc loquendi audaciam admirans, dixit ad eos; Infelicissimi mortalium, iam ego ceruices vobis præcidi iubeo, & vos coronas expectatis? Abiurate vanam hanc doctrinam vestram, ne in miserandum valdè interitum deuoluamini. Ad hæc martyres; Perdet te Deus, qui sine causa affligis seruos eius, nulli culpæ affines. His auditis, tyrannus immodico furore percitus clamauit: Lapidibus ora eorum cõtundite. Fecerunt protinus ministri quod iussi erant.

Ora eorum lapidib. contunduntur.

rant. At martyres maiori constantia, dixerunt; Prævaricator & inimice Dei, necdùm satiatus es pœnis nostris, nec horruisti tot horis crudeliter in nos sævire. Sed certè maiora te manent supplicia, quàm sunt nobis abs te illata. Acutissimi lapides tui maxillas nostras conterere non potuerũt, & nondùm, fili Diaboli, Christi Dei nostri virtutem agnosces? Ad hæc Maximianus ira vehementius inflammatus, Per Deos magnos, inquit, vestras ego linguas excindam, vt ex vobis discant mortales non contradicere Dominis suis. Sed dicite quænam mihi sunt supplicia, quæ minitamini, constituta? Cui martyres; Tu quæris, inquiunt, quæ supplicia? Illa ipsa quæ Deus diabolo & angelis eius, iusto iudicio præparauit; ignis inextinguibilis, vermis immortalis, & tormenta in omni sæculorum æternitate duratura. Maximianus, hac tam acerborum denunciatione suppliciorũ, vehemẽter irritatus, iam, inquit, linguæ vestræ excindẽtur; & conuersus ad ministros, præcepit vt martyres ferro per omne corpus cõstrictos in custodiam abducerent.

Maximianus iubet martyres duci in custodiam.

Porrò Hadrianus, qui in officio primas tenebat, videns tam inuictam in supplicijs perferendis martyrum virtutem, dixit ad eos; Adiuro vos per Deum vestrum pro quo hæc patimini, dicite mihi quam remunerationem vel gloriã, pro his tantis tamque immanibus cruciatibus, expectatis. Cui martyres; Gloria, quam securi à bonorum omnium largitore Deo expectamus, tanta est, vt non modo verbis explicari, sed nec mente quidem concipi possit. Hæc audiens Hadrianus, alacri animo statim in medium impiorum agmen prosiliuit, & se quoque Christianum esse audacter confessus est. Ministri turbati hæc sine mora

Hadrianus credit in Christum.

mora Imperatori in palatio annunciárunt; qui penè in ſtuporem verſus, eum ad ſe adduci iuſſit & ait; Adriane, quæ te mentis inſania exagitat, vt volens in perditionem ruas? Cui Hadrianus. Nequaquam, inquit, ô Rex inſanio, ſed ab inſania ad ſanam mentem reuerſus ſum. Audiens hæc Maximianus. Quid, inquit, multa loqueris? Pete veniam, & linguæ tuæ lapſum coram omnibus agnoſce. Hadrianus verò. Equidem, inquit, ô Imperator deinceps à Deo malefactorum meorum & ſuperioris vitæ errorum veniam petam. Maximianus hac confeſſione non mediocriter turbatus, iuſſit eum ferro vinctum cum reliquis martyribus ad carcerem trahi, vt præfinito die extremum de omnibus ſupplicium ſumeret. Dum hæc fiunt, vnus è ſeruis Hadriani feſtinus domum abijt & vxori eius Nataliæ mariti ſui captiuitatem nunciauit. Quæ primùm quidem vehementer turbata, ſciſſa veſte, animi dolorem cum miſerabili ſanè eiulatu teſtabatur. At poſtquam, cauſa captiuitatis expoſita, intellexiſſet, pro Chriſti eum nomine vincula gaudentem excepiſſe: vix præ lætitia lachrymas continuit. Erat enim Chriſtianis orta parentibus egregiè pia, nec antè illum diem propter perſecutionis immanitatem, religionem profiteri auſa fuerat. Tunc verò cum maritum cæleſti luce, è denſiſſimis impietatis tenebris, ereptum cognouit: mutata veſte ſummo cum gaudio ad carcerem abijt, terque ad viri ſui pedes procidens, vincula, quibus conſtrictus erat exoſculabatur, felicem eum ac terque quaterq; beatum prædicans, quòd dignus inuentus eſſet, pro Chriſti nomine contumeliam pati. Deinde ſimili pietatis ardore, cum lachrymis reliquorum martyrum (qui erant numero viginti tres) vincula exo-

Ducitur cũ alijs in carcerem.

Hadriani mariti ſui vincula, Natalia exoſculatur.

etosculans, precabatur, vt eum suis consilijs ac monitis, præclaro in certamine confirmarent. Habuit etiam luculentum sermonem ad maritũ, quo eum partim ad constantiam incitabat, partim rogabat ne se absente felicem illum cursum certaminis perficeret: & sic quidem sermone in vesperum protracto, domum redijt.

Paucis autem pòst diebus tempus adfuit, quo Maximianus exulceratum adhuc vehementer animum suum, martyrum sanguine sanare constituit. Quod vbi Hadrianus compertum habuit, statim vt vxorem suam in certamine, quemadmodum conuenerat, præsentem haberet, corruptis pecuniarum largitione custodibus, domum suam abscessit. Cumq; in itinere constitutus, ædibus appropinquaret, Natalia vxor eius incredibili affecta dolore, amarissimè flebat. Diuulgato namque hominum rumore ad aures eius peruenerat, Hadrianum à professione Christianæ fidei resiliisse. Vndè vix mentis compos maritum iam domum ingredi cupientem, summa cum indignatione exclusit: altero quoque verbo perfidum illum, timidum, ac mortalium omnium miserrimum appellans: se vero fœminarum omnium infelicissimam clamitabat. Quo modò, dicebat, hanc tantam impietatis notam inter Christi fideles ferre potero, qui putabam me martyris vxorem apellandam, cùm nunc perfidi ac transgressoris coniunx sum?

Pijssima fœmina mirè dolet, dum putat maritum suum à Christo defeciſſe.

Hæc Hadrianus audiens, summa voluptate tenebatur quòd cerneret fœminam eamq; iuuenẽ, & non amplius quàm menses tredecim sibi coniunctam, tanto fidei ac pietatis ardore flagrare. Vndè cùm diutius amoris sui erga eam flammam abscondere non posset, in hæc verba prorupit;

Aperi

Hadriani piissimæ voces, ad coniugem suam Nataliam.

Aperi mihi Domina mea Natalia, citò aperi. Non enim ego, vt tu existimas, à Christi confessione defeci, aut suppliciorum metu deterritus huc confugi, sed vt te certaminis nostri iam iam futuri spectatricem haberem, huc adueni. Aperi igitur, & vna mecum in stadium ingredere. His auditis,

Natalia martyrum plagas, septem dieb. in carcere curat.

Natalia reseratis foribus in oscula & amplexus mariti ruit, & omnium quasi rerum oblita, festina cum marito ad relictos in carcere socios abijt. Quò vt peruentum fuit, Natalia Dei ancilla ad pedes sanctorum se prosternens, vincula eorum exosculata est; & corpora à supplicijs iam putrefacta septem in carcere diebus fouit, & linteis sanctorum plagas magna cum reuerentia terfit. Vbi verò dies supplicio detestinata aduenit, omnes quidem tribunali oblati sunt; sed cùm reliqui omnes præcedentibus iam tormentis attriti

Hadrianus ducitur ad supplicium.

fuissent, solus Hadrianus, viribus adhuc integris, ad quæstiones quæsitus est. Expoliatum ergò vestibus, & proprijs manibus eculeum ferentem sistunt tyrâno. Qui primum vultu placido, Hadriane, inquit, quæ tibi nunc sententia, quæ mens est? adhuc permanes in insania? Cui Adrianus; Iam tibi dixi me ab insania recessisse, & ideò ad vitam

Hadrianus lignis & fustibus cæditur.

hanc pro Christi nomine profundendam promptum paratumq; esse. Hoc accepto responso, tyrannus lignis eum contundi, & à quatuor tandem lictoribus fustibus cædi iussit.

Intereà Natalia cum sanctis martyribus in genua prouoluta, preces sine intermissione pro mariti constantia ad Deum fundebat. Maximianus

Maximianus cum blanditijs, à cõstantia depellere nititur.

verò nullum non mouebat lapidem, vt martyrē à constantia deijceret. Tandem cùm diu multumque supplicijs sæuitum esset, ait; Hadriane, pro-

profectò non possum, ego tantam animi tui generositatem corporisque pulchritudinem sine maximo doloris sensu aspicere. Quarè consule tibi consule mihi, & magnos Deos adora, vt multiplicatis honoribus in pristinum te dignitatis gradum restituam. Es enim iuuenis honesto loco natus, & maximis honoribus dignus. Cæteri verò qui te suis persuasionibus, in hanc mentem atque adeò in pestem & exitium impulerunt, homines sunt pauperes, & obscuris natalibus orti. Ad hæc Hadrianus; Tu quidem, ô Imperator, optimè & patriam, & genus, & auos proauosque meos nosti; verum si illorum, qui tibi despectui sunt, illorum dico sanctorum, genus & opes, & quam expectant patriam nouisses, non dubito quin te humi ad illorum pedes abijceres, supplexque eorum preces exposceres.

Venter eius verberatur, & viscera effunduntur.

Ad has voces ira inflammatus Maximianus, iubet martyris ventrem à quatuor viris fortissimis tanta crudelitate verberari, vt effusis in terram intestinis, nec ipse quidem crudele spectaculum immotis oculis ferre posset. Quare iussit martyrem cum cæteris sanctis ferro constrictum ad carcerem reduci. At Natalia beatissima solicitè confortabat eum, & missa ad cernicem eius manu eumq; palpans dixit. Iam te ô marite, ô lumen meum, beatum prædico, qui sanctorum consortio dignus effectus es. Perge modo eadem fortitudine, & animo in sola Christi Iesu gratia confirmato, palmam apprehende. Hæc & alia multa dicens, cum multis alijs religiosis admodùm matronis in carcerem eum comitata est; vbi omnes martyrum necessitatibus certatim inseruiebant, aliæ vulneribus medebantur, aliæ putredinem stolis suis abstergebant. Natalia verò profluétem

Natalia egrè giè cõfirmat Hadrianum.

è mariti vulneribus sanguinem abstergebat, atq; caput suum ac membra perungebat.

Vide S. Nataliæ faciaus eximiũ.

Cum verò tyrannus pia matronarum obsequia martyribus in carcere exhibita intelligeret, venit, ne cuiquam illarum aditus in carcerem deinceps pateret. Quo audito Natalia, tonsis capillis, sumptoq; virili habitu ingressa est, & sola omnia vulnera fouit, curauitque. Cuius virtutem reliqui statim imitatæ se in nullo pietatis officio superari passæ sunt. Quod postquam Maximianus comperit, tùm etiam nè martyres, omnibus iam penè viribus destituti naturali morte tyrannidem eius subterfugerent, iussit incudem adferri, vt truncatis in ea manibus pedibusque vitam tandem cum morte commutarent. Allata autem cum vecte ferreo incude, Natalia quæ præsens aderat, orare & obsecrare lictores cœpit, vt maritum suum eo antè alios supplicio afficerent, ne pœna atrocissima sanctis illata, terreretur. Obtemperârunt libenter carnifices, cumque extenso super incudem Hadriano, ad cædem inferendam parati starent, Natalia pedem eius apprehendens, lictoribus eũ feriendum extendit. Et quidem confractis iã cruribus & pedibus amputatis, Natalia, Precor, inquit, te mi domine, serue Christi Iesu, extende etiã & manum tuam, ne vlla in re sanctis martyribus inferior sis. Extendit igitur Hadrianus manum quam Natalia lictoribus feriendam præbuit. Præcisis itaque manibus & pedibus, Hadrianus totus in suo sanguine volutatus, beatum Deo spiritum tradidit. Cæteri verò Martyres eodem supplicio consumpti, læti è corporis ergastulo ad cælum euolârunt.

Orat Natalia lictores, vt maritum suum ante alios, martyrio afficiãt.

Nota Nataliæ virilem animum.

Excedit è vita beatissimus Hadrianus. Item alij.

Maximianus autem, omnibus iam felici mor-

te in-

reinteremptis,ne quis eorum reliquijs honos à Christianis haberetur,iussit corpora flammis exuri:Dùm verò carnifices sacratissima martyrum corpora asportarent, Natalia stillantem sanguinem magna cum deuotione excepit, & reliquæ matronæ ipsas carnificum vestes quæ sacrosancto martyrum sanguine tinctæ erant; ingenti pretio redemerunt. Tanta tunc erat reliquiarum reuerentia,tantus honos ijs qui pro sacrosancto Christi Iesu nomine,vitam cum sanguine profundebant.

Nota hinc, quanti fecerit antiquitas, reliquias sanctorũ.

Porrò Natalia cùm cerneret sacras reliquias exurendas esse,manum sui mariti in sinum recõdidit, & abiens tota mente in peracto tanta cum virtute certamine,absorpta erat. Cùm verò sacra corpora in ardentem fornacem coniecta videret, facto impetu cum magna voce,voluit se in ipsas flammas præcipitem dare.Sed accidit vt repentina tonitrua,cum horrendo fragore & fulgura,& pluuiæ,& grandines,& horribilis denique terræmotus totam ciuitatem compleret,atque omnes in fugam,sola Natalia relicta,conuerteret. Quidam è carnificibus,tãto tunc terrore repleti sunt, vt cadentes in facies, subitò expirauerint;corpora verò sedata tempestate ab omni combustione illæsa atque integra inuenta sunt, prorsus vt ne capillus quidem , vel minimum ab igne detrimentum passus sit.

Corpora martyrum tonitru & pluuia, ab incendio præseruantur.

Postquam verò aëris tranquillitas redijsset,homo quidam loci illius egregiè pius cum coniuge sua Byzantium,propter impij Imperatoris tyrannidem profecturus,sacra martyrum corpora naui imposita, cum summa Nataliæ & reliquorum, qui aderant, fratrum voluntate secum asportauit,& summo in honore ac reuerentia habuit.

Porrò Natalia, reseruata sibi beatissimi Hadriani manu, quam purpura obuolutam, & myrrha perfusam ad caput lectuli sui repositam habebat, in domo sua die ac nocte precibus ac vigilijs intenta perseuerabat. Eo tempore ciuitatis illius Tribunus petijt eam sibi à Maximiano coniugem; erat enim eximia corporis pulchritudine prædita, & inter clarissimas fœminas facilè prima. Imperator autem cum annuisset, & ille statim animum illius per honestas matronas ad coniugium solicitaret, simulauit se hoc nuncio mirum in modum lætari, petijtque sibi trium dierum inducias tribui, quibus se ad tam splendidas nuptias parare posset. Interim cum animo suo fugam meditabatur, vt quod reliquum erat vitæ apud sacras martyrum reliquias in pietatis studio trãsigeret. Igitur cubiculum suum sola ingressa Deum enixè precata est, vt eam ab omni carnis cupiditate impollutam conseruaret, & sine errore Byzantium perduceret. Hæc cum precata esset, mœrore nimio oppressa obdormiuit; & eccè vnus è sanctis martyribus adstitit ei dicens, Pax tibi Natalia. Confide, non te despexit Deus, neque nos obliti sumus laborum tuorum, quos propter nos suscepisti. Perge Byzantium, ibi enim te visitabit Deus, & perducet ad nos.

Tribunus ciuitatis, postulat Nataliam, à Maximiano coniugem.

Hac visione Natalia mirificè exhilarata, sacra sanctissimi mariti manu assumpta, relictis opibus & cæteris omnibus quæ possidebat, Byzantium ad sanctorum corpora perrexit. Quò cùm salua & incolumis delata esset, statim sacrum, quod ferebat, pignus cum gaudio & lachrymis super Hadriani corpus deposuit; & quia ex nauigationis laboribus admodùm fatigata erat, voluit breui somno collapsas vires nonnihil refocillare

Natalia fugit Byzantium, ad martyrum corpora.

cillare. Et eccè Hadrianus quiescenti apparens, Benè, inquit, huc adueniſti ancilla Chriſti, & martyrum filia. Veni ad nos in requiem tuam; veni & percipe ea quæ tibi debentur. Hæc cùm diceret, Natalia mortalitatis vinculis ſoluta, vnà cum marito ad cælos profecta eſt.

S Nataliavocatur ad cælum à marito ſuo.

Illuſtriſſimus hic martyr Hadrianus, licet paſſus ſit Nicomediæ, Romæ tamen etiam clariſſimus eſt habitus, cuius peruetuſta memoria extat apud Arcum Seueri, de qua mentio habetur in Ordine Romano, ibi ſacrum corpus eius, Nicomedia ac Byzantio translatum, reconditum eſt. Eademque inter veteres Cardinalium Diaconias connumeratur.

Cæſ. Baron In not. mar 4. mart. & 8 Septemb. Corpus S. Hadriani. translatum Romam ibidemq; recõditum. Cæſ. Baron. Tom. 2. An. Eccleſ. An. Domi. 270.

*DE S. PHOCA MARTYRE SYRO, EX S. Gregorio Turonenſi: De gloria Martyrum cap. 99. Huic Martyri Baſilius Imperator, ingẽtem baſilicam erexit Conſtantinopoli, quam etiam celebri monaſterio auxit. Eſt hic Phocas alius ab illo, eiuſdẽ nominis, Epiſcopo, qui paſſus eſt ſub Traiano, Synope in Ponto. Fuit etenim hic, de quo agimus, hortorum cultor & hoſpes, martyriumq;, Antiochiæ, Capitis obtruncatione, conſummauit.*

Vide Cæſar in martyr. Rom. 5. mar. & 14. Iulij.

PHocas martyr, poſt multas quas pro nomine Redemptoris eſt paſſus iniurias, qualiter de antiquo illo ſerpente triumphauerit hodie quoq; populis eo miraculo declaratur. Quod ſi in quempiam coluber morſum ſtringens venena diffuderit, extemplò qui percuſſus eſt, vt ianuam atrij, quo martyr quieſcit, attigerit, compreſſo tumore, euacuata virtute veneni, ſaluatur. Ex quibus nonnulli, (vt celebre vulgatum eſt) iam

5. Martij.

Miracula ad ſepulchrum S. Martyris.

tumidi malæ bestię ictu, iam toto corpore intrassante veneno, in hoc prostrati vt spiritum exhalarent, inter manus delati & in atrio positi, sunt sanati; nec vnquam ob hoc virus obire hominē fas est, si sacrum limen fide plenus attigerit.

Teste Ioan. Molan. in Annot. mar. Vsuardi.

*VITA RELIGIOSISSIMAE VIRGINIS Coletæ, reformatricis Ordinis S. Claræ: ex ea quā F. Laur. Sur. ex Stephani Iuliaci præfatæ virginis contemporanei, syncerè conscripsit. Migrauit è corpore anno Dominicæ Incarnationis 1447, quo (iuxta Genebrardum) sedit Nicolaus 5. Imperante Frederico 3.*

6. Martij.

Patria & Parentes eius.

Corpore pulchra.

Item & mente.

EXimiæ pietatis & prudētiæ virgo Coleta, apud Corbeiā in Picardia, Patre Roberto, Matre verò Margareta, nata mirabili planè S. Spūs gratia à teneris vnguiculis ornata extitit. Elegāti admodùm corporis forma & venusta facie, cūctis imprimis grata atq; amabilis erat. Quę quidem corporis dotes, animi virtutibus mirificè in ea illustrabātur: A primis siquidem annis solitudinis amantissima, diuinis rebus sedulò vacabat: terrena omnia oblectamenta respuens. Sensuum ei custodia erat arctissima, eaq; non tristis vel morosa: sed candida & hilaritate quadā graui atq; iucunda perfusa. Hinc multi & conspectum & sermonem eius expetebant: nimirum vt multiplicem Christi gratiam tanquàm in speculo contemplarentur.

Hæc aliaq; præclara teneræ virginis primordia, vt pios parentes ingenti afficiebant gaudio: ita vicissim ad maiorem virtutum exercitationem prouocabant. Pater quidèm natura comis & singulari humanitate præditus, filiæ suæ excitus exēplo, hoc vnum sibi in vita antè omnia proponit,

vt

vt notos ignotos; internos externos; & quosuis denique homines, ad pacis & mutuę dilectionis bonum excitaret: sicq; sanctissimo amicitiæ fœdere sociatos, ad cęteras dein virtutes sectandas inflammaret. Multa quoque illi pauperum erat cura; lapsorum maior: præcipuè fœminarum: quæ pudicitiæ florem fœda voluptate violauerãt. Ex ijs cũ quasdam summo labore, filiæ pariter adiutus exhortationibus, ad meliorem frugem reduxisset; vnam è suis domibus eis attribuit: pauperibus simul alendis fouendisq; opportunam.

Parens eius pietatem æmulatur.

Porrò Coleta vt primùm ætate & corpore robustior, dæmonis fraudes insidiasq; varias exactè cognouit, statuit collatam sibi à Deo gratiam ad aliorum vtilitatem piè humiliterque ac strenuè conferre. Itaq; è latebris prodiens, liberum bonæ indolis puellis ac virginibus, spectatisque mulieribus ad se accessum permisit: cum quibus de rebus salutaribus suauissimè vtilissimeque disserebat. Neque enim malè collocati sermones illi putandi sunt; quibus multas à fœdis carnis voluptatibus ac mundi fastu, ad castimoniæ virtutem, mundique contemptum perducebat. At verò cũ inter peccatores versaretur, ea erat animi humilitate, vt cũctis viliorẽ se abominabiliorẽq; putaret. Sãctas aũt virgines, votoq; castitatis Christo consecratas incredibili amore ac veneratione prosequebatur. Hinc ardentissimum illud desiderium religiosis in monasterio inseruiendi: quarum quidem consortio prorsus indignã se reputabat. Cum verò in pio illo seruitio, occulto numinis instinctu, ad collapsam monasticã S. Francisci disciplinam restaurandã moueri se sentiret, acriusque impelli; se porrò suaque omnia tanto muneri inferiora vilioraque nimia humilitate

Se totam cõfert virgo S. ad salutem animarum.

Profunda eius humilitas.

Adit Romanum Pontificem pro religionis reformatione.

æstimaret; facibus diuini amoris inflammata Romanum adijt Pontificem, orans obsecransque, vt ipse prouinciam hanc arduam, suaque sanctitate dignam, dignamque suo munere susciperet velit. Pontifex sanctissimo virginis postulato peramâter admisso (quo perpetuam se famulam reformatis virginibus consecrari precabatur) diploma ei contulit: in quo, ignaram huius rei, Matrem & Abbatissam totius reformationis eam instituebat. At illa vt erat humilitatis & abiectionis amantissima; præfecturæ honorem tota mente abhorrens, institutum D. Francisci, tertij Ordinis paulò pòst amplexata est; mundo adeò inimica,

Degit inclusa, in summa austeritate.

vt rursus in latebras sese abdideritanguste nimirum concluso habitaculo: in quo annos 4. hispido tecta cilicio, ac tribus ferreis catenis carnem nudam, lumbosq; succincta Christo militauit.

Interea cum purificato mentis oculo res cælestes atque diuinas diu noctuq. sedulò contemplaretur, mirabili sanè visione, ad aliorum salutem à Deo (agente nimirùm precibus S. Francisco) se postulari cognouit. Cumq; animi dubia anxiaq;, tanto muneri ruditatem suam opponeret, iamq; idipsum cogitatione reijceret; eccè beneficio linguæ subitò priuata: triduo obmutuit. Accessit dein & orbitas oculorum. Quæ sanè diuinæ vltionis manifesta fuêre signa; cui subiecta fuit, donec diuinæ consentiret voluntati; quod vbi fecit; & loqui & videre potuit. Igitur tanti muneris dignitate ob oculos posita, animum in omnes partes versare cepit; qua via modoque rei difficultatem aggrederetur. Cellæ adhuc inclusæ angustijs, pedem proferre foràs non licebat; & quanquam varijs eam in rem curis incumberet, semper tamen humanæ salutis inimicus sese opponebat, impe-

Diuinitùs euocatur ad commune bonum.

die-

debatq; ita vt conatus illius in irritum caderent. Tandem illustris cuiusdam matronæ opera, quæ illius sermones per id tempus amplissimo cum fructu hauserat, factum est, vt sacro illo soluta ergastulo Niceam veniret; vbi tunc Romanæ sedis præsul, Ecclesiæ negotia administrabat; cui S. virgo summa humilitate atq; verecundia suam vel Christi potius causam plenè candideq; explicuit postulauitque obnixè vt bona ipsius voluntate S. Claræ institutum profiteri liceret. Pontifex cum postulatum non quidem reijceret, sed differret, mox tamen pestilenti contagio quod vrbem inuaserat populabaturq; admonitus, ac sequentis mali calamitate impulsus, virginem acciuit, suisque ipse manibus velo impositio consecrauit: consecratum verò, Matrem atq; Abbatissam earum omnium instituit, quas suo exemplo & doctrina ad pristinam vitæ sanctimoniam reduceret.

Venit ad Benedictū pro Pontifice se gerentem in Gallijs.

Coram illo profitetur institutum S. Claræ.

Cum itaq; sacratissima virgo & Christi voluntate & Pontificis auctoritate ad sacrosanctum opus impelleretur, omnes cogitationes & studia eò conuertit seriò. Ast hostis ilicò occurrit infestus, tantas tamq; acerbas persecutiones mouens, vt nullum non mortalium genus eam impugnaret, sannis ludibrijsque exciperet: ac postremò in pio opere perseuerantem, magam atq; venefică appellaret. Adeò immutata repentè sunt omnia, vt qui prius veneratione eam prosequebantur, tunc cane peius & angue detestarentur: nec quisquam omninò esset, qui eam hospitio recipere auderet.

Aduersitatibus egregiè exercetur.

Sed non deerat famulæ suæ Christus, qui Blancham Gebennensem Comitissam, egregiæ pietatis ac prudentiæ matronam excitauit, vt pientissimam virginem omni humanitatis ac beneuolen-

Habet Blancham Comitissam sibi addictissimam.

tiæ obsequio exciperet foueretq; ac præclaros eius conatus dictis factisq; promoueret. Præterea siquidem fouendæ pietatis adminicula, dimidiam partem castri sui Balmensis ei attribuit: in quo humilis Christi ancilla prima sanctioris instituti collocauit fundamenta. Ibi verò tam admirando sanctitatis splendore impiorum calumnias dissipauit, vt Pontifex fama eius permotus, Bisontinum ei monasteriũ offerret, assignaretq; ad quod Blancha honorifico imprimis nobilium matronarum ac virginum comitatu eam deduxit, modisq; omnibus ad culmen perfectionis aspirantem egregiè adiuuit.

Item Pontificem Romanum.

Dictu sanè mirum, quantus breui ad nouum, eumque planè admirandum virtutis radium factus sit concursus. Multæ virgines nobiles in magna spe nuptiarum enutritæ, & matronæ mundano fastu & opum gloria admodum conspicuæ ad eã conuolârunt: cunctisq; repentè quæ antea perditè adamauerant contemptis, sacro se illius instituto sociârunt. Nec minor sanè iuuenum numerus pijs eius sermonibus inflammatus B. Francisci regulã amplexus est: prorsus vt cœnobia tã fratrum quam Sororum augere, extendere, ac dilatare coacta fuerit. Germania, Francia Burgundia, Sabaudia, aliaq; orbis terrarum loca eius pietate atque industria sanctioribus disciplinis illustrata fuêre. Stupebãt alij, qui etiam religionis nomine insignes habebantur, Coletana monasteria; eorumq; desiderio adeò tenebantur, multi vt ex alijs ordinibus, Benedictini, Bernardini, Carthusienses, Cælestini, ad ea sese superiorum permissu transferrent: multoque perfectius viuendi genus se adeptos gauderent.

Multi vtriusq; sexus monasticum amplectuntur institutũ.

Porrò

Porrò cum in construendis ædificijs, & monasterijs excitandis, necessarij sumptus frequenter deficerent; qui ab hominibus sperari vix poterant, diuinitùs ei collati fuere; ita vt crebro 500. aureos iuxtà se positos peracta precatione inueniret. Hinc diuinæ bonitati ac munificentiæ intantùm confidebat; vt nullo vnquam tempore pauperum curam remitteret: sed largitate ac benignitate incredibili eis subueniret. Alijs misericors & clemens: sibi rigida ac proprij corpusculi domitrix assidua. Nudis plantis tam hyeme quam æstate ingrediebatur, ignis fomento penitùs sibi interdicto; quem etiam nec ferre quidem poterat: adeò inedia & peruigilio vires exhauserat. Stramina ei stratum præbebant: saccusque paleis suffultus, capiti puluinar. Somni adeò parca erat, vt toto octiduo vix horæ vnius perfectam caperet quietem. Intereà noctu diuque rerum cælestium contemplationibus ita intenta erat, vt omnis corporei sensus plurimis horis frequenter expers maneret. Oculi præ deuotionis dulcedine, iuges lachrymarum riuulos fundebant potissimùm sub sacrosancta communione: qui sanè spectantes non poterant non ad similem deuotionis gratiam prouocare. Nec defuit miraculorum gratia sanè illustrissima; qua & CHRISTI bonitatem omnium oculis clarissimè spectandam proponebat: & miseros quosque atque calamitosos ab infinitis miserijs, morbis, & ægritudinibus eripiebat, & peccatores non paucos scelerum immanissimorum pondere grauatos, duraque nimium seruitute oppressos in perfectam Christi libertatem restituebat. Multi namq; qui peccatorum fœditate absterriti conscientiæ arcana sacerdotibus pan-

Insigne miraculum.

Rigor vitæ eius admirabilis.

Mentis excessus.

Claret præclaris miraculis.

Multos in peccatis inueteratos ad pœnitentiã conuertit.

pandere verebantur; perspecta virginis huius & clementia erga peccatores & miraculorum gratia ergà miseros, intimos animorum recessus ei pandebant; & putentem scelerum fœditatem plurimis annis occultam, confidenter humiliterque sanandam præbebant.

Cæterùm beata virgo Coleta, subditas sibi virgines, mirabili quadam dexteritate dulcedineq; quò volebat ducebat reducebatque; in spiritu lenitatis peccãtes corrigebat; ab omni amaritudine sibi vel maximè cauens; nè quod sanare deberet, morositate subuerteret. Et quidem præclaræ hæ animi dotes, tanto in ea admiratione maiore dignæ fuêre; quanto corpusculi fragilitas maior fuit. Perpetuis siquidem doloribus ac cruciamentis adeò obnoxia fuit, vt nunquam ( Deo ad maius meritum sic mirabiliter disponente) à suscepto seuerioris disciplinæ instituto vel ad diẽ ijs caruerit; nisi cum de rebus diuinis apud alios differebat, vel necessarios cum alijs sermones conferebat. Inuicta tamen patientia cunctas molestias & afflictiones deuorabat; mente oculisque in æternam illam retributionem intenta: cuius recordatione omnes vitæ asperitates leniebat. Verùm inter hæc dæmonum infestatio longè fuit acerbissima: ità vt fustibus frequenter cæsa, & atro liuore deformata exanimis iaceret. Et quidem insignia hæc (inter complura alia) Deus per eam dignatus est operari miracula: Mortuos quippè ad vitam reuocare; à dæmone obsessos, menteque captos liberare; leprosos mundare, permultos è præsentissimo mortis periculo eruere: diuersisque alijs affectos morbis ac calamitatibus, sanos integrosque à se dimittere.

Contínuis excruciatur pœnis, quas patientissimè sustinet.

Specialia quædam eius miracula.

Demùm virgo sanctissima, prophetico quoque spiritu

spiritu clarissima, post immensos annis quadraginta exantlatos labores, post euersa varijs in locis dæmonum castra, eorumque loco sanctissimæ religionis erecta domicilia, inter suorum amplexus & lachrymas, summam præ se ferens grauitatem pietatemque, extremum vitæ diem clausit: anima à corpore suauiter recedente & recta ad creatorem suum proficiscente. Fuit corpusculum virgineum tertio ab obitu die Gandaui in summa paupertate, vt ipsa iusserat, & absque vllo operimento, terræ mandatum: præclaris itidem gloriscatum signis,

Claruit Prophetiæ spiritu.

Moritur beatissimè S. virgo Gandaui, ibidéq; sepelitur.

## VITA S. THOMAE AQVINATIS, SANctitate & doctrina clarissimi, ex ea quæ est apud Reuerend. P. Surium, Obijt anno Domini 1274. Nonis Martij.

Vide Cæsar. Baronium in not. martyr. Rō.

THomas Aquinas omnibus naturæ & gratiæ donis excultissimus, patrem habuit Landulphum nomine, ex illustri familia Gomitum Aquinatum, matrem verò Theodoram & generis & morum nobilitate insignem, patria Neapolitanam, summa virtute fœminam. Porrò cùm mater eum vtero gestaret, vir quidam in Cāpaniæ monte, re & nomine Bonus, eximia sanctitatis laude clarus, ad eā in castro suo Rocha Sicca morantem, accessit, & spiritu prophetico, qualem esset paritura filium, prædixit. Natus deinde puer est, cui Thomæ nomen impositum fuit; qui à primis infantiæ diebus admirabile virtutis specimen dare cœpit. Nam adeò literis deditus erat, vt cùm aliquandò nutrix aquis eum in balneo abluere vellet, chartam è terris sublatam, in qua angelica salutatio scripta visebatur, tanta perti-

7. Martij. Patria & Parentes eius.

Eremita Bonus.

nacia manu retinuit, vt nullis eam modis extorquere posset, quam & mox deglutiuit. Cùm eum à lachrymis ad hilaritatem reuocare vellent, librum offerebant, cuius vel primo aspectu conquiescebat.

Anno ætatis suæ quinto, traditur in Casinense monasterium, literis & pietate imbuendus.

Mox vt annum ætatis quintum attigit, à parentibus ad amplissimum Casinense monasterium pietate & literis imbuendus, missus est. Vbi sanè eximijs ætatem virtutibus vincens, tanta morum grauitate, modestiaq; versatus est, vt dissolutos aliorum nobilium mores (qui ibidem cum eo instituebantur) summo studio diligentiaque vitaret. Mentem verò ita ad cælestes res contuendas collectam instructamq; gerebat, vt frequenter duobus: ampliùs horis, summa spiritus attentione precibus incumberet. His præclaræ pietatis & doctrinæ iactis fundamentis, annos natus plùs minus decem, Neapolim destinatur; vbi admirabili ingenij viuacitate, vberrimos in literis fructus fecit. In Grãmatica, Dialectica, & Rhetorica, fertur quodã Martino peritissimo præceptore vsus; in Physicis verò Petri Hybernici fontes sectatus est.

Mittitur Neapolim.

Præceptores eius.

Iamque Neapoli fama virtutum eius maxima celebritate increbrescebat, cùm Thomas nõ tam quid homines de ipso prædicarent, quàm quomodo præpotenti Deo gratam offerret seruitutem, toto mentis studio cogitabat. Contigit fortè eò tempore, F. Ioannem de S. Iuliano (cuius tùm eruditio singularis, cum nõ mediocri sanctitatis laude coniuncta, in admiratione erat) in Thomæ colloquiũ incidere, qui pòst breuem sermonẽ vltrò citroq; familiariter habitũ, vehemẽter eũ ad rerũ terrenarũ cõtẽptũ hortari cœpit. Ardebat iã antè incredibili cælestiũ rerũ cupiditate S. Thomas, intimoq; mentis ardore D. Dominici institutum am-

amplectebatur. Itaque postquam sua iàm spontè satis incitato, calcar à F. Iohan. additum fuit, statim contempta illustri generis dignitate, posthabitis amplissimis opibus, omnique fastu & pompa mundi huius conculcatai S. Dominici habitum annos natus tredecim induit, omnibusque ad spirituale certamen subeundum necessarijs armis, à F. Thoma Agni de Lentino, tunc quidem priore Neapolitano, posteà verò ex Messanensi, Archiepiscopo Hierosolymitano instructus est.

Amplectitur S. Dominici institutum.

Hæc res cùm omnium animos vehemẽter permoueret, tum eius mater (vt est matronarum in filios vehemens affectus) id adeò acerbè tulit, vt multis stipata matronis Neapolim venerit; sed fratres Dominicani, fraudes & blanditias matris veriti, Thomam summa festinatione primùm Romam, inde in Tusciam, mòx Parisios deducendum curârunt. Mater autem nec corporis teneritudine, nec itineris labore deterrita, Romam abeuntem insecuta est, sed cum nec ibi potestas conueniendi filium fieret, insidias struere aggressa est, quibus filium vel inuitum ab instituto reuocaret.

Mater eius id indigne fert.

Mater eum Romã persequitur.

Eo temporo fratres S. Thomæ Landulphus & Arnoldus viri militaris gloriæ, & prudentiæ opinione insignes, apud Fridericum II. Imperat. degebant. Ad hos mater literas dedit, quibus eos admonuit, vt Thomam ex Italia in Gallias transeũtem, ex insidijs interciperent. Lectis litteris, fratres animis grauiter commoti, rem prospero successu conficiunt, & Thomam ad matrem remittunt. Mater ex Thomæ conspectu ingenti cumulata gaudio, maternis blandimentis eum aggreditur, & omni conatu, vt sacrum deponat habitum, laborat. Sed cùm eum altiore pietatis funda-

Fratres S. Thomæ.

Thomas à fratribus comprehenditur.

mento

Traditur custodiæ.

mento nixum videret, quàm vt blanditijs inflecti posset: custodiendum illum militibus in castro castro quodam tradidit.

Interea à Landulphus & Arnoldus, Thomæ fratres aduenerunt: quj cùm frustrà multis verbis insuperabilem eius constantiam tentassent, sorores suas vt ad eum se conferrent, & à sententia deducerent, hortati sunt. Sed illæ postquàm sermonē cum eo contulissent, ità animis repentè immutatæ sunt, vt altera earum, posthabitis mundi pompis, sacris se virginibus libenter coniunxerit: & ad extremum vitæ spiritum, in Christi seruitute, cum magna sanctitatis laude perstiterit.

Soror eius, similiter Christo se consecrat.

Ea res fratrum animos ad multò maiorem iracundiam prouocauit, eoque furoris pertraxit, vt post multas iniurias cum insigni cōtumelia Thomæ illatas, sacrum habitum discerperent: quod vir sanctus non modò patienter, sed magno cum animi sui gaudio tulit. Non potuit autem irritatus furor quiescere, quin ad atrociora se arma cōuerteret. Erat mulier venusta specie, quæ non ita pridem nupta, omni nefanda libidine se contaminauerat; hanc vt pudicissimo adolescenti suis lenocinijs laqueum injiciat, inuitant. Illa lucri cupiditate facilè allecta, Thomam aggreditur: verbisque lasciuis animum eius de re nefaria solicitat. At Thomas sentiens se illius impuris illecebris nonnihil moueri, inuocato nomine Iesu & virginis matris, arrepto è foco titione, procacem impudentemque fœminam à se abegit: Deinde clauso ostio, eodem titione crucis figuram in pariete depinxit prostratusque in terram multis cū lachrymis Dominum, vt perpetuæ continentiæ & integritatis donum largiri dignaretur, deprecatus est. Vix leni correptus somno erat, cum duo exi-

Tentatur eius pudicitia.

Fugat impudicam mulierem, titione è foco arrepto.

eximio splendore fulgentes angeli adesse visi sunt: qui cingulo renes eius stringentes, omnem impuræ libidinis motum abstulerunt. Angeli ei apparent.

Cùm iam biennio carceris molestia vexatus fuisset, mater eius Theodora, diuinum verita iudicium, Dominicanis fratribus potestatem fecit eũ quò vellent, reuocandi. Adsunt illi magna cum alacritate, & Thomam, matre conniuente, subductis custodibus è castro per fenestram deponunt, moxq; Neapolim, inde Romam reducunt. Roma Parisios missus est, vbi paucis mensibus admodũ exactis, Coloniam Agrippinam commigrauit, vt Alberti Magni viri multiplici doctrina & vitæ sanctitate celeberrimi, disciplinis imbueretur. Hunc etenim virum incomparabili rerum plurimarum cognitione, & egregia vitæ sanctimonia præditum summa sibi diligentia audiendum statuit; adeò vt Pythagoricum quoddam silentium indixisse sibi videretur, quò maiore animi attentione præclaram eius doctrinam hauriret. Ea verò perpetua taciturnitas in tantum contemptum eum adducebat, vt condiscipuli bouem mutum appellare illum non verentur. E custodia dimittitur. Mittitur Coloniam, & Albertum Magnum audit. Taciturnitas Thomæ.

Non diu post, cùm Albertus quæstionem multis obscuritatibus inuolutã, illustrandam suscepisset, Thomas tenaci valdè memoria dicta eius excipiens, deindè scripto compræhendens, multis dicendi luminibus suo eam ingenio illustrauerat. Contigit autem vt summa celeritate festinanti charta, quæ eam quæstionem continebat, è codice, ignorante Thoma, laberetur: & per alium Alberto examinanda traderetur. Albertus ex ea ingenij quandam diuinitatem in Thoma animaduertens, mandauit: vt eandem publicè defendendam susciperet. Recusauit primò vir sanctus sum-

ma animi modestia; sed cum doctoris sui auctoritate coactus susciperet eam deberet, tanta ingenij dexteritate respondit, vt Albertus non tàm respondentis, quam doctoris eximij officio eum fictum esse diceret. Deindè subiunxit; Vos hunc bouem mutum vocatis, sed ille tales quandoque docendo mugitus dabit, vt totus possit orbis audire. Nihil hæc sancti iuuenis animum efferebant, sed in profunda humilitate & sinceritate se cotinens, licet alios ingenio & eruditione superaret, neminem tamē vel leuiter præ se contempsit, neque sibi aliquid arroganter attribuit.

Alberti de Thomæ sententia,

Humilitas Thomæ.

Postquam verò Coloniæ sub Alberto in literis & moribus non mediocriter profeciſſet, præclaro admodùm doctrinæ & sanctitatis testimonio, Lutetiæ in S. Theologiæ Baccalaureum promotus est; quo ornatus titulo, Petri Lombardi sententias tanta ingenij dexteritate & gratia explicauit, vt non mediocrem eximij Doctoris laudem adeptus sit.

Parisiis fit Baccalaureus, docetque M Sententiarum.

Hoc autem primo docendi munere, ingenti cū audientium admiratione peracto, Parisijs Doctoris nomine, & munere, annos natus triginta, insignitus est. Antequàm autèm ad eum dignitatis gradum ascenderet, multis se rationibus indignū proclamare, & precibus lachrymisque honorem tantum à se repellere conatus est; sed cùm obedientiæ virtute compulsus, maiorum suorum mandatum declinare non posset, ad solita orationis præsidia confugit, & ab omnipotente Deo opem & auxilium flagitauit. Et eccè in somnis visus est adesse veneranda quadam canicie senex, qui blāda consolatione animum graui mœrore oppressum subleuauit: hortatusque est, vt maioribus suis ea in re morem gereret, nec de Dei præsentis

Promouetur in Doctorem, annos natus triginta.

ope

ope & auxilio quicquam dubitaret. Hac consolatione mirificè roboratus, Doctoris munus cũ exima laude susceptit; in quo sanè ità toto vitæ suæ curriculo versatus est, vt toto terrarũ orbi egregiũ eruditionis lumen attulerit. Et quanquam eius scripta ab omni verborum ornatu abhorrere videantur, ea tamen sententiarum grauitate referta sunt, vt planè declarent, inanem verborum fucũ non ornamento eis, sed dedecori potius futurum fuisse. Fuit tamen & in familiari sermone admirabilis valdè eius ad persuadendum efficacia. Nã vt die quodam, Christi saluatoris nostri natali propinquo, Mollariam (quod est oppidum nõ lõgè ab vrbe Roma) venit, & ad Cardinalis Richardi ædes diuertit, contigit duos prædiuites Iudæos Iudaicis rebus egregiè instructos, eò pariter conuenire; quibuscum Thomas sermonem de rebus diuinis summo cum Cardinalis gaudio & voluptate instituit: atq; omnibus ingenij viribus laborauit, vt perfidiam eorum expugnaret. Cumquò multis vltrò citroq; allatis rationibus certatum esset, Thomas tãtis tãque mirabilibus dicendi luminibus Christum illis declarauit, vt Iudæi erroris & perfidiæ cõuicti obmutescerent, eaque cõditione recederent, vt contrarias, si quas haberẽt rationes, in crastinum adferrent. Interim Thõas & preces, & vota pro eorum salute, ardenti animo offerre non destitit: donec altera die posita Iudaicæ perfidiæ obstinatione, sacro abluti fonte, Christo nomina darent.

Duo primarij Iudæi, ab eo conuertuntur.

Admirãda fuit viri sancti in orationis studio pietas & deuotio; nam cùm se daret rerum diuinarum contemplationi, frequenter visus est mente à corporis consuetudine mirabiliter

Extases eius.

abstracta, in cælum euehi, ipsaq; corporis molem suspensa in aëra pariter eleuari. Admirandum verò illud, præstantissimumque Eucharistiæ sacramentum, amoris in nos diuini monimentum, tanto fidei ardore tantaq; animi deuotione amplectebatur, vt non rarò totus lachrymis infusus, & amore eius ebrius, oppressis sensibus in terram caderet. Vnde nunquam, nisi aduersa valetudine impeditus, Missæ sacrificiũ offerre neglexit; nec ea animi deuotione contentus simili pietatis studio alterius fratris sacrificio assistere, eiq; ministrare voluit. Et his præcipuè rebus maximarum disciplinarum scientiam se adeptum fuisse, Reginaldo professionis suæ fratri charissimo confitebatur. Nam quamuis ingenio & labore valeret plurimùm, nec minimam vnquàm temporis partem à sacris musis vacuam prætermitteret, ea tamen mente erat, vt nihil se præclarè gerere posse cõfideret, nisi prius multis precibus, cum infigni animi attentione profusis, lumen menti suæ à Deo postularet.

Deuotio eius ergà venerabile Sacramentum.

Obseruent hæ studiosi.

Ne autem ex rerum subtilium speculatione mens eius in diuino amore aliquando tepesceret, solitus fuit S. Dominici consuetudinem imitari qui Patrum Collationes diligenter, post alias occupationes lectitabat, quò se facilius ad diuina contemplanda erigere posset.

Occurrit quandoque D. Thomæ locus in Esaia Propheta (quem tunc interpretabatur) multis obscuritatibus inuolutus, ad cuius sensum vir sanctus cùm penetrare non posset, instituit ieiunijs & orationibus eò pertingere, quò intellectu non poterat. Cùm enim nocte quadam precibus vacaret, Reginaldus quosdam cum illo sermones miscere audiuit, & illis quidem abeũtibus; Thomas illum

Diuinitus edocetur.

illum ad se vocauit, eiq; commentaria in Esaiam tam promptè & expeditè, ac si de scripto legisset, scribenti dictauit. Reginaldus deindè à Thoma membra quieti tradere iussus, ad pedes eius corruit, obsecrans & per sacrosanctum Christi nomen obtestans, vt quinam essent quibuscum sermonem adeò prolixè contulisset, sibi indicare dignaretur. At Thomas quamuis adduci non poterat, vt eos panderet: ne tamen Christi nomen (per quod adiuratus erat) negligere videretur, cũ multis lachrymis respondit, quòd sanctissimi Apostolorum Petrus & Paulus (quos sibi apud Dominũ intercessores adhibuerat) locum illum Esaiæ, qui omnes eius ingenij vires vehementer torserat, à Domino missi, luculenter admodũ explicassent.

Petrus & Paulus ei apparent.

Reginaldus quoque molesta & continua quandoque febri laborauit. Eum Thomas cùm accessisset, & diuinis ad patientiam sermonibus hortatus fuisset, tandem reliquias quasdam S. Agnetis, quas ex collo (propter singularem, qua virginem prosequebatur, deuotionem) gestabat, pectori eius admouit, instanterque pro salute fratris Dominum precatus est: & ille mox è lecto incolumis surrexit.

Reliquijs S. Agnetis curat morbũ.

Oranti quodam tempore S. Thomæ Neapoli in templo Dominicanorum, apparuit F. Romanus S. Theologiæ Doctor, Ordinis S. Dominici; quem ille sibi Parisijs in prælectionibus reliquerat successorem; qui non ità pridem Thoma ignorante, obierat: Cui Thomas postquàm de aduentu gratulatus fuisset: quo tempore Neapolim venisset, quæsiuit. Respondit ille; Ego iam excessi è corpore; permissum autem est mihi, pro tuo merito tibi apparere. Territus eo responso nonnihil vir

Frater Romanus ei apparet.

ſanctus,cum ſe collegiſſet: Adiuro,inquit, te per Dominum, vt indices mihi num placeant Deo opera mea,reſpondit Romanus; Perſeuera in hoc ſtatu,nec dubites grata eſſe Deo quæ facis.Et Thomas. Tecum verò,inquit,vt agitur?reſpondit:Ego vita fruor ſempiterna. Attamen ob negligentiam in teſtamenti executione, à Pariſienſi epiſcopo mihi tradita,pœnas lui in locis Purgatorijs ad dies quindecim.Et Thomas:Scis,inquit, crebrò nos in diſputationem illam adduxiſſe quæſtionem, an permaneant in animo ſcientiæ in hac vita acquiſitæ?quæſo vt eam mihi expedias. Reſpondit Romanus;Ego Deum intueor, noli hac de re, ex me ſciſcitari.Et Thomas;Videſnè Deum ſine medio,an aliqua re interpoſita? Ium ille; Sicut audiuimus,ſic videmus in ciuitate Domini virtutum; moxque diſparuit,& S. Thomam multa reliquit conſolatione perfuſum.

pſalm.47.

Alio tempore eidem S. viro in preces incumbenti Pariſijs, ſoror eius apparuit, & ſacrificia preceſque,vt à pœnis Purgatorij liberaretur,pro ſe fieri poſtulauit.Curauit vir ſanctus,per fratres ſanctitatis opinione præſtantes,ſororis poſtulata impleri. Interiecto indè aliquanto temporis ſpatio,Romæ rursùs illi ſe viſendam obtulit,& ſumma cum gratiarum actione, ſe horrendis Purgatorij cruciatibus liberatam dixit.Interroganti autem Thomæ de duobus fratribus ſuis, reſpondit illa,Landulphum quidem teneri adhuc in locis Purgatorij:Arnoldum verò in cæleſti patria habitare,addiditque;Tu quoque frater breui nobis ſociaberis,ſed maiori gloria, ob ſuſceptos pro eccleſia labores,decorabere.

Soror ei apparet.

Eo tempore quo totis viribus ad grauiſſimum Manichæorum ſcelus profligandum laborabat, Ludoui-

Iudouicus Galliæ Rex peramanter eum ad epulum regale inuitabat. Cumque inuitus, Prioris sui iussu, ire cogeretur, inter epulas adeò scripturarum studijs intentus erat, vt manu mensam pertutiens diceret, Definitum est contra hæresim Manichæorum, vocansque ex nomine socium suum, perindè ac si esset in suo cubiculo. Surge, ait, & scribe. Cum verò Prior illi assidens, manu eum tangens moneret vt nimiam illam studiorum occupationem remitteret, & se non domi, sed in Regis mensa versari recordaretur. Thomas ad se reuersus, Regem cum verecundia affatus est; Ignosce mihi Domine mi Rex, existimabam enim me domi in cubiculo meo versari. Similiter contigisse fertur viro sancto in mensa legati Cardinalis Tusciæ, qui vehementi eius visendi studio tenebatur; quo tempore insigne illud aduersus Gentiles opus componebat. Cùm verò crebrò eiusmodi mentis excessus pateretur; tum verò non longè antè obitum, in castro sororis suæ Theodoræ triduo à corporeis abstractus sensibus permãsit; adeò vt talium rerum imperita soror, ingenti animi dolore perculsa ex S. viri socio, causam tãti, & tam subiti stuporis quæreret. Cui ille, cùm nihil ei præter consuetudinem sanctam accidisse respondisset, accessit; & Thomam ad se redire compulit. At ille sublatis in cœlum oculis suspirans ait; Ego vt scribendi iam finem facio, ita breui spero & viuendi faciam, nàm quæ hactenus & scripsi & docui, exigua mihi videntur, illorum comparatione, quæ mihi diuinitùs ostensa sunt.

Extasses eius variæ & admirandæ.

Erat illi, ex medicorum consilio in tibia adhibendum cauterium; cumque vrendus esset, extendit quidam tibiam, sed adeo mente in

Præmentis excessu, non sentit vlti-onem.

Deum eleuatus fuit, vt ab omni sensu alienus, dolorem neutiquam perciperet. Alio quoque tempore in cubiculo scriptioni intentus, ità ab omni corporeo sensu abstractus fuit, vt candelam, manum eius diu adurentem, prorsùs non aduerteret.

Insignis eius in concionando virtus.

In concionibus autèm ad populũ (quas nõ tàm quæstionum subtilitate, quam eximia quadam animi pietate, ad hominum vtilitatem & spiritualem profectum instituebat) valebat plurimùm. Romæ ipso Paschatis die cùm sermonem, qui non tàm inanem populi plausum, vt fieri solet, quam lachrymas cùm luctu coniunctas eliciebat peregisset, & è suggestu descẽdisset, mulier quędã multo tẽpore sanguinis fluxu laborans, & à medicis, qui vniuersas opes eius exhauserant derelicta, magna animi cõfidentia accessit, & extremá vestimẽti oram, clam Christi misericordia implorata tangens, optatam sanitatẽ, S. Thomæ fine dubio meritis, consecuta est.

Miraculum.

Et his quidem omnibus maximarum virtutũ laudibus cùm egregiè ornatus esset, summo tamẽ studio sui contemptum, cum perfecta obedientiæ virtute coniũctam, colebat. Bononiæ quodam die in cœnobio contemplationi intentus inambulabat, cùm frater quidam ei obuiam factus, petijt, vt se comitem itineris ad negotia quædam in ciuitate obeunda, præberet; Dicebat enĩ eam sibi à Priore potestatem factam, vt quemuis sibi è fratribus obuium assumeret. Mox prætereuntem celeriùs fratrem vir sanctus vix sequitur; Alter itaque durioribus illum verbis increpare, & segnitiem improbare; Thomas verò magna animi submissione increpationes ferebat. Vt autem ciues (apud quos summo in honore erat) tantæ pruden-

Humilitas & obedientia viri.

prudentiæ & pietatis virum, fratrem rudem & abiectum sequi conspicati sunt, animis commoti quæsierunt ex viro sancto, quarè se adeò abjceret? Quibus ille respondit; Monasticæ religionis disciplina, obedientiæ studio perficitur; qua homo se homini propter Deũ subijcit, quemadmodũ Deus ipse se hominibus, humanæ salutis causa submisit. Tum frater ille qui imprudens in Thomam inciderat, obnixè rogauit, vt veniam suæ ignorantiæ daret.

Monastica disciplina, obedientiæ perficitur.

Diuitias & mundi huius honores adeo vir sanctus fastidiuit, vt, quamuis generis nobilitate admodũ clarus esset, planè assereret, se Chrysostomi Homilias in Matthæum, pluris facere, quam ciuitatem Parisiensem. Clemens eius nominis 4. pontifex, cùm Archiepiscopatũ Neapolitanum ei traderet, vir sanctus eũ nõ modò recusauit, sed nè deinceps eiusmodi eum dignitatibus honorare vellet obnixè rogauit.

Cõtemptus honorum & diuitiarũ.

Recusat Archiepiscopatum Neapolitanum.

Fuit statura procerus & rectus, colore triticeo, magno capite, eoque quadam aspersо caluitie, viribus robustus. Eo quo defunctus est anno, cùm Neapoli decumberet, Ioãnes Copa Neapolitanus, & eius germanus frater Conus, professione Dominicanus, eum inuiserunt, qui stellam eximio splendore fulgentem, in cubiculum sancti viri se inferentem, conspexerunt.

Statura eius & forma corporis.

Anno à Christo nato 1274. cùm Gregorius Romanus Pontifex, eius nominis decimus, ad generale Concilium, quod Lugduni celeberrimo multorum Pontificum conuentu habebatur, eum proficisci voluit, Neapoli discedens, in itinere morbo correptus, ad quoddam neptis suæ Franciscæ castrum diuertit, vbi tanto languore stomachi laborauit vt omnem cibum respueret. Cùm autem

Gregorius decimus Pontifex Romanus.

suo medico Iohanni de Guidone, se haleces quales Parisijs habentur, vehementer appetere conquestus esset, sed ij neutiquam ijs in locis extarét, Iohannes abiens, hominem quendam piscibus quos sardas vocant, onustum obuiam habuit, eosque emit; & cùm domum venisset in haleces eos cum ingenti animi sui stupore transmutatos vidit; misitque protinùs ad S. Thomam, qui diuinam erga famulos suos benignitatem multò magis admiratus, eos Dauidis sanctissimi Regis exemplo gustare noluit. Porrò miraculo illo passim diuulgato, multi ex halecibus illis comederunt. Sanctus vero, alio cibo viribus nonnihil refectis cœptum carpebat iter; Cumque Fossæ nouæ Cistertiensis Ordinis cœnobium præteriret, Abbatis & fratrum singulari humanitate inuitatus, ad eos diuertit; vbi ingraueſcente morbo, cum vltimum vitæ terminum instare sibi intelligeret, eius monasterij fratribus, pro insigni humanitatis & charitatis officio, breuiter Cantica Canticorum exposuit. Quo vltimo doctrinæ suæ monumento expleto, viribus paulatim destitutus est. In postrema autem vitæ functione, præclaram valdè insitæ pietatis & virtutis significationem dedit. Vbi epulum illud cæleste, exilij nostri vnicum solatium, quo reficiendus erat, allatum fuit, licet fractis omnino viribus esset, mirabili tamen animi alacritate, humi se prostrauit, & profusis cum insigni pietate lachrymis adorauit. Interrogatus autem de more, nùm syncera fidei puritate Christum verum Dei filium, ex Virgine natum, in illa hostia esse crederet. Ego verò, inquit, cùm multis lachrymis, credo, totoque pectore & mente, verũ Deum & hominem Iesum Christum æterni Patris & Virginis matris filium amplector, confiteorque

Sardæ pisces in haleces mutantur. 2. Reg. 23.

Eius de Eucharistia confessio.

erque. Postero die extremæ Vnctionis sacramento munitus, erectis in cælum manibus spiritum suo Creatori reddidit anno 1274. ætatis suæ 50. qui non solum Ordinis sui fratribus, sed multis, imò vniuersis eruditione & pietate præstantibus, magnum sui desiderium, cum multis lachrymis coniunctum reliquit. Excedit è vita.

Paucis ante diebus, quam è corpore migraret, visus est Cometes, qui quid portenderet, re ipsa satis indicauit, quando spiritum reddente viro Dei, ipse pariter defecit. In cœnobio Fossæ nouæ monachus erat Iohannes Ferentinus, vtroque penè orbatus lumine: qui cum sancti viri faciem esset osculatus, meritis eius amissum lumen statim recepit. Cometes. Cæcus recipit lumen.

Postquàm autem sepulturæ mandatum fuit sacrum corpus, Abbas & fratres eius cœnobij, veritinè tantus thesaurus quandoque eriperetur, intempesta nocte ad sacellum S. Stephani illud transtulerunt: sed cum sanctus Doctor Iacobo Florentino, eius monasterij Priori, in somnis appareret, minasque nî ad pristinum locum reduceret, intentaret, rursùs sepulcrum aperuit, vndè tanta odoris suauitas emanauit, vt fratres omnes ad se alliceret; quibus præsentibus, detectum sacrũ corpus cum omnibus suis membris & habitu integrum, & incorruptum repertum est. Hęc autem prima sancti viri translatio septimo plus minùs mense, ab eius obitu, facta est. Odor suauissimus è corpore.

Septem deindè annorum cursu euoluto, Petrus eius monasterij Abbas, sacrum sancti viri corpus marmoreo supra terram sepulcro deponi iussit, & tunc eadem integritate corpus vestesque inuentæ sunt: nisi quod dexteræ manus pollex, exigua admodùm sui parte careret. Rursus autem vt ce- Corpus & vestes, integræ repertæ.

vt celebrior ad omnes, & certior de viri ſancti gloria & meritis fama deferretur, eiuſdem monaſterij Abbas anno ab eius obitu quartodecimo, importunis Theodoræ ſororis illius precibus victus vt manum eius dexterã inter ſacras reliquias aſſeruandam ipſi daret, monumentum aperuit: è quo tanta odoris fragrãtia effuſa eſt, vt locum omnem circunquaque repleret, adeoque ſuis fixum compagibus corpus inuẽtum fuit, vt manum ferro præſcindere cogeretur. Porro anno à morte S. Thomæ. 42. Canonicus quidam Salernitanus, cùm Sacellum quoddam S. Crucis extruxiſſet, & magno ſtudio ſacras Sanctorum reliquias, quas eò inferre volebat, inquireret, venit ad caſtrum Theodoræ fratris S. Thomæ, vbi ſacra eius manus aſſeruabatur; cumq; multas Sanctorum reliquias magna animi veneratione ibidem inſpexiſſet, tandèm reliquiarum cuſtos maioris adhuc precij ſe habere dixit, nempè manum integram celeberrimi Doctoris Thomæ Aquinatis. At ille per ſummum contemptum illam ſpreuit, addiditque, ille nullo modo Sanctus habendus eſt. Sed protinùs graues temeritatis ſuę pœnas luit; nàm tanto corporis tremore concuſſus fuit, & caput etiàm tumore inflatum, vt gradum ſolus facere nequiret. Tùm ille magno ſuo malo, ſancti virtutem ſentiens grauiter ſe accuſare, & infimis precibus veniam à ſacerdote poſtulare; qui ſancti manum exoſculandam ei præbuit, cuius ſuauiſſimo odore (quem cum magna ſenſuum voluptate ex eadem hauriebat) & tumor capitis & tremor membrorũ fugatus eſt. Fertur eius odoris virtus veſtibus eiuſdem Canonici poſteà diu inhæſiſſe, adeò vt ex ea omnes totius rei geſtæ ſeriem intelligerent.

Tertiò aperitur ſepulcrũ & corpus incorruptum inuenitur.

Pœna contemnẽtis reliquias eius.

Multis alijs miraculorum virtutibus vir diuinus

uinus claruit, quorũ nonnulla summus Pontifex Iohannes 22. (qui eum in Diuorum numerum anno Christi 1323. die 18. Iulij retulit) in Bulla refert. Inter Sanctos relatus est.

## MARTYRIVM SS. HADRIANI ET EVbuli. Ex libro 8. histor. Ecclesiast. Eusebij cap. 21. Certarunt pro fide Christiana, Anno Domini 308. Marcelli Pap. 5. Constantini Imperat. 3. sub Maximiano in Oriente regnante.

Vide Cæs. Barõ. Tom. 3. Annal.

HAdrianus & Eubulus ex regione quæ Manganza dicitur, ad reliquos Confessores Cæsaream versus accedentes, ad portas vrbis causam, sui itineris eò suscepti, rogantur. Deinde rei veritatem ingenuè confessi, deducuntur ad Firmilianum. Iste nulla mora aut dilatione interposita, post multa tormenta, quæ in eorum latera impegerat, bestijs dilaniandos condemnauit. Biduo autem interiecto, Hadrianus quinto die mensis Dystri, hoc est, ad tertium Nonas Martij, die festo, quo natalitia Fortunæ Cæsareensium (sic enim putabatur) celebrari solent, leoni primùm ad discerpendum obiectus: deindè gladio iugulatus obijt mortem. Eubulus autem perendino die ad meridiem ipsis Nonis Martij, qui est septimus dies Dystri, cum iudex illum admodùm rogaret, vt hostias immolaret idolis, quò libertate eorum legibus decreta potiretur, glorioſam mortem pro pietate susceptam, huic vitæ breui & caducæ præposuit; & post bestiarum laniatus, gladio, vt socius ante illum, trucidatus fuit, omniaque martyrum certamina Cæsareæ confecta, suo sanguine postremus obsignauit. 7. Martii. Hadrianus & Eubulus, intrepidè se declarant. Gladio necantur martyres.

INSIGNE

## *INSIGNE MARTYRIVM SS. ASCLAE, Leonidis, Philemonis, Apollonij, Ariam & aliorum, qui idipsum feliciter compleuere, circa Annum Domini 310. sub Maximiano in Oriente Imperante. Ex Simeo. Metaphraste; quem in tempore passionis errasse, ex Baronio constat, dum ponit eosdem passos sub Diocletiano.*

Vide Tom. 3. Annal. Cæs. Baron.

3. Martij.

EDictum crudele ijs temporibus ab Imperatore fuit promulgatum: vt omnes, qui cum eo impietatis participes esse recusarent, mortis subirent pœnã. Arianus ergò q tunc præses Thebaidis erat, nihil cũctatus, Asclam & Leonidem egregios pietatis cultores comprehensos, multis & horrendis supplicijs subiecit, ac tandem crudelissima internecione peremit. Ijs autem martyrio coronatis, rabies eius minimè quieuit, sed omnes in ciuitate Christianos, qui cæteris fidei ac pietatis opinione præstantiores habebantur; vinctos adduci iussit. Deindè propositis suppliciorum instrumentis, vultu superbo & spiritu elato ait; Eccè in manu vestra est, vt vel sacrificantes vitam securè traducatis, vel si parere recusatis, his tormẽtis grauiter afflicti vitam ipsam deseratis. Hæc cum dixisset Præses, fuêre viri septem & triginta animis ac sententijs inuicti, qui in media pericula prosilierunt, & oblatam martyrij palmam auidissimè arripuerunt.

Asclæ & Leonidis martyrium.

Viri septem & triginta se offerunt martyrio.

Quidam autem nomine Apollonius, suppliciorum metu vehementer perterritus, pedem retraxit; & ne cogeretur nefanda dæmonibus sacrificia offerre, Philemonem sibi astantem, è media hominum turba euocauit. Erat autem Philemon religione Gentilis; arte verò tibicen; qui canendi artificio.

Apollonius metu suppliciorum, deficit nonnihil à constantia.

artificio plurimũ valebat; & ipsi non modò Ariano, sed vniuersæ ciuitati admodũ gratus erat. Huic igitur Apollonius aureos quatuor pollicetur, si vellet mutata veste, & vultu (quòad fieri posset,) operto, pro se sacrificium offerre. Ille pręcij cupiditate allectus, lubens consensit; & per omnia se Christianũ simulans, signo se Crucis cum aræ appropinquaret, muniuit. Omnes illum Christianũ putabant, qui mutata religione ad cultum deorũ accedebat. Eccè autem Philemon qui hucusque personam finxerat, subitò mirabili Christi gratia mutatus, se verũ Christi seruum esse exclamauit. Præses autem, Non vidisti (inquit) iàm paulò antè horrenda Asclæ & Leonidis supplicia? Immo, respondit Philemon, vidi, atque ea sola mihi animum, ad martyrium pro Christi nomine subeundum, addunt.

**Philemon subitò ex Gentili fit Christianus**

Hoc accepto responso, Arianus accersite nobis, inquit, Philemonem: fortassis enim ille tibiarum dulcedine apud hunc efficiet, quod nos nullis minis vel supplicijs impetrare possemus. Fuit continuò Philemõ quæsitus, sed cùm inueniri omninò non posset, vocatus Theon germanus eius Philemonem eis ostendit, illumque ipsum esse dicebat qui simulata Christiani hominis persona, omniũ oculos animosque deluderet. Tunc Arianus risu dissolutus, propè corruit. Putabat enim Philemonem hæc omnia per simulationem gerere. At vbi postquàm comperit rẽ ita se in veritate habere, furore repletus quæsiuit à circumstantibus, an repentino interitu tãtæ temeritatis pœnas luere, an verò tẽpus resipiscendi ei cõcedi deberet. Et quidẽ cũ omnis popul⁹ (qui magno illius tenebatur desi-

**Theon frater Philemonis, indicat Imperatori Philemonem eumesse, qui mutata veste, sacrificaturus venerat.**

desiderio) pro eo intercederet, Præses blandis eum verbis est aggressus. Philemõ, inquit, quousque tandem præstigijs Christianorum capieris? Mitte quæsò inanes persuasiones, & veniat tibi in mentem suauissimarum tuarum tibiarum. Et hæc quidem aliaque multa Præses. Philemon autem, qui tibias suas Apollonio seruandas commiserat, preces ad Christum ardentissimas fudit, vt demisso cœlitus, igne eos exureret, nè vani illius artificij vllæ apud infideles remanerent reliquiæ. Nondum preces compleuerat, cùm ignis è cælo dilapsus, tibias, quas Apollonius tunc manu tenebat, arripuit atque in cineres statim redegit.

Præses Philemonem, blanditijs peruertere nititur.

Tibiæ Philemonis cælitùs comburuntur.

Intereà Theon, qui fratris sui Philemonis sortem deplorabat, nihil non moliebatur vt eum ab imminenti mortis periculo eriperet. Quarè & Apollonij nomen ad Arianum Præsidem detulit, orans atque obsecrans vt de illo, qui fratrem in fraudem (vt ipse dicebat) impulerat, pœnas sumeret. Fuit continuò adductus Apollonius, & grauiter accusatus. At ille Philemonis constantia mirificè confortatus, Præsidi inuicta virtute obuiam iuit, & priorem abiecti animi significationem egregiè diluit. Vndè vehementer irritatus Præses, illum quidem maioribus iussit cruciatibus reseruari: Philemonem verò à tribus militibus fortiter cædi. Sed cùm ille tormenta hæc contemneret, Præses grauioribus eum aggressus supplicijs, talos vtriusque perfodi, & funibus alligatos, per totam ciuitatem duci iussit. Eo supplicio diù multumque fatigati martyres, rursùs Ariano oblati sunt; qui tanquam victis insultans, Et vbi nunc, inquit, est vester Deus? quarè vos à præsenti calamitate non liberauit? Ad quæ Philemon respondit; Mira sanè mentis tuæ hæc est cæcitas. Sed si cla-

Theon accusat Apollonium, apud Præsidem.

Torquentur grauiter martyres.

si clariùs Christi Dei nostri virtutem agnoscere cupis, adduc mihi currum muliebrem æneo velamine integrè obductum.

Cùm Præses, quorsùm hæc spectarent, ignoraret, iussit petitioni eius satisfieri. Adducto autem curru, Philemon tenerum quendam puellũ in eo inclusit, iussitque vt omnes sagittandi periti iacula sua certatim in eum mitterent. Hæc dum fierent: et æs omnes iaculorum ictus repelleret, Præses admiratione detentus, auebat scire, quid sibi inane hoc à Philemone institutum certamen vellet. Tùm Philemon; Vides, inquit, ô Præses, hìc præclaram salutis meę imaginem. Sicut enim puer hic, æneo velamine circundatus nullum ex telorum iactu detrimentum passus est, ita & nos Christi Iesu numine tecti, contra tormentorum tuorum sæuitiam inuicti permanemus. Tunc verò Præses incredibili furore agitatus, martyrem ex arbore suspendi & iaculis trãsfigi iussit. Et qui dem suspensus martyr iaculis infinitis petebatur, sed ille sola orationis virtute cuncta ità repellebat, vt alia quidem in terram caderent, alia in arbore fixa manerent, alia verò admirabiliter in aëre hærerent. Præses hæc videns, cum vix tanto miraculo fidem adhibere posset, propiùs martyrem accessit, vt diligentiùs singula contemplaretur, sed accidit tunc, vt vnus ex aëreis illis iaculis dexterum illius oculum feriret, excæcaretque: quod iudici principium illuminationis fuit.

Vide quid Philemon moliatur, vt Christi virtutem Ariano patefaciat.

Philemon oratione sua iacula repellit.

Præsidis oculus, iaculo excæcatur.

Nam cùm doloris acrrbitate superatus, multis Christum maledictis insectaretur, neque vllũ mali sui solatium inueniret, tandem iussit solui martyrem, vt ab eo vel inuitus remedium postularet. Philemon autem dixit præsidi. Nunc quidem

dem tibi differo sanationē, ne beneficio accepto, rursus voces præstigias, & ipse inconsideratè me tibi reum constituam. Sed quandò ego mortalibus vinculis solutus ad Christum migrauero, veni ad sepulchrum meum, & sumpto ex eo puluere, oculum vnge, & statim inuocato Christi Iesu nomine, sanitatem consequeris.

Occiduntur martyres gladio.

His auditis Arianus, fine mora vtrumque capitis supplicio affecit. Nam, dicebat: siue mentiatur, iræ medebor. Sin minùs à miserabili hac cœcitate & dolore liberabor. Igitur postquam sacræ eorum reliquiæ summo cum honore à fidelibus cum Ascla & Leonide diuinis martyribus, in monumentum illatæ fuissent, statim Præses venerabundus accessit, sumptoque, vt iussus fuerat, puluere, in nomine Christi Iesu, oculum liniuit, & simul cum corporis animæ quoque lumen recepit. Tunc subitò maxima cum exultatiõe Christum prædicare, eiusque benignitatem miris extollere præconijs. Cùm verò fama increbuisset, atq; ad aures Maximini plata fuisset: statim missi fuere protectores quatuor, q̃ Arianũ adducerẽt. Porrò Arianꝰ antequàm certamen aggrederetur, festinus iterum ad martyrũ monumentum abijt, supplexque eorum preces postulauit, vt illi constantiam ad extremum vitæ spiritum à Christo impetrarent. Eccè autem illo adhuc orante, & toto corpore humi prostrato, vox è sepulchro audita est. Esto fortis Ariane. Deus protector tuus est, qui pulcram tibi martyrij coronam contexere incipit. Habebis verò protectores laborum tuorum, & remunerationis socios.

Sanatur Præsidis oculus, puluere sepulcri martyrum, & Præses credit in Christum

Vox martyrum è sepulchro ad Arianum.

Hac voce mirificè confirmatus Præses, abijt ad Imperatorem, & liberè se Christianum esse confessus

fessus est, neque vlla deinceps ratione idolis sacrificaturum. Hac confessione ad furorem prouocatus Imperator, Arianum firmissimis vndique vinculis constrictum, & immani lapidum pondere oneratum, in quendam summæ profunditatis puteum præcipitem dedit, & ait; Videamus an Christus à meis eum liberare manibus potens erit. Hæc dicens elato admodum animo equum conscendit, atque ad regiam gloriabundus abijt. Nocte autem sequẽti, vidit (dictu sanè mirabile) lapides illos lecto suo appensos, & Arianũ secum in eodem cubile regaliter quiescentem. Eo spectaculo stupefactus tyrannus horrendo regiã clamore impleuit. Accurrunt protinùs corporis eius custodes, & quatuor illi protectores, qui Arianũ Imperatori primùm obtulerant. Imperator improbas artes & dœmonũ præstigias esse dicebat. Protectores verò tãto miraculo attoniti impietatem eius execrantes, Christi virtutem confessi & fidem ardentissimis animis amplexati sunt.

Præcipitatur in puteum Arianus.

Protectores 4. credunt in Christũ.

Tunc verò impius oculis & lingua furorẽ spirans, iussit singulos in saccos cum arena insutos in mare deturbari, vt fluctibus hausti honore etiam sepulturæ priuarentur. Ipsis verò hoc modo in mare proiectis, adfuit protinus Delphinus, qui sacra martyrum corpora dorso suo excipiẽs, in littus deposuit. Porrò Arianus, qui à Philemone & Apollonio de toto cursu certaminis prę monitus fuerat, pueros suos ibidem pręstò esse iusserat. Illi itaque sacras reliquias naui impositas in metropolim Antinoëtarum transuexerunt, ibidemq; cum hymnis & canticis honorificè deposuerunt. Ad gloriam Patris & Filij & Spiritus sancti. Amen.

Mittuntur martyres in mare.

Delphinus corpora eorum defert ad littus.

*HEROICVM CERTAMEN QVADRAginta Militum, vrbe Cappadocum, quod consummârunt, in Sebastæ ciuitate Metropolitanâ minoris Armeniæ, sub Agricolao Præside, Tempore Licinij Imp. in Oriente; Anno Saluatoris 316. Siluestri Papæ 3. Constantini Imp. 11. Ex eo, quod est apud Metaphrasten.*

Vide Cæs. Barō Tom. 3. Annal.

9. Martii.

LIcinius Imperator, cum mente crudeli & scelesta, edictum nē quis Christum profiteretur, omnibus proposuisset. Agricolao Præfecto homini barbāro & truculentō edicti executionem demandauit. Christianis igitur, qui in exercitu militābant imperābatur vt dijs sacrificarent. Erant tunc ex Cappadocię regione, qui vno in contubernio piè Deum colebant, milites quadraginta, viri in bello fortissimi atq; inuicti, quorum nomina hæc sunt: Domitianus, Eunoicus, Sisinnius, Heraclius, Alexander, Iohannes, Claudius, Athanasius, Valens, Helianus, Melitō, Ecditius, Acacius, Viuianus, Heluius, Theodulus, Cyrillus, Flauius, Seuerianus, Cyrion, Valerius, Chudion, Sacerdon, Priscus, Eutychus, Smaragdus, Philoctimon, Aērius, Michallius, Lysimachus, Domnus, Theophilus, Euthycius, Xantius, Angias, Leontius, Ischyus, Caius, Gorgonius, Candidus. His compræhensis Præfectus imperat, vt dæmonibus immolent. Nolite, inquit, ō iuuenes, floridā ætatem & inuictum corporis robur, quo clarissimam sæpè de hostibus victoriam obtinuistis, perdere. nolite sempiternis ignominiæ maculis partam virtute gloriam obscurare. Eccè noui honorum cumuli dignitatibus vestris adijcientur, si clariss-

Agricolai in Christianos iniuitia.

Nomina 40. martyrum.

Præfectus alloquitur 40. milites.

clarissimi Imperatoris nostri legibus parere sine recusatione velitis.

Ad hęc Martyres; Si vnq̃ pro mortali Imperatore decertantes victoriã, vt ipse testaris, consequuti sumus, quanto magis pro immortali ad extremũ vitæ spiritum nos decertare decet? Præfectus audito hoc responso, martyres carceribus includi iussit; vbi illi vnanimi voce Deo psallentes, vocem nocte intempesta huiusmodi auribus perceperunt; Initia vestra præclarè se habent, sed ille demùm sempiternam coronam obtinebit, qui ad extremum vitę spiritum in constantia perstiterit. Hæc vox salutarem illis timorem incussit, quo excitati noctem in precibus insomnem duxerunt. Manè facto, Præfectus ingenti amicorum turba circumseptus, adduci eos iussit; quos rursus blandis admodum verbis, diabolica arte conflatis à constantia deducere conatus est. Et quarè, inquit, summam optimi Imperatoris erga vos beneuolẽtiã in grauissimum odiũ cõuertere malitis, quàm amplissimis opibus, cum insigni nominis vestri gloria, securè frui? Cui sanctus Candidus respondit; Quàm rectè cum moribus tibi nomen ô Agricolae cõuenit. Es enim agrestis adulator, Hoc responso vehementer indignatus Præfectus, vinculis eos constringi, & sic denuò ad carceres trahi mandauit. At Cyrion cùm ea potestate illum minimè præditum diceret, vt milites primi ordinis vinculis oneraret, se continuit, solutosque duci iussit.

Præclara admodum martyrum vox.

Vox cœlitus ab illis auditur.

Iterùm eos blandicijs aggreditur Agricolaus præfectus.

In carcerem mittuntur.

Septem autem diebus in carcere peractis, Dux Cæsaream rediẽs, octauo die sanctos iudicio sisti imperauit. Moxque muneribus & promissis constantiam eorum tentare cœpit; sed cum munera

& ingentia promissa, vim eorum mentibus inferre non possent. supplicia atroci admodùm vultu & voce intentauit. Tùm ait; sine mora honore spolientur militari. Immò, inquit Candidus, & ipsis etiam corporibus. Nihil enim præstantius aut præclarius nobis contingere potest. Dux hæc vocis libertate excandescens, sanctorum ora lapidibus contundi iussit. Illi cum summa celeritate, vt imperata conficerent, niterentur, furore & amentia præcipites, mutuis sese ictibus fœdè vulnerarunt. At Dux graui indignatione commotus, summis viribus arreptum è terra lapidem, in vnum è sanctis mittere conatus est, sed furore præceps, ipsius Præfecti os eo ictu contriuit.

Præclara Cãdidi vox.

Quid facerent tunc satellites diaboli, cùm omnes fraudes & supplicia martyribus Christi intenta, in proprium caput redundare conspiciebant? Dux frendens gemensque nè grauiori se populi ludibrio exponeret, confestim eos in carcerem detrudi iussit; & scelerato rursus concilio coacto, decretum fuit, vt funibus omnes constricti, in lacum traherentur. Erat ingens frigoris vis, cùm martyres nudi in medio lacu constituti, cogebantur vel acerbissimo supplicio cruciari, vel balnei calore (quod è regione ad hanc rem paratum erat) cruciatus, qui ad tempus sunt, cum sempiterno animarum discrimine depellere. Interim eorum vnus acerbitate supplicij victus, per summum scelus deficiens, ingentem sociorum animis dolorẽ inussit. At illi cum multis lachrymis misericordiam Domini, nè profugi vnius scelere offensus, illis constantiam negaret, implorabant. Ecce autem hora noctis tertia calore Solis, ità martyres refecti sunt, vt nullum ex

Sententia mortis, vt frigore necentur.

Deficit vnus à fide.

præ-

præcedentis frigoris vehementia, incommodum sentirẽt. Is verò qui in perfidia vitæ suę præsidium reposuerat, miserè interijt.

Reficiuntur calore solis martyres.

Aderant custodes à Præfecto relicti, qui fugientes exciperent: inter quos vnus dum martyres mirabili lucis splendore circumseptos videret, sublatis in cœlum oculis, diligentius, vndenàm tanta claritas proueniret, contemplari voluit; & eccè angelos quosdam è cælo descendentes & coronas singulis martyribus vno excepto, distribuentes aspexit. Custos igitur hoc spectaculo transfugæ scelus intelligens, proiectis magna alacritate vestimentis, in lacum insilijt, atque suppliciorum socium se libenter adiunxit. Hæc noui militis ad Christi confessionem accessio, inustum animis ob socium amissum, dolorem egregiè sanauit, animumque addidit ad multa maiora pro Christi nomine subeunda supplicia.

Custos martyrum ad Christum cõuertitur.

Primo diluculo Tyranni aduenerunt. Vt verò custodem ad Christi castra transijsse comperierunt, furore perciti: hac sanctos sententia condemnârunt, vt fractis cruribus necarentur. Dùm hoc crudele supplicium in martyres exercetur, venit eò pia Melitonis genitrix, quæ vt filium ætate omnium minimum, ad constantiam hortaretur, supplicibus ad eum manibus clamabat; Fili, dulcissime fili, constanter age, ne vi tormentorũ victus in certamine succumbas. Contemplare sempiternam illam cælestis vitæ coronam, quę te post breuissimos cruciatus manet. Ne timeas fili, Eccè Christus cum multis Angelorum millibus certamen tuum attendens, tibi assistit. Vide igitur ne quid eius gloria indignum committas. His alijsque pia mater martyrem hortabatur

Crurifragio necantur martyres.

Mater Melitonis.

Attende eximiam illã pietatem.

cumque alij omnes felices Deo animas reddidissent, & sacra eorũ corpora ad ripam fluminis veherentur, Meliton (quia adhuc cum morte ipsa certabat) solus relictus fuit, quem mater, nè certaris aliqua in re inferior esset, humeris suis impositum adhuc spirantem viriliter currus sequuta, detulit. At filius in humeris matris lætus animam efflauit: cuius corpus matris ipsius manibus super reliquorum corpora proiectum fuit. Constructa autem incensaque pyra, sanctorum corpora cremata sunt.

Egregium mulieris exemplum.

Felici hoc certamine cum magna aduersariorum confusione consummato, tyranni quodam stupore mentis oppressi, se mutuò intuebantur, atque vt sempiterna obliuione præclarum martyrum certamen delerent: statuerunt, vt reliquiæ aquis fluminis absumerentur. Quæ non modo hauste non sunt, sed clarissimo fulgore instar stellarum micantes, post tertium diem à Petro ciuitatis illius Episcopo sublatæ, & summo cum honore in loco sacro reconditæ sunt.

Reliquiæ ab vndis seruatæ, & ab Episcopo in honore habitæ.

In honorem verò prædictorum martyrum, Tiberius Imp. Constantinopoli, insignem erexit Basilicam, quam Mauritius eius successor absoluit. At non in Oriente tantum, sed & in occidente celebris extat memoria eorundem 40. martyrum, quorum causa S. Gaudentius Episcopus Brixianus Ambrosij æqualis in Cappadociam peregrinari non timuit, vt reliquias martyrum indè acciperet, & suam eisdem Ecclesiam illustraret.

Vide Cæsar. Baronium in not. martyr Rom. 9 Marty. Tom. 3. An. Eccles. An. Domi. 316.

Translatio reliquiarũ, de Cappadocia in Italiam.

MARTY-

## MARTYRIVM SS. CODRATI, CYPRIANI, Dionysii, Anecti, Pauli, & Crescentis, quo affecti sunt Corinthi. Anno Christi Saluatoris 254. Sede vacante. Decij Imp. 2. sub Iasone Præside; Ex eo quod est per Metaphrasten.

Vide Cæs. Baron. Anna. To. 3.

10 Martij.

CVm omnes Sanctorum celebritates debitis laudibus prosequimur, tùm sanè horũ (qui cùm exquisita viuendi ratione ad summum maximarum virtutum fastigium peruenissent, nihil tamen præclarè à se gestum, nihil laude dignum existimârunt, nisi sæuientis inimici rabiem sanguine suo extinguerent) summo studio extollere debemus. Inter quos Codradus primas in ordine certaminis tenens, ab ipsis incunabilis admirandæ virtutis specimen præbuit.

Codrati mirabilis educatio.

Nam matre infans adhuc orbatus, materniſque destitutus vberibus, cælesti adiutus obsequio vitam sustentauit. Christus enim signis minimè obscuris, curam eius habebat: cùm nubium eximio fulgore micantium ministerio infantem amplecteretur, & tanquam pia genetrix vlnis constrictum nutriret. Hęc prima infantis educatio, quæ diuinis quibusdam pariter cum corporis robore virtutibus illustrabatur. Vt primum ætas disciplinæ capax fuit, medendi facultatem studiosè cõplexus est. Vir autẽ factus declarauit quisnã esset futurus, nec vllos pro Christi gloria hominumque, salute labores recusabat; adeò vt admirabilis virtutum eius maximarum splendor, longe lateque sese diffunderet.

Iasonis Græciæ præfecti, in Chri-

Interea Iason Græciæ Præfectus, Decij & Valeriani Imperatorum mãdato, crudelem in Christianos animum induit, vt vel cuctons à fidei con-

Arianos persecutio.

stantia ad impurum nefariorum Deorum cultum traduceret; vel omni suppliciorum atrocitate ad internecionem deleret. Et primum quidem horum militum principem Codratum ficta blandi sermonis specie aggressus est, vt sui aliquam misericordiam caperet, malletque, cum summa nominis sui gloria Magnatibus charus viuere, quam varijs affectus tormentis, cum insigni dedecore vitam abrumpere. Ad hæc Codratus ita respondit, vt præfectus intelligere posset, vitam hâc infinitis miserijs & calamitatibus circumuentam flocci esse faciendam, communi naturæ lege omnibus esse moriendum, & ab ea quidem necessitate liberum esse neminem, nec maiorem sempiterni nominis gloriam offerri posse, quam in Christi veri Dei confessione, contra omnem impietatem ad extremum vitæ spiritum decertare.

Ad hæc Præfectus collaudata hominis mente dixit, se tàm præclaram sapientiam admirari, sed videret, ne errore deceptus, Christum à Iudæis in crucem actum pro Deo coleret. Tùm Codratus, Quamuis, inquit, de rebus maximis loqui, ingenij viribus impar sim, confido tamen, si indignatione depositâ, aures mihi attentas præbere velis, te nullo modo vim veritatis repellere posse. Et sanè luculenta oratione de Christi mysterijs ad humanam salutem constitutis disseruit; quæ licet impius mentis intelligentia comprehendere non posset, vehementer tamen orationis grauitatem est admiratus. Sed ne martyris prudentiæ contra Imperatorum edictum, aliquid concessisse videretur, iussit statim Christi seruum virgis crudeliter cædi. Sæuiebant ministri cruciatûs immanitate, cum Codratus, cruciatuum victor, Ignoras, inquit, ô Præfecte, Christi virtutem, cuius gratia

Codratus virgis cæditur.

contra

contra omnia suppliciorum genera, inuicti permanebimus. Deliras planè, si nos credis supplicium metu virtutem deserturos.

Hac martyris fortitudine territus Præfectus, ad alterum se conuertit; quem mira orationis suauitate in suam adducere sententiam conatus est. Cyprianus autem, quamuis in primo ætatis flore constitutus, facile in fraudem pelli posse videretur, Codrati tamen & oratione & virtutis exemplo roboratus, inuictum se præbuit. Codratus enim non cessabat diuino eloquio ad constantiam eos hortari, cuius verbis, quamuis ætate iuuenes, excelso admodùm animo Iudicis furorem sustinebant. Conuertit se ad Cyprianũ Præfectus.

Cyprianus interim sæuis admodum verberibus exercebatur, cùm Codratus & virtutis pulchritudine, & continua hortatione animum illi addens, exspiranit. nec tamen propterea Cyprianus animo concidit, sed tempestatis æstum egregie sustineus, eodem fine quieuit. Tertius Dionysius virtute alijs non inferior, animo Christi amore vehementer incenso; ad certamen properabat. Quartus, qui Anectus appellabatur, nullam tormentorum vim recusauit. Quare perspecta Præfectus hominis fortitudinem admiratus; impietate furens, quintum ad quæstionem adduci iubet. Is erat Paulus, qui nullis tyranni contumelijs fractus, certamen inuicto animo sustinuit. Restabat Crescens, qui sacro sociorũ cœtu dignum se pugilem præstitit. Cyprianus verberatur, & Codratus exspirat. Dionysii certamen. Itẽ Anecti. Item Pauli. Crescentis item.

Cæterum dùm squalore carceris, varijsque tormentorum generibus martyrum constantiam explorasset princeps insanus, neque eos suppliciis superari posse animaduerteret, nè cũ insigni nomi-

Damnantur capitis magistyres.

nominis sui dedecore certamen protraheret, capitis eos sententia damnauit: ita vt singuli singulos sequerentur carnifices. Et hoc quidem modo sanctos ad locum sceleratorum hominum supplicijs infamem, multis oneratos iniurijs traxerunt. Qui animis in Christi gratia & benignitate exultantes, hymnis & laudibus victoriam eius virtute partam celebrabant. Postremò fusa oratione cum eximia pietatis significatione, ceruices suas carnificum gladijs subiecerunt intrepidè, & sic cæleſtes æternæ vitę coronas adepti sunt.

Cæduntur gladio.

Fontes in loco supplicii, mirabiliter emanarunt.

Populus qui frequens valdè ad spectaculum confluxerat, multis lachrymis felicem eorum finem prosequebatur. Sed illum diuina bonitas, quæ suorum virtutem gloriamque obscurari non patitur, in magnam admirationem rapuit, quòd eodem in loco, qui sanguine eorum tinctus erat, clarissimi fontis latices emanarunt. Est ibi templum egregio opere visendum, quod sacras eorũ reliquias continet. Non modò autem pij eius terræ incolæ, sed plurimi ex vltimis terrarum finibus virtutibus eorum inuitati, summo eas honore inuisunt, colunt & amplectuntur: & cæli terræque creatorem in sanctis suis, qui Christi ęrumnas cunctis mundi delicijs prætulerunt, meritis laudibus celebrare nunquàm intermittunt.

## *VITA S. ATTALAE ABBATIS COENOby Bobiensis, ex ea quæ est per Ionam Scotum Abbatem eius discipulum. Claruit verò Anno Redemptio. humanæ 626. Honorij Papæ I. Heraclij Imp. 17. Sub Ariualdo, Longobardorum rege, Ariano.*

Vide Cæsa. Baroni. not. in martyr. Rom. Item Tom. 8 annal. Ecclesiast.

10 Martii.

Genus Attalæ clarum.

ATtala Burgundiorum nobili admodùm genere ortus, cùm à patre, Arigio quodam ponti-

pontifici liberalibus imbuendus disciplinis traditus esset, & virtutũ metã quã sibi proposuerat, hoc præceptore se consequi posse diffideret, clam se subducere non dubitauit: relictisque vanis vitæ oblectamentis, duobus contentus pueris sacro monachorum contubernio in Lirinensi cœnobio se sociauit. Sed cùm & ibi solutos in omnem intemperantiam mores diffluere cerneret, indè ad beatum Columbanum Luxouium transfugit. Quem vir sanctus propter egregiam virtutis indolem amplexatus, diuinis assiduè monitis eruduit, tantisque virtutum omnium ornamentis excoluit: vt post eius decessum eo dignitatis loco, omnium iudicio dignissimus haberetur. Sed cùm summo studio fluxos mores antiquæ disciplinæ seueritate deuincire cuperet, monachi quidam pernicioſi libertatis amantes, negabant se insolitam arduæ disciplinæ pondera portare posse. Quos ille cùm frustra sæpè, tamquam pueros infantes, lacte suauissimo in studio pietatis nutrire conatus esset, & dein castigatos secum retinere non posset, mœrore animi turbatus, multis precibus cum pietatis officio eos prosequebatur, orans vt se nõ relinquerent, sed ardui itineris callem fortiter tenerent, reminiscentes quod sancti patres per mortificationem carnis, & contemptum præsentis vitæ, regna cælorum possiderent. Tandem cum se nihil proficere cerneret, nec alio nitentes animos suæ societatis habenis continere posset, finit eos pertinaces abire.

Literis instituitur.

Petit Lirinense cœnobium.

It Luxouiũ.

S. Columbano succedit, anno Domini 615. testa Baro. Tom. 8. Annal. Eccleſiaſt.

Sed mox temeritatis & arrogantiæ pœnas Deo soluerunt. Nam vt in marinis finibus constituti sanctum virum maledictis insectare cœperunt, vnus eorum igneo quodam febrium calore correptus, multis doloribus, antè quam flagitium oris

Monachi rebelles & maledici;

diuinitus puniuntur.

oris confessione delerer, exspirauit. Alij, quorem mens nõdum in scelere obduruerat, terribili Dei iudicio admoniti, pœnitentiæ locum subierunt. Alij verò qui obstinatis animis in suscepto semel flagitio perseuerare decreuerant, variis miseriis inuoluti, feralem exitum consequuti sunt.

Miracula Attalæ.

Beatus autẽ Attala dolore admissi criminis fractos, summa beneuolentiæ significatione ad seredeũtes excepit; quos nõ solũ oratione, sed multis miraculorũ virtutibus deinceps in officio continuit. Quodam tempore Bobius fluuius turbidis aquarum molibus ac rapaci cursu, molẽdino monasterij excidium inferre videbatur, ita vt ingenti formidine perculsus custos Agibodus, Patri imminentẽ ruinã nunciaret. Pater de Dei bonitate securus, hominem sine cura esse, vocatoq; Sinoaldo Diacono in vtramuis aurẽ dormire iubet. Vocatus Sinoaldus, à B. patre ad fluuium cum eius baculo destinatur, vt eo furentis fluuij impetum cõprimat. Paret ilicò patris mandato Sinoaldus, & impositò ripæ baculo inundantis fluuij aquas mirabiliter sistit, & ad alia direxit litora.

Pollicem humi conditum, manui restituit.

Alio tempore monachorũ vnus, Fraimerus nomine, cum vomere tellurem excoleret, stiuâ fortè imprudens confregit; quam componere conatus, inopinato ictu ferramenti, leuæ manus pollicẽ amputauit, quo terræ cõdito, relicto vomere, ad monasterium perrexit, & Abbati suo humi prostratus, flens gemensq; indicauit. Cui Pater, cõcito inquit, gradu vade, & partem pollicis humo conditam huc ad me ferto. Perrexit ille vnius milliaris itinere, partemq; attulit: quam pater suis liniens saliuis, carnis glutino ità coniunxit, vt cœptum mox opus sine dolore prosequeretur. Mediolanum quodam tempore veniens, puerũ quen-

dam

tam graui ardore febris oppressum, & cum ipsa penè morte conflictantem, suo contactu ab omni mortis & morbi periculo liberauit.

Quadraginta dies antequàm de huius mundi ærumnis liberaretur, à Deo admonitus est vt se ad iter accingeret; Et quidem cunctis ritè dispositis Ionam euocauit, mandauitque vt matrem maximo eius desidério laborantem inuiseret; sed nulla interposita mora, festinus ad monasterium rediret. Centũ & quadraginta milliarib. ædes matris à monasterio disiunctæ erant. Perrexit Ionas duorum fratrum comitatu stipatus ad matrem; cumque blandicijs eius detineretur, tanto febrium æstu correptus est, vt manifestè intelligeret sancti viri precibus in id periculum se venisse. Nec mora, quamuis graui cruciatu torqueretur, rursus iter summa celeritate capessit, & in ipso itinere sanitatis beneficium consequitur. Monasterium autem ingressus, beatum Attalam cum morte decertantem reperit; Qui cùm in vita tum verò in morte clarissima pietatis documenta suis dedit. Crucis effigiem cum multis lachrymis amplexatus, omnem salutis spem in Christi meritis reposítam habebat. Et quanquàm totum vitæ cursum, cum insigni omnium virtutum laude transegisset, de tremendo tamẽ Dei iudicio valdè anxius cum lachrymis & crebro singultu erratorum veniam flagitabat. Cumque quasi multis flagitijs coopertus assiduis se lamentis daret, vidit inter mæsta suspiria cœlos patentes; qua visione à gratui diuturnoque luctu mirificè sublatus, fratres ad virtutum omnium studium hortatus est. Nec vocem antè à salutaribus monitis continuit, quã mortis atrocitate oppressus, beatum Deo spiritum redderet. Decedit à vita.

VITA

Vide Ioan. Molan in Indiculo SS. Belgii. Teste Barō. Tom. 8. An.

# *VITA S. VINDICIANI, ATREBATENsis Sedis Episcopi Noni. Ex ea quæ est per Vvalterum Abbatem. Clarvit temporibus Theodorici Iunioris, Francorum Regis, qui regnauit anno Salutis 685. &c. Sedente Ioanne Papa, eius nominis 5. Habetur in M. S. codice, in Monte S. Eligij vbi sanctus hic requiescit.*

6. Martii.

INter præstantissimos solertissimosque Ecclesiæ cultores, qui lumine fidei irradiati, ac Spiritus sancti munere ditati, in fine senescentis huius mundi ad excolendas fidelium mentes diuina prouidentia fuêre prærordinati; S. vir Domini Vindicianus, tanquam lucidissimus refulsit solis radius. Cuius carnalem prosapiam quanquã hactenùs incõpertã habeamus; Christianis tamen ingenuisq;, Orthodoxis ac pijssimis parentibus editum esse, haudquaquam dubitandum. Et quidẽ cum procedente ætate humaniorum ac sacrarum literarum studijs esset traditus; ecclesiasticis ibidem sanctionibus fuit decenter informatus: sicque per gradus singulos proficiens, succedentibus virtutum incrementis, prouectus est demùm ad culmen sacerdotalis honoris. In quo præclaræ conuersationis eius odore longè lateque sese diffundente; etiam procul degentibus nomen eius cum multa laude innotuit.

Felix prægressus & pia conuersatio eius.

Contigit autem interim B. Autbertum Cameracensis Atrebatensisque Ecclesiæ Antistitem solutis mortalitatis vinculis, ad immortalitatem transire. Grex proindè pastore destitutus; comperta iam viri sancti fama, vno animo & pari voluntate beatum Vindicianum sibi Episcopum elegêre. Constitutus verò ac confirmatus in sede pontificali

Eligitur ac consecratur in Episcopũ Atrebatensẽ qui olim vnus fuit cũ Camerac.

ficali, qualis quantusque in ea vixerit, non est nostræ possibilitatis condignè enarrare. Profundissimæ siquidem humilitatis vir, rerumque terrenarum contemptor præcipuus, id tantum meditabatur, vt purum, sanctumq; Deo obsequium exhiberet, cũctosq; sibi subditos eiusdẽ sanctimoniæ ac puritatis participes faceret. Hinc eum frequentabat numerosa plebis multitudo, ex vicinis & procul remotis vicis ad eum confluens: quam ille creberrimis sacris concionibus ad exequendam vitæ melioris normam instruxit, feliciterque tandem perduxit. Quinimò ipse Rex Theodoricus, alioquin tyrannus, eximijs beati viri excitus virtutibus, eius consuetudine colloquioque mirificè delectabatur. Cuius quidem munificentia, & ex rebus proprijs potissimum; Sedem Atrebatensem multum augmentauit, nec non & villis, Ecclesijs, terris, molendinis, alijsque subsidijs liberaliter ampliauit: seculares insuper potestates ab infestatione ipsius ecclesiæ penitus omnes exclusit. In villa Hunolcurth sedis Cameracensis, cum glorioso postmodum martyre amberto Monasterium consecrauit, ad laudem Dei & venerationem beatissimi cælestis aulæ clauigeri Petri: ibique Clericos & sanctimoniales constituit. Sacrum corpus Maxellẽdis, à spõso suo Harduino ob amorem castitatis iampridem interemptæ, ex villa Pomerio las ad locum interfectionis referre curauit: qui & nunc vsque passionis ipsius titulo insignitur.

Oliuam fructiferam exhibet sese in Domo Dei.

Theodoricus Francorum Rex iunior, ei cum primis addictus.

Monasterij S. Petri in Villa Hunolcurth.

Translatio SS. reliquiarum Maxellendis virginis, de cuius martyrio Vide Tom. 8. Annal. C. Baronij. Anno 670.

Cæterum cum in quoddam diocæsis suæ territorium, Brosellam nomine, aliquando deuenisset; carnis molestia tactus, aliquandiu ibidem decubuit: sentiens demùm se acriori morbi

Infirmatur vir sanctus.

vi & infestatione ad finem vrgeri rebus ecclesiæ suę rite dispositis supplici & pura confessione præmissa, sacri olei extrema vnctione delibutus;

Præparat se ad mortem.

sacrosanctum Dominici corporis viaticum accepit: ac circumstante beato illo suo familiari collegio psalmis & orationibus agonem eius Domino deuotè ac piè commendante, plenam operibus bonis, plenam honoris & gratiæ animam ad sidereas transmisit mansiones; in æternum ibidèm regnaturam. Corpus autem fuit ingenti omnium luctu tumulatum honorificè in Monte S. Eligij territorij Atrebatensis, vbi sepeliri elegit vir Dominicò quod beatus Eligius Viromandorum quondam Episcopus, cui familiari admodum vsu dilectionis inhæserat; ibidem habitationis suæ diuersorium fecerat. Anno dein 885. post horrendam illam Galliarum per Nortmannos vastationem, Sacræ eius reliquiæ fuêre eleuatæ in quadam Abbatia horæ spatio ab Atrebato distante; per 15. eius in Pontificatu successorem Fulbertum: cum clericus quidam, fortuitò, tumbam sacram, inter ruinas Basilicæ, ferrato baculo pungens, primò cæcus factus est, deindè etiam cum veniam à Deo & sancto supplex petijsset, rursùs sanus effectus.

Feliciter decedit.

Locus sepulturæ eius.

Contigit illa, iuxta Ioan. Molan. in Chron. SS. Belgii ca. 12. Anno Domi 880.

Eleuatio SS. reliquiarũ eius.

Miraculum insigne ad tumbam eius.

Vide Cæs. Baron. Anna. To. 8

*VITA S. GREGORII PAPAE, SVMMI & incomparabilis viri, Ecclesiæ doctoris eximij, Ex ea quæ est per Iohannem Diaconũ. Obijt sanctissimus Pontifex (cum summa laude Pontificiam dignitatem administrasset Annos 13. mens. 6 & dies 9.) Anno à partu virgineo 604. Phocæ verò Imperat. 2.*

12. Martii.

GRegorius genere Romanus, professione Philosophus, Senatoria stirpe progenitus, Gordi-

Gordiani viri clarissimi, & beatæ Siluiæ filius; cum primum ætatis florem disciplinarum maximarum cognitione egregiè exornasset, cupiditates omnes (quibus ætas illa miserrimè agitari solet) constanter repressit: & in biuio Pythagoricæ literæ constitutus, ad dexterū rotis viribus anhelauit. Sed dùm tutius Christo se famulaturum sub Prætoris Vrbani habitu putaret, mundoque specietenùs deseruiret, sensim mundi curis ita inuolui cœpit, vt plurimum de libertate quæ in Christi seruitio constituta est, deperderet. Hoc vbi prudentèr animaduertit ne paulatim aduersa vitiorum tempestate abriperetur, mox vt, patre defuncto liberam rerum suarum facultatem nactus est, sex monasteria in Sicilia, amplissimis ditata prædijs, erexit; quæ viris omnibus maximarum disciplinarum artibus instructis, præclarè ornauit. Septimum verò intra Romanæ vrbis menia sub honore S. Andreæ ad cliuū scauri, in proprio domate ædificauit. In quod ipse studio admirabilis virtutis, quam pectore intimo inclusam gerebat, spretis opibus & diuitijs, contemptis honoribus, & auro gemmisque radiantibus togis, & rebus maximi precij in vsus pauperum erogatis, tanquam in tranquillum vitæ portum se contulit, sumptoque monastico habitu, primò sub Hilarionis, deinde sub Maximiani venerabilium patrū regimine, multis sibi sociatis fratribus Christo militauit. Iamq; mundo ignotus, Christi spiritu & consuetudine admodū suauiter fruebatur; cum fratrum vnanimi consensu ipse monasterij gubernacula suscipere cogitur. Durum erat viro sancto, à tanta Christi familiaritate, per terrenarum rerum occupationes auelli, sed libēs tamen gaudensq; propter communem vtilitatē paruit.

Patria & Parentes S. Gregorii.

Septem monasteria cōstruit Gregorius.

Fit monachus.

Præest monasterio.

At verò, nè amicum diuinæ fruitionis lumen, (quod iam per assiduam rerum diuinarum contemplationem in se receperat) aliqua obscuritate per quotidianas curas inuolueretur: cœpit longè sese excellentius in omni virtutis exercitatione gerere. Cum enim longa ciborum abstinentia, omnes prauæ cupiditatis impetus iam fregisset, summo studio in eo laborauit, vt mentem omni sacrarum literarum cognitione instrueret, in quibus tanta sedulitate versatus est, vt infirmato per inędiam stomacho, vix pedibus insisteret.

Vide quantis laboribus & sedulitate, studio sacrarum literarum incubuerit.

Et quidem ex ea eruditione hunc fructum consequutus est, vt præter conscientiæ puritatem omnium salutem ardentissimè sitiret: nàm cùm Britanniam diuini verbi ministris destitutam audiuit, Benedictum Pontificem, vt viros pietatis & eruditionis laude præstantes, eò destinaret, obnixè rogauit. Cum verò nemo eam legationem suscipere vellet, vir sanctus diuini amoris facibus accensus, seipsum obtulit, operamque suam pollicitus, est, nec vllum Christi causa periculum recusauit. Et certè trium dierum itinere iam confecto ad gentis illius salutem constituendam properabat, cum importunitate Romanorum, qui Romanæ vrbis salutem in eo repositam habebant, redire compulsus est. Benedictus autem Gregorij virtutibus mirificè delectatus, eum vel inuitum à septis monasterij abduxit, leuiticoque ordine insignitum, in suum ministerium cooptauit. Nec multò post, pro responsis ecclesiasticis Constantinopolim à Pelagio Præsule destinatur; vbi quamuis in terreno constitutus palatio, constâter tamẽ disciplinæ suæ seueritatẽ cælestis vitæ puritate retinuit: & doctrinæ suæ excellentia, pullulantem de statu nostræ resurrectionis hæresim

Benedictus pontifex Cardinalem eum creat.

Eutychianã hæresim Cõstantinopolim legatus missus, extinguit.

resim,cum ipso quo orta est initio, attriuit. Nam Eutychius eiusdem ciuitatis episcopus, conscripto de resurrectione mortuorum libro,asserebat corpus nostrum resurrectionis gloria impalpabile ventis aereque subtilius futurum:quod sanè dogma orthodoxæ fidei contrarium, clarissima veritatis luce ità Gregorius refutauit, vt ipse turpissimi erroris auctor, agnita veritate in vltimo mortis discrimine resipuerit. Gregorius autem acutissimis febribus, quibus eodem tempore grauiter afflictabatur, liberatus, lætus se ad sacra munia obeunda accinxit.

Eutychius moriens resipiscit.

Inter cætera autem eximia pietatis officia, quãta solicitudine afflictæ per Longobardos Italiæ succurrerit, testantur epistolæ antecessoris sui Pelagij Papæ, quæ hactenus in scrinio sanctæ sedis Apostolicæ conseruantur. Postquam negotijs ex animi sententia ritè confectis, Romam reuersus est: tanta inundatione Tiberis fluuius excreuit, vt fluctus eius super vrbis muros magnavi influentes, ædium plurima munimenta deijcerent, horreisque miseranda valdè tempestate subuersis, extremam rerum omnium inopiam in ciuitatem inuecherent. Accessit innumerabilis serpentium multitudo, cum ingenti dracone instar trabis validæ, quæ per Tiberim in mare descendens, & marinis aquis suffocata, & in littus eiecta, pestilenti contagione totum aërem infecit. Secuta est è vestigio clades inguinaria, quæ Romanam vrbem adeò vehementi pestilentia lania uit; vt etiam sagittæ cælitus venire, & singulos quosque percutere visæ sint. Cum verò in reliquum vulgus miseranda lues horribiliter desæuiret, tum ipsum Pelagium Papam internecione deleuit.

Inundatio Tiberis.

Roma horribiliter punita.

Intereà cum magis magisque contagio pestilés grassaretur, populus vniuersus Gregorium Pontificem conclamauit. Ille quamuis totis viribus reniteretur, per quandam tamen simulationis speciem assentire visus est, quo facilius ciuisque diuini iudicij furor communibus votis precibusque reprimeretur. Itaque Litanias supplicationesque indixit. In quibus cum intra vnius horæ spatium, octoginta homines, in terram corruentes spiritum exhalarent, nequàquam tamen vir disertissimus populo prædicare destitit, ne animos demitterent, neuè prius ab oratione desisterent, quam desiderata diuinæ benignitatis gratia, pestem profligassent.

Gregorius Pelagio Pōtifici succedit.

Litanias Indicit.

Fugam meditatur.

Hæc dùm ab omnibus summo pietatis studio peraguntur, Gregorius quia palam ciuitatis portas egredi non poterat, & oblatum S. Pontificatûs honorem declinare vehementer cupiebat, à negotiatoribus exponendum se dissimulato (vt fertur) habitu callidus impetrauit, siluarum saltus expetijt, cauernarum latibula requisiuit. Sed non potuit diù tanta lux sub modio abscondi. Dùm enim ab omnibus, in syluis & ferarum latibulis quæreretur, indicio columnæ fulgidæ super se iugiter à cælo dependentis, agnoscitur, capitur, trahitur, & summus Pontifex conſecratur. Qui mox vt summum Pontificium sortitus est, vniuersalis vocabulum (quod Iohannes Constantinopolitanus Episcopus, quadam insolentia sibi tunc arrogabat) more anteceſſorum suorum Pontificum, sub districtissimæ interminationis sententia refutauit, & primus omnium; qua erat animi modestia, & humilitate in principio epistolarum suarum, se seruum seruorū Dei declarauit. Hic vir B. diuinarū laudū studio acriter incensus, scholā canto-

Cōsecratur Pontifex. Anno Christi 590. Mauritij Imp. 5. teste Baron. Tom 8. An.

cantorũ instituit, quam duobus habitaculis cum nónullis prædijs cõiunctis dotauit. Cũ autẽ muneris sibi cõmissi difficultatẽ prudenter intelligeret sũmo studio & diligẽtia viros omnib. maximarũ virtutũ ornamẽtis excultissimos assciuit, quibuscũ die nocteq; de rebus diuinis differebat, & ea quę ad totiꝰ ecclesiæ pacẽ stabiliẽdã pertinebant, attenta consideratione pertractabat. Stationes per beatorum martyrum cæmiteria ordinauit quas dùm plebs Romana quotidiè magno pietatis studio lustraret, vir diuinus vt subditorũ sibi animos ad præclara sãctorũ gesta imitãda excitaret, viginti diuerso tempore euangelij Homilias, diuino spiritu plenas perorauit. Reliquas verò eiusdẽ numeri continuo stomachi languore prohibitus, alijs pronunciandas commisit

Schola cantorum.

Stationes ordinat.

Et his quidem alijsq; pietatis operibus quamuis & Deo & hominibus admirabilis esset, illa tamen piacula omnium sanctissima reputauit, quæ hominum beneuolentia & charitate continentur. Itaque exceptis ijs, quos tam per diuersas regiones, quam Romæ Longobardorum gladios fugientes pauit, quotidiè quoslibet ad mensam suam peregrinos inuitabat. Inter quos die quodam, vnus vt accessit, singulari vt solet humanitatis officio eum excepit, in cuius manibus dum aquam infundere vellet, cõuersus vrceum accepit: sed repentè eum, in cuius manibus aquam infundere volebat, non inuenit. Quod factum cum secum cum ingenti animi admiratione reputaret, nocte eadem Dominus ei assistens dixit; Tu quidẽ cæteris diebus me in meis membris, hesterno aũt me in memetipso suscepisti. Quin & alias, inter pauperes ab eo cõuiuio receptus quidã, Ego sum inquiebat, naufragus ille, cui primo bis terna,

Præclara charitatis eius officia.

indè sena numismata, postremo etiam scutel lam argenteam, quæ sola remanserat, dare præcepisti, sum autem Angelus Dei. Gregorius hoc dicto vehementer perculsus, facie in terram prostratus, & lachrymis perfusus, Dei bonitatem tacitus laudauit, multoq; ardentius ad benignitatis studium incitatus fuit.

Angelus se ostendit S. Gregorio.

Interim cùm assidua illi Anglorum cura sub pectore viueret, anno Pontificatûs sui quarto, Augustinum cum alijs quibusdam monasterij sui monachis in Britanniam destinauit, qui primo difficultate prouinciæ deterriti, cum pedem reuocare vellent, literis eius mòx ità confirmati fuerunt, vt intrepidè quoduis se in periculum inferre minimè dubitarent. Nec eis sacra hæc expeditio infeliciter successit. Nam gentem illam moribus efferatam, ita vt nec vllis armis domari poterat, cum diuini verbi prædicatione, tum miraculorum virtute, Christi imperio subdiderunt.

Augustinũ in Angliam emittit.

Quæ autem de Gregorij miraculis penès easdem Anglorum ecclesias vulgò leguntur, omittenda non arbitror. Matrona quædam Gregorio Missarum solennia per stationes celebranti oblationes obtulerat. Cui post mysteria traditurus, cùm diceret: Corpus Domini nostri IESV Christi conseruet animam tuam: lasciua subrisit. Ille continuo dexteram ab eius ore conuertens, partem illam Dominici corporis super altare deposuit. Expletis verò Missarum solennijs, matronam coram populo quamobrem dominicum sumptura corpus ridere præsumpserit, inquisiuit. At illa diu mussitans, tandem prorupit; Quia panem, inquiens, quem proprijs manibus me feciſſe cognoueram, tu Corpus Dominicum perhibebas. Tunc

Nota hinc veritatem corporis

Tunc Gregorius, pro incredulitate mulieris, tum tota plebe se in orationem prostrauit. Et oratione expleta, particulam panis, in carnem mutatam, reperit. Qua incredulæ demonstrata, & illam ad fidei gratiam reuocauit, & populum in ea mirificè confirmauit. Rursusque in orationem prostratus, carnis frustum in panis primordia reformauit.

Christi in Eucharistia.

Erat in quodam monasterio, à B. Gregorio constructo frater vnus, qui neglectis sacris monasterij constitutionibus, tria ad vestem coemendam numismata à fratre suo seculari receperat. Quod cum B. Præsul Gregorius auditione percepisset, à communione eum tanquam transgressorem sacrarum legum, segregauit. Qui duobus vel tribus post diebus, è vita sublatus, haud mediocrem Pontifici tristitiam inussit: quod vinculo hoc constrictus migrasset. Tùm Pontifex pietate commotus, Diaconum suum cum absolutionis sententia ad defunctum misit, eamque ex scripto super cadauere legit. Porrò ipsa nocte eius monasterij Abbati, in somnis defunctus apparuit, & interrogatus quonam in statu esset? respondit selecta sententia, à peccatorum vinculis pœnisque solutum, ad beatorum requiem migrasse.

Monachus proprietarius priuatur communione, à S. Gregorio.

Gregorius soluit monachum, à vinculo excõmunicationis, etiã defunctum.

Fuit autem Gregorius, eximius diuitiarum honorumque contemptor; adeo vt omnibus se frequenter facultatibus, in pauperum inopia subleuanda denudaret, eaque de causa diuitiæ eius, quas dicebatur possidere amplissimas, omnium in ore non sine ingenti admiratione versabantur. Quod cùm quidam eremi incola, virtutum omnium splendore mirabilis audisset, nihilque ex mundi bonis præter vnam cattã, quam blandiens

crebrò in sinu fouebat, possideret, orationem ad-
Eremitæ cuiusdã oratio ad Deum.
Deum fudisse fertur, qua suæ paupertatis pro Christi amore voluntariæ assumptæ, præmium sibi ostendi postulabat. Cumque eandem orationem magna sæpè instantia repeteret, nocte quadam cum Gregorio eodem in cœlis se præmio remunerandum intellexit. Tum ille: Hem, inquit, eòne & voluntaria paupertas, & exhausta longo Ieiunio membra spectant? Hem, Pontifex omnibus mundi diuitijs abundans, parem mecum gloriã consequetur? Hæc aliaque assidua mente voluenti, alia nocte adfuit Dominus, & mentis eius stultitiã increpando dixit; Quandò non diuitiarum possessio, sed vehemens earum cupido diuitem faciat, cur audes tuam cum diuitijs Gregorij paupertatem conferre, qui magis illam cattam quam habes diligere comprobaris, quam ille amplissimas diuitias, quas contemnendo cunctisque liberaliter largiendo dispergit. Hac increpatione solitarius eruditus, diuitias non ex possessione, sed ex animo cupiditateque reputandas esse intellexit.

Diuitiæ non ex opibus, sed ex cupiditate metiendas esse.

Porrò cum tota mente vir sanctus in omnium salute procuranda, & ecclesia sibi à Christo commissa administranda incumberet, Ligures, Venetos, Hiberos, alioque à schismate sub libello confessos, Chalcedonensem Synodum venerari compellens, ad vnitatem sanctæ ecclesiæ reuocarat. Iam Barbaricinos, Sardos, & Campaniæ rusticos, tàm prædicationibus quam verberibus emẽdatos, à paganizandi vanitate remouerat. Iam Donatistarum hæresim penes Africam, Manichæorũ penès Siciliam, Arianorum penès Hispaniam, Agnoitarum verò penes Alexandriam, scriptorum suorũ validissimis auctoritatibus, importunisq; legatio-

Vide quanta diligentia Ecclesiam administrauerit & quo modo hæreses profligauerit.

legationibus Domino suffragante, à corpore sanctæ matris Ecclesiæ sequestrârat. Sola penès Gallias Neophytorum hæresis, quot simoniacis muneribus quasi tot radicibus pullulans, longè latèque prorsùs excreuerat, & manebat. Contra quã venerabilis Pater apud Brunichildem Reginam, Theodorum quoque & Theodebertum Francorum Reges fortitèr pugnauit; donèc collecta generali Synodo, hanc sub anathemate damnandam penitùs impetraret; Sed & cõsuetudines dationum, vel xeniorum à suis Episcopis accipere, Gregorius quasi pondus quoddam pestiferum, toto mentis certamine detrectabat.

Mauritius.

Porrò Mauritius Princeps, sordibus auaritiæ & rapacitatis turpitèr inquinatus, legem funestissimam tulerat, vt nulli militum qui in manu signatus fuisset, sese in monasterio Deo consecrare liceret. Quam legem Gregorius scripto egregiè oppugnauit, datisque ad Imperatorem literis in hanc sententiã scriptis, eum à legis sentẽtia deterruit; Ad hoc potestas super omnes homines pietati Dominorum meorum cœlitus data est, vt qui bona appetunt adiuuentur, vt cœlorum via largiùs pateat, vt terrestre regnum cœlesti regno famuletur. Et eccè aperta voce dicitur, vt ei qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, Christo militare non liceat. Ad hæc eccè per me seruum vltimum suum & vestrũ respondet Christus dicens; Ego te de notario comitem excubitorum, de comite Cæsarem, de Cæsare Imperatorem feci. Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Responde, rogo, pijssimè Domine seruo tuo, quid venienti & hæc dicenti responsurus

S. Gregorij scriptum ad Mauritium. lib. 2. epist. 61.

es in

es in iudicio Domino tuo? Hanc legem primum, sicut hi dicunt qui leges veteres nouêre, Iulianus protulit.

Iohannes Constantinopolitanus antistes, incitat Imperatorem contra S. Gregorium.

Confortabat insaniam Imperatoris, foueb at que, Iohānes regię vrbis ex monacho antistes (qui Vniuersalis nomen arroganter sibi assumebat, quem Gregorius sententia excommunicationis mulctauerat) ipse multis fallacijs Imperatorem impulit, vt Gregorium tanquam vnitatis & publicæ pacis turbatorem, ad pacem & vnitatem conseruandam strenuè moneret. Gregorius autèm auarissimo principi voce libera cōtradixit; Ego enim, inquit, cunctorum sacerdotum seruus sum, inquantum ipsi sacerdotaliter viuunt. Nam qui contra omnipotentem Deum, per inanis gloriæ tumorē, atque contra statuta Patrum suam ceruicem erigit, in omnipotente Domino confido, quia meam sibi nec cum gladijs flectet.

Lib. 4. epist. 31.

Præterea Imperator, qui omnia cupiditate turpis lucri & pecuniæ metiebatur, milites suos stipendijs frequentissimè defraudabat; cumque Gregorium contra omnes mundi strepitus, Augustalibus defensionibus, quarum suffragio ad arcem pontificatûs hunc se prouexisse iactabat, penitus nō egere cerneret, immo sanctitatis ac prudentiæ suæ virtutibus Christo propitio cunctis alta sapientibus prævalerè: ad odium detractionemque famæ illius conuersus est: atque liberalitatem pontificis (quia famelicis militibus tàm ecclesiastica, quam publica frumenta diuiserat) subdolis assertionibus reprehēdit. Cui Gregorius ita pro se respondit, vt in eo sacerdotum omnium honorem & dignitatē præclare admodum tuitus, Imperatorem diuini iudicij terrore vehementer perculerit; adeò vt tanti Pontificis constantiam non

Mauritius Imperator carpit S. Gregorii liberalitatē.

non mediocriter admiratus, consilium sceleris & inuidiæ plenum captauerit, quomodo eum vi ta spoliaret. Sed eodem anno quo maximè furoris stimulis concitatus crudele facinus in virum sanctum moliebatur, vir quidam, religioso indutus habitu, diuina quadam virtute commotus apprehensa spatha, dextera sua eam à foro vsque ad æneam gladiatoris statuam nudam circûtulit, & clara voce Imperatorem gladio moriturum clamauit; qua voce ad Mauritium delata vehementèr expauit, & acriore diuini iudicij (quod ei imminere Gregorius prædixerat) timore correptus, manus à tyrannide Gregorio inferēdas continuit; & quia à mendacijs eum alieniſſimum nouerat, rei euentum futurum planè existimauit.

Mauritius molitur mortem S. Gregorio.

Admonetur Mauritius de diuino iudicio in illum futuro.

Mox itaque supplices ad omnes Patriarchas, Episcopos, & monachos literas cum muneribus & cereis, alijsque rebus amplissimis misit, quibus enixè ab ijs contendebat, vt diuinum pro se numen placarent, atque sempiternæ damnationis periculum à suo capite auerterent. Hæc & per alios, & per se, assiduis lachrymis precabatur, cùm nocte quadam dormiens vidit apud æneam portam, se coram multo populo æneæ statuæ saluatoris assistere. Tunc vox terribilis facta est, ex ipso incarnati verbi charactere, dicens: Date Mauritium. Et capientes eum iudiciorum ministri, posuerunt eum iuxta purpureum vmbilicum qui illic erat. Cui eadē vox characteris ait; Vbi vis reddam tibi mala, quæ in hoc seculo perpetrasti? Ille respōdit; Amator hominum Domine, hîc potius quam in futuro seculo. Statim igitur diuina vox iussit tradi Mauritium & Constantiam vxorem eius, cum filijs & filiabus, omnique cognatione eius Phocæ militi. Euigilans itaque Mauritius, Phili-

Mauritius Imp. aliorum intercessione, statuit sibi placare Deum.

Sententia Christi in Mauritium.

Philippicum generum ſuum (quem ſibi dudùm inſidias ſtruere ſuſpicatus fuerat) ad ſe vocauit. At ille pro ſuſpicione ſe perdendum ratus, Gordiæ vxori ſuæ vltimum vale dicens, ſacroſanctis corporis & ſanguinis Domini myſterijs munitus ad palatium properauit, atque ad Imperatoris ſe pedes abiecit. Cui Imperator aſſurgens, humique ſe proſternens, erroris ſui veniam poſtulauit. Neque enim, dicebat, vt diuina admonitione edoctus ſum, tu mihi regnoque meo perniciem vnquàm machinatus es, ſed ſi quem noſtris in agminibus qui Phocas appellatur noueris, dicito. Philippicus cùm ſe Phocam probè nouiſſe reſpondiſſet, Imp. ſolertèr & curioſè de hominis ingenio & ſtatu, multa percunctari cœpit. Phylippicus ad omnia reſpondit; Et quidem nuper, inquit, ab exercitu procurator nuncupatus tuo contradicebat imperio. Sed quanquàm iuuenis ſit & temeritate præceps, ab omnibus tamen timiditatis dedecore notatur. Tum Mauritius, Si timidus, inquit, eſt, profectò & homicida. Hæc cùm dixiſſet, multa animo voluens conticuit. Intereà Magiſtrianus, qui ſupplices imperatoris literas ad monachos & eremiticæ vitæ cultores detulerat rediens, tale ab ijs reſponſum Mauritio retuliſſe fertur. Deus, ô Imperator, te cum tota domo à mortis quidem ſempiternæ periculo ſua benignitate eripiet, ſed præſentis vitæ & imperij diſcrimẽ, cum inſigni nominis tui ignominia effugere non potes.

His auditis Mauritius, quamuis dolore non mediocri afficeretur, Dei tamen bonitatem pro ſua ſalute profuſis lachrymis collaudauit; neque tamen auaritiæ peſtis (quæ eius mentem penitùs obſedebat) in eo extincta fuit. Nàm nè militibus publi-

publica alimenta præbere cogeretur, exercitum in aliena terra hyemare voluit, atque vt sibi victũ transito Danubio de Sclauorum regione quęreret, imperauit. Cui obedire mandato durum nimis esse ratus exercitus, ad seditionem conuersus, Phocam centurionem super clypeum exaltatum, Exarchum acclamârunt, fugatoque prætore Theodosij Imperatoris filio, & Germano socero eius, nuncios ad eos dirigunt, vt alter eorum sibi imperare studeret. Illi scelus execrati, oblatam imperij dignitatem reiecerunt, & Mauritio cuncta retulerunt. At ille Germanum perdere volens, cùm ad ecclesiam confugisset, misit qui eum per vim extraherẽt, & filium (quia Germano consilium patris detexerat,) tanquàm proditorem flagellauit. At verò populus vniuersus Mauritij impietatem detestans, quòd hominem ab aris per vim abstractum ad mortem rapere auderet, tanquàm Marcioniſtam hæreticum multis conuitijs lacerauit, adeò vt graui admodùm tumultu intra Constantinopolim commoto, Mauritius dissimulato habitu, cùm vxore & liberis fuga sibi salutẽ quærere cogeretur. Interea Phocas cum exercitu in Septimũ veniens, faustis acclamationibus Imperator efficitur. A quo Mauritius cum filijs, vxore, ac filiabus, penes Chalcedonem (quemadmòdum sibi denunciatum fuerat) decollatur. Et quia oratio Gregorij, quà illum petierat in terribili Dei iudicio liberum à delictis omnibus inueniri, vacua esse non poterat, idem Mauritius id recepit quod meruit, & in cunctis suis incommodis Dominum benedicens, à sempiterno supplicio liberatus est.

Mauritij auaritia.

Mauritius cum vxore & liberis, fugere cogitur.

Phocas fit Imperator.

Mauritius cum suis cæditur.

Tandem Gregorius, postquam Sedẽm Apostolicæ Ecclesiæ, annis tredecim, mensibus sex, & diebus nouem doctrinis paritèr & operibus felicis-

simis illustrasset: anno imperij Phocæ secúdo, indictione septima, quarto Iduũ Martiarum carnis corruptione solutus, ad sempiternam perpetuæ incorruptionis gloriam felicitèr migrauit. Fuit hic virtũ excellenti & mentis & corporis castitate, adeòque diuini amoris facibus incensus, vt Spiritus sanctus eius puritate delectatus, frequenter assumpta nitidissimæ columbæ specie, capiti eius insidisse à Petro Diacono (quo in omni ferè vita vsus fuit familiarissimè) visus sit. Non tamẽ potuit tàm excellens in omni genere virtus, prauorum hominum maledicentiam effugere. Nam inuidi (nescio qua animi malitia efferati) vitam eius adeò sanctè & innocẽter exactam, varijs calumnijs lacerare post mortem minimè veriti sunt, eòque impietatis prorupêrunt, vt libros eius, eximia sanctitate & eruditione refertos flammis exurere cœperint. Sed Petrus Diaconus, cum quo quatuor Dialogorum libros disputauerat, tam impium facinus non ferens, primò eorum sceleratis conatibus omni verborum contentione restitit, populumque aliquo adhuc sanctissimi Pontificis desiderio flagrantem, ad memoriam tanti viri sempiterna prædicatione conseruandam, excitauit. Sed cùm malorum consortia & conuitia prævalere, & omnium animos in communẽ pestem pertrahere cerneret, in hoc omnium sententiam dicitur prouocasse: vt si quę de S. Gregorio vera esse constantèr asserebat, mors eius continuò comprobaret, ab exustione librorum supersederent. Si verò superstes sui testimonij extitisset, ipse quoque combustoribus manus daret. Itaque cum sacrosanctis Euangelijs in ambonem venerabilis Leuitia conscendens, mòx vt præclarum Gregorio sancti-

Moritur Pontifex sanctissimus.

Nota hic inuidiam quæ semper comes solet esse virtutis.

Nota rem mirabilem.

sanctitatis testimonium luculenta oratione præbuit; inter verba veræ confessionis, spiritum efflauit: & à dolore mortis extraneus, preciosa morte sua hominum mentes ab inuidiæ peste & maledicentiæ veneno liberauit.

## *ILLVSTRE MARTYRIVM PETRI CVbicularij Diocletiani Imperatoris. ex Eusebij Cæsareensis Ecclesiasticæ historiæ lib. 8. cap. 6. Certamen forti animo exêgit. Anno Christi 302. Marcell. Pap. 6. Diocl. & Max. Impp. 19.*

Vide Cæs. Barō. Tom. 2. Annal.

12 Martij.

EX omnibus qui vnquam vel apud Græcos, vel apud Barbaros propter animi magnitudinem illustres, & hominum sermone celebrati sunt, nullus cum diuinis & eximijs nostri temporis martyribus Dorotheo & suis sodalibus, Imperatorum ministris comparari potest, qui quidem cùm summum honorem apud dominos adepti fuissent: & amore essent apud illos liberis proprijs & ingenuis non inferiores, probra & afflictiones pro pietate corporibus impositas, noua & multiplicia mortis genera, contra ipsos excogitata, splendidiores reuerà existimârunt diuitias, quàm gloriam; quàm delicias, quibus hominum vita soleat diffluere. Mortem igitur vnius ex illorum numero qualis fuerit, commemorare placet, eamque lectoribus spectandam relinquere: vt indè, quæ reliquis etiam sodalibus contigerint, animaduerti possit. Quidam illorum in ciuitate Nicomediæ coram Imperatoribus in medium adducitur; qui cum iussus idolis immolare, omnino recusaret, mandârunt nudum in sublime tolli, ac flagellis eousque toto corpore dilaniari, quoad supplicio euictus, etiã animo inuito, quod

Atrocitet flagellis exditur.

erat imperatum, præstaret. Sed vbi ista perpessus, constans & immutabilis persisteret, de reliquo ossibus eius iam carne nudatis, acetum sale permistum, in corporis membra cruciatu attenuata, & propè contabefacta infuderunt. Atque vt istos dolores protriuerat, & veluti pedibus conculcârat, indè craticula & ignis vnà in medium trahuntur, & reliquiæ eius corporis, tanquam carnes ad comedendum paratæ, ignis incendio non raptim (vt breui è vita decedens, omni dolore liberaretur) sed paulatim absumptæ fuerunt. Neque qui eum imposuerant in rogum, etiam post tot tamque grauia cruciamenta, ei vllum respirandi locum dare in animo habebant, nisi prius se ipsorum imperata facturum annueret. Sed ille proposito suo mordicus adhærescens, victor in tormentis animam efflauit. Tale vnius regiorũ famulorum martyrium extitit, appellatione sua (Petrus enim nominatus fuit) reuera dignum.

Assatur in craticula.

Moritur in cruciamentis.

Vide Cæsar. Baro. in not. marty. Rõ. & Tom. 9. An.

## *VITA S. THEOPHANIS, QVI ET ISAacius dictus est, ex ea quæ est apud Metaphr. Obijt diem extremum Anno Redemptoris 816. Leonis 3. Papæ 21. Leonis Armeni Iconoclastæ Imperator. 3.*

12. Martij.

TVlit virum hunc admirabilem illa patria, quæ imperij dignitate decorata, cæteris tãtùm omnibus antecellit, quantum Regi nam subditis præstare par est. Parentibus talia patria dignis ortus est, qui & diuitiarũ copijs, & militari gloria, & virtutibus omnibus affluebãt. Isaacius & Theodota, si quid etiam vobis nomen est curæ vocabantur. Puer adhuc trimulus Imperatori curandus gubernandusque à patre relictus est; à quo cũ virtutes præclara indole dignas hausisset

Patria Theophanis Constantinop.

Parentes.

fisset,& annos insigni prudentia ornasset, cœpit tota mente die noctesque de rerum diuinarum pulchritudine cogitare, sed cum importunis matris precibus ad nuptiarum molestias suscipiendas cogeretur, paruit ille quidem, ita tamē vt firmiter & mentis & corporis integritatem sibi, Dei gratia, seruandam proponeret. Nocte autem, celebrato cum summo omnium gaudio, nuptiarum conuiuio, cum in cubiculo esset cum sponsa sua, totaque mente res diuinas agitaret, suspirio desiderium suum sponsæ indicauit,& luculenter admodum de humanæ vitæ breuitate, ac incertitudine, de mundi vanitate,& impuris voluptatibus, de castitate mentis & corporis, de extremo Dei iudicio, & sempiternis cælestis vitæ delicijs disseruit, adeoque castum sponsę suę pectus amore virginitatis inflammauit, vt protinùs nihil se magis expetere diceret, quam compressa carnis libidine, totum amorem in Christum transferre.

Virginitatē perpetuam amplectuntur.

Adolescens hoc accepto responso, lachrymas præ gaudio continere non potuit; quin & humi prostratus, peractis numini diuino, cui donum hoc præclarum acceptum referebat, gratiarum actionibus, coniugis animum admirabatur; deindè læto eam vultu intuitus, promisit se illam honestis omnibus in rebus sociam habiturum, quô in futuro seculo præclari muneris simul cum ipsa præmium perciperet. Dum hos alios que quibus se mutuo ad omnem vitæ sanctimoniam hortabantur, sermones inter se conferunt, diuinū numen mira odoris fragrantia, præsentiā suam cōprobauit; qua mirificè confortati, amplissimis facultatibus in vsus pauperum distributis, solitarię vitæ propositū amplexati sunt. Sed socer eius (qui spem omnem in ipsis repositam habebat) ea re ità

Solitariam vitam eligunt.

commotus fuit, vt minimè distulerit ipsius Imperatoris (qui adolescentis patrem summo semper loco habuerat) nefariam opem contra sanctum adolescentem implorare. Leo (hoc Imperatori nomen erat) acri indignatione commotus, minatus est, ni cœpto desistens, patrijs viriliter honoribus insisteret, se oculos eius effossurum. Atque, vt facilius in obliuionē sancti propositi veniret, eum Cyzicum præclaro dignitatis munere ornatum misit. At ille constáter in proposito persistens, & alacri animo iter ingressus, apud Sigrianem viro cuidam admirandis virtutibus ornato (cui Gregorio nomen erat) occurrit. Huic Theophanes animi sui propositum indicans, dixit certum sibi deliberatumque esse, voluntarium exilium voluntati Imperatoris præferre. Gregorius autem diuino spiritu edoctus omissis exilij cogitationibus eum hortatus est, vt inuictum ab Imperatore munus administraret, nec quidquam de Dei benignitate ambigeret, quæ suo tempore Imperatore in ordinem redacto, desiderio eum nequaquam fraudaret.

Leonis minæ.

Nondùm anni tres elapsi erant, cùm Irene, mulier excelso & virili planè animo prædita, deiecto ab imperij dignitate Leone, & socero in ordinem redacto, imperij gubernacula cum filio suscepit, & optatissimum pacis splendorem præclarè restituit. Tunc sponsa Christi libertatem adepta, congestas domi diuitias protulit, & partem vnam in vsus pauperum, alteram verò in noua monasterij (cui se, vt Christi ibidé spiritu suauius frueretur, libenter inclusit) fabricam contulit, Theophanes autem magno illi seni apud Sigrianē in disciplinam se tradidit; vbi extructo proprijs sumptibus domicilio, à sancto Gregorio tonsu-

Irene imperio potitur.

Facultates suas, in pauperes distribuunt.

tonsura & habitu externis Christianæ militiæ indicijs, insignitus est. Nec segnitèr sanè palestram ingressus est. Nuda humus stratum illi præbebat. Diuinorum librorum lectioni, & rerum cælestium meditationi assiduè vacabat. Cumque aduersus Dæmones & cupiditates pugnaret, mitis ac mansuetus omnibus, vt alter Moses, videbatur. Dignitates & mundi honores, vt res vilissimas & rerum terrenarum sordibus plenas contemnebat. Nam vt monasterij Præfecto è viuis sublato, in eius locum votis omnium assumptus est, sumpto in manibus baculo, vilique præcinctus tunica, ad montem Sigrianæ contendit, vbi soli Christo cognitus, manuum labore victitabat: & plurimos vitæ innocentia ad virtutis studium alliciebat.

Theophanes fit monachus.

Eius exercitia.

Fugit monasterij præfecturam.

Cum ad Nicenam Synodum secundam vocatus esset, & reliqui omnes vestium splendore micantes, equis inuecti, venirent, ille lacera indutus, & asinæ insidens iter animo læto suscepit, atque in Synodum veniens clarissima veritatis luce errores depulit, & summa virtutum omnium opinione insignis, domum redijt. Fuit vir sanctus, insigni miraculorum virtute clarus. Nec solum dæmones, sed ipsa etiam muta mundi elementa voluntati eius obtẽperabãt. Cæterũ cũ omnibus virtutibus excelleret, in curãdis subleuãdisq; pauperibus eximiã sanè diligentiã adhibebat; nec vlla res tãta erat, quæ eũ aliquãdo à benignè faciendi studio auocare poterat. Quodã tẽpore, cum extrema quædã rerũ omniũ inopia, miseros homines exagitaret, ille cibum, qui in quatuor mensiũ spaciũ monasterio assignatus erat, liberaliter erogauit, cumq; minister superueniẽs vehemẽter cõmotus eo facto rem monasterij in vltimum dis-

Venit ad Nicenam Synodum.

Benignitas eius in pauperes.

crimen adductam esse diceret, ille miti oratione frumentum, vt numeraret, imperauit. Quod minister cum fecisset, nullum aceruo modium deesse reperit.

Leo V. icomachus.

Eodem tempore Christi Ecclesiam quæ summa tunc pace fruebatur, Leo V. homo scelestissimus, multis dolis & fraudibus (quibus virtutis loco vtebatur) subuertere conabatur. Sacras Christi imagines, & matris eius sanctorumq; omnium demolitus est; & vniuersam ecclesiá grauioribus quam fuerant AEgyptiæ tenebris inuoluit. Tanto terrore omnium animos replebat, vt qui virtutis præstantia nefarijs eius conatibus occurrere debuissent, impietatis eius fluctibus obruti, congressum formidarent. Qui verò vita pro Christi gloria cõtempta', sceleris impietatem delere nitebantur, partim fame, partim verberibus, ad extremum vitæ spiritum decertabant.

Tunc Theophanes tempus adesse ratus, quo vel insignem triumphum de hoste reportaret, vel sempiterna nominis sui gloria in certamine pro Christi causa sanguinem funderet, ad vrbem regiam, quamuis graui morbo laboraret, nauigio se contulit. Leo autem cognito sancti viri aduentu, statim illi per nuncium significauit, Si eo animo vt se edicto Imperatoris subijceret venisset: non solum monasterium suum, sed omnes eius cognatos & propinquos maximis dignitatibus, & honorum titulis decorandos. Sin Imperatoris voluntatem negligeret, vi mala coactum in sententiam suam sempiternis ignominiæ maculis deformatum, ire compelleret. Ad hæc vir diuinus vultu animoque intrepido ita respondit, vt tyrannus intelligere posset, se nec honoribus, nec dignitatibus, quas Christi amore maximas con-

Constantia Theophanis aduersus Leonis impietatem.

contemplerat, allici, nec minis vel supplicijs terreri posse.

Imperator quamuis constantiam animi vehementer miraretur, non tamen iniquæ victoriæ spem abiecit, sed hominis cuiusdam scelerati præstigijs confisus, beatum virum facile in fraudem pelli posse confidebat. Sed cùm vir nefarius primo congressu præclara dicēdi facultate à Theophane victus esset, & congressum secundum formidaret, ad cruciatus deuentum est. Itaque Eleutherij palatio inclusum, diuturna fame ità grauiter vexari iussit, vt tabe confectus vitam morte ipsa acerbiorem duceret, præsertim cùm medicorum auxilio destitutus, morbi acriùs in eum desæuirent. Postquam autem duos annos acerbissimum carcerem inuicto animo pertulisset, in Samothracem insulam deportatur; vbi tribus & viginti diebus exactis, Christo, pro cuius gloria, constanter decertabat, spiritum tradidit. Sacrum eius funus fideles cantibus & symphonijs curârunt; quod diuina bonitas in terris egregia miraculorum virtute illustre reddidit. Nam vteo tempore pestilens contagio, animantia cuncta populari cœpit, multi qui spem magnam in sanctitate viri Dei repositam habebant, aquā eius arcæ quæ sacras reliquias continebat admouentes, eadem animantium corpora pestilēti lue infecta aspergebant, & omni periculo protinùs liberabant. Leo autem immanis aper Ecclesiæ, haud multò pòst dignas nefario scelere pœnas, in sacris locis in quę debacchatus fuerat cùm per soluisset, discussis paulatim tenebris, splendor veritatis cum summo omnium gaudio restitutus est; & corpus sancti viri discipulorum humeris magno cum honore sublatū, in tēplo sancti martyris

Fame & carceris squalore, eruciatur.

Moritur.

Leo caditur

tyris Procopij, in locum quendam ( quem Sacrũ appellant) illatum est. Vbi multi fidelium, meritis & virtutibus eius, clarissima à Deo beneficia perceperunt. Dæmoniaci, Paralytici, Cæci, Claudi, & maximis morborum languoribus oppressi, sanitatis beneficium consequuti sunt. Chyrographum flagitiosis actionibus plenum, cùm arcæ obsignatum admoueretur, atque iterum receptum esset, sic omnibus apparuit, ac si nihil vnquam in eo fuisset scriptum; prorsus vt Apostolicam potestatem ex huius arca manantem cuncti mirarentur. Postquam autem anno integro in sancti martyris Procopij templo commorasset, nè noua semper confluentium turba preces eorum, qui rem diuinam ibidem faciebant, impediret, tandem ad monasterium eius delatum fuit.

Miracula ad S. Sepulcrũ.

Transfertur ad suum monasterium.

Vide Cæs. Baronij. not. in martyr. Rom.

## *MARTYRIVM INSIGNE S. SABINI: Ex eo quod est per Metaphrasten. Passus est in persecutione Diocletiani, sub Ariano Præfecto.*

13. Martii.

CVm Aegyptus cum reliquis orbis partibus crudeli Imperatoris Diocletiani edicto, grauissimis persecutionum procellis inuolueretur; Sabinus quidã Hermopoli Princeps illustri loco natus, & religionis Christianæ cultor egregius, in ea rerum perturbatione è ciuitate discessit, & in angusto domicilio, cum alijs quibusdam pietatis studiosis, die nocteque ieiunijs & precibus incubuit. Cum verò celebre admodum eius nomen in ore omnium versaretur, & à sceleratis hominibus ad necem quæreretur, mendicus quidam, qui multis frequenter ab eo beneficijs affectus fuerat, nefarij lucelli cupiditate

Sabinus Hermopoli Princeps.

hanc

hanc ei mercedis gratiam rependit, vt sanctum virum per summum scelus & fraudem inimicis proderet. Latitabat vir sanctus tota mente rerum diuinarum contemplationi intentus in domuncula; cum scelerati milites quasi aliud agentes fores pulsant, moxque reserato ostio, magna vi irruũt, Sabinumq; grauissimo catenarum pondere oneratum, ad Præfectum pertrahunt.

Vinctus ad Præfectum trahitur.

Præerat tunc Hermopoli cum potestate summa Arianus quidam, cuius iniquo tribunali vt oblatus est, magna constantia & Christiano pectore digna, refutata scelerata Deorum superstitione, fidei suæ rationem comprobauit, & tanta verborum vi in impietatem inuectus est; vt Præfectus homo nefarius acri indignatione commotus, in armamẽtario eum suspendi, & crudelib, valdè supplicijs laniari iusserit. Crudele sanè spectaculum. Membra frustatim concisa, in terram decidebant, cum Præfectus inquirit; Velletnè dijs immolare, vel grauiora adhuc tormenta subire? Cui Sabinus, ô te miserum, inquit, si hæc, quæ ad tempus sunt, tormenta ità extimescenda existimas, quid non magis supplicia illa improbis & sceleratis in omni seculorum æternitate à Christo Iesu Iudice incorru pto constituta perhorrescis?

Suspenditur, & crudeliter cæditur.

Præclara sententia.

Aderat fortè crudeli spectaculo vnus ex aduocatis, Bisambo nomine, qui atrocitate supplicij obstupefactus: Domine, inquit ad Præfectum, animam agit, iamque à mente planè discessit. Sabinus autem hoc audito, magna protinus voce. Quid, inquit, Tu me mentis compotem non esse dicis; Absit à Deo qui me finxit formauitque, vt me vestris supplicijs vinci, & à mentis ratione diuelli patiatur. Arianus multo magis viri fortitudinem admiratus, Antinopolim eum duci iussit.

Admirabilis fortitudo martyris.

Ducitur Antinopolim.

Ipse verò cõscensa naui subsequutus est. At Christi martyr Antinopolim delatus, vt primum nudis membris in medio certaminis loco constitutus, à circumstante populo (qui illi insulsissima quadã dicacitate minas & supplicia intentabat) intellexit, Præfectum iter nauigio accelerare, protensis in cælum manibus, supplicibus à Deo precibus contendit, vt assiduis maris tempestatibus perfidus iactaretur, nec prius portum aspiceret quam vel inuitus Christi veri sempiternique Dei nomen confiteretur. Vix orationem compleuerat, cum venti diuersis coorti plagis, in nauis perniciem conspirare videbãtur. Præfectus tempestate in singula momenta crescente, non dubia coniectura, Sabini eam virtute excitatam dixit. Quarè ne quicquam diutius cum fluctibus certandum statuit, sed retrò vndè conscenderant, vela dari mandauit. Sed cum nec id quidem ex voto succederet, ac frustra magister fluctus euitare, portumque petere contenderet, socias naues magno clamore admonuit, vt qui prima Antinopolim contingeret, Sabinum adiret, & periculum in quo versabatur, nunciaret. Sabinus, qui adhuc vinculis constrictus supplicijs seruabatur; ite, inquit, & Præfecto significate, non prius eum ad portum peruenturum, quam glorioſum Christi veri & sempiterni Dei nomen scripto ad me misso confiteatur. Scelestus quamuis amentia & furore disrumperetur, cum tamen præsentem mortis imaginem iam iam ob oculos versantem videret, scripsit in hæc verba; Vnus est Deus Sabini, Christus Iesus, post quem non est alius, & mox optata tranquillitas amissam salutis spẽ restituit.

Præfectus fluctibus iactatur.

Præfectus cogitur Christum confiteri.

Vt autem homo nefarius vrbem ingressus est, mentis furore occæcatus, Sabinum tribunali suo

fisti

fisti iussit,& ait.Tu quidem hactenus viribus tuis magica arte conflatis, ad libidinem tuam in nos vsus es,quare nunc & ego, si quid possum profectò in te id exercebo. Et statim inflammato oculorum intuitu furorem spirans ,quatuor eum palis quaternis funibus constringi iussit, deinde totidem admotis facibus latera ventremque exuri. Horrendum dictu; carnes martyris instar ceræ liquefactæ, defluebant, nec tamen vllam doloris vocem edere auditus est.Præfectus ingenti stupore oppressus,Ecquid est hoc?inquit. Quænam hominem hunc spes relicta manet? Nec supplicia perhorrescit,nec mortis formidine terretur. Accelerate igitur,& in flumen immani saxi pondere oneratum demergite. Hac mortis lata sententia,martyr incredibiliter spe sempiternæ salutis exultauit,& insigni orationis grauitate in vltimo illo certamine cunctos qui aderant Christianos, ad fidei constantiam & virtutis amorem hortatus est. Postremò cum sublatis in cælum oculis eximia sanctitatis significatione orationem compleuisset;Tertia,inquit,ab hinc die corpus meum in terram subductum reperietis. Volo autem vos ipsum cum hoc saxo sepelire, vt sempiterna prædicatione diuinum numen, cuius virtute de impietate victoriam consequutus sum', celebretis.Hæc vbi dixit fœlici agone consummatus est.Corpus autem post triduum optimis vnguẽtis conditum,cum summo fidelium gaudio,propè ciuitatem sepultum fuit.

Horribile supplicium.

Hortatur Christianos ad constantiã fidei.

Proijcitur in flumen.

VITA

## *VITA S. EVPHRASIAE NOBILISSIMÆ virginis, ex ea quæ est apud Surium ex vitis Patrum & M.S. Codice. Floruit temporibus Theodosij Imp. qui Imperij Orientalis gubernacula suscepit an. Domi. 379. teste Baron. Tom. 4. Annal.*

Vide Cæs. Baronium In. Not. Martyr. Rō.

13. Martij. Genus & parentes Euphrasiæ.

ERat Constantinopoli in vrbe regia vir quidam Senatorij ordinis, Antigonus nomine, Imperatori Theodosio, cùm propter sanguinis communionem, tum verò propter morũ suauitatem & multiplicem virtutum omnium excellentiam, inprimis charus. Huic erat coniuncta matrimonio, paribus virtutum ornamentis decorata Euphrasia, quam Augustus eiusque coniux summo amore & beneuolentia prosequebantur. Porrò cum, temporis successu, nata eis, esset filia, pia genitrix, quæ assiduò in rerum diuinarum studio versabatur, multis precibus numen diuinum fatigabat, vt coniugis mentem clariore cælestium rerũ cognitione illustraret, quò aliquãdò omni carnis voluptate repudiata, assiduo diuini numinis cultu, & corporis & animi sanctitate cælitûm in terris vitam imitari possent.

Antigonus hortatur coniugem ad mundi contemptũ.

Hæc cùm à Domino assiduis lachrymis flagitaret, Antigonus, quodam die ad vxorem de huius vitæ breuitate, & sempiterna cælestis vitæ gloria verba instituit, nihilque præstantius in vita suscipi posse, quam cunctis mundi opibus & honoribus spretis atque contemptis, mentis studio sempiterna atq; cælestia moliri. Hac oratione Euphrasia incredibili gaudio elata, respondit, se immensas diuinæ bonitati gratias agere, quod eam mentem illi inspirasset, quã tot lachrymis à Deo postulârat. Deindè subiunxit; Si hęc tua mẽs est dulcissime

cissime coniunx, vt cõpressa carnis libidine castitatem sectemur, quid vltra moramur experturis diuitijs, Christi nobis gratiam & benignitatem conciliare? Nec enim facultates quas possidemus amplissimas, in tartara asportare licebit. Antigonus piam coniugis orationem cum gaudio & gratiarum actione excipiens, nihil eorum quæ Deo grata cognouit facere distulit. Nunc opes & diuitias larga manu pauperibus distribuebat, nunc res cœlestes intentissimo mentis studio ptractabat. Iniuria oppressos subleuabat, pupillis opem afferebat, viduarum causam suscipiebat, & sic demũ omnes carnis cupiditates, & impotẽtes dæmonis impetus egregiè frangebat, donec anno vno à continentiæ proposito exacto, deposita carnis sarcina, præmium virtutum suarum à Deo consequi meruit. Mors eius insignem luctum, cum multis lachrymis coniũctum Imperatori eiusque coniugi attulit; nec minore dolore miserandam Euphrasiæ orbitatem prosequebantur, vtpotè quæ eximia forma in iuuentutis flore constituta erat. Imperator cum coniuge, summo studio, vt eam à mœstitia & dolore societate & verbis amantissimis auocarent, laborabant. At illa non tàm suam quàm filiæ amantissimæ, quam vnicam habebat, orbitatẽ miserta, flexis genibus, cũ multis lacrymis Imperatorib⁹ eam commendauit. Neque enim, dicebat, me coniugis mei mors, quam ego preciosam in conspectu Domini esse non dubito conturbat, sed miseranda solitudo & orbitas filiæ meæ; quare si Antigoni vestri memoriam seruatis, si me à graui luctu & mœrore subleuare vultis, hanc in fidem vestram recipite, vt parentes præter vos alios non agnoscat. Hac Euphrasiẽ oratione adeò fuit Imperatorum

Antigonus in pauperes benignitas, & obitus eius.

ratorum mœror excitatus, vt cùm responsum dare vellent, lachrymis & singultu spiritus illorum impediretur.

**Euphrasia iunior desponsatur senatori cuidam.**

Vt autem intelligere posset se illam beneficijs omnibus ornaturos, & quantum Antigoni nomen & memoriam conseruatam cuperent, eam cuidam Senatori diuitiarum amplitudine facilè principi, desponsârunt. Interim dùm puella vix quintum ætatis suæ annum attingeret, ille moræ impatiens, & longinquæ expectationis tœdio affectus, cœpit vehementi cupiditate Euphrasiæ matris solicitari, nec puduit intolerabilem amoris flammam Imperatrici aperire. Et illa, Imperatore inscio, hortari illam etiam atque etiam cœpit, nè vellet tàm præclaras nuptias repudiare, & ætatem omnem in orbitate miseranda consumere. Sed cùm Euphrasia Christi amorem impuræ carnis cupiditati longè præferret, & cum lachrymis eas detestaretur, clàm fugam cum filia iniit. Erant ei in Aegypto amplæ possessiones. His igitur dum vitam sustentare decreuisset, & subindè eas ad rationes reuocaret, prædiaque summa diligẽtia lustraret, per occasionem in interiorem Thebaidem profecta est. Erat in quadam vrbe egregium pietatis domicilium, in quo centum plùs minus & triginta virgines Deo sacratæ degebant. Vigebat in illis ardentissimum diuini amoris incendium; Corpus tantis ieiunijs coercebant, vt solis leguminibus, & oleribus, nullo oleo conditis, vescerentur; Vinum, oleum, vuas & poma, multæ earum ne viderãt quidèm. Quædã vesperi, quędã post biduũ, nõnullæ post triduũ cibũ sumebãt. Cilicio insuper & asperiore vitæ cultu omnẽ carnis cupiditatem frangebant; Animũ autem continuis precibus atque votis & cantibus

**Fugit Euphrasia cum filia.**

**Insigne fœminarum cœnobium.**

tibus & hymnis, ad conſpectum diuinæ pulchritudinis & claritatis excitabant. Has cùm Euphraſia frequenter inuiſeret, & tam admirandæ virtutis ſtudio plurimum delectaretur, obtulit eis quodam die ingentem auri vim, vt filia eius earum precum patrocinio in omni virtutis exercitatione adoleſceret; ſed illæ aurũ recipere noluerunt, dicentes ideò ſeſe mundi facultatibus denudaſſe, vt multò ſuauius Chriſti ſpiritu & ſecuriùs bonis ſempiternis perfrui poſſent. Agebat tum Euphraſia iunior, ætatis ſuæ annum ſeptimum, cùm ſacrarum virginum mater & Abbatiſſa quaſi per iocum ex ea quæreret, Velletnè ætatem in tàm ſuaui ſacrarum virginum contubernio cum eis exigere; At illa conſtanter reſpondit, modò ſe dignam iudicarent, nihil magis in votis habere, quam vt ſe totam relictis mũdi ludibrijs Chriſto in ea ſocietate conſecraret. Sedebat interim mater eius, & teneræ filię pietate cõmota, lachrymas continere non poterat: aitque ad illam; Veni filia, tempus enim nos domum euocat. Ego verò, reſpondit illa, hîc cum Abbatiſſa manebo. Nequaquã, inquit Abbatiſſa, filia hîc manere licet, niſi te Chriſto deuoueas. Et illa; vbi eſt Chriſtus? Tùm Abbatiſſa Dominicam ei oſtendit imaginem, quam illa ſuauiter amplexata, negauit ſe inde receſſuram. Inſtabant interim mater & Abbatiſſa multis precibus, & vi etiam interdùm, eam à monaſterio auellere conabantur. Sed cum nec precibus nec minis tenera virgo à conſtantia moueri poſſet, Abbatiſſa vitę aſperitatem & extremam rerum omnium inopiam, & quod caput eſt, ſtrictiſſimã obediẽtię virtutẽ propoſuit, vt vel hac ratione fracta, à propoſito reſiliret. Sed illa his difficultatib⁹ nihil mota omnia

Pecunias oblatas recipere noluit.

Imaginum vſus antiquiſſimus.

Euphraſia iunior, non

Chriſti

potest auelli à monasterio.

Christi amore se laturam respondit. Quare mater, Christi virtutem & gratiam in tenerrimæ filiæ pectore exosculans, cum multis lachrymis eam Christi seruituti mancipauit.

Induit monasticum habitum, penè infans.

Altera die depositis monilibus, horrido monasticæ vitæ cultu induta est. Paucis autem pòst diebus, mater eius eximio virtutum omnium splendore insignis, ad sempiternum beatorum gaudium emigrauit; cùm Imperator filiæ animũ ad nuptias solicitare per literas cœpit, quas illa tam egregia pietatis significatione repudiauit, vt Imperator ex eius literis, diuina planè mente scriptis, incredibilem voluptatem cum multis lachrymis præ gaudio coniunctam, acciperet. Rebus deinde suis quas parentes ei reliquerant pauperibus distributis, & seruis libertate donatis, totam se Christo consecrauit. Erat annorum tunc duodecim, cũ pro pietate sacra certamina suscepit. Ieiunia biduo triduoque, cum assidua mentis in Deum eleuatione sustinebat. Viliſſima quæque officia alijs præripiebat, eademque hilari valdè animo obibat.

Euphrasia senior moritur.

Exercitia eius & virtutes præclaræ.

Quodam tempore Abbatissa vt periculum obedientiæ eius faceret, illicò iussit eam aceruum lapidum in alium locum sine cunctatione transferre; cumque opus summa animi iucunditate perfeciſſet, illam ipsam lapidum congeriem in eundem locũ vndè asportauerat, vt referret, imperauit. Paruit illa pari sanè animi alacritate, nec quidquam aliarum irrisionibus mota, cunctis Præclaro exemplo quanti obedientiæ virtus facienda esset, declarauit.

Obedientiæ virtus quanti facienda.

Intereà cum assiduis dœmonum infestationibus impugnaretur, & nocturnis visis frequenter ad mundi delicias & relictas opes reuocaretur, tan-

tanta virtutis constantia certamen sustinuit, vt hebdomadarum interdum inedia contra carnis impetus decertaret. Sed hæc vt apud Deum gloriam, ita apud quandam sororum eius, Germanam nomine maligni dœmonis instinctu inuidiâ pepererunt; nam vt tanto virtutum omnium splendore eam cunctis admirabilem vidit, cœpit eius virtutibus obtrectare, atque eam non diuini numinis amore, sed humanæ gloriæ ergò, omnia moliri dixit. Euphrasia autem nihil calumnijs mota, infracto animo arduum virtutis iter pergebat, & ne importuni hostis impugnationibus vinceretur, summa contentione laborabat. Nocte quadã multis varijsque illusionibus dœmon eam in fraudem impellere nitebatur, cùm illa corpore è strato summa alacritate correpto, expansis in cœlum manibus, diuinam opem aduersus hostis importunitatem implorauit; mansitq; virgo sancta sub dio, mente oculisque in cœlum intentis dies 45, donec nimia lassitudine confecta instar mortuæ in terram caderet, & victoriam de hoste obtineret. Sed cum diabolus hac eius laborum tolerantia non modò non frangeretur, sed magis magisque irritatus, quibuscunque posset machinis, oppugnaret, quodam die eam, aquam haurientem in profundum putei deturbauit; sed sacro Christi nomine fidenter inuocato, & hoc periculum euasit.

Mirabilis aduersus dœmonem pugna.

Alio quodam tempore ex culmine domus præcipitio ruens, ab omni clade mirabiliter præseruata fuit. Videbatur eam dœmon sua malignitate assiduò oppugnare, Christus verò famulam suam tutare; adeò vt virgo sancta in calamitatibus inprimis exultaret. More comparatum erat, apud incolas ciuitatis & regionis illius, vt si quos

Morbidi, in mona-

haberent grauioribus oppressos languoribus, ad monasterium (propter multiplicem virtutum omnium rationem, quarum existimatione apud omnes admodùm cœlebre erat) curandos deferrent. Erat autem in monasterio mulier quędam à primis ætatis initijs horribili obsessa dœmone, quæ (quamuis catenis vincta) ingentem omnibus terrorem incutiebat; nec vlla precum instantia sanari poterat. Huic dùm virgines cunctæ cum lachrymis circumstantes porrecta de more virga (neque enim propter morum feritatem accedere audebant) cibum potumque offerrent, fortè præ foribus pulsans, adfuit mulier quædam, filio suo extrema calamitate misero, onusta. Erat enim infans cùm linguæ & aurium, tum omnium membrorum vsu destitutus. Porrò Euphrasia cum iussu Abbatissæ pulsanti aperiret, & infantem matri spirituali deferendum suscepisset, illa vehementer illius miserta, sacro eum sanctę crucis signo muniuit addiditque; Qui te creauit fili, ipse te sanet. Vix hæc effata fuerat, cùm puer clarè & distinctè verba formare, pedibusque ingredi velle cœpit. Euphrasia admiratione defixa, in terram eum deposuit; qui protinus sine vlla offensione ad matrem cucurrit. Abbatissa tam præclara Euphrasiæ virtute plurimum gauisa, non dubitauit hanc dæmoniacam, quam omnes formidabāt, eius custodiæ tradere. Nec recusauit, sed incredibili beneuolentiæ significatione eam suscipiens, statim ab omni feritate ad summam modestiam reuocauit. Sumebat cum gratiarum actione cibos de manu virginis, quos antea fœdè contaminare solebat. Stupebant interim omnes Euphrasiæ singularem virtutem, præter vnam Germanam, quæ acerrimis inuidiæ stimu-

Euphrasia sanat puerum surdum & mutum signo crucis.

ſtimulis concitata, quotidianis verborum calumnijs de eius laudibus detrahere ſtudebat: atque vt eam apud reliquas apertam in inuidiam vocaret, voluit furenti fœminæ, & ipſa cibos miniſtrare, virtuteſque Euphraſiæ ſumma impudentia & temeritate ad ſe transferre. Sed dæmoniaca, repentina eam ſæuitia ita diſcerpſit, vt omnes eius manibus iàm iàm præfocandam putarent; cumque in extremo diſcrimine opem nemo adferre præſumeret, Euphraſiæ tandem aduentu è mortis periculo erepta fuit. Adeò namque ſanctæ huius virginis vultum reuerebatur, vt ſtatim ad eius conſpectum, omni exuta truculentia, ſummam quandam modeſtiam præ ſe ferret; cuius etiam meritis, cùm pòſt multa annorum curricula nullis virginum precibus ſanari potuiſſet, ab impuro & maligno dœmone liberata eſt.

Dœmoniaca Euphraſiam reuerebatur, & ab ea curatur.

Accidit inter hæc viſio quædam admirabilis Abbatiſſæ, qua de Euphraſiæ agone & iuſtitiæ corona, quam illi à Deo paratam intelligebat, certior reddebatur. Hæc autem ad virginem cùm delata eſſent, ingenti pauore concuſſa, ſe totam lachrymis tradidit. Neque enim vllam in præclaris præcedentis vitæ actionibus ſpem habebat, ſed non aliter quàm ſi maximis flagitiorum omnium maculis deformata fuiſſet, in luctu & ſqualore verſabatur. Altera autem die qua hæc nunciata illi fuerant, acri correpta febri, inter lachrymas & charos ſuorum complexus, anno ætatis ſuæ triceſimo feliciter emigrauit, tantumque ſui deſiderium cum alijs omnibus, tum verò Iuliæ, cuius diſciplinis imbuta fuerat, reliquit, vt illa triduano cõfecta mœrore ab eius monumento non receſſerit, ſed felici agone Euphra-

Nota virginis humilitatem.

Febre corripitur.

Moritur.

siam secuta sit; cui etiam vt in vita, ita & in morte sociata est. Monumentum autem multis admodum miraculis clarum, eximiam virginis sanctitatem, etiam post mortem egregiè testatur.

Miracula ad Sepulcrum.

## MARTYRIVM S. ET GLORIOSI MARtyris Longini Centurionis. Ex Commentario Simeonis Metaphr. Passus est anno Christi 34. Tiberij Imp. 18. sub Pontio Pilato. Vbi Baron. in Annalibus Apocryphum esse docet, Longinum cæcum fuisse militem illum, qui lancea latus Domini aperuit.

Vide Cæs. Baron. Anna. To. 1.

15. Martii. Longinus Centurio, vnus eorum qui in Christum fæuierunt. Matth. 27. Luc. 23. Marc. 15.

LOnginus, quem quidam vanâ opinione luminibus orbum fuisse scribunt, Centurio vnus eorum qui necem in vitæ auctorem Christum Dominum machinati sunt; vt patrato scelere nefando, admiranda signa ac prodigia in ipsa Saluatoris morte conspicatus est; ac præcipuè quod Iesus voce magna clamans expirâsset, discussis perfidiæ tenebris, & errorum fugata caligine, veritatis lucem intimis sensibus venerabundus admisit: ac publica confessione, voceque libera in medio Synagogæ verum Dei filium cõtestatus est. Cùm vero peracto resurrectionis mysterio, illustria valdè miracula militum animos in magnam admirationem traxissent, eademque sacerdotum Principibus cum ingenti stupore retulissent, illi dedecus & sempiternam ignominiæ notam veriti, militum animos pecunijs muneribusque corruperunt, & Christi gloriam, quantum in illis fuit, mendacijs & calumnijs obscurare conati sunt.

Longini conuersio.

AT Longinus vi veritatis impulsus; & salutari diuini numinis timore correptus, nefarium sce-

lus de-

lus deteſtatus eſt, & Iudæorum perfidiam conſtanti animo refutauit, & clariſſimum vbique teſtimonium de Chriſti veri Dei filij reſurrectione dedit. Pilatus autem & ſcelerati principes, cum nullis eum promiſſis ad impias ſuas rationes adiungere poſſent, conſilium cœperunt ſceleris & inuidentię plenum, quo eandem quam in Chriſtum iàm exprompſerāt in eũ malitiā moliebātur. Longinus autem cognito conſilio fraudis & inſidiarum pleno, duobus, egregiæ pietatis & in Chriſti amorem acriter inflammatis militicus comitatus, ſpreta militiæ dignitate, contemptis opibus, relictis Hieroſolymis, in Cappadociam abijt, & cùm voce tùm virtute plurimos ad Chriſti confeſſionem adduxit. Iamque Chriſti gloria Longini opera longè latèque in ore omnium cum inſigni Iudæorũ ignominia verſabatur, cùm nefarij datis ad Cæſarem literis orant obſecrantque, & vi etiam pecuniarum impellunt, vt Longinum peſtem & exitium (vt ipſi nequiter fingebant) in Iudæos molientem, comprehendat, & pœnas, tanto ſcelere dignas, citiſſimè repetat. Cœſar acceptis literis, ſine mora mortis eum ſententia damnat: Pilatoque negotium dat, vt in iuſtum de homine ſupplicium ſumat. Iudæi furore & amentia armati, ad cædem properant; cũque ſumma diligentia virum ſanctum inquirerent, & in ipſum Longinum ignorantes incidiſſent, errore decepti, ſermonem familiariter cum eo protraxerunt. Longinus tota mente & deſiderio ad martyrij palmam aſpirans, incredibili gaudio homines ſceleſtos domo ſua excepit, & cibo potuque refectos, quænam eſſet itineris cauſa, rogauit. Reſpondent illi ſeſe Longinum quendam ad cædem inquirere; vtpotè homi-

Longini Conſtātia. It in Cappadociam.

Cœſar mor. te eum condemnat.

Inquiritur à militibus.

ad cædem. nem maleficum, Cæsaris sententia morti destinatum. Tunc Longinus, Bono, inquit animo estote; Ego enim vobis hominem sistam.

Interea vt duos sib charissimos, tam præclari certaminis & gloriæ sempiternæ participes faceret, eos accersit, horraturque, vt sine mora ad coronam properent. Dùm hæc fiunt, Longinus milites, pro beneficio quod ardéti cupiditate expectabat, summa beneuolentia tractabat. Cumque eos semel atque iterum magnificè accepisset, postridiè illos ducens in agrum, cognouit diu expectatos aduentare socios. Tum Longinus ô milites, inquit, Longinum vobis à me prodendũ hactenus expectatis? Eccè autem, ego, qui coram hic asto, sum; Ego inquam sum Longinus. Milites ad hanc vocem stupore oppressi, fidem verbis vix adhibebant; cum tamen certis indicijs illum ipsum esse intelligerent, verecundia & pudore victi, facinus, vt præ se ferebãt, detestati sunt. Hãccinè dicebant, tibi hospitij mercedẽ rependemus? Quin potius omnia supplicíorum genera subire parati sumus, quam tales Longino referre gratias. Abi ergo, accepta mercede hospitij, mortis remissione. Contra fortis & generosus Christi miles Longinus nihil se ardentius sitire declarabat, quàm glorioſam pro Christo subire mortẽ. Vitã siquidẽ hanc sibi mortem esse; mortem verò omnium miseriarũ fore finẽ, & ianuã vitæ ac beatitudinis æternæ: frustra persuaderi sibi, vt quicq̃ faceret, q̃ illius gloriæ detrimentũ sibi afferre posset, quẽ vidisset mũdi elemẽta mouentẽ. Nõ ego eũ negauerim, inquiebat, quẽ semel Dei filiũ sũ cõfessus. Timeo ne creatã naturã inueniã accusatricẽ, si in eũ appareã infidelis, propter cuius passionẽ cælũ quoq; ipsum est affectũ tristitia & sol cõtradixit radios

Prodit se ipsum lictoribus Longinus.

Ad palmam martyrij vehementer aspirat.

radios,& lux diei mirabiliter in noctem cõuersa est.Si quid igitur vobis imperatũ est,id implete. Dùm hęc diceret aduentãtes socios amplexus est: & ruẽs in oscula,ô, inquit, Christi cõmilitones,ô regni cæleſtis hæredes,quid moramur? Post hæc cõuersus ad famulũ,Citò,inquit,candidam mihi vestẽ adfer;Decet enim ad nuptias vocatũ, nuptiali & splẽdida ornatũ veste incedere.Induta verò veste,& manu tumulo in quo corpus suũ requiescere volebat ostenso, vtrumq; in terrã genu fixit, & milites cum eadem animi alacritate sequentes capitis abscissione palmam adepti sunt.

Capitis abscissione, cum duobus militibus martyrium complet.

Post hęc carnifices sanctissimũ martyris caput, nefandi sceleris sui præmium Pilato detulerunt; qui illud iudæis vt placeret,per ignominiã ante portas ciuitatis suspendi iussit.Sed benignissimus Iesus;pro cuius gloria martyr tãta alacritate sanguinem fuderat,insignem illi vicẽ rependit. Nã ipsum caput in sterquilinio proiectum,non modò ab omni corruptione & interitu præseruauit, sed alijs etiam per illud ipsum prędara beneficia sanitatis præstitit;Mulier quædam vidua, cum præter grauem & miserandam viduitatis calamitatem,cum oculorum etiam orbitate, in extrema rerum inopia versaretur,nec vllum in malis perfugium relictũ sibi cerneret,statuit cũ vnico quẽ habebat filio,terram illam quæ Christi vestigijs pressa fuit, & sanctitate sua multis in rebus afflictis opem præbet,inuisere.Sed vix terram ingressa,maiore calamitate premitur,nam & filio, cuius ductu vestigia firmabat,miserè orbatur. Quid tunc faceret mulier, in vasta solitudine relicta? Nullũ aliud in malis remediũ dabatur, q̃ assiduo mœrore & luctu miserandã orbitatẽ suã deplorare, ac querulis vocibus & votis Deũ lacessere.

Mulier vidua calamitosa.

Visitat terram sanctã.

Interim dùm mæror & luctus soporem conciliant, vidit in somnis Longinum adesse, & singulari quadam orationis suauitate, Christi Saluatoris supplicia & crucis ignominiam suumque etiam pro Christo certamen explicantem. Tandem verò subiunxit; Vade & caput meum multo fimo contectum, ad tuorum curationem oculorum obserua. Primo namque eius contactu, amissum oculorum lumen recipies. Porrò ego insuper tibi filium adducam, cuius præsentia non modo omnes tristitiæ nubes fugabuntur, sed incredibili quadam voluptate perfrueris. Mulier vt primum euigilauit, concepta animo fiducia, ad locum designatum se perduci curauit, & sacrum è sordibus caput eruens, vna cum oculis carnis, clarissimum mentis lumen consequuta est. Deinde altera nocte Longinus iterum apparens filium eius mirabili splendore fulgentem adduxit, dixitque; Caue nè eos, tanquam miseros & calamitosos deplores, quos tanta gloria ornatos, & diuinum numen sempiterna prædicatione celebrantes conspicis. Sed vade, & meum caput cum corpore filij tui eadem arca conclude, & Dei bonitatem in Sanctis eius, debitis laudibus prosequere. His dictis euanuit. Mulier autem sacra Sanctorum pignora in pago, cui nomen Sandiale, cum omni honore & celebritate condidit. In præsentiarum verò, venerandũ eius corpus Romę asseruatur, in ecclesia sancti Augustini.

Longinus ei reuelat caput suũ.

Oculorum lumen recipit mulier.

Apparet ei secundò Lõginus, cum filio eius.

Vide Cæs. Baronium In. Not. Martyr. Rõ. Corpus S. Longini, è Cappadocia Romam translatum.

VITA

*VITA ABRAHAE, EREMITAE SANctiſſ., admirandæque patientiæ, & Mariæ neptis eius, ex ea quæ eſt per Metaphraſten. Migrauit è corpore Anno Redempt. 337. Iulij Pap. 1. regnante Conſtantino Imperatore. Anno eius Imperij vltimo. Scripta ſunt & eius acta ab Ephrem, Syro germaniſſima.*

Vide Cæſ. Baro. Tom. 3. Annal.

HIC ſecundus Abraham, meritò virtutis præſtantia cum primo conferendus, claro genere natus, parentes habuit diuitijs & mundi gloria admodùm illuſtres; qui filij ſui pulchritudine, & morum candore delectati; ad ſummos honorum gradus euehere eum conati ſunt. Cumque matura iam carnali copulæ ætas adeſſet, Abrahamus quamuis maximo terrenarum rerum faſtidio laboraret, ne tamen parentum voluntatem, eorũq; aſſiduas preces aſpernari videretur, vinculis ſe matrimonij alligari patitur. Conuiuium exquiſitiſſimis inſtructum epulis celebrabatur, totaque domus plauſu & lætitia perſonabat, cùm Chriſtus Abrahami pectus nouo quodam amore inflammauit. Conſiderabat ſecum tacitus, caſtus iuuenis, breuiſſimas voluptatis illecebras, & ardenti cupiditate ad virtutis pulchritudinem, quæ ſempiternas illi quandoque voluptates parere poſſet, aſpirabat. Cum autem his cogitationibus aſſiduo animum occuparet, & dies iam adeſſet; quo ſponſæ coniũgendus erat, clandeſtina ſibi fuga ſalutem quæſiuit. Nam vt conuiuium ſolutum, & ſuas quiſque domos petere cœpit. Abrahamus diuino numine tectus, ad ſolitudinem dilapſus eſt. Intereà cum ſinguli pro ratione officij ſponſo miniſteria ſua pararent, & præſentem minimè inuenirent, breuiſſimum

16. Martij. Abrahami parentes.

Conſentit in matrimonium.

Abrahamus copulã carnalẽ fugit.

simum gaudium diuturna ægritudine contaminatum est.

Nec mora, parentes opinione virtutis eius ducti, non in regum palatijs, sed in montibus, solitudinibus, & monachorum habitaculis quærendum eum decernunt. Tandèm post multos labores & studia, decimoseptimo die in cella quadam abstrusum, diuinarumque rerum contemplationi vehementer intentum reperiunt. Obstupescunt illi primo ingressu tam repentinam eius mutationem & susceptam ab illo vitam illam solitariam, ab omni hominum consuetudine & societate remotam; dolentque quod talis adolescens, ante tempus se mundo & omnibus quæ in eo sunt abdicasset. Ille autem cum eos sic vidisset affectos, placidè & benignè eos alloquès: Neque tristitia, inquit, affici oportet, nec admirari: sed Deo potiùs agere gratias, qui me ineffabili quadam & arcana prouidentia à mundi subduxit nequitia. Orate ergo, inquit, amici mei, & fratres, deinceps orate Deum, vt bonum eius iugum portem vsque ad finem, & leue onus eius non abijciam; sed semper sequar ipsius legem, præcepta & voluntatem. Deinde etiam vehementer rogauit, ne illuc assiduè venientes, suum desideratum obturbarent silentium, & impedirent profectum eius ad meliora. His cum mandatis illi recesserunt. Ipse verò domunculæ suæ aditum obstruxit, relictaque parua quadam fenestra, per quam panis ei & aqua in singulos dies præberetur, totum se Christo assiduis precibus & ieiunijs consecrauit. Postquam autem decimum cum insigni pietate annum in ea solitudine exegisset, & amplissimæ parentum possessiones (qui iam de præsenti sæculo migrarant) ad eum deuolutæ essent, statim

Inuenitur.

Vacat orationi & ieiunio.

statim maximam earum partem, per virum fide dignum pauperibus distribui iussit: nè quam ex earum commercio labem contraheret. Nec aliud ex ijs sibi vnquam reseruauit, præter vestem vnam cilicinam, storeamque ad breuem corporis accubitū accōmodatam, & poculū quod frigida aqua exhaustas corporis vires restaurabat. Hæc fuit regia viri sancti suppellex, qua 40. continuos annos, in maxima virtutū omniū exercitatione, ità corporis necessitatibus satisfecit, vt nulla vnq̄ indigentia vel inopia laborasse se putaret.

Diuitias à paentibus sibi relictas, pauperibus distribui curat

Erat Lampsaci, quod est oppidum ad Hellespontum, vicus quidam Tænia dictus, magna hominum frequentia admodùm celebris, sed densis adeò errorum omnium tenebris obscurus, vt nullo, (quamuis magna in eam rem loci illius Episcopus diligentia incumberet,) diuini verbi splēdore illustrari poterat. Cum itaque multis curis anxius Episcopus varia animo consilia agitaret, venit illi tandem in mentem Abrahami, vt eum sacerdotali munere insigniret, & ad gentis perfidiam expugnandam cum potestate summa destinaret. At Abrahamus, quamuis dicendi facultate polleret plurimum, & verborum suauitate grauitateque sententiarum, non paucos à flagitijs ad honestatis studium traduxisset, sacerdotij tamen dignitate indignum se reputauit; nec vnquam tantum se facinus admissurum dixit, vt munus vnum omnium in vita maximum clarissimumque administrare præsumeret. At Episcopus cum multis rationibus & vtilitatis & necessitatis, persuadere niteretur, vt sacrum munus susciperet & constanter nihilominus vir sanctus indignum se clamaret, tandèm ait; Sed dic, quæso, quidnam tibi ad salutē conferet, quod multis

mag.

Obedientia. magnisque virtutum exercitijs fatigaris, vna obedientiæ virtute, sine qua reliquæ omnes inanes sunt, repudiata? Deinde, quomodo potest tuum illud seruitium, quo neglecta communi animarum tantarum salute, tuis tantum rebus studes, Deo gratum acceptumque accidere? Talibus perculsus sermonibus Abrahamus, sacris se (quamuis maximo cum animi sui dolore) initiari passus

Fit sacerdos & abit ad vicum Tæniam. est: ac multis perfusus lacrymis, vnico Christi auxilio subnixus, in viam se dedit. Et primùm quidem, accepta eam in rem pecunia, templum erexit, in quo sacerdotij sui primitias, eximia pietatis significatione peregit. Deinde, phana omnia circumiens, nefanda deorum simulachra demolitus est, quæ res sceleratorum hominum animos, acriter in viri sancti odium inflammauit, adeò vt quodam die, diuinis in templo rebus operam nauantem, impositis plagis tàm grauiter

Dirè cæditur. vulnerarent, vt nulla spes vitæ superesse putaretur. Sed hæc eius constantiam frangere nequaquam potuerunt; quin etiam ardentiores pro eorum salute fudit preces. Iacebat humi in templo prostratus, & ingenti lachrymarum vi Deum precabatur, vt teterrimam erroris impietatisque caliginem ab eorum mentibus depelleret, cùm repentè nouo incensi furore irruentes, nouas ei plagas imponunt. Neque hoc satis illis est visum, vinculis crudeliter constrictum, cum multis probris & cauillis, per ciuitatem traxerunt. Nec deerat lapidum imber, qui ex omni parte in eum decidebat, & sic tota die varijs plagis & ludibrijs affectus, ad vesperum semimortuus relictus est.

Nox medium iàm cursum confecerat, cum sanctus tanquam de graui somno, ex animi deliquio euigilans, rursùs ad templum fractis humeris vi-

ris viribusque contendit. Accurrunt rursus nefarij, eodem mentis furore incensi, vi à templi liminibus eum auellunt, raptatumque per omnes vrbis plateas, grauioribus quam anteà plagis afficiunt. Tres annos continuos Abrahamus hunc eorum furorem forti inuictoque animo sustinuit, nec vnquam tanti sceleris impietatem & perfidiam diuini verbi prædicatione expugnare destitit. Tandem peruicit admiranda eius virtus impietatem eorum. Quid enim, dicebant, fierinè potest vt à tam spectata sanctitate, à tam incorruptis moribus, recta in Deum fides absit? Et quam quæso vnquam laboris sui mercedem aliam à nobis retulit, quam plagas & vulnera? Et tamen in instituta semel pietatis ratione persistit. Preces lachrymasque sine intermissione ad Deum suum pro nobis fundit. Simulachra nostra, in quibus nos omnē salutis spē repositam habemus, verbo comminuit. Et quomodo, si illa sese aduersus vnius hominis virtutem tueri non possunt, nos omnes ab ingruentibus malis liberabunt?

Rursus cæditur.

Patientia sua, & admirandis virtutibus eorum perfidiam, expugnat.

Hæc aliaque in eādem sententiam repetentes, supplices ad templum, in quo vir sanctus pro eorum salute Deum precabatur, venerūt, & omnes pariter in genua procumbentes, perfidiam suam cum multis lachrymis & luctu detestati sunt. Excepit illos vir Dei præter expectationem incredibili gaudio, & animos eorum Christianæ fidei rudimentis imbuit, corporaque sacro latice tinxit, atq; ad Christū copiosam multitudinē aggregauit. Cū verò cerneret eos cūctis instructos virtutibus sine offensione graui semitas iustitiæ ambulare cœpit sibi ex honore (qui tanto maior ei impendebatur quanto odium & inuidia qua anteà in eum ferebantur, grauior fuerat) ruinam vehe-

Ethnici resipiscunt, & baptizātur.

Ecce vir sanctus, qui plagas non

timuit, honores perhorreſcit.

vehementer pertimeſcere. Nocte itaque fuga ſibi ſalutem quærens, ad antiquam ſolitudinem, tutiſſimum ſalutis portum, peruenit; vbi per longa ſuſpiria, reuocatis quaſi poſtliminio ſpiritualibus vitæ delicijs, cum hoſte tenebrarum acriùs confligere cœpit.

Fallacia dœmonis.

Erat quadam nocte diuinis rebus tota mente intentus, cùm ſubitò vox quædam ex immenſo lumine ad eum dilapſa, hæc ait; O Abrahame, verè certamen egregium præclarè obijſti, verè tu metam virtutum omnium aſſecutus es. At vir ſanctus inſidias ſerpentis non ignorans, Obmuteſce, inquit; ego enim meæ mihi fragilitatis præclarè conſcius, nihil mihi tribuo, ſed ſi quid geſſi, Dei id virtute & gratia peractum eſt. Hac confeſſione ceſſit quidem malignus, non ita tamen vt nõ varios illi terrores incutere niteretur, vt ſic tandem victus è ſacræ ſolitudinis loco migraret. Sed vir ſanctus ita omnes eius adinuentiones eluſit, vt inſignem ſemper victoriam reportaret. Hoc autem inprimis mirabile in eo fuit,

Veſtes 50 annis nihil attritæ.

quod nullis vel vigilijs vel inedia (quo omnes penè vires confecerat) primæ iuuentutis florem amiſerit, & quod fidem vincere videtur, veſtes nulla vetuſtate attritæ ſint.

Neptem ſuam ſanctè inſtituit.

Erat ei neptis ex defuncto fratre relicta, quam ſuis imbuendam diſciplinis ſuſceperat. A ſeptimo autem ætatis ſuæ anno ad vſque viceſimum in eximia quadam ſanctitatis opinione vixerat. Accidit autem die quodam, vt quidam habitu quidem monachus, ſed mente perditus & ſceleratus eam accederet, & per fictam quandam ſanctitatis ſpeciem, amore nefario cor eius inflammaret. Illa dolo & fraude circumuenta, pedem è cella

Corrumpitur.

effert, & turpiter libidinis contagione macu

latur-

latur. Vix animum nefaria cupiditate expleuerat, cum protinus dolore saucia scelus detestatur, & lamentis se totam tradens sine vllo fructu genas vellebat. Hei me miseram clamabat, quæ dementia, quis furor, quod omne præteritum exercitationis tempus breuissima vendidi voluptate. Quid faciàm? quò me vertam? Qua lingua Deum precabor, vel qua nam labra mouebo ad supplicationem, cum ea feram inquinata libidinosis & verbis & osculis? Patrui vultum subire pudor prohibet. Sed nec vlli lachrymarũ fontes, inustã tanti sceleris maculã eluere valent. Ibo igitur, & omni voluptatũ genere cunctã ex animo mœstitiã depellã. His stimulata cogitationib⁹, ad ciuitatẽ quandã Aesũ nomine aufugit, vbi in quodã diuersorio, quæ fuerat quondã religione & pietatis egregio cultu sanctissima, tanquã meretrix impudẽtissima, omni se nefanda libidine cõtaminauit.

Desperans fugit, seque omnibus prostituit.

Intereà Abrahamo in interiore cellula quiescenti, somnium fuit oblatum, quo miræ magnitudinis draconem, è sua cauerna ad eius prorepentem domunculam conspexit, & columba quæ intùs latitabat, ore hiante deuorata, rursùs recedentem. Turbat virum sanctum somnij ignorantia, & assiduis Deum precibus, vt omen malum auerteret, rogabat. Tertiò autem die rursùs eadem se visio obtulit, sed draco (quod animi mœrorem nonnihil mitigabat) pedibus eius protritus, disrupto ventre columbam puram & immaculatam restituere visus est. Hæc cum vidisset, turbatus & animi ęgritudine affectus, è fenestra prospexit, & Mariam bis magna voce inclamauit. Sed cum nullum illa responsum daret, veritatem tunc visionis coniectura minimè dubia assecutus est. Quid tunc animi esset viro sancto, nullis verbis ex-

Somnium Abrahami.

Orat assiduo pro nepte sua.

bis explicari potest. Non tamen spem salutis eius penitus abiecit, sed Deum duobus annis integris, assiduis precibus & lachrymis ad misericordiam inflectere conabatur. Tandem spe quadam diuinitus concepta, dimisso in omnes partes nuncio, intellexit vitam eius nefanda libidine & omni scelere & flagitio contaminatam esse. Nec mora vir grandæuus, & canis toto capite aspersus, silentio & solitudine & monastico habitu, & omnibus denique pietatis exercitijs, quæ tanta contentione in vita retinuerat, valere iussis, militari

Habitu mutato, abit ad neptem suam.

se veste induit, & equum conscendit, missisque in marsupium pecunijs, ad flagitiosum impuræ libidinis domicilium, in quo neptis à dæmone victa tenebatur, contendit. Mox autem diuersorium ingressus, instar periti venatoris huc illuc circúspicere, & diligenter prædam quam sperabat indagare. Sed cum nulla eius videndę potestas daretur; Heus, inquit, hospes dicito, si quam habes puellam forma præstantem, ad me adducito, vt cupitis eius iam diu fruar amplexibus, animumque

Fingit se turpi capi amore Abrahamus.

voluptate expleam. Hospes quamuis viri iam ætate confecti nefariam cupiditatem detestaretur, nè tamen auaritiæ suæ iacturam faceret, Abrahamum multo vehementius in puellæ amorem, varijs verborũ lenocinijs inflammare voluit. At ille de puellæ nomine inquirens, cum Mariam audisset, statim promptis è sinu pecunijs iubet parari cænam, & introduci puellam. Cæna itaque opiparè parata, puella fuco meretricio egregiè ornata, introducitur. At Abrahamus ex primo conspectu neptis, tot diaboli laqueis irretitę lachrymas fudit, quas tamen auersa parumper facie abstergens, vultu ad omnem hilaritatem composito, dissimulauit. Illa autem Abrahamo offerebat

osculum

oſculum, & arctè collum eius amplectebatur. Sed vt primùm fragrantiam quandam è caſtis adeò membris emanantem ſenſit, prioris vitæ recordata ingemuit, & mœrore paulatim creſcente, nimia animi ægritudine contabuit. At Abrahamus ne præda è manib⁹ laberetur, ſimulata egregiè amatoria leuitate ægritudinem depulit; & qui totos quinquaginta annos ab omni hominum conſpectu remotus, in ſumma panis & aquæ penuria vixerat, cum meretrice vino & carnibus veſcitur. Poſtquam verò hoc modo epulis ſatiati eſſent, ad cubile pergunt. Ille verò tempus & oportunitatem captabat, qua eam ad prioris vitæ puritatem ſanctitatemque transferret. Tandem cum ſe ab omnium conſpectu remotum cerneret, apprehenſa eius dextera in intimum cubile deduxit, fugaque iam intercluſa, ſcenam quam huc vſq; ſumma ſimulatione egerat, abiecit. Tum pileo, qui vultum tegebat, amoto, graiter ſuſpirauit, & ait; Cor meum ò Maria, neſcis quiſnam ego ſim? Non agnoſcis cognatum? Quid eſt, anima mea quod tibi accidit? Quis eſt qui te in hanc fraudem & perniciem impulit? Quomodo ità de ſtatu tuo concidiſti? Quid eſt quod vulnus ab aduerſario inflictum, abſcondere voluiſti? An adeo graue erat, quod nullis medicamẽtis ad ſanitatem reuocari poſſe exiſtimares? Cur pernicioſa quadam, verecundia lapſum tuum confiteri erubuiſti? An ita ſubitò in obliuionem diuinæ erga nos benignitatis venire potuiſti, vt ſpem omnẽ ſalutis abijceres? At Dei noſtri benignitas nullis flagitijs vinci, nulla malitia ſuperari poteſt. Quare te per Canos meos, per labores pro te ſuſceptos, per intolerandam animi ęgritudinem, per mœrorem hunc, per Chriſti denique ſangui-

Abrahamus ſimulat, ſe amatorijs leuitatibus delectari.

Abrahamus ſe prodit nepti ſuæ.

nem, quo redẽpti ſumus, oro & obteſtor, vt in viã redeas. Hæc cũ Abrahamus diceret, Maria, demiſſo in terram vultu obmutuit: & pudore pariterq; ſtupore oppreſſa, quid ageret quidve diceret non inueniebat. Tũc Abrahamus voce admodum leni & blanda: Cur, inquit, ô filia mihi nõ reſpondes? An ignoras me tui ſolius amore vehementer incenſum, hoc iter ſuſcepiſſe? Neſcis me te propter, & tuam ſalutem hæc omnia ſimulaſſe, veſtem militarem, amorem, eſum carnium, quẽ ſcis hactenus nihil præter cellam & ſilentium noſſe? Non eſt vllum facinus adeò graue, quod non apud ſempiternam & infinitam Dei bonitatem veniam obtinere poſſit? Si dubitas: Ego pro te Chriſto rationem reddam. Ad hæc illa, vix aliquid graui ægritudine animi fractum, & quaſi emortuum proferens, reſpondit; Cum vultum oculoſque nefanda libidine contaminatos, ad te, ô venerande Pater, attollere non audeam, quomodò iratum grauiterque ſceleribus meis infenſum Omnipotẽtis Dei vultum ſubire potero? Cui Abrahamus; Super me, inquit ô filia ſit iniquitatis tuę pondus, tantùm ad priores mecum habitationes reuertere. His puella ad lachrymas commota; ſeſe pedibus eius proſtrauit, & conceptum ex admiſſo ſcelere dolorem egregiè teſtata eſt. Tunc ille ad firmiſſimam veniæ ſpem eam hortatus, bono iubet animo eſſe, nec dubitaret quin breui amiſſum conſcientiæ ſplendorem recuperaret.

Maria animo conſternatur.

Maria pedibus ſe patrui ſui, cũ lachrymis proſternit.

His dictis itineri ſe accingunt, relictiſq; quas ex nefario quæſtu comparauerat diuitijs, ad montem contendunt. Ibi demùm mutato ordine domuncularum, ita vt Maria in interiore clauſtro eſſet, ſtrenuè precibus & ieiunijs & lachrymis incumbebant. Nunquam illa mentem à conſidera-

Abrahamus recipit ſuã recipit in eremum.

sideratione admissi criminis auertebat, sed assiduo luctu & lachrymis deformata, summam voluptatem in suipsius contemptu repositam habebat. Et quamuis diuina bonitas multis indicijs sanctitatem eius declararet, ita vt varia morborum genera precib⁹ & virtutibus eius depellerẽtur, nõ tamẽ propterea, quicquã de pœnitentię laboribus remittebat; sed cælo terraque se indignã reputans, omniũ pro se preces magna animi submissione postulabat.

Egregiam illa agit pœnitentiam.

Maria claret miraculis.

Abrahamus igitur gaudio incredibili perfusus, cunctis ornatus virtutibus è vita migrauit, & insignem sanctitatis suæ testificationem ex pannorum ciliciorumque contactu (quæ morbos aliaque mala fugabant) reliquit. Quinto autem ab eius morte anno, Maria fratris eius filia, felici agone sequuta est; cuius vultus animæ splendorem multis egregiè signis indicabat.

Abrahamus moritur.

Virtus vestimentorum eius.

Maria obit.

*VITA S. HEREBERTI, ARCHIEPISCOPI Colonienſis, ex ea que eſt per Rupertum Abbatem Tuitienſem. Ordinatus eſt Anno à partu Virgineo 999. Claruit verò maximè ſub Ottone Tertio, & eius ſucceſſore Henrico, Romanor. Impp. Ex humanis autem diſceſſit Anno Chriſti Saluatoris 1022. Sigebertus verò de eo agens in chronico, ordinatũ eum refert Epiſcopum anno à Chriſto Domino 997. ac obiiſſe anno 1021.*

Vide Cæſa. Baronij. not. in mar. Roman.

HErebertus VVormatiæ Galliarum vrbe claris ortus natalibus, auiam maternam Emmam, Regimboldi nobiliſſimi Alemãnorum comitis filiam habuit; quæ cum duabus ſororibus è caſtro patris ab Hunnis in captiuitatem abducta, propter eximiam formæ pulchritudinem, à viro quodam nobili redempta fuit,

16. Martii. Patria & Genus eius.

qui eandem ſumma parentum voluntate & gratulatione, matrimonio ſibi copulauit. Ex hac ſtirpe ſancti viri genitrix procreata eſt. Cuius nomen non exprimitur quidem, ſed cum Herebertum enixa eſſet, immenſo cœlitus circumfuſa lumine, futuram prolis ſuæ ſanctitatē cognoſcere meruit.

Naſcitur S. Herebertus.

Primum itaque à matre VVormatij literarum ſtudijs traditus, tantos in ijs progreſſus fecit, vt omnium opinione eiuſdem eccleſiæ præpoſitura dignißimus iudicaretur. Hanc dignitatem tanta tamque admirabili prudentiæ & ſanctitatis laude adminiſtrauit, vt Otto Imperator, celeberrima nominis eius fama captus, Cancellarij dignitatem in imperij adminiſtratione ei tribuerit. Sed cùm pius Imperator ægrè admodùm ferret, virum tãtis virtutum omnium ornamentis decoratum; terrenarum rerum curis inuolui, hortatus eſt eum, vt ſacris initiari ſe pateretur, totumque animum à rebus fluxis & caducis, ad immortalitatis ſtudium reuocaret.

Fit Præpoſitus, eccleſiæ VVormatienſis.

Fit cancellarius Imperij.

Paruit vir Dei alacriter, & ſacris cum gaudio initiatus, totum ſe rebus diuinis conſecrauit. Eo tempore eccleſia Colonienſis paſtore ſuo euergero priuata fuit, & Herebert⁹ totius populi ſuffragijs, & læta acclamatione ad eum dignitatis gradum electus eſt. At vir ſanctus prudenter muneris adminiſtrandi difficultatem conſiderans, non pari gaudio, neque lætitia ad eum honoris gradum aſcendit: ſed nudis pedibus, linea indutus veſte, per ſummam hyemis ſæuitiam Coloniam venit. Neque enim, dicebat, ad regna Gentium, ſed ad ſanctorum miniſterium à Chriſto vocatus ſum, cuius ſane ratio exactiſſima in extremo illo iudicij die reddenda mihi erit. Hæc conſi-

Eligitur Epiſcopus Coloniẽſis.

Venit nudis pedibus Coloniam.

consideratio ità viri sancti animum afficiebat, vt quamuis inter medias mundi delicias versaretur, nunquam tamen animum inepta lætitia dissolutum gereret, sed cum summa vitæ sanctimonia, commissum sibi munus administrabat.

Cum propter flagitiorũ turpitudinem, & scelerum omnium immanitatem, ira Domini acritèr in populum desæuiret, ità vt terra extrema siccitate consumpta, mortiferam cunctis famem minaretur, Herebertus populi sui calamitatem miseratus, assiduis lachrymis & precibus pacem à Deo postulabat, indictoque triduano ieiunio solemnem precationem omnium ordinum instituit. Cumque ex oratorio sancti Seuerini Clerus cum solenni Litania egressus, beati Pantaleonis peteret: eccè niuei candoris columba videntibus multis caput eius circumuolitauit, eademque repentè disparuit. Vt autem ad locũ ventũ esset, in quo iã dictus confessor Domini Seuerinus, in transitu beati Martini voces angelorum psallentium audire meruit, vident eminus eandem columbam caput beati viri tertio circumuolitantem, quæ & protinùs in sublime eleuata cœlos petijt, nec vltrà comparuit. Dimissa precatione, vbi ad prandium ventum est, vir diuinus appositis cibis ieiunium dissimulabat, neque enim poterat pijssimum pectus populi sui miseria grauitèr saucium, vllam consolationem admittere; cumque alij se mirari dicerent, diuinam bonitatem profusis tàm multorum lachrymis flexam non esse: tale fertur vir sanctus responsum dedisse: Vestri, ô chariſſimi, pastoris hæc est culpa. Nisi enim diuinum numen meis sceleribus infensum esset, qui medius inter vos & ipsum stare debeam, credo equidem iàm diu

Columbæ miraculum.

Admiranda eius humilitas.

cælum dirupisset, suoque nos beneficio extrema siccitate consumptos, refecisset. Hæc vbi dixit, lachrymas continere nequiuit, ita vt vi erumpentium victus, caput in manibus super mensam declinaret. Luctabatur interim ardenti oratione, & summa spiritûs humilitate cum fortissimo spiritu omnium domino. Eadem verò hora cum summa esset cœli serenitas, solesque ardentissimi: repentino fragore cœlum intonuit, & demissis imbribus mirificè cunctos recreauit.

Efficacia precũ eius.

Interea cùm pauperum & orphanorum pater, monente Ottone Imperatore, consilium mente agitaret, quomodo, & quo loco sacrum aliquod Deo domicilium, in quo religiosi viri eius numini sanctissimè deseruirent, construeret, nocte quadam Angelorum & omnium Sanctorum Regina ei astitit, quæ præclarum pietatis opus, quod intimis sensibus inclusum gerebat, approbans hæc ait; Surge, & Diuitense castrum à sordibus rerum terrenarum, quibus turpiter infectum iacet; diligenter emundatum Deo consecrabis, vt sicuti impunita flagitiorum omnium licentia quandoque ibi requieuit, ità nunc diuinorum munerum splendore pulchrè ornatum, portus salutis malorumque omnium tutissimum perfugium existat. Herebertus hac D. virginis præsentia mirificè exhilaratus, protinus monasterium insigni opere erexit, virisque virtutum omnium ornamentis egregiè cultis, instruxit.

Angelorum Regina ei apparet.

Monasterium construit.

Die quæ Palmarum festiuitate Christo sacer est, cum sermonem ad populum haberet, & homo quidam maligno obsessus spiritu duris vinculorum nexibus constrictus præsens esset, cœpit vi diuinorum verborum exagitatus, clamores horrendos edere, ipsamque concionem turbulẽtis

tis vocibus perturbare. Cumque vir sanctus sine vllo fructu vocis contentionem intenderet, tacitùs diuinam opem aduersus malignum implorauit; cuius virtute fugatus, non paruam cunctis admirationem reliquit. Volbertus monasterij eius, quod sanctus construxerat, Abbas; cum graui admodum capitis & oculorum incommodo vexaretur, aqua qua sanctus Pontifex post Missarum solemnia manus abluerat, dolorem depulit. Post hunc, mulier quædam miseranda valdè cæcitate laborans, vt oculos vino intinxit, quo sanctus Dei post dominici corporis & sanguinis communionem digitos de more abluerat, oculorum lumen recepit. Alia quoque paralysi dissoluta, edito crucis signo, membrorũ soliditatẽ ab eo consecuta est. Fuit autem cum alijs virtutibus, tùm humilitatis laude præstantissimus. Erat pauperi & abiecto cuidam homini natus infantulus, quem cùm nemo è sacerdotibus de sacro fonte leuare dignaretur, & pauper iste Pontifici suam miseriam cum multis lachrymis exponeret, vir sanctus; Citò, inquit, eum ad me defer to. Ego enim puerum sacro latice tingere, & Christo pro eo spondere debeo. Tinxit itaque infantem, & sacerdotum superbiam præclaro humilitatis exemplo confudit. Paucis autem post diebus, cùm celebrata apud S. Seuerinum statione, magno sacerdotum & populi comitatu circumseptus, pauperis huius tugurio pertransiret, ille domo prorumpens, alacri vsus confidentia, frenum equi cui Præsul insidebat corripuit, & benignè Præsulem ad prandium inuitauit. Nec abnuit vir sanctus pauperis subire tuguriolũ, vbi nihil præter panẽ cũ asso pullo, tenuiq; ceruisia inuenit; q̃ tamẽ q̃busuis ipse delicijs, vt humilitatis benigne-

Oratione pellit ab obsesso dæmonem.

Volbertus Abbas Tuẽtiensis.

Claret miraculis.

Humilitas eius.

que faciendi disciplinam alios doceret, longè præposuit.

Benignitas eius erga pauperes.

Quid autem de eximia & præstanti misericordia, qua miseros & calamitosos prosequebatur, dicam? Certè tanta illa fuit, vt merito ab hominibus rerum diuinarum imperitis, in crimen vocari posset. Erat quidam in sacris constitutus, ex eorum numero qui singulari viri sancti benignitate vitam contra inopiam tutabantur, sed cum paupertatis onus diutius ferre recusaret, consilium sceleris & audaciæ plenum inijt. Nam vt relicta Colonia in Saxoniam peruenit, tres nocte vna ecclesias inuasit, atque sacris indè vasis, vestibusque sacrilego furto sublatis, Coloniam repedauit. At mox à subsequentibus deprehensus, & iudici oblatus, definita legis sententia, suspendio damnatus est. Aderat eo tempore in vrbe sanctus Præsul, qui mox tanquam animosus scelerum vindex, sacrilegij reum sibi sisti iussit. Venit cum reo ipse iudex. Tùm Præsul, toruis admodùm luminibus: Hominum, inquit, perditissime, quid tibi venit in mentem, vt diuini humanique iudicij oblitus tantum in te nefas committeres? Nunc te viuere fas non est, crimini huic tuo dirum mortis supplicium iam debitum, iamque paratum est. Hæc cùm in magna hominum frequentia dixisset, eum patrono pauperum tradidit; cui clanculum in mandatis dedit, vt cibo eum potuque egregiè reficeret. Ipse interim cum iudice & reliqua nobilium turba, ad mensam accessit. Cum verò omnes epulis intẽti essent, vir sanctus, cui damnati hominis cura sub pectore viuebat, patronum aduocauit, eique hoc negotij clam dedit, vt mortis reum suo subuectum equo, extra vrbis mœnia in locũ tutum deduceret, & pecunijs rebusque necessarijs instru-

Clericum mortis reũ liberat à supplicio.

instructum dimitteret; seseque, quanta posset celeritate maxima, conuiuis sisteret. Patronus cuncta ex Domini voluntate, summa calliditate peregit: cùm Herebertus quasi graui offensione commotus, Scelestus ille, inquit, nondum sacrilegij sui pœnas dedit? At minister, voluntatis & facti eius præclarè conscius, pallore vultûs per callidam simulationem inducto, voceque suspirijs intercluſa, respondit: Nefarius manus nostras euasit, & fuga sibi salutem quæsiuit. Tùm Episcopus conuocata concione. Ecce, inquit, sacrilegus ille euasit, effugit, Ite, currite, & è fuga retractum, debito mortis supplicio afficite. Quis factum hoc non reprehendat, nisi vir sanctus ardentissimo fraternæ salutis amore incensus, hæc feciſſet?

Et tamen tàm eximiæ benignitati, non pauci flagitium immane affingere minimè dubitabant. Multi eum in populi totius inuidiam pertrahere conabantur: Alij vero varijs calumnijs diabolica arte conflatis, Henrici Imperatoris animum, qui Ottoni succeſſerat, in virum sanctum inflammabant, eoque rem deduxerant, vt Henricus errore deceptus, certa de excidio eius consilia iniret. Sed nocte quadam venerandi cuiusdam senis visio, vehementer eum exterruit, & consilium sceleris & impietatis plenum destruxit, atque benignè eum admonuit, vt Herebertum insigni apud Deum sanctitatis laude præstantem, omnibus, quibuscunque par esset, modis coleret & obseruaret. Mane facto Imperator, præter mentem & expectationem omnium venerabundus Episcopum aduocauit, & execrando errore, (in quem maleuolorum hominum linguis inductus fuerat) detestato, in amplexus eius ruit: & summa quadam amoris, ac beneuolentiæ significatione trina ei

Vide vt etiã sanctos principes, malæ linguæ non nunquam fallant.

Vide sancti Imperatoris eximiam humilitatẽ, & vt agnoscat pontificiam auctoritatem.

oscula dedit. Nec hac satisfactione contentus, nocte sequenti finitis matutinorum solennijs, Pontificis cubiculum adijt, abiectaque protinus chlamide, & corpore in terram prostrato, cum lachrymis erroris sui veniam postulauit. Quem Dei famulus à terra subleuans benignè exaudiuit, eique inter cætera imminentẽ vitæ suæ exitũ prædixit. Noueris, inquit, certissimè, quia post discessũ nostrũ quo nũc separãdi sumus nostras inuicé facies iam in hoc seculo nequaquam videbimus.

Moriturus, omnia sua largitur pauperibus.

Hæc cum dixisset, paulò pòst febre Nouesij corripitur: Cumque ægritudinis molestiá inualescere sentiret, quamuis toto vitæ suę tempore egenis benignè admodum consuluisset, tunc tamen vel maximè, quantam in eorum apud Deum patrocinio salutis spem repositam haberet, declarauit. Nunc eos fratres, nunc dominos, nunc patronos appellabat. Nihil erat in bonis reliquũ, quod non eis distribueret. Et nè cum vita pariter hoc eius charitatis studium exspiraret, mœrentẽ fratrem suum Gezemannum comitem, qui ad lectuli caput residebat, consolans, per communem fratris amorem, per Christi sanguinem & vulnera, per sanctum & tremendum iudicium, quo bonos præmijs sempiternis afficiet, obtestatus est, vt pauperum curam susciperet, & tanquam Christi membra foueret atque nutriret. Eadem Ecclesiæ Præposito & Ciuitatis Aduocato ac Procurãtori pauperũ præcepit, qui se hoc libentissimè acturos spoponderũt. Hæc aliaq; in eandẽ sententiá cum dixisset, de præsentis vitæ angustijs ad sempiternę felicitatis patriã migrauit. Funus cũ multis omniũ lachrymis curatũ fuit, & honore tanto pontifice digno, in Diuitensium castro in oratorium sanctissimæ genitricis illatum; vbi multis coruscans

Vide quantam vir sanctus, habuerit pauperũ curam.

Moritur.

cans miraculis, plurimos sacras eius reliquias visitantes, ad Domini nostri Iesu Christi gratiam debitis laudibus celebrandam excitauit. Sanabantur infirmi; Cæci post pia desideria & vota, optatum lumen recipiebant; Claudi gressum, Paralytici membrorum soliditatem, dæmoniaci sensuum integritatem sanitatemque cõsequebãtur. Vnum verò contigit inter cætera memoria sempiterna celebrandum. Vir vitæ venerabilis Volbertus, primus cœnobij eius, quod à Sancto hoc Pontifice constructum erat, Pater, (cui etiam propter egregiam vitæ conuersationem, & multiplicem disciplinarum omnium cognitionem, Sancti Panthaleonis cura commissa erat) cum de more solitarijs vigilijs psalmos decantaret Dauidicos, & tunc propter tanti patris obitum multo ardentius pietatis operibus insisteret, accidit nocte quadam, vt propè beati antistitis sepulchrum oranti, locus ipse, & tota denique monasterij fabrica intremere viderentur. Quo viso, prima facie horrore perfusus est; sed cum animum mentemque ab eo pauore refecisset, & orationis scuto inanem timorem repulisset, vidit patefacto beati viri sepulchro, sanctum Dei egredi. Quo sanè spectaculo sensuum stupore oppressus concidit. Tùm Pontifex baculo quo tumulatus fuerat, latera eius tangens, quid operaretur interrogauit. Cui cùm intercluſis nimio timore fauci-
bus, responsum dedisset, confestim qui apparuerat intulit. Orationibus, frater mî, vigilãter sedulus insiste, & viuorum atque mortuorum parentum salutem exorans, mei quoque memoriam abundantius habe. Scito enim & veritatem loquenti præbe fidem, quia obitûs mei die tricesimo, qui nunc imminet mecum pransurus es.

Miracula ad eius sepulchrum.

Volberti primi Abbatis Tuitiensis, egregia laus.

S. Herebertus loquitur post obitum cum Volberto Abbate.

Hoc

Hoc ille audito, penè exanimatus resedit in eodem loco. Tandem verò animo nonnihil resumpto, corpore ac mente tremens ad lectum peruenit. Manè autem facto orationem ad fratres habuit, qua ad omnem pietatis perfectionisque rationē eos informauit, summumque monachorū decus, oris custodiam esse ostendit. Soluta autem concione, quosdam ætate & prudentia præstantiores euocauit, eisque visionem ex ordine narrauit. At illi, (vt fert hominum ingenium) rem totam, vehementi amoris affectui ascripserunt. Nec enim, dicebant, defunctus ei apparuit, sed quem viuētem amore nimio complexus est, eundem iām mortuum assidua cogitatione præ oculis cordis gestat, somniaque cogitationes sequuta sunt. At ille conscientiæ suæ testimonio magis, quam opinione hominum fretus, tricesimum diem tanquam vltimum expectabat. Et vt eum, tanquam sui natalem, cum Christi famulis pauperibusque celebraret, copiosas impensas præparabat. Iamque prædicta à Pontifice dies aduenerat, cum ex quadam possessionis suæ villa (quam ad multorum egentium inopiam subleuandam visitauerat) ad monasterium rediens, à quibusdam comitibus, ad prandendum inuitatus est. Ille ex charitate iuuentuti famulanti condescendens, non abnuit; sed cum diuinum ex debito officium præmittere vellet, sextam de more cum duobus, qui obsequio eius aderant, fratribus, horam canere incepit. At vbi ad lectionem, quam Capitulum dicimus, ventum est, erat autem hæc: *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur:* quod enim mortuus est &c. Respondētibus illis, *Deo gratias*. continuo spiritum exhala-

Decus monachorum silentium.

exhalauit. Cuius morte filiorũ animi, quãuis non mediocri tristitia oppressi, tamen cum ad mentem reuocarent ea, quæ a Beato Præsule Hereberto prædicta fuerant facile mœrorem omnem depulerunt. Eccè autem vt defuncti corpus propè sepulchrum eiusdem vatis sui depositum est, pauper quidam inter vigiliarum exequias, à cunabulis contractus (qui eiusdem Sancti Pontificis pietate & patrocinio hactenus vitam contra inopiã defenderat) dũ tota nocte multis lachrymis miserandam suam orbitatem deploraret, suorum sanitatem soliditatemque membrorum ab ijs recepit.

miuit in Domino.

Contractus ad sepulchrum Hereberti curatur.

## *VITA S. GERTRVDIS ILLVSTRISSIMÆ Virginis, ex ea quæ est per Surium. Obijt anno Domini 644. Vitaliani Papæ 10. Constantis Imp. 23.*

Vide Cæsar. Baro. in not. marty. Rõ. Item Tom. 8 annal, Ecclesiast.

SAncta Gertrudis Niuellensis, patre Pipino, matre verò Itta illustrissima familia orta, cùm in paternis ædibus versaretur; & die ac nocte ad parentis suæ multis virtutibus ornatæ pedes, diuini verbi sapientiam meditaretur, eos breui temporis spatio in Dei amore progressus fecit, vt mundanarum rerum pertæsa, tota mente de diuina pulchritudine cogitaret. Fertur verò tale in Christi seruitio initium habuisse.

17. Martij. Patria & parentes eius.

Cùm parens eius Pipinus, Dagobertum regem ad splendidas epulas inuitasset, fortè in comitatu eius adfuit adolescens quidam, Austrasiorum ducis filius, qui Gertrudis moribus & ingenio delectatus, cum à rege tùm à Pipino, eam sibi coniugem dari postulauit. Rex non parum hoc postulato gauisus, patrem puellæ ad consensum nuptiarum hortari cœpit, ipsamque puellam cum matre ad-

Pipinus parens S. Gertrudis, Dagobertum regem inuitat ad mensam.

tre adduci imperauit. Illæ quid rerũ ageretur ignaræ, protinus regis imperio parẽtes adsenerũt. Quibus Rex verbis ãplissimis, & genus adolescẽtis,& diuitias,& honores prædicare cępit,nihilq nõ facere vt puellã ad tã celebre coniugiũ inuitaret. Tùm Gertrudis indignabũda, Ego,inquit ô Rex neque hũc auro fulgentem,neque mortaliũ quẽquã quibusuis titulis decoratũ, sed Christũ Deũ ac Dominum meũ sponsum mihi elegi. Hoc audito Rex, teneræ puellæ responsũ admirans, conticuit; adolescens autẽ pudore pariterque indignatione repletus recessit.

**Puella Gertrudis, respuit nobilissimi adolescentis coniugium.**

Ab illo igitur die pietatis & diuini amoris igniculi, mirificè in deuoto materno ac virgineo pectore creuerunt, donec, quatuordecim inde elapsis annis,patre vita defuncto mater & filia sacris sese ędib⁹, Amãdi episcopi cõsilio cõstructis, incluserunt; seseque totas suaque omnia vni Deo sacro accepto velamine, consecrarunt. Accessere mox aliæ,atque aliæ, quæ splendore virtutum admirabilium, quas in parente & filia contemplabãtur,motę,sese earum disciplinis submittebant; ita vt breui cœnobium & personarum & virtutum numero celeberrimum constitueretur. Interea humani generis hostis, stimulis inuidiæ in nouam Christi militiam concitatus, quorundam animos in odium virginum vehementer accendit, nullumque non mouit lapidem, vt virgines in Christi nomine congregatas dissiparet,parumque abfuit quin acerbissimis ignominiæ telis petitæ vel institutum desererent, vel saltem subditas à se dimitterent. Sed Gertrudis Christi amore accensa, perditorum hominum calumnias tanta virtute sustinuit,vt cunctas dæmonis insidias profligaret, & inuitis omnibus, congregationem Christo sacram retineret. His primum defunctæ

**Pipinus pater S. Gertrudis obit.**

**Itta mater Gertrudis, cũm filia,sacris se ædibus includunt.**

periculis, radios virtutum omnium latiùs dispergere, exterisque etiam hominibus egregia pietatis officia exhibere cœperunt. Et quidem prima eis pauperum & peregrinorum cura fuit, quos solicitè tãquã Christi mẽbra nocte dieq; fouebant. Cæterum Itta postquam annos nata 60. clarissimis virtutum omnium ornamentis cœnobium decoratum aspexisset, sanctum Deo spiritum tradidit, anno à mariti sui Pipini obitu 12. Cùm autem matre defuncta, filia totum regiminis pondus in se solam recepisset, cepit ardentius cœlestium rerum contemplationi incumbere; & ne quid eam ab earum amore impediret, ita alijs officia distribuit, vt sola auctoritate rerum omnium sibi seruata, nihil præter sacras lectiones nocte dieque tractaret; eoque assiduo studio progressa est, vt omnem penè sacram scripturam memoria teneret, & obscura allegoriæ mysteria sancto reuelante spiritu, luculenter auditoribus explanaret. Porro pauperum curam nunquam deposuit, sed ædes valdè magnificas exstruxit, in quibus magnam egenorum multitudinem clericorum & peregrinorum, victu quotidiano sustẽtabat. His pietatis operibus tota mente intenta, dùm nimijs vigilijs & ieiunijs corpus domaret, acri ægritudine corripitur; qua paulatim crescẽte, vt liberius Christi amori vacaret, & alacriùs illi occurreret, Abbatissæ officio se abdicauit, & neptem suam VVilfetrudem, virginem annos natam 20. multisque virtutibus egregiè instructam, in locum suum instituit. Hoc autem onere liberata, tã ardẽter precibus & meditationib⁹ assiduò vacauit, vt solo corpore in terris, mente verò reuera in cęlis habitaret; atq; hoc modo cursu suo fęliciter exacto, cũ ab insigni quodã sanctitatis

Itta moritur.

S Gertrudis in sacris literis doctissima.

Abdicat se officio Abbatissæ.

tatis viro, Vltano nomine peregrino monacho, de die obitûs admonita fuisset, sacris munita mysterijs, anno ætatis suæ tricesimo tertio 16. Kalen. Aprilis migrauit ad Dominum, Cuius sanctitatem quamuis egregia pietatis opera satis superque testantur, eam tamen Dominus miraculorũ virtute magis confirmare dignatus est.

Moritur anno ætatis suæ 33.

Claret miraculis.

In Treuirensi monasterio Abbatissa fuit Modesta nomine, sanctissimæ Gertrudi singulari amicitiæ fœdere deuincta. Hæc cum die quodam cœnobij sui templum ingressa fuisset, seque antè beatissimæ Virginis aram prostrauisset, vidit non sine ingenti stupore ad dexterum altaris latus S. Gertrudẽ eo habitu quo vti cõsueuerat; cumque plurimum de visionis veritate ambigeret, Noli, inquit, soror Modesta dubitare; Ego enim Gertrudis sum, quam summopere in vita semper amasti. His dictis euanuit.

Apparet Abbatissæ Treuirensi.

Anno ab obitu eius decimo, ignis in Niuellensi cœnobio subitò excitatus adeò sæuijt, vt sacræ virgines vehementer exterritæ, deserto cœnobio in tutum sese recipere coactæ fuerint. Ille vero cui monasterij cura commissa erat, eleuatis oculis vidit S. Gertrudem ea forma & habitu, quo viuens quondam Christo famulata erat, in suprema refectorij parte stantem, veloque suo flammas abigentem, ac tandem incendium restinguentem. Longum foret innumera eius, quibus coruscat, miracula referre. Agnes Gertrudis alumna, quæ post VViltefrudem Abbatissæ munus administrauit, templum in honorem eius exstruxit, in quo omnipotens Deus virginis huius gloriam mirificè illustrat.

Ignem extinguit S. Gertrudis.

Templum Niuellæ in honor. S. Gert. constructum.

VITA

## VITA S. PATRICII CONFESSORIS, & Hibernorum Episcopi. Ex ijs quæ exstant apud Probum Hibernum, & Richardum Staniburstum, ad censuram tamen Cæsar. Baronij castigatus. Excessit è corpore Anno Salutis 491. qui fuit Felicis Papæ 9. Anastasij verò Imp. 1.

vide C. Bar. Anna. To. 5. & 6. ac Not. in marty. Roman.

CAlphurnius * vir & morum honestate conspicuus, & diuitijs ac honoribus inclytus, ducta in matrimoniũ Concheſſa, * pari honestate ac dignitate fœmina S. Martini Turonensis Episcopi sorore, vnicum ex ea suscepit filium, in maritimo Britanniæ territorio: quod antiqui Triburniam vel Eiburniam appellabant. Nato infanti, optimæ indolis & ingenio facili, primò b Socher nomen in salutari lauacro impositum fuit; Cui deindè S. Germanus Magonij: ac postremò Cælestinus Papa, Patricij nomen indidit. Et quidem prima illius ætas à S. Martino optimis moribus & disciplinis quadriennio imbuta fertur; Quo exacto Germanus Antisidorensis Antistes, humanarum ac sacrarum literarum cognitione exactius eum instituit. Sed antequam in illorum disciplinam concederet, multis varijsque, tenera adhuc ætate puer, aduersitatibus exagitatus fuit. Nam cum puſio adhuc prima literarum elementa ludibundus addiscceret, Hiberni maritimas Britanniæ oras, flamma ferroque vastantes, & multos vtriusque sexûs homines in seruitutem abripientes, inter alios pueros & adolescentes sanè ingenuos, Patricium iam tum ephœbum eandem in captiuitatem abduxerunt. Misera profectò & dura sors. Post prędæ partitionem, generosi animi adolescens Hybernico Dynastę à piratis diuen-

17. Martii. * alias Calphurnius ) Patria & parentes eius. * Sic quidã appellatam esse volunt.

b alias Suchar.

Primò Suchar vel Socher, deinde Magonius, ac postremò Patricius est appellatus.

Abducitur captiuus in Hiberniam.

Pascit porcos.

diuenditur,& porcorum gregi custos præficitur. Quid faceret? Ferendum illi erat, quod mutare non poterat. Magnam tamen spem in Christi bonitate pius adolescens repositam habebat, quod aliquandò pristina libertate recuperata duræ seruitutis meminisse iuuaret. Et eccè admirabilem

Reperit thesaurum quo se à seruitute redemit.

Dei prouidentiam. Sexto seruitutis anno, cum die noctęq; precibus intentus, porcos ad pastũ in cãpo deduceret, oblatum in agro reperit thesaurũ, redemptionis suæ pretium; quod sagaci ac prudenti consilio cum hero suo depactus est. Igitur hac ratione præter opinionem pristinę libertatis compos effectus: in patriam rediit.

Pelagiana hæresis grassatur.

Ea tempestate Pelagius diuinæ gratiæ hostis infestissimus, ijs in locis tabifica hæresis contagione multorum animos inficiebat, & virus praui dogmatis dispergebat. Ad eam verò pestẽ restinguendam, S. Germanus Antisidorensis, & S. Lupus Trecassę Antistites, in Britãniam venerant, & nefarium hæresiarcham dictis factisq; retundebãt.

De hac hæresi vide Tom. 5. Baronij.

Eo in opere, cùm Germani doctrinã, miraculorũ gloria, multisq; virtutibus coruscans præcipua appareret, Patricius viri sanctitate & pclaro docendi genere captus, eius in disciplinam se tradidit: animumque à mundi illecebris ad pietatis

Patricius fit discipulus S. Germani.

studium inexhausta auiditate transtulit: Ac postremò omnes cogitationes ac labores suos, ad Hibernorum salutem, quorum miseriam cæcitatemq; iam olim præsens viderat, direxit. Nec potuit feruens desiderium viri conquiescere, sed

Ordinatur à Cælestino Papa Hibernorum Epi. scopus, & Patricius appellatur.

præclaris cogitationibus incensus, Cælestino Pontifici maximo pro Hibernorum salute se supplicẽ abiecit. Is verò collaudato Magonij (hoc namq; nomẽ tũc à S. Germano obtinebat) desiderio, non modo diuini verbi præconẽ eũ cõstituit, sed pontificia ornatum dignitate ad gẽtis salutem in Hi-

bernian

berniam ablegauit;& quia magnam in illius probitate,animiq́ue dotibus eximijs, rei bene gerendæ ſiduciam habebat, eum Patricium, tanquam futurum multorum patrem, nominauit.

Excipitur beneuolè à ſuis.

Itaq; vir ſanctus,tranſmiſſo vaſto mari,ad portum Patriæ feliciter appulit; magno incolarum gaudio, quod non exterum ſed domeſticum paſtorem acciperent;Quamuis non deerant qui beatum Præſulem, Hibernicis finibus arcere cõtendebant. Attamen eximia illius probitas & ingenij candor ac morum facilitas, etiam prauorum leniebant animos;prorſus vt eius doctrinam certatim ad aures admitterent,& virtutis ſplendorem magis magisq; indies adamarent. Hiſce fæliciſſimis initijs, breui tempore Chriſtianiſmus abũdè eſt propagatus,multiq́ue à Satanæ fallacijs ad veritatis lucẽ traducti. Aſt verò cùm alij quidam nõ pauci,effrænata mentẽ,pij patris doctrinæ repugnarent,alij calũnijs dicta eius pariter ac facta appeterent,ille,quia cæleſtiũ præmiorũ magnitudine nõ poterat, tãdẽ infernaliũ pœnarũ terrore luculẽtis ſermonib⁹ ob oculos poſito,dura eorũ pectora ad ſanã doctrinã emollire cõatus eſt. Ibi tũc qdã inſulſi,virũ ſanctũ irridere,eius doctrinã mera sõnia eſſe calũniari, ac poſtremò clarius documẽtũ infernaliũ tormẽtorũ poſtulare. Tũ ille populo relicto, tota mente ad Deũ cõuerſus, multis precibus ac lachrymis incredulæ genti viſibile teſtimoniũ,ab eo poſtulare nõ deſtitit. Nec defuit e.⁹ precibus benignus Deus. Nã vt diuino inſtinctu ad Aquilonarẽ Hiberniæ plagã gradũ ꝓmouit, antrũ quoddã in tetro receſſu offẽdit,ſpectris, ijs q̃ intrabãt,admodũ terribile;ex quo lachrymabiles voces gemitusq; eorũ q̃ purgatorijs pœnis deputati putãtur,exaudiebantur. Hiſce igitur modis ſacer Antiſtes, rebelles multorum mentes, & in ſcelere atq;

Patitur multorum cõtradictionẽ vir ſanctus in Hibernia.

Hæc obiter de Purgatorio S. Patricij libamus, ne in incertis turpiter offendamus

Hibernos ad Chriſti

fidem conuertit. perfidia pertinaces conuicit, totamque illam regionem, doctrina & miraculis clarus, ad Christũ adiunxit: ac tandem plenus dierum atque bonorum operum è corporis ergastulo ad cælos migrauit.

Vixit (teste Gen. & Sigeb. in Chronico) 122. annis.

## *VITA S. CYRILLI EPISCOPI HIEROsolymitani, ex ea quæ est per D. Iohannem Grodecium, Decanum Glogouiensem, ex Ecclesiasticæ historiæ scriptoribus collecta. Qui temporibus Constantij Imp. ab Arianis sæpè pulsus, ac sæpè in sedem receptus, ad extremum, sub Theodosio Imp. seniore 8. Annis, inconcussum Episcopatum tenuit. Quieuit verò in pace Anno Domini 386. Siricij Pap. 2. Valentin. 11. Theodosij. 8. Imp.*

Vide Cæs. Baro. Tom. 4. Annal.

18. Martij.

CYrillus Hierosolymitanus inter veteris Ecclesiæ patres clarissimus Antistes, non modò virtutibus vero Episcopo dignis præditus, verum etiam dono prophetiæ admodũ clarus fuit. Nam cùm Iulianus Imperator, templum Iudæis Hierosolymis instaurare iussisset, & sumptus ad hoc de publico ministrasset; Cyrillus vaticinij Danielis Prophetæ memor, quod & Christi testimonio confirmatum erat, lapidem in eo templo super lapidem non mansurum; Hoc, inquit, Saluatoris oraculum adimplebitur. Quod cum dixisset Episcopus, noctu ingẽti & horribili terræ fragore, fundamenta veteris templi euulsa sunt, ac lapides vnà cum ædibus contiguis dispersit. Ad quod sanè spectaculum, cum multi Iudæorum manè facto conuenissent, ignis de cælo elapsus, cuncta artificum instrumenta consumpsit. Sequenti verò nocte signa crucis, instar radij solaris

Cyrillus prophetiæ spiritu præditus. Daniel. 9. Matthæi 24. Lucæ 19.

Signa crucis inhærent

ris splendentia, vestibus illorum ita impressa hæserunt, vt nulla arte deleri possent. Hæc adeò stupēda prodigia, vnum illud Cyrilli verbum, diuino & prophetico spiritu prolatum, consequuta sunt. vestibus Iudæorum.

Neque verò his tantùm in terra prodigijs prædictionem eius confirmare, verum etiam in cælo maiori miraculo Episcopatum illius Deus illustrare dignatus est. Nam illo præside sacrorum Hierosolymis, signum crucis in cælo fulgidum super sacrum montem Caluariæ diebus Pentecostes, hora ferè diei tertia, apparuit, solisque radios suo splendore longè præcelluit, ità vt lucis illius excellentia, vniuersus populus Hierosolymitanus concitatus, maxima cum admiratione signum illud filij hominis aliquamdiu spectauerit. Nam & magnitudine crux illa fuit tanta, vt quindecim stadia excederet, ab ipsoq; sacro Golgotha ad montem vsque Oliueti protenderetur; & luce tanta, vt non modo Christiani omnes istic illustratos sese confirmatosque sentirent, verum etiam Iudæi ac gentiles aduenæ ab erroribus tenebrarum auersi, illuminarentur; & crucifixum verum esse Deum profiterentur. Quemadmodū ipse Cyrillus præclare in epistola sua, de eodem admirando signo, ad Constantium Imperatorem data, testatur. Ita sanè tum coruscabat Hierosolymis verbum Dei multò amplius, quam hisce nostris postremis temporibus apud nos, non modò prædicatione Cyrilli, verum etiam virtute Dei, sequentibus tàm admirandis signis. Signum crucis apparet in cœlo. Cyrillus scribit ad Imperatorem Constantiū. Nicephor. lib. 9. cap. 22. histor.

Successit autem Cyrillus beato Maximo, qui vt maximus fidei Catholicæ defensor fuit: ita & Cyrillus, alacris & promptus doctrinæ Apostolicę propugnator extitit. Qua de causa maximas ab

Arianis perſecutiones paſſus eſt. Nam cùm animaduertiſſent illum vehementer hæreſibus obſtare, & Apoſtolica dogmata adeò ſtrenuè tueri, congeſtis quibuſdam calumnijs, in quodam conciliabulo ſuo accuſare illum, & deinceps (ità vt alios permultos Catholicos Epiſcopos) more ſuo ſacris functionibus priuare non dubitârunt; idq; ex negocio pietatis illius erga egenos quæſito prætextu. Cæterùm Epiſcopi Catholici 150. qui non ita multò poſt Seleuciam ad Synodum conuenerant, depoſitionem illam ratam non habentes, primarium illius aduerſarium & auctorem depoſitionis Acacium, dignitate priuârunt, & ab illa Synodo excluſerunt, Cyrillum verò honorificè ſuſceperunt, & calumniatores ad crimen, ſi quod haberent, probandum inuitârunt. Sed nemo qui crimen quod in eum ſumma iniquitate congeſtum fuerat probaret, adfuit. Ex his ſanè patet quanta fuerit Cyrilli integritas, quem nè accuſare quidem coràm legitimis iudicibus aduerſarij veritatis audebant: ſed tantùm apud ſuos ſectarios; quorum adeò tum creuerat potentia & audacia, cùm intelligerent Imperatorem ſuarum eſſe partium, vt ipſi nihilominus quos ſemel iniquè dignitate exuerant, iniquius vi & armis de ſuis ſedibus exturbarent, aliosque pro ſuo arbitrio ſubſtituerent. Quemadmodum huic noſtro accidit Cyrillo, quo de ſede Hieroſolymitana deiecto, Heraclius eſt illi ſubſtitutus, atque huic rurſus ſucceſſit Hilarius. Iſti namque vſq; ad Theodoſij imperiũ eam eccleſiam adminiſtraſſe traditi ſunt. Poſt quos D. Cyrillus ſedem ſuam recuperauit. Quomodo autem is denuò ad ſedem ſuã venerit, & quo pacto in ea ſeſe geſſerit, ex literis Synodi Conſtantinopolitanæ, quæ Nectario præſide

Cyrillus ſede ſua pellitur.

Cyrilli integritas.

fide sub Theodosio celebrata est, ad Damasum, Ambrosiũ,& reliquos Episcopos Romæ coactos, videre est;cùm scribunt: In ea verò Ecclesia, quæ aliarum omnium mater est,Hierosolymis,Reuerẽdissimum & Deo amantissimum Cyrillum, Episcopum esse scimus, ritè iam dudum à prouincialibus episcopis electum; qui sanè diuersis in locis plurimum aduersus Arianos decertauit. Prælarum testimoniũ Synodi Cõstantinopolitanæ de Cyrillo.

Epiphanius quoq; huius Cyrilli meminit,quòd præter Acacium Arianum, cum alijs quoq; illius sectæ Episcopis contendere religionis ergò non dubitauit. Et Hieronymus de illo scribit in Catalogo scriptorum Ecclesiast. Cyrillus Hierosolymæ Episcopus sæpe pulsus ecclesia,& receptus ad extremum sub Theodosio principe, octo annis inconcussum episcopatum tenuit. Itaq; ex his & permultis ecclesiasticorum Scriptorum testimonijs,certum est Cyrillum fortissimũ Christi athletam, & orthodoxæ fidei assertorem constantissimum, multis annis pro veritate fidei decertasse,persecutiones varias pertulisse, atque hoc bonum certamen certasse à primis ferè annis Constantij Imperatoris,vsq; ad cõplures annos Theodosij;cursum autẽ suum tùm demùm cõsummasse,cùm Theodosius deuicto Maximo tyranno,qui Romanum Imperium in occidente inuaserat, rebus Romanis rectè cõstitutis, Constantinopolim reuersus, filios suos Arsenio erudiẽdos traderet; vt scribit Nicephorus. Lib. 12. c. 24. Lib. 3. to. 1. Hæres. 73.

Quàm præclaram autem & sanctã sui memoriam apud posteros etiam reliquerit Cyrillus, tùm scripta illius quæ extant, tùm orientalis ecclesiæ fasti, in quibus preces anniuersariæ & cõmemorationes Sanctorum descriptæ sunt, abundè testantur. Nam vt aliorum Patrum, qui in

sanctorum cœtu clariores habentur, ita huius quoque Cyrilli Hierosolymitani die 18. Martij in Ecclesijs Græcis, sancta celebratur memoria, ac scriptis quoque illius, apud Græcos nomen sancti Patris præfixum, vbique reperitur.

Festum S. Cyrilli apud Græcos.

## *VITA S. EDVARDI REGIS ET MARtyrium, ex eo quod est per V.P.L. Surium. Necatus est, Anno à Christo Domino 984. Cum regnasset annos 4.*

Vide Cæsar. Baro. in not. marty. Rō.

18. Martij.

INclytus Rex Eduardus generis nobilitate inprimis illustris, ab antiquis Britanniæ regibus originem ducens; Patrem habuit Edgarum regem, rebus & bello & pace gestis, valdè insignē: matrem verò Elfledam, præpotentis cuiusdam orientalium Anglorum Ducis filiam. Et quidem Edgarus postquam hostes suos bello domasset, & plurima terræ eius loca suo subdidisset imperio, cœpit animum ad omnia pietatis officia adijcere, & plurima monasteria partim à fundamētis erigere, partim bellorum ruinis oppressa, ad pristinum splendorem reuocare. Et ipse quidem pius Rex monachorum cœnobia subindè inuisere, fratresque consolari solebat. Regina verò idē pietatis officium, virginibus Deo sacratis exhibebat. Habebat autem ex altera coniuge filium Ethelredum. Interim Eduardus natu maior, optimę indolis puer, ætatem moribus transcendebat, & mirificum quoddam virtutis specimen de se prębebat. Porrò cùm alijs virtutibus, tum industria & summa prudentiæ opinione valdè conspicuus erat. Hæc omnia patrem commonebant, vt ei suam post mortem, regni totius gubernacula traderet.

Parentes S. Eduardi.

Obserua hic piū regum istorum studium.

Eduardus Industrius.

Consecratur Rex.

Patre defuncto, regio diademate, à S. Dunstano & qui-

& quibuſdam regni proceribus inſignitus fuit, ſed id culmen honoris diu conſtare ſine magna inuidia non potuit; adeò vt nouerca eius Elfrida ægrè ferens Eduardum Ethelredo filio ſuo antelatum, conſilium furoris & ſceleris plenum, cũ quibuſdam regni primoribus inierit, quo necem optimo Regi machinabatur. Iàm tres annos & mẽſes octo Eduardus regno potitus erat, cùm die quodam venationis cauſa, in ſyluas cum canibus & equitibus proficiſcitur; & fratris (quem vnicè diligebat) inter venandum amore captus, ad nouercæ ædes diuertit. Nouerca autem dolo & iniqua in piiſſimum regem cogitatione plena, rata iàm tempus ſceleris patrandi adeſſe, obuia cum ſatellitibus proceſſit, & ſimulata benignitatis ſpecie ad hoſpitium inuitauit. Rex fraudis ignarus ingredi recuſauit, fratremque cuius amore venerat & videre & alloqui ſe velle affirmauit. Regina hac ſceleris patrandi occaſione fraudata, ad alias ſe inſidias conuertit. Potum regi offerri iubet, & miniſtrum interim cæteris ad audendum promptiorem ſubornat, qui necem accelleraret. O crudele & immane facinus! Rex dùm labris potum guſtat, latro cruentiſſimus in illum inſilijt, & cultello viſcera transfixit. Ille tam atroci accepto vulnere retroceſſit, & mox viribus deſtitutus ex equo concidit. Regina verò vbi mortuum intellexit, ne ſcelus innoteſceret, in vicinum domicilium corpus proijci, vilique tectum ſtramine abſcondi iuſſit.

Nouerca ei mortem machinatur.

Rex Eduardus inſidijs Nouercæ occiditur.

Erat in ea domuncula mulier à primo natiuitatis die luminibus orbata, quæ reginæ ipſius pecunia alebatur. Ea, cum proxima nocte apud ſacrum corpus vigilias ageret, & preces tota nocte cum crebris ad dominum gemitibus multipli-

Mulier cæca, recipit lumen ad corpus S. Eduardi.

Templum ædificatum in honorem Eduardi regis.

caret, lumen non sine admiratione recepit; in cuius rei memoriam, eodem in loco, templum in sanctissimi Regis honorem Deo sacrum à Christianis exstructum est. Illucescēte autem die, cum rem gestam ex fœmina cognouisset crudelis regina, ne sceleris patrati immanitas proderetur, vehementer pertimescere cœpit. Mox igitur sacrum corpus, in aquis palustribus demergi iussit, & palàm, ne quis defunctum regem luctu prosequeretur, edixit. Deinde, vt omnem patrati sceleris suspicionem à se remoueret, ad quendam ditionis suæ locum, decem inde miliaribus distantem profecta est. Ethelredus autem, fratris sui mortem tantis lachrymis prosequebatur, vt nullam omnino consolationem admitteret.

Ethelredus, fratrem suum luget.

Annus iam elapsus erat, cum præpotens Deus qui martyrum suorum gloriam obscurari non patitur, sacrum corpus fidelibus quibusdam deuote illud inquirentibus reuelare dignatus est. Eodem in loco, vbi in paludem depressum erat, ignea cælitus demissa columna apparuit, & suis radijs omnia circumquaque illustrauit. Hæc cum non semel, sed frequenter appareret, viros quosdā pietate eximios excitauit, ad miraculi nouitatē indagandā; Accedunt, & corpus defuncti regis inueniunt. Fit magnus hominum concursus; exoritur planctus, lachrymæ deuotionis per ora fluunt, auctorem sceleris detestantur, & infinitis, quanti regem facerent, indicijs declarant. Nunc protectorem suum, nunc patrem patriæ appellabant, nunc sceleris auctores cum admiratione inquirebant, nunc Dei bonitatem, qui seruum suum eis ostendisset, cum multis lachrymis collaudabant, & sic sacrum pignus ad templum beatissimæ virginis deferebant, & honorificè

Corpus S. Eduardi, ignea columna, fidelibus proditur.

rificè admodum ſepulturæ mandabant. In loco verò vbi repertum fuerat; fons dulces & perſpicuas emanãs aquas proſilijt, vbi ſingulari Dei beneficio ad martyris memoriam, multa ægris quotidiè præſtantur miracula. Miracula.

Interea fama diuulgante, reginæ fraus & impietas per Britãniam cunctis innoteſcere cœpit, & regis ipſius innocentia & ſanctitas omnium prædicatione celebrari; tandemque ad Comitis Alferi aures peruenit, qui Domini ſui gloria mirificè exhilaratus, confeſtim maiores ei honores decernere inſtituit. Igitur Epiſcopos, Abbates, cunctos regni proceres, & VVilfredam abbatiſſam multis ornatam virtutibus, cum ſacro virginum collegio (in quarum numero regis ipſius ſoror erat) aduocauit: omneſque egregio inſtructos ordine, cum celebri ſupplicatione ad regis tumulum perduxit. Eò cum peruentum eſſet, & in tantæ multitudinis præſentia ſacrum corpus detectum, ab omni corruptione alienum repertum fuit. Quæ res incredibilem omnium animis voluptatem attulit. Porrò ſoror eius, virgo eximia & pietatis & prudentiæ laude præſtans, victa amore fraterno, in oſcula & amplexus ruit; & largo lachrymarum imbre faciem rigans, aſtantes ad gloriam martyris deuotis laudibus celebrandam, vehementer excitauit. Accedunt deinde viri venerabiles, & cum ingenti cleri populique gratulatione, ſacrum illud corpus ad cœnobium Scephtoniam, pietate & religione celeberrimum deferunt; quod olim Elfredus Rex, Sancti Eduardi atauus, pro amore filiæ Ailenæ, quam Chriſto in eodem deſponſauerat, condiderat, & ampliſſimis donis & poſſeſſionibus egregiè locupletauerat. Corpus poſt multum temporis, integrum & incorruptum inuentum.

Into-

Duo contracti sanantur.

Interea ingens vtriusque sexûs multitudo accurrebant; in qua duo pauperes membrorum omnium officio miserè destituti, vt vix per terram repere possent, multis precibus & lachrymis à Deo, Eduardi intercessione, sanitatem obtinere nitebantur. Nec spe sua fruſtrati fuêre, sed mox vt feretrum eis impositum fuit, sani & incolumes exilierunt. Tunc nouæ lętitiæ voces exortæ præclara miracula longè lateque dispersêrunt, & reginæ ipsius aures etiam animumque perculerunt. Quæ tùm demùm ex admisso crimine dolorem non mediocrem concepit; & vt sacras martyris reliquias debito honore inuiseret, se cõparauit.

Nota diuinam vltionem.

Sed accidit, dum ascenso equo se in viam daret, vt equus nunc consistens, nunc retrocedens, nullis stimulis ad gradum faciẽdum incitari posset. Quod haud dubia coniectura diuinæ tribuẽs vindictæ, pedibus pro maiori reuerentia iter facere decreuit; sed nec hoc quidẽ ex animi sentẽtia successit; prorsus vt manifestè intelligi posset, iusto Dei iudicio indignam esse, quæ supplicé se sacro martyris corpori exhiberet. Porrò sacræ reliquię summo honore in templum delatæ, & ad summi altaris borealem partem reuerenter admodum conditæ sunt; vbi deinceps multa sunt ægris collata beneficia, & plurima miracula ædita.

Corpus sacrum elevatur.

Tandem Anno Domini 1001. (qui fuit 21. ab eo, quo illic corpus venerabile tumulatum fuit) elevatum est; quod incredibili odoris suauitate omnium non modo nares, sed loca omnia repleuit, & in sanctis sanctorum cum alijs sanctorum reliquijs, honorificè collocatum. Nam & ipse sanctus Rex cuidam in visione præceperat, vt eius cœnobij Abbatissa indicaret fratri ipsius, Regi Ethelredo, vt aliò Sanctum corpus transferret; & ipse

sacri

sacri Pignoris tumulus quotidiè mirabili facilitate à terra eleuabatur, non obscuro vtique argumento, sanctum Regem sacras reliquias suas alibi velle transponi.

## DE S. IOSEPH, PATRE PVTATIVO

Vide Tom. 1. An. Homil. 2. super E. Missus est.

*Domini nostri Iesu Christi, quædam ex Cæsare Baronio, quædam verò, quæ ad tanti viri encomiũ faciunt, ex D. Bernardo, vt ea refert, V. P. L. Surius.*

*Obijt autem circa annum Christi 13. Augusti. Imp. 54.*

IOseph de stirpe Dauid originem traxisse, tradunt Euangelistæ. Cùm enim nefas esset vel virum alterius tribus fœminam, vel fœminam alterius tribus virum, matrimonio sibi coniungere, certum exploratumque est, vtrosque regio Dauidis stemmate progenitos fuisse. Quod autem sanctus hic Patriarcha à Matthæo quidem Euangelista filius Iacob, à Luca verò Heli filius appellatur, mirandum non est. Cùm enim Heli & Iacob vterini essent fratres, & Heli absque prole decederet, Iacob illi semen suscitauit, & genuit Ioseph; qui natura quidem filius eius erat, lege verò Heli, atque hoc modo Ioseph vtriusque filius dicitur. Porrò quo ætatis suæ anno virginem sanctissimam desponsatam acceperit, ex sacro eloquio minimè constat. Epiphanius tamen annũ egisse octogesimum existimat, quamuis alij hanc ideò sententiam reijciant, quod dicant ad subeundos artis fabrilis labores idoneum eum minus videri potuisse. Quasi verò senex robustarum virium, & infracti roboris esse non potuerit, eam que à Deo promereri benedictionem, quæ Asar impartita fuit, cum dixit illi Moyses. Sicut dies iuuen-

19. Martii. Ioseph à regia Dauidis stirpe ortus.

Ioseph quo sensu dictus sit, filius Iacob & Heli.

Hæres. 78.

Deut. 33.

Ioseph, opificio, faber fuit.

iuuentutis tuæ, ita vt senectutis tuæ. Fuisse autem opificio fabrum, dubium non est; nec mirum videri debet Virginem sanctissimam, sacerdotum consilio, (quorum erat officium de his quæ semel Deo oblata erãt disponere) fabrilis artis viro desponsatam fuisse. Nec enim ad pecuniam, neque ad honores Iudæi inspiciebant, sed ad genus per antiquam lineam ductum, atque probatum. An verò viduus fuerit, an cælibem vitam ad Mariæ vsque desponsationem duxerit, non parua est disceptatio; quæ vtriusque partis grauissimos habet assertores. Existimant enim nonnulli Ioseph duas habuisse vxores, primam ex tribu Iudæ; sed hi in errorem lapsi sunt, quòd putarent illos, qui in Euangelio fratres Domini dicti inueniuntur, Iudam Thadæum, Simonem; Ioseph & Iacobum minorem, Ioseph filios esse, non attendentes, in scriptura consobrinos omnes fatres dici; Non enim hi Ioseph filij, sed Mariæ, materteræ Domini liberi sunt; quæ esse dicitur mater Iacobi minoris, & Ioseph & Iudæ. Migrauit autẽ sanctus Patriarcha ex hac vita, haud multò post repertum puerum Iesum in templo. Neque enim vlla deinceps in sacris literis Iosephi mentio fit. Erat eius nobile sepulchrum in valle Iosaphat, propè tumulũ S. Simeonis senis, vt legitur apud Bedam lib. de locis sanctis cap. 6.

Iudæi in eõ. trahendis matrimonijs, ad Solũ genus respiciebant.

Ioseph non fuit Bigam⁹.

Ioseph quãdo mortuus sit.

Porrò necessariò fuit desponsata Maria Ioseph, quando per hoc & à canibus sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur: & virginis tam verecundiæ parcitur, quam famæ prouidetur. Quid sapientius, quid dignius diuina prouidentia? Vno tali consilio, secretis cælestibus & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra seruatur fama Virginis matris. Ioseph autem vir eius

eius cùm esset Iustus, & nollet eam traducere, occultè voluit dimittere eam; propter quod & Petrus Dominum à se repellebat, dicens: exi à me Domine, quia homo peccator sum. Videbat enim, & horrebat diuinæ præsentiæ certissimum gestantem insigne: & quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Matth.1.

Sed quarè occultè? Nè videlicet diuortij causa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir iustus, ceruicis duræ populo responderet, non credenti & contradicenti? si diceret quod sentiebat, comprobaretque puritatem illius, nonne crudeles subsannarent illum, lapidarent illam? Quid facerent necdum apparenti, cui postmodùm impias iniecerunt manus etiam miraculis coruscanti? Meritò ergò occultè eam dimittere voluit, iustus cùm esset, ne aut mentiri, aut diffamare innoxiam cogeretur.

Quis verò & qualis homo fuerit Ioseph, conijce ex appellatione; qua, licet dispensatoria, meruit honorari à Deo, vt pater Dei dictus & creditus sit; ex proprio conijce vocabulo, quod Augmentum non dubites interpretari. Simul & memento magni illius quondam Patriarchæ, venditi in Aegypto, & scito ipsius istum non solùm vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum, & gratiam. Siquidem ille Ioseph fraterna ex inuidia venditus & ductus in Aegyptum, Christi vēditionem præfigurauit. Iste Ioseph Herodianam inuidiam fugiens, Christum in AEgyptum portauit. Ille Domino suo fidē seruans, dominæ noluit cōmiscerī. Iste Dominā suam, Domini sui matrem, Virginē agnoscens, & ipse continens fideliter custodiuit. Illi data est intelligentia in mysterijs somniorū: S. Ioseph, dictus pater Dei. Genes. 37. Matth. 2. Genes. 39. Matth. 1. Genes. 40.

Isti

Isti datum est, conscium fieri atque participem cælestium sacramentorum; Ille frumenta seruauit non sibi, sed omni populo: Iste panem viuum è cælo seruandum accepit tam sibi, quam toti mundo. Non est dubium, quin bonus & fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui mater desponsata est Saluatoris. Fidelis inquam seruus & prudens, quem constituit Dominus matris suæ solatium, suæ carnis nutricium, solum denique in terris magni consilij coadiutorem fidelissimum. Huc accedit, quod dicitur fuisse de domo Dauid genere nobilis, mente nobilior. Planè filius Dauid, non degenerans à Patre suo Dauid, non carne tantum, sed & fide, sanctitate, & deuotione. Quem tanquam alterum Dauid Dominus inuenit secundum cor suum, cui tutò committeret secretissima atque sacratissima cordis sui arcana, atque occulta sapientiæ suæ manifestaret. Non tantum autem Ioseph, sed & Maria descendisse credenda est de domo Dauid. Alioquin non esset desponsata viro de domo Dauid, si non esset & ipsa de domo Dauid. Ambo igitur erant de domo Dauid, sed in altera est completa veritas, quam iurauit Dominus Dauid: Altero tantum conscio, & teste adimpletæ promissionis.

Genus S. Ioseph.

Psal. 131.

## *VITA B. IOHANNIS SYRI CONFESSORIS, ab Adone Episcopo scripta, in eius Martyrologio.*

Vide Cæsar. Baron in Notat. Mar. Roman.

19. Martii. & Syria venit in Italiam.

APud Pennensem vrbem natale beati Iohannis, magnæ sanctitatis viri, qui de Syria oriundus, peruenit ad Italiam. Cumq; quæreret locum habitationis suæ, orationem fudit ad Dominum; Te deprecor Domine, qui lumen es verum, si prosperum facis iter meum, hoc mihi

mihi signum fiat: Vbicunque ambulauero, si Psalterium meum dedero, & eadem die mihi redditũ fuerit, ibi sit permansionis meæ locus. Factum est; Recepit eum hospitio matrona quædam, cui vir Dei Psalterium suum dedit, requisiuit: eique mox à muliere redditur. Hoc itaque signo, vt stationem suam vir Dei ibi faceret, confirmatur, ac indè non longè plus minusve, quàm duarum sagittarum progressus, habuit Angelum Dei obuiũ, qui ei dixit: Serue Dei, hic tibi permãsionis locus à Domino parabitur. Erat autem hyems, & erat vir Dei sub arbore sedens. Venatores verò, cùm per locum transitum facerent, viderunt eum sedentem, atque arborem illam iuxta illum foliis vestitam. Requirentem autem virum, quis esset, ob Domini seruitium se de Vltramarinis partibus venisse, morarique hic velle respondit. Nuntiantibus igitur illis, famaq; vitam beati viri longius spargente, tanta frequentia populi vndequaque illuc aduenit, vt monasterio facto, congregatio magna seruorum Dei simul habitantium ibi fieret. Cui præfuit multis clarus virtutibus B. Iohannes quadraginta quatuor annos; & requiescens in pace, depositus est 14. Cal. Aprilis; in loco, vbi præstantur beneficia Dei vsque in hodiernũ diem.

Angelus Dei illi obuiam fit.

Plurimi ad eum accurrunt, & fiunt monachi.

## *VITA S. LANDOALDI S. ROMANAE Ecclesiæ Archipresbyteri: ex ea quam Nodgerus Episcopus Leodiensis fideliter conscripsit. Claruit anno salutis 650. &c. sub S. Martino, eius nominis I. Romano Pontifice.*

Vide tom. 6. Anna. C. Baron. & Ioan. Mola. in Indiculo SS. Belgij.

SANCTVS Landoaldus cum ob cõsummatæ seruditionis excellentiam, vitæque integerri- 19. Martij.

mæclaritudinem, à B. Martino Antiſtite Romano ſummo ſemper in honore habitus eſſet; increſcentibus indies viri ſancti meritis: eum tandem S. Romanæ Eccleſiæ Archipresbyteratûs dignitate ſublimauit. Quo ferè tempore S. Amãdus Tungrenſium vel Trajectenſium præſul eximius, iteratò Romam veniens; humili animi ſubmiſſione pientiſſimo Papæ inſinuauit, ſolas vires ſuas non ſufficere ad Eccleſiam ſibi concreditam dignè regendum, ac vnà ad tam copioſæ infidelium meſſis conuerſioni aſſiduè incumbendum: Proindè ad opus tam arduũ, ſuppetias omnimodis ſibi neceſſarias obnixè petere. Cuius pijs votis benignè annuens beatus Pontifex, adiunxit illi, præter complures alios, præclarum Chriſti ſacerdotem Landoaldum, cum beato Amantio eius Diacono, cumprimis ſibi charis. Aſſumptis igitur ſanctus Amandus ſibi in opere deſtinatis ſtrenuis cooperarijs: ad propria gratulabundus repedauit. Verumenimuerò extrema (proh dolor) gaudij (vt ſolet) luctus occupauit. Reuerſus etenim; cũ toto triennio vicos & caſtra ſuæ Diœceſios, verbum vitæ ac reformationis annunciando, ingenti labore circuijſſet: oleum & operam omnem miſerè perdidit. Itaque nihil ſe proficere cernens; Sacerdotes inſuper & leuitas inſultare ſibi dolens: Landoaldum ſuum in Epiſcopatu vicarium conſtituit. Ipſe verò deinceps ad alia loca demigrauit: ac conuertendis gentilibus haud contemnendo cum fructu allaborauit. S. Landoaldus autem iniunctas ſibi Pontificatûs vices ſumma omnium congratulatione ac collaudatione integros 9. annos adminiſtrauit. Erat ſiquidem vir Dei vniuerſis ornatus virtutibus, quaſi pretioſiſſimis gemmis: fidei virtute robuſtus; pruden-

**Ob raras animi dotes cõſecratur Archipresbyter S. Romæ Eccleſ.**

**Adiungitur B. Amando in opere coadiutor.**

**Inſtituitur à S. Amando Antiſtite, in vicarium Epiſcopatus Trajectenſis**

prudentia solers; iustitia rectus; humilitate præcipuus; castitatis & pudicitiæ gratia mundissimus: assiduus in oratione, in vigilijs sanctis pernoctans. Sacerdos reuera pietate magnus sanctisque salutaribus disciplinis doctissimus. Tantus ac talis, vt vno illi tanquam omnium Præceptori præstantissimo: nobilis ac admirabilis ille puer Lambertus, cui Deus geminam Episcopatûs ac martyrij palmam parabat, instituendus traderetur ac committeretur. Vndè & illustris eximiæque benignitatis vir Aper, præfati pueri pater, vnum prædiorum eius, vocabulo VVintershouen, super Archa fluuium sicum, viro Dei Landoaldo perpetua hæreditate possidendum dono dedit; vbi cum dilecto discipulo commoratus est: ac insignem Basilicam Principi Apostolorum sacram excitauit.

Encomium S. Landoaldi.

S. Puer Lambertus ei cõcreditur instruendus.

VVintershouen pagus in Flandria.

Archa flumen in Flãdria.

Extruit templum D. Apost. Petro.

Porrò præclaris admodum signis cum in viuis tum post obitum, sanctum suum DEVS glorificauit: inter quæ illud est inclytum. Quod nempè in Ecclesiæ extructione, cum pura deesset aqua; pia ad DEVM fusa cum discipulo precatione, limpidissimum fontem, baculo in terram impresso cum Crucis protensione, mirabiliter produxerit: qui vsque hodiè dictis fidem faciens perdurat scaturiens. Rursus & aliud memorabile, quod sanctus puer Lambertus, vrgente quadam necessitate, magistri dictis obediens: prunas scintillantes illæso sinu ad eum cõtulerit.

2. Insignia miracula.

Tandèm cum indefessus in vinea Domini excolenda desudasset, Catholicæ & Apostolicæ doctrinæ custos integerrimus; cursum vitæ præsentis explens, ac in senectute bona hominem exuens;

Moritur feliciter S. Lãdoaldus.

præmium æternæ remunerationis accepit: sepultus in æde sacra quam ipse ædificari curârat. Cui solus Amantius eius Diaconus, & è sacro fonte filius, vno eodemque loculo post obdormitionẽ est associatus. Eleuati sunt Cal. Decemb. à Floreberto II. post S. Lambertum Leodiensium Antistite: tum diuina commonitione, cùm multitudine miraculorum quæ ibi fiebant seriò excito. Nam cæci ibidem recipiebant visum: claudi gressum; manci restaurationem: atque variis oppressi languoribus, perfectissimam, Deo annuente, incolumitatem. Sacræ verò Reliquiæ posteà ob Nortmannicam deuastationem sub terra reconditæ, miraculis emergentibus, iteratò mundis loculis fuëre inclusæ: ac demum anno Dominici Natalis 980. per *VVomarum S. Bauonis Gandensis Monasterij Abbatem, ex prædio VVintershouen memorato, sui iuris pago, Gandauum translatæ: quas *Landulphus Tornacensium Antistes, de eximijs miraculis certior factus, è vilioribus & antiquis vasculis, biennio post, celebri solẽnitate transtulit in noua scrinia, auro argentoque fulgentia; Idibus Iulij. Natalis quidem celebratur 14. Calen. April. Eleuatio autem Idibus Iulij.

Eximia miracula ad tumulũ eius.

*al. VVimârum.

Reliquiæ sacræ Gandauum in cœnobium S. Bauonis trãslatæ.

*al. Lindolphus Nouiomensium.

Vide C. Baron. tom. 8. & 9. Annal. Eccl.

## *VITA S. VVLFRANNI, SENONENSIS Archiepiscopi, ex ea quæ est per Ionam monachum Fontanellensem, eius contemporaneum.*

*Migrauit autem è corpore, anno restaurata sal. 720.*

20. Martij. Patria S. Vulfranni & pater.

VVlfrãnus Senonum Pontifex, claris admodum natalibus, in territorio Vastinensi ortus est. Pater eius Vulbertus, qui in aula Regis Dagoberti, & filij eius Clodouei, militaris gloriæ

gloriæ laude clarus extitit, cum præclara optimæ indolis indicia in filio cerneret, maximarum artium disciplinis diligenter imbui curauit. Cũque in aula regum iunioris Lotharij & Theodorici sacris initiatus, multis egregium prudentiæ & eruditionis specimen dedisset, fausta Senonicæ vrbis populi acclamatione, venerabili Lamberto in Episcopatus dignitate successit,

Creatur Senonensis Antistes.

Aliquot autem annis in præsulatu, cum eximia sanctitatis laude exactis, diuino oraculo ad verbum Domini Frisonum genti annunciandum destinatur. Quod ille munus alacri & confidenti animo suscipiens, gentis ipsius caput, Ducem Radbodum, aggressus est. Qui à dulcedine sermonis eius minimè abhorruit; quin etiam prædicandi Euangelij, & baptizandæ ritu Christiano gentis, potestatem haud grauatè concessit. Hoc fælici successu, Christiana paulatim sacra inducta. Et primò quidem Radbodi filius, Vulfranno dies noctesque hortante, monente, docente ad baptismum adductus est: hunc deinde alij non pauci sequuti sunt. Nec mirum sane, tanta namque contentione vir diuinus operi incumbebat, vt quorum perfidiam verbo non poterat, virtute miraculorum expugnaret. Cùm iter nauigio in Frisiam haberet, & in ipso mari iactis anchoris missarum solennia peragere vellet, fortè negligentia ministri patena in mare decidit, qui repentino casu vehementer turbatus, flexis genibus Præsuli quod acciderat confessus est. At Præsul sublatis cum insita pietate in cælum oculis, gemitibus, precibusque diuinam opem implorabat. Finita oratione, diacono vt manum in mare extendat, imperat. Quo facto, mòx ab imò maris eadem patena diuinitùs reuecta manui eius inhæsit, quæ

Prædicat Christum Frisijs.

Frisij multi dant Christo nomen, & in ijs Radbodi Ducis filius.

Miraculum insigne.

ad sempiternam rei memoriam, in Fontanellensi cœnobio, apud Galliarum incolas seruata tenetur.

Die quadam cùm sanctus Præsul de rebus diuinis ad Frisones sermonem haberet: contigit puerum quendam quem Ouonem appellabant, dijs ex nefaria eorum lege immolandum, ad laqueum duci. Quod sanctus Pontifex cum incredibili animi sui dolore videns, rogauit obnixè Ducem, ne vellet tantum in se scelus admittere, vt hominem ad Dei imaginem factum, sacrificium execrandis dæmonibus immolaret. Respõdit Dux; se patrias leges sine scelere & vitæ etiam periculo violare non posse. Tum Pontifex, Ducis & populi animos infimis precibus flectere tentauit. At illi in sceleris pertinacia persistétes, preces omnes repudiabant; sed si tuus, dicebant, Christus, à mortis eum periculo liberare potens est, sit sane perpetuus Christi, & tuus seruus. Hoc responso in Dei gloriam vehementer excitatus, preces suas ad Christum conuertit, & nè maiestatem suam tanta impietate à perfidis violari pateretur, rogauit. Duabus iam horis puer strangulatus erat, cum oratione Pontificis expleta, laqueus rumpitur, & puer in terram decidens palpitat. Accurrit Pontifex, & puerum in nomine Iesu Christi saluum & incolumem pedibus insistere iubet. Exilijt ille protinus, & è tenebris peccati non modò ipse, sed bona etiam populi multitudo excitata est. Hæc lex diabolica fraude inuenta, longo temporis vsu adeò apud perfidos istos inualuerat, vt non modo rationibus, sed nè miraculorũ quidẽ virtutib⁹, per sãctũ virũ labefactari posset. Itaq; in sacris suis solẽnib⁹, diuersis modis infãtes suos dæmonib⁹ litabãt. Alijs gla-

Barbara Frisiorum lex.

Illustre sanè miraculum.

gladio, alijs ſuſpendio, alijs acerbiſſimis tormē-
tis, vitam per ſummum ſcelus eripiebant. Alios
marinis fluctibus miſerabiliter inuoluebant. E-
rat mulier quædam vidua, cui duo filij, alter ſep-
tennis, alter verò quinquennis erant. Hi cùm ex
ſorte dæmonibus immolandi, & maris gurgite
enecandi eſſent, populus cum admirabili quadā
animorum iucunditate; Pontifex verò cum mul-
tis lachrymis eos ſequebatur. Cumque ad locum
maris ventum eſſet, Pontifex Ducem aggreditur,
orat atque obteſtatur vt miſericordiā miſeris tri-
bueret. At ille preces reijciens, vt eos Chriſti vir-
tute ab impendente calamitate eriperet reſpon-
dit. Ingemuit vir ſanctus, & perfidi Ducis cæci-
tatem deteſtans, Chriſti miſericordiam confiden-
ter præſtolabatur. Pueri in loco quodam infimo
conſiſtebant, vt paulatim creſcentis maris fluctī-
bus abſorberentur. Cumque rheuma maris eo-
rum corpora tingeret, ſenior iunioris fratris iam
iam morituri lachrymis commotus, manibus
quantum potuit, ex vndis ſuſtulit. Dum hæc fie-
rent, & Vulfrannus diuinam opem contra maris
fluctus, pro paruulis aſſiduo imploraret, vndæ
inſtar muri infantes circumdederunt. Tum Præ-
ſul vt quondam Apoſtolus, maris aquas ſiccis
plantis inambulauit, pueroſque vnum dextera,
alium ſiniſtra apprehendēs eduxit, & matri, luctu
lachrymiſque deformatæ, ſacro baptiſmatis fon-
te ablutos reſtituit.

Mos plane Barbarus, & crudelis, Friſiorum.

Miſerandū ſanè ſpectaculum.

Matth. 14. Inſigne miraculum.

Hoc tandem miraculo Radbodi ducis perfidia
expugnata eſt: ſed perſtitiſſet vtinam. Nàm vt ad
fontē baptiſmatis duceretur, fortè ex Vulfranno
Præſule, vbinam eſſet maior numerus prin-
cipum & nobilium gentis Friſonæ quæſiuit; cœ-
leſtinè in regione, ad quam baptiſmatis

Radbodus Dux Friſiorum vult baptizari.

gratia peruenturum se promittebat, an verò in ea quam tartaream nominabat. Cui vir sanctus, Quid, inquit, errore deciperis? Omnes, quorum perfidia, Christi gratiâ sanata non fuit, & quorum sordes sacro fonte purgatæ non sunt, certum indubitatumque est, in tartaream sempiternæ miseriæ regionem (quorum ingens est numerus) præcipitatos esse. Qui verò ad hunc fontem Christi gratia vocantur, in cœlesti regno incredibili gaudio sine fine exultabunt. Hæc audiens perfidus, pedem à fonte retraxit, & ait; At ego principum meorum Frisonum consortio carere non possum, & in cœlesti regione cũ exiguo pauperũ numero residere nolo. Tum beatus Præsul, ô te infœlicem. siccine iuuat, dœmonis fraude deceptum, ad sempiternos properare cruciatus? multaque alia de pœnitentiæ & sacri baptismi necessitate S. Pontifice dicente & docente, multi Frisonum credebant & baptizabantur.

Retrahit pedem à sacro fonte.

Radbodi barbara plane vox.

Interea Radbodus animo in diuersas valdè repugnantesque sententias distracto, VVillebrordum eiusdem gentis Episcopum, aduocari iussit; sed iam antè quàm ille adesset, ijsdem inuolutus tenebris, perfidiæ suæ pœnas, celeri morte pependit. Diu perfidus animum in varias partes versabat, & quidnam factu optimum foret, stultè admodũ deliberabat; cum Ouo, (qui de mortis periculo, beati Præsulis virtute ereptus, Christo nomen dederat, & tunc sacris initiatus, sacerdotij munus sub habitu monastico, in Fontanellensi cœnobio, cum non mediocri sanctitatis opinione administrabat) clarissimè cognouit, quid Radbodum à lauacro regenerationis retardaret. Nã vt princeps in infirmitate cõstitut⁹ esset, vidit nocte quadã hominẽ illustrẽ ad se veniẽtẽ vestiũ gem-

Misere obit.

gemmarumq; splendore incredibili micantem, qui ita ad eum sermonem instituit. Dic quæso virorum fortissime, quæ te dementia vexat, vt cultu deorum neglecto, & auita religione, pro qua ad extremum vitæ spiritum, principes innumerabiles cum insigni nominis sempiterni gloria decertârunt, cõtempta, statuas ad obscura quædam numina, & hactenus incognita transire. Vide nè te Vulfrãnus in fraudem inducat. Cæleſtes is tibi sedes promittit? Fucus tantum verborum est. Re enim vera ego sum, qui diuitias & honores tribuo, & mansiones inuictis principibus pulcherrimas assigno. Si difficile videtur verbis meis fidem adhibere, periculum facito, nihil moror; Legatos mitte, ego eis ostendam mansionem eximiæ pulcritudinis & fulgoris, quam tibi post pusillum sum daturus.

Visio Ouonis presbyteri, de Duce Radbodo, quomodò diabolus ei apparuerit, vafreque fefellerit.

Hæc cum accepisset, mane facto, Vulfranno cuncta exposuit. Qui ingemiscens has perniciosas dęmonis insidias esse dixit, quibus homines in sempiternam miseriam præcipitat, cõtemplans, à lachrymis temperare non potuit. Et nè alia pro alijs à gentilibus fingerentur, misit cum quodam Frisone diaconum suum, vt illam, quam dæmon fingebat, regionem lustraret. Vix pedem oppido extulerant, cum quidam se itineris comitem offerens, inquit; Venite, me sequimini, ego vobis domum eximiæ pulchritudinis, Radbodo principi à dijs paratam, ostendam. Illi vestigijs eius alacriter insistentes, post varia loca multo labore superata, in viam quandam marmoreo opere decorã peruenerunt, In cuius exitu domus auro, vt putabatur, purissimo cõtecta, stabat. Ingressi domum, thronũ gemmis incredibili fulgore micantibus ornatum conspiciunt. Tùm ductor itineris, Hæc, inquit,

Vide Præstigias dæmonum, vt soleant illudere humanis sensibus.

inquit, sunt præmia quæ principem nostrum, si in deorum cultu perseuerauerit, manent. At Diaconus stupore, ex gemmarum fulgore & admirabili domus totius ornatu, oppressus. Heu, inquit, si Deus immortalis horum conditor est, maneant, sin diabolus, dispereant. Hæc dicens, & crucis se signo muniens, dux itineris euanuit: & illi in vasta & horrida solitudine relictos se vident. Tùm demùm fraudes cognoscere, & miseram mortalium seruitutem, qui inimico aures præbent, lamentari, & trium itinere dierum multis laboribus emensо, domum tandem peruenerunt, principemque miserabili morte sine baptismatis sacramento extinctum inueniunt.

Ad signum S. Crucis, satanicæ præstigiæ euanescunt.

S. Vulfrānus abdicat se Pontificatu.

Vulfrannus aũt postquam multis clarus virtutibus annos v. in Senonẽsis vrbis Episcopatu exegisset, ad Fontanellæ cœnobiũ, grege suo, Gerico venerando Pontifici cõmisso, secessit; vbi regularibus subditus disciplinis, nouis miraculis cũ egregia sanctitatis laude, floruit. Erat in eo monasterio quidã Bertegãdus nomine, qui paralysi percussus, cum omniũ membrorum officio loquẽdi etiã vsum amiserat. Hunc cùm B. Pater visitaret, & oleo, Pontificali benedictione consecrato tetigisset, protinùs omni corporis molestia fugata, incolumitati pristinæ restituit.

Sanat paralyticum.

Liberalitas eximia in Egenos.

Pauperũ verò & miserorum hominũ cũram assiduã gerebat, quidquid vel à regibus vel diuitibus donabatur, mòx mira hilaritate eis erogabat. A fraterna aũt correptione, nullius vel potentia vel amore deterreri poterat. Iam verò cum acri febriũ ardore correptus iter sibi æternitatis instare cognosceret, fratribus in vnum conuocatis, etiã atq; etiã mandauit, vt si vellent diuinæ benignitatis gratiam obtinere, si sanctissimis disciplinis voluntaria seruitute susceptis

ſceptis ſatisfacere, ſi laborum ſuorum à Deo præmium conſequi, non ficto, ſed verò amoris & beneuolentiæ ſtudio, ſe inuicē amplecterētur, omnibuſq; modis, & verbis & factis, imitarentur regularis vitæ exemplū quod in ſe & ſanctæ recordationis patre S. VVandregeſilo alijſq; ſanctis viris exhibitū ipſis erat. Hæc cū in vltimo vitæ diſcrimine, ſumma contentione auribus eorum inculcaret, ſuauiter è corporis ergaſtulo migrauit. Cuius ſacrum corpus cum in monumentum VVandregiſilij illatum fuiſſet, nouemque annis requieuiſſet, VVandregiſilius autem xl. & Ansbertus annis xj. S. Bainus Taruennæ epiſcopus; magno eorum deſiderio tactus honoris ergò, in baſilica B. Petri Apoſt. oēs tranſtulit. Quorū corpora cū veſtimentis ita ab omni corruptione integra inuenta ſunt, quaſi eodē die ſepulturæ tradita fuiſſent; multiſq; ſignis & miraculis Chriſti gratiam, cuius gloria ſempiterna fœlicitate fruuntur, cunctis manifeſtam reddunt.

Eius optimæ adhortationes ad monachos.

Abit è vita.

## *VITA S. CVTHBERTI, EPISCOPI*

*Lindisfarnenſis. ex ea quæ tom. 3. per venerabilem Bedam eſt.* [a] *Sedere cepit, Anno Domini 685. Migrauit verò è vita, Anno 687. Cononis Papæ I. Iuſtiniani Iun. Imp. 3.*

a Vide Cæſ. Baro in not. Mart. Rom. & tom. 8. Annal. Eccl.

VIR Domini Cuthbertus, ab ineunte adoleſcentia, rerum diuinarum contemplatione mirificè delectatus, monaſticam vitam ſummè diligebat. Cum autem puer adhuc, & ingenij acumine, & mira agilitate membrorū præditus, puerilibus ludis, certaminibuſque (vt fert) illa ætas) admodū deditus eſſet, & alios ferè oēs, dexte-

20. Martij. Amat ab infantia, monaſticam Vitam.

dexteritate quadam, in quouis certamine superaret, victorque lætabundus, nullo saltu, cursu, vel luctatu fatigatus, fessos alios ad certamen prouocaret, paruulus quidam diuino sanè spiritu excitatus, cœpit immodicos eius iocos, ludosque corripere, & quasi senili prudentia puerulus, puerũ ad omnem modestiam, morumque grauitatem exhortari. At ille cùm verbis procacibus monita contemneret, puer in terram abiectus, fletu valdè lachrymabili Cuthbertum his verbis appellauit; Ludere te inter paruulos non decet, quem Dominus maioribus etiam natu, magistrũ virtutis consecrauit. Inter hæc Cuthbertus, ex genu altero ita grauiter laborare cœpit, vt omni pedis officio destitutus, aliorum vti cogeretur ministerio. Itaque die quodam foras à ministris deportatus, vt pratorum herbarumque viriditate animum relaxaret, sub dio recubuit, viditq; repentè equitem, splendido admodum vestium cultu ornatum, ad se venientem, qui blando eum sermone compellans, obsequium aliquod sibi præberi rogauit. Cui Cuthbertus. Sanè tuis ego promptissimè obsequijs astare percuperem, nisi huius compede languoris prohiberer; simulque tumorem ostẽdens, ecce, inquit, nulla medicorum industria sanari possum. Cui eques, Coque, inquit, triticeam in lacte farinam, & hac cõfectione calida, tumorem superunge, & sine mora beneficium sanitatis consequeris. His dictis, celeri se cursu in viã dedit, statimque Angelum Dei esse cognouit.

Admonetur Cuthbertus puer, à puerulo.

Cuthbertus è pede laborans, sanatur ab Angelo.

Tanto igitur, tamque insperato beneficio affectus, se totum diuino amori consecrauit, & assiduas Deo pro aliorum salute, cum multis lachrymis preces offerre non destitit. Agebat remotis in montibus pecorum sibi commissorum curam; cumque

cumque,cæteris alto sopore depressis,peruigil in oratione nocte quadam persisteret, vidit subitò immensum de cælo lumen noctis discutere caliginem,in quo beatorum spirituum agmen terras petens, animam simili splendore fulgentem, ad cælos deducebant. Hac visione mirificè exhilaratus,pastores graui somno consopitos, ad diuinas laudes ardenti studio celebrandas,excitauit;cumque incredibili ex tâto spectaculo perfusus gaudio, visionis seriem enarraret, manè facto agnouerût antistitem Lindisfarnensem Aidanum magnæ virtutis virum, eodem tempore, raptum de corpore cælestia regna petiuisse. Tum Cuthbertus;Si ego,inquit,studio vnius noctis,in precibus transactæ,rem adeò admirandam videre merui, quid tandèm erit, si totam mentis meæ aciem, ad rerum diuinarum contemplationem contulero? Pudeat igitur somno & inertiæ deditos, cælestiũ rerum cognitione fraudari. Hæc cum dixisset,relictis pecoribus monasterium petere constituit. Solus autem iter ingressus intrauit religiosæ cuiusdam matrisfamilias domum,quæ,qua erat benignitate in peregrinos, plurimis summæ beneuolentiæ indicijs,eum susceptt,mensamque cibo instructam apponere volebat.At vir sanctus cùm nullis precibus induci posset, vt ieiunium illius diei,qua memoriam Christi pro nobis in crucem sublati recolebat,solueret, cœptum iter ieiunus prosecutus est.Cumque instante iam vespera,cerneret se iter complere non posse, & ab omni spe hospitij excluſum esse , in proximum quoddam tugurium à custode derelictum,& bestijs peruiũ, se contulit, vt primam alterius diei lucem tutiùs in eo expectaret. Vbi cùm de more, se ad precandi studium componeret, & magna interim, non tàm

Visio 5. Cuthberti.

Aidani anima, petit regna cælorũ.

Ieiunium sextæ feriæ, quam antiquum.

tàm sui, quam equi, labore & ieiunio pariter exhausti, misericordia caperetur: fœni manipulum tecto auulsum equo obiecit, ipse verò orãdo horam ducere cœpit. At equus rictu, aliũ similiter manipulum auellere tentans, linteum quoddam nitidissimum pariter detraxit, quod cernens vir sanctus, finita oratione, accessit, & linteum dissoluens dimidium panis calidi, & carnem quæ vni abundè refectioni sufficiebãt, inuenit. Stupet vehementer vir diuinus, sed mox sublatis ad cælum oculis, Tuum est, inquit, Domine, hoc beneficium qui me famulum tuum ieiunantem, vt quondam Eliam solitarium, in hac solitudine pascere dignaris. Ab eo autem tempore summo studio ieiunandi consuetudinem retinuit. Lætus autẽ ad Eatam Abbatem perueniẽs, ad spiritalia Christi castra transiuit, externoque spiritalis militiæ signo, tonsura donatus, fortem & inuictum Christi athletam se præbuit.

Diuinitùs S. Cuthberto, esca præbetur.

3. Reg. 17.

Cuthbertus traditur, & fit monach⁹.

Cuthbertus præficitur hospitio peregrinorũ

Iamq; insigne virtutis specimen cunctis de se præbebat, cùm Alchfridus Rex pro redemptione animæ suæ, locum quendã monasterio construẽdo idoneũ, Eatæ Abbati donauit; qui statim Cuthbertum, propter ingenitam benignitatem peregrinorum hospitio præfecit. Suscepit magno cũ gaudio & alacritate, officiũ Cuthbertus, totisq; & animi & corporis eã in rem viribus incubuit, vt quã optimè benignè faciẽdi studio, de omnib. mereretur. Primò diluculo, solito precationis studio peracto, ad pauperes hospites requirẽdos exibat; ingressusq; cellulã, iuuenẽ decora admodum facie sedentem ibi inuenit, quem hominem esse ratus, solita humanitatis significatione suscepit. Manibus aquam infudit, pedesque diligenter abluit, mensam cibo potuque instructam apposuit,

Angelum, hospitio accipit, Cuthbertus.

fuit, nec vllum deniq; charitatis officium prætermisit. Cumq; instaret & vrgeret, vt collapsas itineris labore vires cibo reficeret, renuit, negauitque, se quicquã sumpturum. At Cuthbertus. Obsecro, inquit, mî frater reficias, dum rediens calidum tibi panem, quos coctos iam spero, afferam. Abijt, & quanta potuit celeritate maxima rediẽs, hospitem quem reliquerat non inuenit; & admiratione defixus, vestigia, qua ierat, explorat. Nix recens terrã contexerat, sed nullũ in ea vestigium inuenit. Stupore itaq; oppressus, sublata mensa conclaue petijt, statimq; miri odoris fragrantiã naribus percipiens. Ecquid est hoc, inquit, simulq; huc atq; illuc circumspiciens, tres istic calidos niueo candore panes positos esse vidit. Tũ demũ Angelũ fuisse intelligens, miraculi virtute compunctus, maiorẽ ex eo virtutũ operibus curã impendebat. Nec fuit illi Angelorum visitatio hæc infrequens: sed sæpius & verbis suauissimis, & cibis cælesti sapore conditis, ab illis refectus fuit.

Tres panes, ab Angelo relicti.

Inter hæc, pestilens contagio, quæ stragem magnam in populo edebat, virum sanctum corripuit. Fratres autem, qui salutem suam eius vita contineri arbitrabantur, noctem totam in precibus peruigilem traducebant. Quod cum vir sanctus cerneret. Quid, inquit, fierinè potest, vt diuina bonitas tot taliumque virorum preces despiciat? Date baculum, caligasque, & statim, quamuis acri morbi dolore premeretur, baculo infirmos artus sustentante, gressum tentauit, & sanitatem, non sine ingenti omnium admiratione adeptus est.

Cuthbertus peste correptus, mirabiliter sanatur.

Hoc rursus nouo affectus beneficio, dictu mirum est, quàm ardentibus diuini amoris facibus incen-

incensus fuerit. Et quidem, cùm multos flagitijs deditos cęca mente in pestem ruere cerneret, incredibili studio animarum curam susćepit, tantoque charitatis ardore ac docendi peritia viam veritatis errantibus persuasit: vt omnes publica confessione scelera sua proferrent, nec vllum pœnitentiæ laborem, quamuis grauissimum subire recusarent.

Dat operam hominibus ad Deũ conuertendis.

Ebbe, Abbatissa, soror Osvvini Regis.

Erat Osvvini Regis soror Ebbe, sacrarũ Christi virginum mater, multis virtutibus, & sanctitatis opinione clara; quæ fama beati huius viri excitata, obnixè rogauit, vt suis virginibus iustitiæ viam, & pulchritudinem, sermone coram instituto, explicare vellet. Paruit vir Dei lubens, peractoque sermone, cùm pòst longas intempestæ noctis vigilias domum redire vellet, quidam è fratribus clanculum eius vestigijs institit. At ille egressus monasterio, sequente exploratore, ad maris ripas descendit; moxque toto corpore in mare ad collum vsque demisso, peruigiles vndisonis in laudibus, tenebras noctis exegit. Appropinquante autem diluculo, ascendens in terram, orationem flexis genibus prosequutus est. Et ecce duo, de maris profundo, quadrupedia, quæ vulgò Lutræ vocantur, officioso admodum obsequio venerunt; nam humi antè illum prostrata, anhelitu suo pedes frigoris asperitate confectos, fouêre & villo extergere satagebant. Hæc cùm frater absconditus cerneret, corpore, & mente totus tremere cœpit. Nec enim dubitabat, tantæ sanctitatis virum quicquam latere posse. Quod planè euenit, nam mane facto, cùm ille supplex se eius ad pedes dimitteret, & veniam suæ curiositatis cũ lachrymis postularet; Hac tibi, respondit, conditione libens ignosco, vt quicquid vidisti, ante obitum

Vide, quomodò etiã bruta animalia, famulis Dei inseruiant.

Attende veram cordis humilitatẽ.

bitum meum mortalium nemini pandas.

Accidit quodam tempore, vt vrgente monasterij necessitate, Pictorum terram, qui Niduari vocantur, nauigio petere cogeretur, cumque assumptis in eam rem duobus comitibus, cibos necessarios propter blandientis auræ temperiem, qua iter citissimè confecturos se sperabant, minimè assumerent, euenit præter opinionẽ, vt aëris temperie in sæuam tempestatem mutata, diutius, cum maris fluctibus luctãtes errarent, & fame penè confecti periclitarentur; Tum Cuthbertus quid, inquit, otio torpescitis, vbi fides, vbi spes vestra? Nunquid patrem in cælis habetis? Nunquid is potens est, qui quondam filijs Israel, in deserto omni humana ope destitutis, benignè consuluit, & nobis succurrere? Hæc dicens, cùm totam noctem in precibus exegisset, in genua procubuit, nauisq; prospero ad ripam vento appulsa est, & in terram egressi sunt; vbi tria delphinæ carnis frusta repererunt, quibus & famem depulère, & Dei, in seruos suos, bonitatem miris laudibus extulerunt.

Diuinitus illi, & socijs esca præbetur.

Die quodam verbum Dei prædicaturus, assumpto puero comite, egrediens, cum longa itineris molestia fatigati, nihil secum tulissent, quo fractas ieiunio vires restaurarẽt, dic puer, inquit, quid tibi nũc animi est, cùm nihil cibi potûsue ad manus nobis esse scias? Et ille. Hæc res vehementer me angit Pater, nam nec viaticũ, nec amici adsunt qui periclitantibus nobis succurrere possunt. Tum vir Dei. ô fili, inquit, securus esto, nunquam enim qui se totos ad Dei obsequium transtulerunt, eius ope, in quauis necessitate destituẽtur. Videsne aquilam istã pennis in sublime volantẽ? Hãc diligẽter obserua, ei⁹ nãq; ministeri

Nota firmã in Deo confidentiam.

Piſcem, ab aquila accipit.

ſterio Dominus nos conſolabitur. Vix hæc vir ſanctus effatus erat, cum aquila arreptum è flumine piſcem in terram demiſit, cuius dimidiam partem aquilæ relinquentes, alteram ſibi in cibos aptârunt, gratiſſimoque refecti conuiuio, miſericordiam Domini, debitis laudibus celebrârunt. Poſt hæc, ad euangelij prædicationem accedens, cum maxima voce de rebus diuinis diſſereret, diabolus, nè ſceleratos ad pietatis ſtudium, à flagitijs auocaret, in medio concionis, ignem in proxima villa fictitiũ excitauit: de quo vir Dei in ſpiritu edoctus, admonuit cunctos, vt attentas aures præberent, nec ſe dœmonis eluſione in fraudem pelli ſineret. At illi graui inanis periculi timore perculſi, relicto Dei verbo, ad opem ferendam nequicquam conuolant; ſed mox ad locum vt venerunt, non veras flammas, ſed diaboli figmentum eſſe cognouerunt. Tùm pudore ſuffuſi, antiqui ſerpentis fraudes agnoſcẽtes, leuitatis ſeſe condemnârunt.

Diabolus igne phantaſtico, turbam à concione auocat.

Hildmer præfecti Vxor, à dœmone obſidetur.

Erat præfecto regis Egfridi Hildmer nomine vxor cum primis religioſa, quæ dum pietatis operibus & eleemoſinis, ſummo ſtudio incumberet, ſubito à dæmone correpta, horrendis clamoribus: & lugubri valde|eiulatu, periculum in quo verſabatur, teſtabatur. Tunc vir eius ad Cuthbertum properans, qui fœminam propter multiplices virtutes, quibus in vita ſemper ornata fuerat, valdè charam habebat, extremum vxoris diſcrimen denunciat, orat atq; obſecrat, vt ſuis eã precibus commendatam habeat, & ſacerdotem mittat, qui opem ei ſalutarem, in vltimo vitæ diſcrimine ferat. Cumq; à dęmone eam obſeſſam indicare, (quaſi in ficta religionis ſpecie, inteſtinũ hactenus ſcelus occultaſſet) erubeſceret, vir, Dei, & anguſtiam animi eius, & vxoris cruciatũ

prævidens; Quid, inquit, prauam de coniuge tua opinionem concipis? Non soli scelerati, & à Deo auersi, dæmonum supplicijs in hac vita subijciuntur, sed & innocentes, & excellenti vitæ sanctitate prediti occulto Dei iudicio huiusmodi cruciatibus exercentur. Sed æquo animo esto; ego enim tecum pergam, & ab omni molestia liberatam eam inueniemus. Nondum ædibus, in quibus vinculis constricta iacebat, appropinquârat, cum fœmina, quasi de somno excitata, solutis vinculis accurrit, & arrepto per frœnum equo, cui sanctus insidebat, summas lætitiæ & gratiarum actionis extulit voces.

Eriam pij & sancti homines, à dæmonibus in hac vita obsidentur.

Et hæc quidem, aliaque præclaræ virtutis indicia, in Mailrosensi degens monasterio, multis annis cum dedisset, Eata Abbas in Lindisfarnense, quod eius etiam regimini subiectum erat, eum transtulit, vt verbo & exemplo, cunctos ad acerrimum virtutis studium excitaret.

S. Cuthbertus, fit Præpositus, cænobij Lindisfarnēsis.

Cuthbertus primo ingressu, mentes hominum multis imbutas erroribus offendens, cùm admiranda quadam vitæ integritate, tum signis & virtutibus ad veritatis agnitionem traducere cæpit. Plurimos grauissimis oppressos languoribus, orationis instantia sanitati restituit. Dæmoniacos, non solum præsens orando, tangendo, imperando, exorcizando: sed et absens vel tantum orando, vel certe eorũ sanationẽ prędicẽdo liberabat. Nullis humanis laudib⁹ extollebatur, nullis perditorũ hominum calumnijs frangebatur. Erât in monasterio fratres quidam, prauaconsuetudine à sanctissimis monasticæ vitę disciplinis longè abducti; Hos, cũ frequẽtib⁹ monitis, ad pristinã vitę seueritatẽ, reducere cõtenderet, & illi animis, in praua cõsuetudine obstinatis, resisterẽt, & acerri-

Miracula eius.

mis interdum contentionibus, nulla ratione conclusis, superiores euadere contenderent, illevultu admodum placido conuentum dimittebat, & altera die, quasi pridie obiectionis nihil sustinuisset, mirabili verborũ suauitate, auribus eorum animisque, eadem inculcabat sicque tandem nullis laboribus vel iniurijs fatigatus, fratres praua consuetudinis opinione imbutos ad pristinam viuendi normam traducebat: suauiter quoque arguere solebat pusillanimitatem fratrum, qui grauiter ferrent, si qui eos nocturnæ vel meridianæ quietis tempore, importuna forte inquietudine suscitarent, dicens: Nemo mihi molestiã facit me excitando de somno: sed potius lætificat, facit enim vt discusso somni torpore vtile quid agam vel cogitem. Tantum autem erat cõpunctioni deditus, tantum cælestibus ardebat desiderijs, vt Missarum solennia celebrans, nequaquam sine lacrymarum profusione implere posset officium: sed congruo satis ordine, dum passionis Dominicæ mysteria celebraret, imitaretur ipse quod ageret, seipsum videlicet Deo in cordis contritione mactando, sed & astantem populum sursum corda habere, & gratias agere Domino Deo nostro, magis ipse cor quàm vocem exaltando, & potius gemendo quàm cantando admoneret.

Patiẽtia sua, frangit quorundam pertinaciam.

Vigiliarum amantissimus.

Missam sinẽ lacrymis nõ celebrat.

Postquàm autem, & hanc concreditam suæ fidei vineam egregiè excoluisset, ardentiore rerũ diuinarum amore incensus, locum solitudinis vehementer expetijt. Et quidem obtenta, ab Abbate, licentia, Insulam hominibus inaccessam, solis autem dæmonibus cognitam intrepidè accessit. Sed dæmones, ad primum militis Christi ingressum, fusi fugatique sunt; ipse verò, angusto i-

Petit locum desertum.

bidem

bidem cõstructo habitaculo,(ità vt quatuor concluſus parietibus, oculos & mentis & corporis, ad cælum tantùm erectos haberet)tanta vitæ ſanctimonia vixit,vt cum locus omni aquarum ſolatio,ad corporis refocillationem deſtitutus eſſet, precibus ſuis ſanctiſſimis, fontem è rupe duriſſima excitauerit. Neque hoc ſolum aquæ elementum,Chriſti famulo deſeruiebat, ſed reliqua cõditoris opera, quæcunque neceſſaria eſſent, ſtupendo quodam miniſterio ſuccurrebant. Quod mirum tamen videri non debet. Qui enim rerum omnium creatori,fide & integro corde famulantur,mirum non eſt, ſi eius imperijs ac votis, (ad cuius ſalutem angelici ſpiritus prompti aſſiſtũt) inanimis creatura deſeruiat.

Precibus, in inſula fontẽ impetrat.

Paucis,cum eximia ſanctitatis opinione annis, in ea ſolitudine exactis, cœpit frequens hominũ multitudo,tantum virum viſendi ſtudio, eò confluere; quos ille quauis vel corporis vel animi moleſtia oppreſſos liberos ita à ſe dimiſit, vt nemo non vehemẽter ſe eò veniſſe gauderet. Laborabat id temporis Elfled abbatiſſa, diuturno mẽ brorum languore,adeò,vt medicorum ope deſtituta,nihil ei reliqui eſſet, quàm aſſiduis lachrymis propriam lamentari miſeriam. Interea cùm ei,Cuthberti veniret in mentem; Vtinam, inquit, aliquid ex ſanctiſſimi illius viri rebus poſſiderẽ, confido planè quòd ab hac ægritudine aliquid laxamenti caperem. Allata fuit zona linea, qua vir ſanctus vti ſolet; Admouit eam ſuo corpuſculo, & protinus omni languore fugato, pedibus ſalua & incolumis ſubſtitit. Hoc eodem remedio,quædam è ſacris virginibus, quæ ſub huius Abbatiſſæ diſciplina Chriſto militabat, à graui capitis dolore ſanata fuit.

Elfled Abbatiſſa, Zona viri ſancti,à languore curatur.

Eodem modo,& monialis quædã.

Synodus Anglicana, cogit eum, ad Episcopatū Lindisfarnensem.

Eodem tempore, Anglicana Synodus congregata, beatum virum ad Lindisfarnensem episcopatum vocauit: quem ille, quamuis inuitus subiret, magno virtutum omnium splendore administrauit, commissam namque sibi plebem & orationibus protegebat assiduis, & admonitionibus saluberrimis ad cœlestia vocabat. Et, quod maximè Doctores iuuat, ea, quæ agenda docebat, ipse prius agendo præmonstrabat. Eripiebat inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à rapientibus eum: tristes ac pusillanimes consolari, malè autem gaudentes, ad tristitiam quæ secundum Deum est reuocare curabat. Solitam vitæ parsimoniam obseruare sedulus, & inter frequentiam turbarū monasticæ vitæ rigorem obseruare sollicitus gaudebat. Esurientibus alimenta, indumenta præbebat algentibus, cæteriſque vitæ pontificalis insignibus ritè decoratus incedebat. Cuius internis, id est animi virtutibus, ea quoque, quibus foris effulgebat, miraculorum signa testimonium dabant.

Qualiter in Episcopatu vixerit.

Die quadam, diœcesim suam peragrans, venit ad comitis cuiusdam villulam, cuius vxor animā agebat. Comes audito viri sancti aduentu, eum ad se inuitauit, & obnixè, vt aquam, qua coniugem iàm iàm morituram aspergeret, benediceret: rogauit. Annuit deprecanti, vir Dei, & allatam benedicens aquam, dedit presbytero, qui ægrotæ lectulum aspergens, & gustum salutiferi haustus in os immittens, ita omnem languorem fugauit, vt ipsa protinus exurgens, ipsis suæ sanitatis ministris, pulchro sanè spectaculo, ministerium præbuerit. Hinc digressus ad sacram quandam virginem, quæ anno integro intolerabili capitis, & totius lateris dolore vexata, cunctos in sui misericordiam.

Aqua benedicta, sanatur ægra.

cordiam trahebat, deuenit. Hanc vir beatus lachrymabundus aspiciens, sacro, in Christi nomine, oleo perunxit, & paucos pòst dies, ab omni ægritudinis molestia liberauit. Alium quoque, grauissimis morbi doloribus oppressum, pane à se benedicto, sanitati restituit.

Oleo benedicto, sic & pane, curantur infirmi.

Iuuenem quendam, pestilentis morbi contagione oppressum, & omni medicorum ope destitutum, cognati, ad montes, in quibus barbaris vir Dei Euangelium annunciabat, detulerant, orant obsecrantque; nè hominem cum morte conflictãtem, & omni humano solatio carentẽ, despiciat; si grassantis morbi vim perhorresceret, saltem à longè benedictionis gratiam conferret. Quibus ille, citò, inquit, miserum adducite, vt sanitatem consequatur. Nec mora; iuuenem longę ægritudinis acerbitate tabefactum, vt iussi erant, lecto decumbentẽ in syluis deponunt. Cui statim, sola orationis & benedictionis suæ virtute, vir Dei, optatam sanitatis gratiam, contulit.

Precibus suis, pellit pestẽ.

Eodem tempore, pestilens contagio miserandam valdè stragem edebat; cumque omnes circumquaque vicos summa diligentia obiret, vidit matrem lachrymis valdè miserabiliter oppletã, infantem eadem peste percussum arctissimè cõplectentem. Ad quam vir Dei accedens, verbis eã suauissimis consolatus est, & osculum puero cum benedictione tradens, sanum & incolumem restituit.

Duobus annis, in episcopatu, cum eximia sanctitatis & miraculorum laude, transactis, futurorum præscius, vt liber & expeditus in religionis studium ardentius incumberet, ab onere pastoralis curæ sese remouit: & ad antiquum suauissimæ solitudinis habitaculum remeauit.

Abdicat se Episcopatu.

Aegrotat.

Ibi cum tota mente in cæleſtibus verſaretur, & aſſiduò de diuina pulchritudine cogitaret, graui oppreſſus infirmitate decubuit. Cumq; certatim omnes, pio erga patrem amore ducti, ei miniſtrare vellent, omnes ſuo aditu prohibuit, excepto vno, qui per annos plurimos ventris fluxu laborans, totus intabuerat. Hic ad primum eius contactum ab omni protinus ægritudine ſe liberatum ſenſit, cumque aliquamdiu ſolus cum illo intus manſiſſet, iuſſus eſt vocare, & introducere Herefredum deuotæ religionis presbyterum, tunc Lindisfarnēſi monaſterio Abbatis iure præſidentem. Qui introgreſſus data loquendi copia, mox cœpit obnixè rogare, quoniam vltimum vitæ diſcrimen ei inſtare videbat, ne fratres ſuos inſalutatos deſereret, ſed verbis vltimis, (quæ intimis animæ medullis per omnem vitam firmius inhærent) ad pietatis ſtudium & caſtum religionis amorem excitaret, confirmaretque. Tum ille hæc inculcabat. Pacem ô fratres, pacem, & verā, non fictam, charitatem ſectamini, nihilque magis contendite, quàm vt corpore ita & mente cōiuncti viuatis; & illam ſanctiſſimam, Chriſtoque gratiſſimam ſeruitutem reputate, quæ hominum charitate & beneuolentia continetur. Itaque benignè faciendi diſciplinam colite. Pauperum & calamitoſorum curam infatigabili ſtudio ſuſcipite, & tùm demùm religioſorum nomen, & officium ſuſtinebitis. Porrò, homines nefarios, & qui per ſummum ſcelus ab vnitate Catholicæ pacis recedunt, tanquam peſtem fugite. Si verò peccatis noſtris exigentibus, in his terris præualuerint, ſatius longè eſſe ſtatuo, vt erutis de tumulo oſſibus meis, durum exilium, ſchiſmaticorū ſeruituti præferatis. Catholica patrum ſtatuta diligentiſ-

Tactu Epiſcopi profligatur dyſenteria.

Vltima eius ad fratres verba.

Quale ſit, Chriſto domino, ſummè benepla-cens, obſequium.

gentissimè discere,& obseruare contendite. Hæc suprema suis præcepta cùm dedisset, eleuatis ad cælum oculis,sanctam Deo animam reddidit. Moritur vir sanctus.

Sacrum corpus,ad insulam Lindisfarnensem delatum est,& in B.Apostoli Petri ecclesia recõditum;vbi nouis miraculis, quantam gloriam à Deo recepisset,declarauit. Erat in ea insula puer quidam atrocissimo dæmone vexatus; qui cùm nullis exorcismis ab insanis clamoribus, & horribili mentis furore,ad modestiam vocari posset, nec vllis precibus, vel sanctorũ inuocationibus, spem salutis consequi,& pater interim cum multis querimonijs & fletu, sanctorum limina obeundo,opem aliquam filio suo quæreret,quidam de presbyteris,patris & filij misertus,particulam vnam terræ illius, in quam aqua illa, quæ defuncti Cuthberti corpus lauerat,effusa erat,sumpsit, eamque in os pueri ingessit,Qui post diras admodùm voces,cum flebili valde eiulatu emissas, somno correptus,manè ab omni furore mentis sanus inuẽtus est,& voce gratissima,Cuthberti meritis eam se adeptum esse testificatus est. Dæmoniacus sanatur mirabiliter.

Vt autem clarius viri DEI sanctitas innotesceret, factum est post annos vndecim, Deo disponente, vt fratres monasterij eius magno desiderio sacra eius ossa,à carnibus, vt putabant, iam satis superque purgata,de terra leuandi,tenerentur.Relerato autem sarcophago, ita ab omni corruptione non modo corpus, sed & vestimenta integra repererunt,vt dormienti magis quàm mortuo similis esset.Quo viso, tanto timore & tremore perculsi sunt,vt vix loqui,vix auderent intueri miraculum, quod parebat, vix ipsi quid agerent nossent. Cùm fortè eodem tempore,clericus quidã reuerendissimi antistitis VVillebrordi adueniẽs, Corpus eius post annos vndecim, integrum repertum.

in grauissimam infirmitatem decidit, qua paulatim crescente, tandem à medicis desperatus est. At verò cùm nihil sibi opis in humanis reliquum cerneret, petijt à ministro suo ad corpus sanctissimi huius viri deduci. Deductus, & tumulo præsentatus, fixis in terram genibus sanctum Cuthbertum inuocauit, vt suis precibus pro peccatorum eius indulgentia, apud communem omniũ Deum & parentem intercederet, & sanitatis gratiam ad maiorem Dei gloriam ei impetraret. Demisso in terram capite, orationem eandem repetebat; cum languore sensim recedente, vires pristinas protinus redire sensit: ac tandem pedibus insistens, cùm ingenti omnium admiratione, domum robustis viribus abijt.

Infirmus, ad eius sepulchrum sanatur.

Erat in monasterio quodam non procul indè posito, paralyticus quidam, pro cuius salute, Abbas cùm ingentem pecuniæ vim in medicorum operas inutilitèr profudisset, & maior morbi vis indies hominem magis magisque conficeret, ille humano desperato auxilio, misit qui aliquam ei reliquiarum Cuthberti partem adferret. Attulit, qui missus fuerat, calceamenta, quæ viri Dei pedes in sepulchro induerant, quibus ægrotus similiter indutus, Cuthbertum assiduis precibus pulsauit, vt aliqua sui misericordia caperetur, & diutinum languorem precibus sublenaret. Hæc dùm oraret somno corripitur, & noctis intempestæ silentio, communi ad diuinas laudes signo dato excitatus, è lecto membra erexit, firmoque gradu cum summa alacritate templum ingressus, diuinum officium cum alijs persoluit, & ab omni deinceps membrorum languore liberatus fuit. Hæc & alia quædam Venerabilis Beda de S. Cuthberto. Longo verò post tempore, alius quidam

Item paralyticus, vsu calceamentorũ eius.

Riderẽt hęc hæretici, sed si Petri & Pauli sudariola ad mẽtẽ reuocent, quare non credant? Idẽ enim Dominus est, qui sua, hæc, gratia, in nobis operatur.

summa

ſumma grauitate auctor ſcriptum reliquit, ſancti eiuſdem corpus, poſt annos quadringentos & decē & octo, eadem integritate fuiſſe repertū. Poſt annos 418. corpus eius integrū repertum.

*VITA S. BENEDICTI, ABBATIS PRAEſtantiſſimi, monachorum Patriarchæ, ex ea quæ eſt per ſanctiſſ. Pontificem Romanum. Gregorium, conſcripta. Claruit maximè, Ab anno Redemptoris 523. vſq; ad annum 543. Vigilij Pap. 4. Iuſtiniani Imp. 14. Totilæ Gothorum regis 2. Annus verò obdormitionis eius planè incertus eſt. Extant autem de eodem, quamplurimi vulgati errores.*

Vide Cæſar. Bar. Annal. tom. 7.

BENEDICTVS liberiori ex prouincia Nurſiæ genere ortus, cùm puer Romæ liberalium artium diſciplinis traditus fuiſſet, cerneretque multos inanis ſcientiæ opinione tumidos, per abrupta vitiorum præcipites ruere, ſubitò pedem, quem quaſi in mundi ingreſſu poſuerat, retraxit, deſpectiſque literarum ſtudijs, ſapienter indoctus, in deſertis locis tota mente pietatem, vnicum ſalutis portum, ſectari conſtituit. Erat ei nutrix, quæ arctiori eum amoris vinculo complectens, quàm vt ſe ab eo diuelli pateretur, veſtigijs eius ſedula inſtitit; cumque ad locum, quem Effide appellabant veniſſent, & ab amicis & cognatis, pro neceſſitudine, diutiùs ibidem, eximia beneuolentiæ ſignificatione detineretur, nutrix, vt triticum à paleis ſecerneret, capiſterium à vicinis mulieribus commodauit; quod incautè ab ea ſuper menſam derelictum & ſubito caſu fractum, diuiſumque, magnos ei luctus lachrymaſque mouit. Benedictus autem lachrymis ſuę nutricis vehementius cōmotus, ablatis ſecum vtriſque fracti capiſterij partibus, ſe totum

11. Martij.

Patria eius.

Benedictus puer, fracti capiſterij oratione integrū reſtituit.

totum in orationem dedit, surgensque ita partes solidatas inuenit, vt nulla in eo fracturæ vestigia apparerent. Quæ res & nutricem mirificè exhilarauit, & eius loci incolas excitauit, vt ipsum vas in ecclesiæ ingressu suspenderent, ne vlla vnquã obliuione tàm præclari miraculi memoria deleretur. At Benedictus nè ex laude humana, sancti sui propositi naufragium faceret, clàm ad desertum locum quadraginta ferè millibus ab vrbe Roma distantem (cui Sublacus nomen est) secessit. Quò dum fugiens pergeret, monachum quendam Romanum nomine, qui sub Theodati disciplina vitam sanctissimè degebat, obuiam habuit; qui explorata Benedicti mente, acriùs eum diuinis sermonibus in pietatis studium inflammauit; additoque sacro religionis habitu, in arctissimũ specum dimisit; vbi Benedictus tribus annis, soli Deo Romanoque cognitus, cùm eximia sanctitatis laude vixit.

Petit desertum.

Romanus monachus, S. Benedictũ in specum includit.

Romanus autem cùm pro sua in virum Dei charitate, panem statuto tempore ex eminentiore rupis loco, in specum per funem demittere solet, signumque aduentûs sui tintinnabulo ex fune suspenso daret, accidit quodam die, vt diabolus inuidia concitatus, misso lapide ipsum confringeret, Romanumque ab instituto charitatis opere auertere conaretur. Cùm verò omnipotens Deus, & Romanum à labore quiescere, & Benedicti vitam hominibus in exemplum demonstrare vellet, cuidam presbytero in festiuitate paschali epulas sibi paranti, apparere dignatus est dicens. Tu tibi delicias præparas, & seruus meus illo in loco fame sitique cruciatur. Qui protinus in ipsa solennitate cibis illis, quos parauerat, onustus, per abrupta montium, per concaua vallium, per defossa

Presbyter à Deo admo-

defossa terrarum quæsiuit. inuentumque in specu benignè salutauit, & ad communes epulas inuitauit. Benedictus qui propter longam humanæ consuetudinis insolentiam, in mensium dierumque obliuionem penè venerat, & maximæ festiuitatis, quæ summo Christianorum omniũ gaudio celebratur, tempus adesse ignorabat, cibum sumere recusauit. Cumque presbyter ità se haberé,& à Domino missum esse confirmaret, libenter acquieuit. Eodem tempore pastores quoque in specu latitantem inuenerunt; quem dùm hirsutis bestiarum pellibus, vestitum inter fruteta cernerent,bestiam esse rati sunt; sed suauissimis diuinisque eius sermonibus ipsi à bestiali mente ad eximiam pietatis gratiam mutati sunt.

nitus, adfert cibum S. Benedicto.

Inuenitur in specu,à Pastoribus.

Quadam die solus in solitudine oberrans,auis quam vulgo merulam dicunt, adfuit, quæ magnam ei importuno circa faciem eius, volatu, molestiam exhibuit; quam cùm manu capere potuisset,edito crucis signo abegit. Vix auis recesserat, & statim tanta carnis tentatio, ex recordatione fœminæ quondam à se visæ (quam dæmon ante mentis eius oculos reducebat) hominem inuasit, vt voluptate victus, consilium de eremo deserenda, caperet. Cumque dubius admodum animi, oculos in omnem partem versaret, fortè vrticarum & veprium densa fruteta conspexit; moxque indumento reiecto, nudum se in illos spinarum aculeos, & vrticarum incendia proiecit; ibique diu volutatus, voluptatem traxit in dolorem, ac toto, corpore saucius exiens, egregiè libidinis incendium extinxit, adeo vt nulla deindè prauæ cupiditatis molestia quateretur.

Tẽtatio carnis vehemẽs

Fortiter superatur.

Cœperunt ex eo tempore multi ad eius disciplinam

plinam confluere. Erat in vicino monasterium, cuius præside defuncto, congregatio vniuersa ad Benedictum veniens, infimis & importunis precibus postulauit, vt defuncti patris munus subiret. Renuit vir sanctus, dixitque vitæ suæ institutũ cum illorum moribus minimè conuenire. At illi cùm instarent vrgerentque, prouinciam suscepit, & fluxos mores seueritate disciplinæ astringere voluit. Tùm illi dementiæ & temeritatis se inuicem accusantes, cõsilia plena iniquitatis de morte ei inferenda captârunt. Capto Consilio, placuit venenum vino mixtum viro Dei propinare; celeriqúe morte salutis præcepta impedire. Accubuit vir sanctus, cumque vas vitreum in quo pestifer potus erat, extensa manu benediceret, ilicò vas, virtute crucis confractum, potum effudit, & sceleratorum conscientias redarguit. Tùm vir Dei placido vultu, menteque tranquilla: Deus, inquit, vestri misereatur ô fratres, quare tàm nefarium scelus operari voluistis, Ite, & patrem moribus vestris conuenientem, quærite. me enim habere posthac minimè potestis. His dictis antiquum habitationis locum repetiuit, vbi & virtutis exemplo & pietatis disciplina, plurimos ad insignem vitæ sanctimoniam perduxit. Duodecim ibidem monasteria maximis virtutũ omniũ muneribus egregiè ornata constituit; adquæ Romani, suos filios, optimis disciplinis moribusq; imbuendos transmisêre; inter quos Placidus Tertullij patricij filius, & Eutychij Maurus extiterũt.

Fit Abbas.

Dissoluti monachi, non ferunt S. viri rectitudinem.

S. Benedict. duodecim monasteria exstruit.

Erant ex his, quæ construxerat, tria in rupe monasteria posita, quæ propter aquarum inopiam, fratribus ingratam & permolestam habitationẽ præbebant; Ad Benedictum igitur supplices venientes, orant vt ea habitacula ad fluenta aquarũ trans-

transferri patiatur. Quos cùm blandis verbis cõsolatos dimisisset, nocte eadẽ, assumpto Placido adhuc puero, montis rupem conscendit, fusaq; ad Dominum oratione, tres fontes è rupe durissima scaturientes impetrauit. Erat in vno ex eis monasterijs monachus, qui frequenti diuinarũ rerum tædio victus, vagabatur. Cumq; nullis Abbatis sui monitis, ad officiũ reuocari posset, ad virum Dei Benedictum deductus est. Qui ipse quoq; stultitiã eius vehemẽter increpauit. At ille ad monasteriũ reuersus, inueterato consuetudinis malo superatus, tertio die ad vagã mentẽ redijt. Quod cũ seruo Dei ab eiusdẽ mõasterij patre fuisset indicatũ, mox ad monasteriũ iuit ægrã monachi mẽtẽ sanaturus. Obseruabat sedulò vir sanctus, quid ageret quauè attentione precibus incumberet; Tùm verò puerulum tetro colore deformem, monachũ per fimbrias vestimenti foras trahentem conspexit; quẽ virga cæsum, correxit, puerumq; fugauit.

**Præclarum miraculum.**

**Diabolus, monachum ab oratione abstrahit.**

Quodam tempore Gotthus quidam à Benedicto in sanctam monachorũ societatem admissus, in mandatis acceperat, vt locũ quendam iuxta ripam fluminis vepribus obsitũ perpurgaret. Cumque magna virium contentione operi incumberet, ferrum de manubrio excussum, in lacum decidit. Gotthus tremebũdus ad Maurum cucurrit, & damnum quod fecerat nunciauit; Maurus Benedicto indicat. Benedictus ad lacum accedens, manubrium in lacum misit; cui (mirabile dictu) ipsum ferrum protinùs se applicauit. Die quadã ad hauriendã aquã puer Placidus egressus, impetu aquæ ad missũ sagittæ vnius, in flumẽ abreptus est. Benedict⁹ qui diuinis intẽtus rebus, Dei spiritu edoct⁹, periculũ in quo versabatur, cognouit, Maurũ euocauit, misitq; vt periclitanti in vndis opem

**Aliud insigne miraculum.**

Maurus, currit super aquas.

opem ferret. Maurus, graui pueri periculo perculsus, postulata benedictione, ad patris sui imperium concitus perrexit, & intrepide aquis se commisit, puerumque per capillos raptum confestim eduxit. Quod vir venerabilis Benedictus non quidem suis meritis, sed virtuti obedientiæ deputauit.

Florentius presbyter, necem machinatur S. viro.

Interea cum loca illa mirifica virtutum omniũ splendore longè lateque clarescerent & multi in hãc monachorum societatem, quasi tranquillum vitæ portum ab aduersa vitiorum tempestate, confugerent; Florentius quidam, vicinæ ecclesiæ presbyter, antiqui hostis malitia percussus, cœpit maledico, dente famam sancti viri corrodere, omnibusque modis, studijs eius derogare. Cùm vero hac ratione nihil se proficere, sed virum Dei, ab omnibus maiori sanctitatis laude celebrari cerneret, inuidiæ facib⁹ magis magisqi accẽsus, misit pro munere seruo Christi infectum veneno panem; quem vir Dei (quamuis pestis minimè eum lateret) cum gratiarum actione suscepit. Erat in vicina sylua Coruus, qui ad statam refectionis horam ad eum ventitabat, cibosque de manu eius accipiebat. Huic panem illum obiecit, & in Christi Iesu nomine præcepit, vt in locum ab omni hominum conspectu remotum, proijceret. Coruus quamuis latentem veneni vim, crocitando perhorrescere se ostenderet, iussa tamen impleuit, & alios pro mercede cibos, post trium horarum spatium rediens postulauit, accepitq;. Florentius autem cum ne hoc quidem sceleris inuento, Benedictum extinguere posset, ad extinguendas discipulorum animas nefarium facinus excogitauit. In horto cellæ in qua vir Dei precibus incumbebat, nudas septem puellas misit:

sit: quæ discipulorum animos, nefando spectaculo, libidinis contagione inflammarent. At vir Dei de cella prospiciens, cùm facinus hoc in suorum capita pro sua ipsius persecutione inuētum, certò sciret, & pestem perniciemq; tenerrimis plantis pertimescere, inuidiæ locum dedit, ac habitationem mutare constituit. Florentius cùm virū sanctum castra mutare ex solario conspiceret, ingenti gaudio exultans, summas lætitiæ voces dedit, sed gaudium ex iniquitate conflatum, non potuit esse diuturnum. Nam ruina tecti subitò oppressus, miserè occubuit, Benedicto dolente & lamentante inimici interitum.

Nititur, perdere animos discipulorum.

Percutitur à Deo.

Porrò vt religionis & pietatis studium longius propagaret, animum assidua cogitatione intendebat. Erat castrum quoddam, quod Cassinum appellabant, in excelso montis vertice positum, & nefando Apollinis fano celebre. Magnus etiā in circuitu lucorū erat numerus, in quibus insana infideliū multitudo, sacrilegis sacrificijs operam dabat. Illuc vir sanctus contendens, contrito idolo, aram lucosque subuertit, & magna vocis contentione populum à nefandis sacrificijs absterruit. At malignus tanta & tam graui lacessitus iniuria, vt acri vindicta dolorem leniret, se compa rauit. Nam, vt vir sanctus sacra monachorum habitacula eodem in loco eligere voluit, primo Benedictum maledictis impetere, sed cùm ille impuros clamores cōtemneret, parietis vnius ruina puerum monachum miserabiliter oppressit; quē Benedictus ad se allatum, orationis instantia, ad vitā reuocauit. Iacebat ingētis ponderis lapis, qui nullis fere viribus loco suo moueri poterat; cuius rei admiratione capti fratres, Benedictum adeunt, qui protinus oratione sua pondus lapidis

Castrum Cassinense.

Aram Apollinis euertit.

Fremit in eum Satanas.

Suscitat mortuum.

pidis leuauit, mandauitque vt effossa terra, quidnam ibi lateret, diligenter inuestigarent. Faciunt illi summa diligentia imperata, & idolum æreum inueniunt. Quo casu in coquinam proiecto, ignis, qui totum ædificium inflammare visus est, repente exilijt. Fratres cùm dœmonis præstigijs illusi, summa contentione periculum inane auertere conarentur, venit Benedictus, & vt oculos suos signo crucis munirent imperauit: statimque flammæ, quas antiquus hostis finxerat, euanuerunt.

Præstigiæ dœmonum.

Fuit autem cùm alijs virtutibus, tùm prophetiæ spiritu admodum clarus. Quod dum Totila Gotthorum Rex auditione accepisset, vt eius rei periculum faceret, quédam è famulis suis, regio cultu & comitatu ornatum, ad eum misit; cumque longo adhuc interuallo ab eo diffiti essent, Benedictus magna voce clamauit, vt fastum & splendorem alienum deponeret; qua illi voce adeò perculsi sunt, vt ad terram strati, vix oculos leuare auderent; domumque remeantes regi rem vt acciderat, exposuerunt; qui ingenti admiratione pariterque timore correptus, accessit, & prostrato in terram corpore, temeritatis suæ veniam postulauit: cui vir Domini ventura prophetico planè spiritu, cuncta prædixit.

Claruit prophetiæ spiritu.

Totilæ Regis, versutia a S. Benedicto detegitur.

Quidam Aquinensis ecclesiæ clericus, horrendo vexatus dœmonio, cum plurima martyrum loca frustra visitasset; tandem ad Benedictum deductus, sanitatis quidem gratiam statim recepit; sed cum salutari præcepto, vt ab omni sacri muneris functione abstineret. Seruauit ille præceptũ cũ sanitatis beneficio lõgo tempore; sed cùm alios sibi, & ætate & eruditione inferiores, ea de causa præferri cerneret; diuini viri præcepti obli-

Curat dœmoniacum.

oblitus, sacris se muneribus ingessit; statimque hanc suæ temeritatis pœnam luit: vt nouis dęmonis insidijs petitus, animam cum magno cruciatu exhalaret. Tanta erat in sancto diuini spiritûs abundantia, vt ne cogitationes quidem fratrum, latere eum possent. Cum quodam tempore fames vehemens in Campaniæ regione increbuisset, & extrema tritici inopia monasterium laboraret, fratresque anxio valdè animo esse videret, vocatos ad se modestis verbis de diffidentia corripuit; tùm promissione cœlestis auxilij rursus consolans, crastina die rerum omnium abundantiam affuturam promisit. Adfuit dies altera, & ducenti farinæ modij ante fores inuenti sunt.

Vide vltionem Dei.

Farina, diuinitus allata.

Non longè ab eius monasterio, duæ virgines generis nobilitate clarę Christo se consecrârant, quibus vir quidam religione & pietate insignis ministrabat. Cumque illæ paulatim, vt fieri solet, voti sui oblitæ, generis nobilitate tumescerent, & indignas sæpè contumelias in virum sanctum detorquerent, nec vllis monitis linguę petulantiam refrenare vellent, vir ille ad S. Benedictum perrexit, quantasque pateretur verborum contumelias enarrauit. Benedictus, audita iniquitate, protinus excommunicationis fulmine, ni linguam corrigerent, illis interminatus est. Illæ autem parum tam seuera comminatione perterritæ, paucis post diebus in eadem linguæ petulantia vitam cum morte mutârunt. Cum verò in ea qua sepultæ erant ecclesia, Diaconus inter Missarum solennia, ex more clamaret: Si quis non cõmunicat, det locum; nutrix harum virginum quę oblationem pro ijs facere consueuerat, terribili spectaculo defunctas de suis progredi sepulchris & exire cõspexit. Quo sanè, vt par erat, vehemẽter

Absolui possunt animæ, etiam corporibus exutæ, ab excommunicatione.

territa, rem cum multis lachrymis ad Benedictũ detulit, qui interminationis suæ recordatus, manu sua oblationem dedit, easque vinculo, quo innodatæ erant soluit, nec deinceps ecclesiam relinquere visæ sunt.

Instabilis monachus, draconem vidit.

Erat in eius monasterio religiosus quidam, tanta mẽtis inconstantia agitatus, vt importunis admodùm precibus contrà datam Christo fidem, prorsus voti vinculo se solui postularet. Quem cùm nullis vel monitis, vel precibus, in officio continere posset Benedictus, indignabundus eum à se repulit, & liberam quò vellet eũdi facultatẽ concessit. Sed vix miser pedem monasterio extulerat, cùm ingentem aperto contra se ore hiantem draconem conspexit, qui nõ modò iniquam praui itineris libertatem impediebat, sed crudelem etiam mortem minabatur. Ad cuius ille cõspectum prostratus, lugubri admodùm eiulatu, auxilium & opem fratrum implorare cœpit. Fratres horribili clamore excitati accurrẽrunt, sed draconem minimè videntes, miserum illum omnibus membris trementem reduxerunt, qui inconstantiæ suæ culpam agnoscens, protinùs ad mentem redijt, & ad extremum vitæ spiritum insigni cum pietatis laude, Deo militauit.

Zallæ, hominis perfidi crudelitas & auaritia.

Temporibus Totilę regis Gotthorum, quidam Zalla nomine, perfidiæ Arianæ cultor, & fidei orthodoxæ immanissimus persecutor, hominem quendam rusticum crudelissimis tormentis exagitabat, vt bonis eius per vim extortis, famẽ auaritiæ suæ expleret. Cumq; rusticus suppliciorum atrocitate victus esset, vt vita ad horam repararetur, res suas omnes Benedicto Dei famulo se cõmisisse dixit. Quo audito, Zalla hominem loris crudelitèr vinctũ, ante se ad Benedictũ ire compulit,

pulit, vt res quib⁹ immani auaritiæ cupiditate inhiabat ab eo reciperet. Zalla viſo Benedicto, inſanis peruerſæ mentis clamoribus, res ruſtici, quas ſub ſua cuſtodia eum habere putabat, poſtulauit. At Benedictus qui fortè ſacris tunc codicibus ſumma cum mentis attentione incumbebat, ſublatis oculis, vinculorum ruſtici miſertus, ſolo intuitu nexus diſrupit. Zalla ad tantæ poteſtatis vim tremefactus, demiſſa rigidæ crudelitatis ceruice, ad terram corruit, ſeque orationibus eius commendauit; quem vir Dei fratrum obſequio benignè excepit, monitiſque ſalutis, à tantæ crudelitatis inſania, ad modeſtiæ pietatiſque ſtudiũ reuocauit.

Nota quid poſſint ſancti viri.

Quidam ruſticus defuncti filij ſui corpus in vlnis ferens, lugubri admodum eiulatu ad fores monaſterij venit, & Benedictum magnis vocibus inclamauit. Cui, cùm eum in agro rem ruſticam exercere, reſponſum eſſet, proiecto corpore, quãta potuit celeritate maxima, ad agrum cucurrit. Eadem hora, vir Dei completo opere, cum fratribus domum rediens, orbum patrem obuiam habuit, qui multis cum lachrymis filium ſibi reſtitui poſtulabat. Cui cùm vir Dei nec ſe filium abſtuliſſe, nec ſui, ſed Apoſtolorum muneris eſſe, defunctũ ad vitam reuocare, dixiſſet; ille nihilominus in petitione perſtitit, cum iuramento, ſe inde non receſſurum, niſi filium viuum reciperet. Tùm Benedictus ſublatis in cælum oculis, Domine, inquit, nõ mea peccata, ſed hominis huius fidem reſpice. Ad hanc orationem, defunctus palpitare viſus eſt; quem vir Dei manu ſua ſubleuans, patri incolumem reſtituit. Inter tot autem miracula quibus in mũdo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulſit. Nam ſcripſit

Reſtituit vitæ defunctũ.

Doctrina eius eximia.

monachorum regulam discretione præcipuam, sermone luculentam. Cuius si quis velit subtiliùs mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione regulæ, omnes magisterij illius actus inuenire, quia sanctus vir, nullo modo potuit aliter docere, quàm vixit.

Prædicit obitū suum.

Eodem quo de hac vita exiturus erat anno, discipulis quibusdam suis, obitûs sui diem denunciauit. Antè sextum verò sui exitûs diem, sepulturam sibi aperiri iussit. Qui correptus mòx febribus, ingraueſcente languore, sexta die Dominici corporis & sanguinis perceptione exitum suum muniuit, atque inter discipulorum manus, imbecillia membra sustentans, vltimum spiritum inter verba orationis stans efflauit. Sepultus est in oratorio beati Ioannis Baptistæ, quod destructa ara Apollinis, ipse construxit. Qui in eo specu in quo priùs habitauit, nunc vsque miraculis coruscat. Mulier quędam mente capta, miserabili eiulatu per montes & valles & syluas & campos, die noctuque vagabatur. Cumque beati viri specum nesciens ingressa fuisset, & somnum nimia lassitudine oppressa carpsisset, manè sanato sensu egressa est, omnique vitæ suæ tempore, in ea quam accepit salute, permansit.

Moritur feliciter.

Miracula ad loculū eius.

Amens mulier, in specu S. Benedicti, redit ad sanitatem.

## *VITA SANCTISSIMAE VIRGINIS, pariter & Viduæ, Catharinæ, filiæ S. Brigittæ. Migrauit è corpore Anno Domini 1381. Ex ea quæ est apud Surium.*

Vide Cæs. Bar. in not. Mart. Rom.

22. Martij.

CATHARINA hæc, patre Vlphone viro nobili, & matre Brigitta, (cuius celeberrimum in ecclesia nomen est) in lucem edita est, quam mater ablactatam Abbatissæ Risabergensi, spectata vitæ integritate fœminę, instituendam

Parentes eius.

Traditur quidā Ab-

dam tradidit. Varias in prima ætate dęmonum infestationes perpessa est; quas Dei gratia superauit, & egregium vbiuis futuræ sanctitatis specimen dedit. Ad nubiles vt primùm annos peruenit, viro nobili Eghardo tradita est; quem, seruādæ virginitatis cupidissima, facilè diuina aspirante gratia, ad nuncupandum Deo castitatis votum adduxit. Et nè diaboli aliquando insidijs peterentur, acerrimum carni bellum indixerunt, ieiunijs, precibusque omnem petulantiam frangentes separatim cubabant, nudæque humo defessa vigilijs membra reponebant, ne hyeme quidem hunc morem immutantes. Solebat sanctissima virgo castissimo coniugi, pia matris suæ exercitia vitæque asperitatem referre, ijsque eum ad omnem virtutis amorem, & constantiam mirificè confortabat. Cumque hac castitatis fragrantia, liliorū instar corā Deo redolerent, enixè operā dabāt, vt virtutū maximarū exēplis, & optimæ existimationis fama, proximos à prophana vita ad honestatis & virtutū omniū studiū excitarent.

batissæ instituenda.

Nubit viro.

Vouent ambo continentiam.

Patre eius Vlphone, Nericiæ principe, defuncto: miro visendi Romam desiderio accensa est. Mater eius Brigitta, Roma Bononiam discesserat, vbi cum insigni sanctitatis laude vitam degebat; cui se Catharina, indiuiduam vitæ comitem adiunxit, & summa contentione vestigijs eius institit. Sed cùm diabolus varias ei insidias tenderet, nullumque non moueret lapidem, vt eam ab ea vitæ sanctitate, ad carnis libertatem reuocaret; cępit importunis matrē obtestari precibus, vt potestatē sibi in patriā redeundi faceret. Mater fraudibus callidi serpētis intellectis, virili animo occurrit, filiamque ab ea mente deducere cōtendit. Filia, quamuis ratione & voluntate, natalis soli

Obitus patris eius.

Catharina sociat se matri.

Tentatur à Satana.

delicias (quas dæmon ei assiduò ob oculos ponebat) respueret: Satanæ tamen molestijs victa, à matre sibi remedium postulauit. Tùm mater, quādoquidem, inquit, caro & sanguis vim tibi inferunt, & rationis arcem superare contendunt, eius petulantiam virgis reprimendam censeo. Catharina quamuis durum carni erat, libens tamen matris se voluntati subiecit, virgisque aliquoties cæsa, importunam illam dæmonis tentationem fugauit. Non tamen hoc modo vires eius fractæ fuêre, quin acriorem ei vim inferret. Interdixerat S. Brigida Catharinæ filiæ suæ, nè sine multis socijs sacra loca inuiseret, ob periculum, quod tunc Romæ per effrenatam ac flagitiosam quorundam petulantiam fœminis ætate & forma præstantibus imminebat. Itaque matre cum suo confessario ad stationes & promerēdas sacras Indulgentias abeunte, illa dies non paucos se domi continuit, cum subitò tali cogitatione agitari cœpit. Quid agis? cur tu instar bruti animantis ab omnibus spiritualibus bonis arceris, alijs animarum suarum lucra captantibus? Cui cogitationi accedebat etiam hæc: Cognati fratres & sorores tuæ cum summa tranquillitate Deo in patria sua seruiunt, tu verò hîc miseram ducis vitam. Præstaret sanè ne in lucē quidem editam te fuisse, quàm id genus inertem vitam viuere. Hæ cogitationes, tanto animum eius mœrore oppleuerant, vt mortuæ magis quàm viuenti similis quò se verteret, ignoraret. At mater volens saluti eius certius consulere, hoc consilij captauit. Erat quidam D. Petrus, vir cum sanctitatis, tum multiplici eruditionis & prudentiæ laude insignis; hunc multis precibus eò tandem adegit vt pateretur Catharinam sibi obedientiam polliceri, filiæque persua-

Rursus eam tētat hostis.

Contra instabilitatē, matris con-

perſuaſit vt nihil omnino abſque illius permiſſu facere vellet. Munita igitur ſanctæ obedientiæ virtute vixit ſub matris cura haud ſecùs atque in monaſterio, didicitque ab ea certis temporibus tenere intra ſe ſilentium, crebro legens aliquid ex ſacris euangelijs, ſiue de vitis Sanctorum. Pauperum & peregrinorum curam inſignem gerebat, hoſpites ex varijs orbis terrarum partibus Romam aduentantes, cùm eleemoſynis, tum ſuaui ſermone & colloquio fouebat, cunctoſque in Chriſti amorem acriter inflammabat.

ſillo, promittit confeſſario obedientiã.

Eius humanitas, erga pauperes & peregrinos.

Porrò annos non plus nata viginti, tanta morum grauitate ætatem ſuperabat, vt plurimos in ſui admirationem pertraheret. Accedebat eximia corporis elegantia, quæ cunctis eam amabilem reddebat, & non paucos magnates amore eius vehementer inflammabat. At illa cùm diu cõſtanter omnes repulliſſet, cunctaſque rerum maximarum pollicitationes pro nihilo duxiſſet: quidam amoris vehementia victi, minas intentare, & vim ex inſidijs inferre propoſuerunt. In ijs Comes quidam, magna hominum ſtipatus caterua, tempus locumque captauit, quibus eam ad ædem S. Laurentij ire ſolitam raperet, domumque ſecum aſportaret. Sed accidit, vt ille miſeranda diuinitùs cæcitate percuſſus, facinus ſuum nefarium agnoſceret, humique coram ea proſtratus, obnixè ſceleris ſui veniam poſtularet. Tùm illa cum matre pro eo deprecante, ilicò viſum recepit, atque ſumma eam deinceps reuerentia proſecutus eſt. Nec tamen deſtitit inimicus varijs caſtitatem eius inſidijs oppugnare.

Multi eam conantur aſciſcere cõiugem.

Comes eam rapturus, fit cæcus, & recipit lumẽ.

Quodam tempore, cum matre Aſſiſium religionis ergò profectura, cùm honeſtum in ipſo itinere hoſpitium, nocte impendente habere non

possent, ad pauperis cuiusdam tuguriolũ diuertunt, vt vel solo tecto aëris iniuriam à corporibus suis propulsarent. Ecce autem noctis intempestæ silentio latrones accurrunt, accensoque lumine abditos scrutantur, captique mòx pulchritudine Catharinæ, impuris sermonibus animum eius ad nefarios concubitus alliciunt, At illa incredibili angore correpta, cum nullum euadendi locum relictum cerneret, spem omnem (quod reliquum erat) in sola Christi misericordia repositam habebat. Precibus igitur lachrymisque diuinam implorare opem cœpit, cùm subitò armorum strepitus vocesque clamantium exaudiuntur: quibus vehementer exterriti latrones, celeri fuga salutem quærunt. Tùm Catharina Christi se beneficio, seruatam à libidinis contagione cernens, debitis diuinam bonitatem laudibus extulit, seque cum matre & alijs comitibus læta in viam dedit; Cùm ibi rursùs adsunt scelerati homines, vt quod nocte efficere nequiuerant, clara luce designarent, suamq; libidinem explerent. Et illi quidem viam ab vtraque parte obsederant, sed percussi cæcitate, videre non potuerunt cum bona in DEVM fiducia illuc securè transeuntes. Ita ergò diuina fretæ protectione, Assisium peruenerunt, atque indè Romam reuersæ sunt. Ibi verò, vt omittamus eam ab infantia preces horarias, Diuæ Virginis, septem psalmos quos Pœnitentiales vocant, multaque alia quotidiè legisse; priùs quàm se ad dormiendum componeret, singulis diebus horas quatuor, cũ multis lachrymis meditationi Dominicę passionis impẽdebat, flexisq; in terrã genibus, assidua pectoris tunsione se totam Christo in holocaustum offerebat.

Patitur latrones infestos.

Latrones, cæcitate percutiuntur.

Precibus diutissimè incumbit.

Tempore quodã, Romæ ante S. Iohannis Euangelistæ

gelistæ aram, in æde maiori D. Petri, oranti apparuit peregrina quædam, alba induta veste, balteo præcincta, & atro cooperta pallio. Quę post amica salutationis verba, supplex, vt pro Noricæ Caroli fratris sui vxoris anima, preces funderet, rogauit; Scisciante autem Catharina cuiâs esset, respondit se Suedã esse, vxoremq; fratris eius Caroli obijsse; Roganti deindè Catharinæ, vt ad matris suæ ædes diuerteret, negauit sibi id licere; porrò Noricã aureã capitis sui coronã eis legasse, quarè fideliter pro animæ eius salute precarentur, sicq; disparuit. Catharina admirans, quò matrona illa abijsset, ex ancillis quæsiuit; respondẽt illę, se quidẽ vocẽ loquentis audijsse, neminẽ tamen vidisse.

Quædã matrona apparet ei.

Cæterùm præter eximias virtutum maximarũ dotes, admiranda planè erga proximos calamitosos beneuolẽtia, insignis fuit. Nec mirùm sanè, cùm ab ipsa penè infantia, hanc à matre disciplinã imbibisset. Solita erat pia genitrix tenellam ad nosocomia ducere, ipsaq; inspectante, miserorum plagas, vulnera, & vlcera, suis contrectare manibus, multaq; charitatis significatione, ad spem vitæ æternæ excitare. Hæc aliaque præclara pietatis officia, filia & oculis & mente hauriebat, nec minore deinceps quàm mater alacritate ea morbidis & egenis impendebat. Annos quinque & viginti cum matre sanctissima, spontaneo in exilio Romæ exegit; qua (post iter Hierosolymitanum fœliciter peractum) defuncta, cum reliquijs eius in patriam remeauit. Vbi ab omnibus, singulari beneuolentiæ & amoris significatione excepta, sacris se VVadstenensis monasterij ædibus inclusit, & virginibus CHRISTO sacris, regulam Saluatoris, quam tot apud matrem annis didicerat, tradidit. Depositis in VVadstenensi mo-

S. Catharinę pietas, erga morbis afflictos.

Catharina post obitũ matris, includit se

monasterio Vvadstenēsi.

si monasterio sacris sanctæ genitricis reliquijs, locus haud vulgaribus cœpit coruscare miraculis. Quæ res omnium animos permouit, vt Catharinam Romam ad Pontificem destinarent, quò Pontifex Diuorum eam honore dignam faceret.

Proficiscitur Romam, vt mater eis miraculis clara, in Diuorum consortium, à Pontifice referatur.

Fecit illa vt iussa fuit & Romam veniens omniũ in Romana curia animos negocio huic addictos comperit. Interea veniebant ad eam multi Romani nobiles, eius preces expetentes, memores pristinæ eius conuersationis. Erat id temporis vidua quædam extra vrbem, apprimè nobilis, Latini Romani Baronis soror, quæ cùm suæ nobilitatis & decoris omnis oblita, parùm pudicè viueret, nec vllis monitis precibusve, à flagitiosa vita ad honestatis studium reuocari posset, morboque correpta, nec in vltimo quidem vitæ discrimine, ad mentem redire vellet, Latinus Catharinam accedit, orat obsecratque, vt sororem suam adire vellet & inuitare ad veram peccatorum suorum confessionem. Illa, vt erat huic studio mirificè dedita, alacri prouinciam animo suscipit, sed miseram flagitijs planè obduratam, nullis hortationibus ad plenam perfectamque scelerum confessionem inducere potuit. Tùm Catharina cum circumstantibus ad preces confugiẽs, in genua procubuit, & Deum, nè miseram in sempiternam pestem ruere pateretur, rogauit. Et ecce, è Tiberi fumus orbiculari figura aterrimus, ingenti mole, instàr plaustri fœno onusti, emergere visus est, qui sursùm elatus in aëra, pendulus supra ædes, in quibus illa decumbebat, ferebatur; tantaque tenebrarum caligine omnes inuoluit, vt alius ab alio videri non posset. Postremò, impetu è cælo ruens, domum cubiculo proximam, in quo misera iacebat, solo tenus oppressit. Ad cuius terribi-

Orat pro fœmina indurata, & illa resipiscit.

lem

lem horrendumque fragorem, ægra ingenti timore correpta, ad mentem saniorem redijt, & pura oris confessione, commissa flagitia diluens, altero die sacramentis munita, spiritum efflauit.

Matronę sopties abortienti, viuã prolem impetrat.

Romæ matrona quædam nobilis, septena vice miseranda obortione conflictauerat, cumque se inuisam hac de causa marito suo cerneret, supplex S. Catharinam calamitatem suam expositura, adijt. At illa quasdam sanctissimæ matris suæ reliquias ei tradidit, admonens vt eas vsque ad partum secum deferret, seque partûs tempore ei adfuturam promisit. Adfuit parturiendi tempus, accurrit Catharina, precibusque viuam ei à Deo puellam impetrauit, cui Brigittæ nomen imponi voluit. Eodem tempore Tiberis inundatione sua, Romanę vrbi excidium minitari videbatur, prorsùs vt salutis spe plurimi ciuium abiecta, ad Catharinam tanquam vltimum refugium conuolârent, & inuitam domo exportatam sæuientibus vndis obijcerent. Illa cùm aquas pedibus attigisset, sæuientes protinùs fluctus repressit.

Tiberis inundationẽ sistit.

Roma deindè Neapolim veniens, inuenit ibi matronam quandam viro orbatam, quæ nocturnis dæmonis cuiusdam infestationibus agitata, matri suæ assiduam lugendi materiam præbebat. Huius igitur Catharina pro solita pietate sua misserta, hoc matri consilium dedit; primò quidem vt integra confessione quæcunque ad memoriam commissa crimina reuocare posset, expiaret; deindè nudis plantis, & absque lineis indusijs, continuis octo diebus, in templo S. Crucis memoriã Christi pro nobis in crucem acti, septies pia mẽte Dominicam orationem legendo, recoleret. Paruit libens huic consilio, & statim ab omni dęmonis infestatione liberata est. Neapoli rursùs Romam,

Dæmonem nocturnum, à muliere saluberrimis datis consilijs, profligat.

Romam, vt matris in diuos relationem vrgeret, reuersa est; sed cùm Gregorio 11. moriente Vrbanus 6. communibus ad eam dignitatem suffragijs veheretur, & ecclesia orto schismate in varias valdè inter se pugnãtes sententias distraheretur, Catharina ad suos redire constituit. Iamque fœlici itinere summo vbiuis honore excepta, in Prussiam peruenerat; cùm quidam ex eius familia somno correptus, ex curru decidit, costisque rotarum stridore attritis, in vltimum vitæ discrimen adductus est; qui in currum sublatus, non sine ingenti omnium stupore solo Catharinæ contactu, integræ adeò sanitati restitutus est, vt citra vllam corporis molestiam, gaudens & exultans gradum faceret. Postquam autem in VVadstenense monasterium peruenit, multis exhausta laboribus, in morbum incidit; cuius vi indies magis magisque oppressa, cùm in vltimo illo spiritu clarissimam pietatis charitatisque significationẽ sororibus suis dedisset, inter Angelorum manus sanctam Deo animam tradidit. Viderunt tùm homines quidam religionis & pietatis opinione præstantes, stellam eximio fulgore micantem, officiosum radijs suis obsequium corpori exhibentem. Cùmque sacrum funus ab Erico Suediæ Regis filio alijsque regni principibus, cum multis bonorum omnium lachrymis portaretur, stella supra feretrum pendula, maiorem illi præ cæteris honorẽ deferebat. Inter alios verò regni proceres, & præclaros multorum locorũ antistites, prælatos atque Abbates, qui sua præsentia funus cohonestare gaudebant, Tordo Strengenẽsis episcopus, magna tùm eruditione tùm auctoritate vir, apprehensa Catharinæ dextera, precibus se eius humiliter commendauit. Et ecce sensit ille manum

Sanat cõtactu manus suæ, hominẽ mire confractum.

Moritur S. Catharina.

Apparet stella.

Ericus Regis filius, portat eius sacrum corpus.

Nota rem miram.

manum suam fortiter comprimi, vt fieri solet inter illos qui mutua sibi fide amorem stabiliunt. Obijt autem virgo hæc sanctissima, in præfato monasterio, anno Domini 1381. 11. Cal. Aprilis, pridiè Annunciationis Dominicæ.

## DE SS. TIMOLAO, DIONYSIO, ALIISque sex Martyribus. Ex historia Eccleſiast. Eusebij lib. 8. cap. 13. Consummârunt martyrium Vltronei Anno Christi 303. Marcell. Pap. 7. Diocl. & Max. Impp. 20. sub Vrbano præside.

Vide Cæs. Baro. Annal. tom. 2.

24 Martij.

DVm Gentiles publica inter se festa celebrarẽt, & cõsueta agerent spectacula, inter alia quæ magnoperè ipsis in optatis erant ad contemplandum, crebro hominum sermone ferebatur, Christianos, qui dudum erant ad bestias damnati, certamen confecturos. Cùm verò huius rei fama latiùs manaret, & apud omnes passim vagaretur, adolescentes numero sex, quorum vnus genere Ponticus, nomine Timolaus; alter ex Tripoli vrbe Phœniciæ, qui Dionysius nuncupatus fuit; tertius ecclesiæ Diospolis subdiaconus, qui Romulus dictus est, quartus Pausis, & quintus Alexander, vterque AEgyptius, sextus huius Gentilis Alexander, ex vrbe Gaza, proprias manus, quò ardentem martyrij cupiditatem significarent antè colligantes, ad Vrbanum, qui iam bestias ad Christianos dilaniandos emissurus esset, curriculò currunt, seque Christianos liberè confitentur; atque ipsa sua propensione tanquam ad aciem instructa, & ad quodque discrimen admodùm parata, liquidò declarârunt eos, qui in vero Dei omnium rerum fabricatoris cultu

Sex egregij adolescentes præfecto sese offerũt.

Vrbanus Præfectus prouinciæ.

cultu gloriantur, violentas immanium ferarum incursiones nequaquã formidaturos. Vndè profectò tum ipsum Præsidem, tum illos qui cum eo-

Carceri mãcipantur.

erant, in repentinam admirationem traducentes, extemplò in carcerem contruduntur.

Non multis diebus pòst, alij duo fuêre in eorũ numerum adscripti; vnus qui acerba & varia tormenta, propter fidei suæ confessionẽ, varijs temporibus ostentatam, anteà exhausisset, Agapius nomine, alter qui res ad corporis vsum necessarias, illis martyribus submiństrasset, Dionysius appellatus. Omnes isti octo numero, vno die, nempè vigesimo quarto mensis Dystri, hoc est, ad nonum Kalendas Aprilis, in ipsa Cæsarea securi percussi obeunt.

Octo martyres, vno die necãtur.

*MARTYRIVM SIMONIS INNOcentißimi Pueri, Tridentini, à Iudæis, anno Domini 1475. sæuißimè trucidati. Authore Iohanne Matthia Tiberino Medico.*

Vide Cæs. Bar. in not. Mart. Rom.

24. Martij.

IOHANNES Matthias Tiberinus, Senatui populoque Brixiano salutem. Rem miram, qualẽ à passione Domini, ad hæc vsque tempora nulla vnquam ætas audiuit, ad vos scribo. Crudeles Iudæi non solùm res Christianorum rabiosa vsurarum fame consumunt, sed in capita nostra perniciemque coniurati, filiorum nostrorum viuo sanguine pascuntur. Nuper in ciuitate Tridentina, tres familiæ Iudæorum consedebant, quorum capita fuere Tobias, Angelus, & Samuel; Hi ea in hebdomade, quam nos sanctam appellamus, die Martis, 12. Calend. April. anno incarnati Verbi, septuagesimo quinto, suprà millenum quatercentenum, conuenerunt in domum Samuelis, vbi synagoga & eorum templum, spectandi gratia vi-

Iudæi, Christianis quã pernicioſi.

culum

tulum viuentem, qui ad eos ea luce de Leuigi pago delatus erat. Et dum inter se plurima vario sermone conferrent, Angelus hanc rabido fudit de pectore vocem; In ista paraſceue & carnes & piſces abundè nobis ſunt; Vnum tantum nobis deeſt. Reſpondit Samuel; & quid tibi deficit? Tũc coniectis oculis ad inuicem, taciti intellexerunt, quod de Chriſtiano infante immolãdo loquerentur, quem in contemptum Domini noſtri Ieſu Chriſti mactãt atrociter, & exhauſto ſanguine, veſcentes in azimis ſuis, à fœtore quo grauiter olent, Chriſtiano ſe cruore præſeruant; Huncque ſuum appellant Ioël, id eſt, Iubileum. Die autem Iouis omnes in ſynagoga congregati, ad Tobiam dixerunt; Animaduertimus neminem plus votis noſtris poſſe ſatisfacere quàm te, quotidie enim cùm Chriſticolis verſaris, & penè omnes tibi familiares ſunt. Negat Tobias, & periculum in negotio multis aſſignat rationibus. At illi ſuis eum execrationibus aſtringunt, & niſi pareat, minantur ſe illi perpetuo interdicturos Synagoga. Tobias videns omnes in eum conſpiraſſe, & præmium ſibi iam fore propoſitũ cæca auri cupidine captus, Aggrediar, inquit, libenter, Patres, prouinciam hanc. Verum vt noſtis, pauper ſum ego, & ad commodè viuendum ars mea non ſufficit. Reſponderunt omnes; Adfer puerum huc, nulla enim vnquam erga te nos arguet ingratitudo. Tũc ad Samuelem conuerſus proditor, inquit; Nulla claue poſtes tui concludãtur, vt ſi mihi quiſquam oportunè contigerit, intro poſſim illum leuiter impellere. Et tranſactis veſperis egreſſus, cœpit totam viciniam ſolus obambulare. Poſtquam vero locum illum attigit, quem Foſſatum vocitant incolæ, inſignem puerum ante fo-

Iudæi in paraſceue mactant Chriſtianos pueros.

Tobias ſe recipit, puerum Chriſtianum ſuffuraturum.

res patris super ligno sedentem conspexit, nomine Simonem, qui nondum viginti nouem menses natus, adeò formosus erat in cunctis, vt in eo non comprehenderetur, quod iure reprehendi posset. Et accedens, lustrat neminem in puerum aduertere. Porrigit digitum Tobias blandus infanti. Speciosus puer, benignus vt erat & facilis candida manu capit molliter indicem. Procedit, sequiturque puer non passibus æquis. Cumque genitoris sedem pertransisset proditor, rabida dextra prænsat manum infantis pulcherrimam, & nunc illum trahit, & nunc mollia terga pulsans genibus impellit. Tunc respiciens puer, cœpit cum lacrymis pios extollere vagitus, & dulce matris inuocare nomen. Exanimatus illicò proditor, denarium extraxit Argenteum, & porrigens infanti, illum blando sermone compescuit; tali itaque capta occasione in domum Samuelis puerulum detulit. Hic Samuel, velut Tigris expectans ad sanguinem, corripiens puerum, ocius in suum thalamum sustulit. Prætereo hic quanta tunc dracones illi affecti sint lætitia; Vlulabant siccis faucibus, super Christianum sanguinem Et ne puer peregrino loco deterritus, clamorem effunderet, alij porrigebant Vuas, alij poma, alij res alias, quibus vt plurimum infantes delectantur, donec silente puero, dies se cum nocte coniungeret. Interea genitrix eius Maria, puerum vt vidit abesse, nec solitò eum apud vicinos offendit, percusso pectore, vna cum coniuge Andrea, totam per ciuitatem explorabat infantem. Pueri & omnes apud Iudæos illum inquirendum asserebant, & nisi de medio nox repente viæ abstuliisset, ad Iudæos vertissent iter, vnde collapsis tenebris impulsi, flentes amarè, domum sese receperunt.

Tobias infantem blandus abducit.

Tempus

Tempus erat quo prima quies humana reficit pectora, atque quiescebant voces hominumque canumque. Tunc crudelis Barbatus Moyses, vna cum reliquis atrociſſimis Iudæis benignum illum deportantes infantem, ingreſſi ſunt veſtibulum, quod cum primis ſynagogæ foribus adiungitur; ibique in ſcamno iuxta caminum reſidens, puerum ſuis genibus excepit. Porrò circumfuſi omnes veſtem ei ad vmbilicum & cubitos vſque, verſo ordine detraxerunt, colligentesque fluentem tunicam, ſuccinxerunt lateri ita vt à fœmore vſque ad talos detractis caligis nudaretur; & apprehendens ſudarium Samuel, quod eius pendebat à cingulo, colloque circumuoluens comprimebat puerum, ne vagitus effunderet, alij vero manus pedeſque continebant. Atrociſſima innocentis pueri excarnificatio.

Tunc producto Moyſes cultro, ſummum virgæ perforauit infantis; correptaque forfice, cœpit maxillam dexteram iuxta mentum dilaniare, & particulam carnis abſciſſam in parato ibi cratere repoſuit. Colligebant aſtantes ſacrum ſanguinem, & alterno ordine forfice porrecta, quilibet ſibi fruſtulum viuæ carnis excindebat. Sic fecerunt omnes primi, donec vulnus oui rotunditatem multum excederet. Et ſi quando cedente laqueo puer gutture perſtrepebat, admotis crebrò manibus ad os, illum crudeliter ſuffocabant. Hoc Moyſes ita peracto, dexteram tibiam confeſtim eleuauit infantis, eamque ſuis ſuper genibus ſtatuens, aggreditur exteriorem partem, quæ inter cauillam & cruris muſculum interiacet, ſimliter eodē ferro conuellere, & capta forfice viciſſim carnē viuam, viuo cum ſanguine lacerabant. Poſtmodum ſequiſſimus ſenex ille, tāti ſceleris caput, ſemimortuum erigēs infātem, petijt Samue- Scindunt Iudæi particulas è maxilla pueri.

lem à siniſtris pueri ſecum conſidere; & vterque ſanctiſſima illius brachia, inſtar crucifixi violenter extendentes, hortabantur reliquos, vt ſacrum illud corpus duris acubus infoderent. Collecti ergo omnes circum, incipientes à vertice vſque ad plantas illum denſis ictibus perforabant, dicentes: Tolle Ieſſe mina elle parichief elle paſſuſen pegmalen; quod eſt: ſicut Ieſum Deũ Chriſtianorum, qui nihil eſt, trucidemus iſtum: ſic inimici noſtri confundantur in æternum. Iam pluſquam per horam miſerandus puer terribili duràuerat in ſupplicio, & interdicto ſpiritu, collapſis viribus deficiebat, attollens graues oculos in cælum, ſuperos aduocare videbatur in teſtes, & inclinato capite, ſanctum Domino reddidit ſpiritum, purpureus velati flos cum ſucciſus aratro, langueſcit moriens, lapſoque papauera collo, demiſère caput, pluuia cum forte grauantur. Tunc Moyſes & omnes reliqui, oculos & palmas eleuantes in cœlum, egêre gratias Deo, quod de Chriſtianis vindictam ſimul & ſacrificium obtuliſſent; relictoque illic corpore, cum plauſu ſummo per tecta diſcurrentes, ineffabilem lætitiam ſe percepiſſe demonſtrârunt. Et deſcendentes ad cœnam, ſeruis præcepit Samuel, vt ſub cadis vinarijs illud occulerent; Timebât enim proclamationes Antiſtitis, & crebreſcente in eos magis magiſque fama, ne furore populi capti & cæſi ad torturam ſubitò traherentur. Altero die qui paſſionem Domini cunctis in Chriſtum credentibus ad memoriam reuocat; reſtrictis labentibus in Vrbem fluuijs, parentes infantis, vna cum cohorte prætoria vbicunque quærentes, non inuenerunt eum. Die autem ſabbathi conuenientes Iudæi in ſynagoga cunctis cernentibus, cada-

**Acubus totum paruuli corpus foratur.**

**Decedit è vita S. Puer.**

**Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.**

cadauer ſuper almomor extenderunt; eſt enim almomor menſa quædam ante Altare, vbi Pſalmos, Antiphonas, Hymnoſque decantant; perfectiſque orationibus ſuis, rurſus in eodem loco repoſuerunt corpus. Tertio vero die qui ſanctum paſcha Chriſti fidelibus attulerat, vt preſenſerunt Iudæi omnium penè mentes in eos eſſe ſuſpenſas, inito conſilio libratiſque multorum opinionibus, dixerunt; Proijciamus iſtud veſtitum in flumen, quod noſtra ſubterfluit domo, & euntes ad Pontificem, dicamus quoniam illud in domum noſtram aqua deduxit, & crate ferrea retentum, non potuit vnà cum flumine delabi. Talibus viſis, nemo credet Iudæos puerum extinxiſſe. Placuit omnibus ſententia; & aſcendens ad Pontificem proditor, rerum ſeriem eo quo fuerat inſtitutum ordine pandit. Tunc gauiſus Pontifex, prætorem & præfectum Tridentinæ ciuitatis illic vbi iacebat puer, iuſſit ſecum accedere; quem extractum pannis inuolutum, annotatis diligenter vulneribus, in Baſilica S. Petri collocauerunt; vbi maxima populorum, laguentiumque confluente frequentia, multis maximiſque in dies fulget miraculis. Eccè Chriſtiane, Ieſum inter latrones rurſus crucifixum. Eccè quid facerent Iudæi, ſi inter Chriſti fideles haberent Imperium. Glorioſus Simon, virgo, & Martyr, & innocēs vix ablactatus, & cuius lingua nondum humanum ſonabat eloquium, in contemptum noſtræ fidei, à Iudæis extenſus eſt in cruce. Natus eſt Simon, de quo Agimus die Veneris 6. Kalend. Decemb. Anno 1472. ex Andrea & Maria parentibus pauperrimis, D. Iohanne Hinderbach quarto Pontifice, & Domino Tridentino imperante fœliciter. Ob quod ſcelus, Iudæi omnes à maiore vſque ad minorem, carce-

Conſilium Iudæorum vanum.

S. pueri corpus, multis claret miraculis.

Iudæi oēs in

carceres cõiecti. carceribus catenisque constricti sunt, indè prius non recessuri, quam debitas pœnas luant.

## SANCTI IOANNIS CHRYSOSTOMI, *Archiepiscopi Constantinopolitani, in Sanctissimæ Deigenitricis Annunciationem. Oratio.*

25. Martij. RVrsus lætitiæ nuncij, rursus libertatis Indicia, rursum reuocatio, rursum reditus, rursum gaudia, rursum à seruitute liberatio. Angelus cum virgine loquitur, quoniam serpens cum muliere locutus fuerat. Sexto, inquit, Mense missus est Angelus Gabriel à Deo ad virginem desponsatam viro. Missus est Gabriel, vt totius mundi salutem nunciaret. Missus est Gabriel, vt scriptum reuocationis Adam referret. Missus est Gabriel ad virginem, vt mulieris dedecus in honorẽ conuerteret. Missus est Gabriel, vt puro sponso thalamum pararet. Missus est Gabriel, vt inter Creatorem & creaturam sponsalia celebraret. Missus est Gabriel, ad animatum palatium Regis Angelorum: Missus est Gabriel ad virginem desponsatam quidem Ioseph, sed seruatã filio Dei. Missus est seruus incorporeus, ad virginem immaculatam. Missus est à peccato integer, ad corruptionis expertem. Missus est lucernæ splendor, qui iustitiæ solem nunciaret. Missus est nitor Auroræ, qui diei lumen præcurreret. Missus est Gabriel, vt ostenderet eum qui est in sinu patris, in matris etiam vlnis gestari. Missus est Gabriel, vt indicaret qui est in solio, in spelunca etiã iacere. Missus est miles, qui Imperatoris Mysterium promulgaret. Mysterium quod fide cognoscitur, & curiositate non inuenitur. Mysterium adorandũ,

Gabriel Angelus cur missus ad Virginem.

non

non humana prudentia ponderandum. Mysteriũ diuinis, non humanis rationibus explicandum.

In mense sexto Missus est Angelus Gabriel ad virginem. Quem sextum mensem dicit? Quem? Ex quo nimirum, Elizabeth bonum accepit nuncium, ex quo Iohannem concepit. Vnde id planũ fit? Ipsemet Angelus virginem alloquens, sic interpretatur: Ecce Elisabeth, inquit cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis. Mense sexto, scilicet, conceptionis Iohannis. Oportebat enim vt miles anteiret. Consentaneum erat, vt minister antecederet: æquum erat, vt iudex Domini præsentiam significaret. Mense sexto missus est Angelus ad virginem despõsatam viro. Desponsatam, non autem coniunctam. Desponsatam quidem, sed seruatam. Cur desponsatam? Ne celerius latro mysterium intelligeret. Nam per virginem quidem Regem esse venturum, improbus non ignorabat; quippe qui Esaiæ ipse quoque verba illa audierat. Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium. Itaque singulas virgines obseruabat, vt vbi mysterium impleri animaduerteret, infamiam pararet. Idcircò Dominus per desponsatam venit. Quæ enim desponsata fuerat, deinceps in manum sponsi tradenda erat. Mense sexto missus est Gabriel, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph. Audi quid de hoc viro & virgine, dicat propheta; dabitur hic liber obsignatus viro scienti literas; Id est, virgo plane immaculata. A quo dabitur? à sacerdotibus vtique. Cuinam viro? Fabro Ioseph.

Sextus Mensis.

Luc. 1.

Esa. 7.

Esa. 29.

Cùm igitur sacerdotes casto Ioseph virginem despondissent, eam illi commendârunt, nuptiarum tempus expectantes. Verum eam ipse susci-

piens, integram erat conseruaturus. Mense sexto missus est Gabriel ad Virginem. Qui profecto eiusmodi à Deo mandata accepit; Ades huc Angele, minister esto mysterij grauis & reconditi, Miraculo inserui. Misericordia mea commotus, ad requirendum Adam, qui aberrauit, descendere festino. Peccatum prostrauit eum, qui ad Imaginem meam factus est; corrupit opus manuũ mearum: infecit decus à me confectum. Lupus deuorat alumnum meum. Exulat incola Paradisi. Vitæ lignum, à flammeo gladio custoditur. Clausus est locus delitiarum. Errantis me miseret. Hostem capi volo. Placet vt virtutes omnes quæ in cælo sunt mysterium hoc lateat, & tibi soli sit manifestum. Vade ergo ad Mariam Virginem. Vade ad animatam ciuitatem, de qua loquitur propheta, gloriosa inquiens, de te dicta sunt ciuitas Dei. Vade ad Paradisum meam, ratione præditam. Vade ad portam Orientalem. Vade ad habitaculum, verbo meo dignum. Vade ad alterum cælũ, quod est in terra. Abi ad nebulam leuem, & præsentiæ meæ illi nuncia integritatem. Abi ad sanctuariũ mihi paratum. Abi ad thalamum diuinę humanitatis meæ. Abi ad purum cubiculum ortûs mei, secundum carnem. Loquere in auribus arcæ meę, ratione præditæ, vt paret mihi auditus ingressum. Caue offendas aut turbes animum virginis. Templum illud diuinum, modestè adi. Prima tua vox illi gaudium afferat, dic; Aue gratia plena; Vt ego miserear afflictæ Euæ.

Genes. 3.

Psal. 87.

Audit hæc Angelus, & secum vt par erat hæc cogitabat; Noua res hæc est, cuius intelligentia nullis verbis explicari potest. Quem metuunt Cherubin, quem Seraphin intueri non possunt, quem omnes virtutes Angelicæ comprehendere nequeunt,

nequeunt, ſpeciali quodam modo nunciatur cum puella virgine conuerſaturus, & propriæ eius perſonæ præſentia ſignificatur, immò verò ingreſſus per auditum ei promittitur. Qui Euam condemnauit, eius filiam glorificare tantoperè feſtinat? Ait enim, vt paret mihi auditus ingreſſum. Nunquid poteſt Virginis vterus eum capere qui comprehendi non poteſt? Verè myſteriũ magnum & venerãdum. Sic Angelo cogitanti: Quid, inquit, Dominus, turbaris ò Gabriel, nouitate rei? Nonnè paulò antè miſſus es à me ad Zachariam ſacerdotem? Nonne illi Iohannis Ortum nunciaſti? Nonne incredulo ſacerdoti pœnam intuliſti? Nonne ſenem taciturnitate mulctaſti? Nonne quæ tu pronunciaſti, ego rata habui & comprobaui? Nonne nuncium tuum, res ipſa conſecuta eſt? Nonne ſterilis concepit? Vterus paruit? ſterilitatis morbus diſceſſit? Naturæ fugit inertia? Quid eſt quod ego non poſſim efficere? Cur igitur dubitas? Tunc Angelus; Naturæ, inquit, errores, Domine, corrigere, morborum nebulam diſſoluere, membra mortua ad vitalem vim reuocare, naturæ præcipere, vt liberos gignat, à certis membris ſterilitatem remouere, ſeneſcentẽ ſtipulam ad viridem formam reducere, terram infœcundam ſtatim efficere manipulorum matrẽ, ſolitum eſt tuæ virtutis opus. Teſtis eſt Sara, tùm Rebecca, pòſt autem Anna, quæ cùm graui ſterilitatis morbo laborarent, abs te liberatæ ſunt. Virginem verò ſine viri congreſſu parere, ſuperat naturæ leges, & præſentiam tuam in puella denunciat, vt quem cæli terræque termini non capiunt virginis vterus comprehendat. Quomodo, inquit, Dominus, me tabernaculum Abrahæ potuit continere? Quoniam, inquit, Angelus hoſpitalita-

Luc. 1.

Nihil impoſſibile apud Deum.

Gen. 21. 25.

1. Reg. 1.

Gen. 18. talitatis pelagus habebat. Verùm illic ô Domine, te conſpicuum Abrahæ præbuiſti in oſtio tabernaculi, & pertranſiſti qui omnia comples. Quomodo autem feret Maria diuinitatis ignem? Solium tuum ardet ſplendore illuſtratum. & virgo

Exod. 3. te ferre poterit, vt non comburatur? ſi læſit, inquit Dominus, rubum ignis in ſolitudine, lædet omnino Mariam quoque præſentia mea; ſin ignis ille, qui diuini ignis mei præſentiam ſignificabat, rubum potius irrigauit, quã combuſſit; quid de veritate dices, non in igne flammæ, ſed in pluniæ ſpecie deſcendente?

Tunc Angelus, Dei iuſſa faceſcens, Virginem adijt, & clara voce, Aue, inquit, gratia plena: Dominus tecum. Non eſt amplius diabolus contra te. Vbi enim prius hoſtis ille vulnus inflixit, illic medicus adhibet medicamentum. Vndè mors ingreſſus principium habuit, indè ſibi vita aditum patefecit. Per mulierem mala fluxerunt,

Epitheta illuſtria S. Mariæ. Per mulierem emanant bona. Aue gratia plena. Ne te pudeat, quod mulier cauſa damnationis extiterit. Tu enim Iudicis & Redemptoris mater exiſtes. Aue gratia plena, quæ mundi paries Saluatorem. Aue gratia plena, genitrix vitæ, quæ mortem delebit. Aue animatum Dei templum. Aue cæli pariterque terræ domicilium. Aue naturæ illius, quæ comprehendi non poteſt, ampliſſimum habitaculum. Per hanc adeſt, chariſſimi, ægrotantibus medicus; In tenebris conſidentibus, illuxit Iuſtitiæ ſol; Tempeſtate iactatis, factus Ancora, portuſque tutiſſimus; Deo inuiſis

Epheſ. 2. & inimicis reconciliatio, captiuis redemptio, in bello verſantibus munitiſſimum propugnaculum: ille nimirum, qui eſt pax noſtra. Qua quidem pace, vtinam detur nobis frui, per gratiam

eiuſ-

eiusdem Dei nostri Iesu Christi: cui gloria, & Imperium, cùm patre, & sancto Spiritu in secula seculorum, Amen.

## *VITA S. HERMELANDI NOVIOMAgensis, primi Abbatis Antrensis: ex ea quæ est apud Surium. Obijt anno Domini 690.*

Vide Cæs. Bar. in not. Mart. Rom.

HErmelandus apud Nouiomagenses nobilissimis ortus parentibus, cùm maximam sui spem admirabili quadam ingenij dexteritate commoueret, à parentibus literarum studijs traditus est. Ibi tum ille omnes coëtaneos tanta discendi celeritate anteceſſit, vt parentes non mediocriter laudibus eius, quæ in ore omnium versabantur, delectati, à scholis abductum, regio ministerio deputarent. Sperabant enim, vt hac ratione non modò parentes adæquaret, sed longo etiam interuallo gloria superaret. At vir Dei Christi amore ebrius, animi nobilitatem carnis nobilitati longè anteferebat, & assidua mente & cogitatione quomodò se aliquandò terrenarum rerum curis extricaret, voluebat. Sed nè patris imperium planè negligere, & parentum voluntatem aspernari videretur, passus est se titulis & honoribus decorari, ita tamen vt intimis animæ medullis, Christi humilitatem retineret semper. Factus itaq; Francorum regi Glotario à cyathis, partim amicorũ precibus, partim etiã parentũ auctoritate, nobilissimi cuiusdam viri filiam, cõiugem sibi accipere coactus est. Ille quamuis à nuptijs vehementer abhorreret, animum tamen vultu egregiè texit, donec oblata occasione, modestè admodũ regi se aperiret, & infimis precibus, vt posthabita terrena militia, ad Christi se castra

25. Martij.

Natales eius clari.

Ingenij eius felicitas.

Cogitur esse aulicus.

Fit regi Frãcorũ à cyathis. Puella ei despondetur.

Petit à rege missionem.

se castra transferre liceret postularet. Rex hac postulatione perculsus, hortatus est eum, ne in illo ætatis flore ab ipso discederet. At ille non precibus modò, sed rationibus etiam voluntati regis obuiauit, tantaq; verborum & sententiarũ virtute pugnauit, vt Rex diuino correptus timore, Dei vindictam, si diutius voluntati eius resisteret, vehementer formidaret. Hermelandus igitur, hisce vinculis solutus, statim è palatio regis ad Fontanellense cœnobium se contulit, vbi excellenti vitæ integritate non modò iuniores, sed illos etiam qui omnes corporis vires, in diuinarum rerũ contemplatione triuerant, superauit. Præerat tũc temporis illi monasterio Lambertus, vir omnibus virtutum disciplinis excultissimus; qui Hermelandum propter clarissimam virtutis indolẽ, quam in eo cernebat, egregiè carum habebat, & honore etiam prosequebatur, dignumque censebat, qui sacris aris admoueretur. Igitur ab eius loci Episcopo Audoẽno sacerdotio initiatus, virtutum suarum splendorem clarius exhibebat. Per id tempus Nannetensi ecclesię, *Pascharius Episcopus præerat, qui pro eximia sua in Deum pietate, frequenter de monasticæ vitæ perfectione, luculenta admodùm oratione ad populum disserebat, multisque rationibus, quàm vtilis & necessaria toti prouinciæ istorum hominum cõsuetudo foret, declarabat. Nam quamuis non infrequens esset ibidem monachorum habitatio, tertij tamen ordinis, vt appellabant, professio, ijs incognita erat, quæ tunc tẽporis, reliquos monasticæ vitæ professores longè anteibat; Igitur populus Episcopi sui rationibus inductus, tertij ordinis monachos vehementèr expetere, & Episcopum precibus & pollicitationibus vrgere cœpit,

Monachus fit, in cœnobio Fontanellensi.

Fit presbyter.

*Pasquarius

pit, vt homines pietate & religione præstantes acciret, quorum precibus contra diuini numinis iram tuti consistere possent, & eorum pariter cõsuetudine ad omnem virtutis amorem paulatim traduci. Placuit hæc res antistiti: nec mora interposita, legatos ad Lambertũ destinauit, per quos viros in omni virtutis exercitatione præstantissimos obtinere nitebatur. Lambertus habita secũ deliberatione, Hermelandum huic itineri delegit, eique quidnam ad pacem, & otium fratrum constituendum fieri vellet, explicauit. Postremò, commendata illi sanctissimæ religionis & disciplinæ obseruantia, cum benedictione à se demisit. Hermelandus vt erat non modò pietate, sed rerum etiam agendarum prudentia insignis, vbi primùm ad Nannetensem episcopum peruenit, summa diligentia omnia quæ ad cælestis vitæ in terris constituendæ quietem spectare videbantur, pertractauit, locumque ab hominum conspectu remotissimum elegit, cui ob id ipsum Antrũ nomen imposuit. Erat altum ibi silentium, tanta tranquillitas, vt anachoreticam appetentibus vitam, mirificum eremi desiderium adferret. Nec mora, Hermelandus & loci amœnitate, & antistitis benignitate inuitatus, continuò monasterij fundamenta iacere, & duo insigni opere templa ædificare cœpit, breuique multorum auxilijs adiutus, ad culmen deduxit; alterum D. Petro, alterum verò Paulo dedicauit. Rex quoque, quibuscunque potuit ornamentis, cœnobium amplificauit. Intereà multi contempto seculo sese in eã societatem receperunt, multi suas proles illic Christo militaturas obtulerunt, tantaque illo patre & ad numerum & ad virtutem ac vitæ sanctitatem indies facta est accessio, vt huius rei fama se

Nannetensis episcopi, ad S. Lambertũ legatio.

Hermelandus, locum monasterio constituẽdo idoneum eligit, eumq; antrum appellat.

Antrense monasteriũ construitur. Multi se adiungũt Hermelando.

se longe lateque diffunderet.

Visio S. Hermelandi.

Nocte quadam, vir sanctus pro sua consuetudine diuinę contemplationi intentus, vidit Abbatis Maurenti viri valdè venerabilis animã, ducibus angelis, ad cælos migrare. Cumque in eam diutius oculos fixisset, fratres dato signo ad orationis studium vocauit, hortatusque est omnes, vt deuotis precibus viri optimi animam Deo commendarent. Contigit quandoque virum Dei per Nannetensem pagum cum aliquot fratribus iter habere; fortè eis obuiam venit Arnoldus quidã, ingenti obsequentium turba stipatus. Erat enim mundi huius gloria, & diuitiarum existimatione facilè princeps. Hunc postquàm vir sanctus admirabili quadam sermonis suauitate, ad omnẽ virtutis, pietatisque rationem informasset, dixit vni è fratribus. Hactenus quidem pro ingenij nostri tenuitate, huic viro illustri spiritualem ministrauimus potum, superest, vt hortante nos charitate, corporalem etiam pariter sumamus. Cui frater cùm responderet, perexiguum admodum vini adesse, quod vix heminæ mensuram excederet, vir Dei idipsum quod esset, adferri iussit, atq; de Christi benignitate confidens, expresso crucis signo, vinũ ita redundauit, vt singulis singuli calices vino pleni suppeterẽt, nec tamen exhaustũ esset. In cuius sanè præclari miraculi testimonium vasculum illud, vnde vinum fundebatur, in S. Patris asseruatur monasterio.

Vinũ edita cruce augescit.

Magna erat in viro sancto prudentia, magna in regiminis sibi commissi officio moderatio. Tempus omne ita partiebatur, vt neque fratrum curam deponeret vnquam, neque sibi externa cura impeditus, minus cautè inuigilaret. Interdiu summo studio fratrum suorum salutem curabat,

rabat, noctu totus in rerum cælestium contemplatione, atque in sanctis precibus, & hymnis & psalmis versabatur. Accidit nocte quadam, cùm precandi studio monasterij sui basilicas lustraret, vt in vna ex ijs extinctum lumen reperiret. Iussit igitur fratri, vt lumen extinctum suscitaret. Sed cum ille manu lucernam gestaret, & nequicquàm contra venti vehementiam lumen tutari vellet, vir Domini iussit eum gradum sistere, & extenta manu, edito crucis signo, lumen extinctum restituit. Signo crucis extincti lumen accendit.

Cùm aliquandò in pago Constantino, res monasterij necessariò perlustraret, fuit benignè admodùm à viro Launo nomine, egregiè nobili, ad prandium vocatus. Non recusauit vir sanctus, sed vt erat comis valdè & iucundus, domum ingressus benè ei precatus est. Launus summa beneuolentiæ significatione hospitem suum lætus excepit, & quamuis copia vini non suppeteret (terra enim illa botros non gignit) tamen in tanti hospitis gratiam, liberaliter non modo conuiuis & amicis, sed pauperibus etiam & peregrinis superuenientibus promi iussit. Peracto prandio, vir Dei ad ædes suas in villam Oglandam redijt. Porro Launus postridiè, num quid vini superesset, ex vxore scisciatus est. Vxor vase diligenter inspecto, plenum illud omninò reperit, moxque viro indicauit. Ille mirificè exhilaratus, mittit indè ad virum sanctum, simulque certiorem eum reddit, quanto ipsum Dominus ob eius merita beneficio affecisset. Negauit vir Dei meritis suis hoc tribuendum esse, sed potiùs eius benignitatis studio, quo pauperibus non minùs quàm sibi consuluerat. Humilitas S. Viri.

Erat vir Dei omnibus sanè virtutibus mirificè orna-

ornatus, nec vllis dæmonum insidijs in peccati consensum pertrahi poterat. Non tamen malignus propterea ei insidias struere cessauit, sed nũc hos, nunc illos, ad molestias varias, viro sancto inferendas excitauit, vt si non funditus eum euertere, saltem de aliquo virtutum gradu deijcere posset. Ad hanc rem rustici cuiusdã animum improba cupiditate inflammauit, vt de ephippio viri sancti aliquid præcideret, hacque ratione mẽtem eius à tranquillitate ad impatientiam pertraheret. Et ille quidem furtum suum perpetrauit, sed mox diuina vltio hominẽ ita seuerè corripuit, vt tanquam ignibus inflammatus, conflagrare, & horrendos clamores, cum eiulatu valdè miserabili edere, & Hermelandum inclamare cœperit. Accessit vir Dei, & hominẽ scelere vinctum precibus soluit, & cibo potuque abundè refectum, incolumem à se dimisit, monuitque nè deinceps maligno hosti assensum præberet. Eodem ferè tempore, alius quidam, stimulante cupiditate, boues sancti viri, qui onusta lignis plaustra trahere solebant, furto abstulit. Sensit vir Dei magno se commodo destitutum, sed tamen æquo animo ferens ad solita orationum præsidia se recepit, rogans Dominum vt boues abacti restituerentur. Tanta verò fuit earum precum vis, vt miser ille qui boues procul abigere moliebatur, multo confectus labore, manè ad cœnobij fores eos adduxerit. Gauisus vir Dei, recepit boues suos; porrò furem blandè castigatum admonuit, nè posthac se ab inimico dæmone in flagitium pelli pateretur: ne & hic obnoxius crimini pœnas daret, & postea apud inferos æternum cruciaretur.

**Furtum rustici, diuina vltio prosequitur.**

**Fur diuinitus cogitur, restituere abactos boues.**

Iàm verò cùm ætas ingraueſceret, non ſe remiſſius

missius in spirituali palestra gessit, sed aliquid potius virtutum cumulandarum desiderio, ad conuersationis rigorem, quatenus quidem ferre potuit, adijcere curauit; non minimam se iacturam fecisse arbitratus, si non quotidie aliquid virtutum suarum exercitijs accessisset. Itaque cum prouecta iam esset ætate, paruum oratoriũ in honorem Sancti Leodegarij martyris, ad fores monasterij orientales extruxit; vbi abdicata pastorali administratione, quam non ambitione sed necessitate diu gesserat, facta quoque fratribus potestate alium eius loco sibi patrem deligendi, sese inclusit; vt curis omnibus expeditus, liberè soli posset esse diuinæ contemplationi intentus. Adiunxit autem sibi quatuor fratres eiusdem propositi, quos vna secum inclusit.

Eximius alius feruor.

Oratorium S. Leodegarij.

Abdicat se Abbatis functione.

Porrò fratres cœnobij Antrensis subrogârunt ei Adalfredum Abbatem, cuius electio licet summa regis voluntate approbaretur, Hermelandus tamen diuino edoctus spiritu, eidem interesse recusauit. Nam ille paulo post oblitus se patrem esse, maligni dœmonis instinctu deprauatus, paternam functionem mutauit in tyrânidem. Nam tùm sui, tum fratrum cura neglecta, rebus superuacaneis sese dedidit, & ab interioris vitæ studiis, iusto Dei iudicio, prolapsus, sola externa sectatus est. Quod vt resciuit Beatus Hermelãdus, acrioribus eũ verbis obiurgauit, omniq; contentione in eo pugnauit, vt eũ ab animi fastu quo turgebat, ad humilitatis studiũ & animarũ curã, quæ prima illi esse debebat, traduceret. Sed ille cũ aures animũq; sanctis eius monitis occlusas haberet, diuinam vltionem imminentem expectare maluit, quam ad mentem redire. Eò enim impietatis homo ille proruperat, vt non contentus Christi patrimo-

Aldafredus Abbas inhumanus.

trimonium fratribus illis relictum, in res inutiles profundere, verumetiã alimenta eis necessaria subtraxerit, & quod dictu quoq; nefas est, dirissimè flagellari voluerit. Hanc inauditã in monacho tyrannidem, Hermelãdus cũ intellexisset, fratres suos, quacunque potuit ratione consolatus, tandem ingemiscens ait. Silete fratres, silete, videbitis enim repentinum eius interitum. Nec enim vel vnius mensis spatio, licebit ei lucis huius vsura frui. Ab hinc tertio die, miser ille Adalfredus vidit, se in visione beati Hermelandi scipione verberari; & eiulans, cœpit velut ignibus inflammatus dirè torqueri, atque hoc modo vitam cum morte crudeli commutauit.

**Diuina Vltio in Adalfredum.**

**Donatus succedit Adalfredo.**

Illo extincto, vnus è fratribus, Donatus nomine, consilio & auctoritate Hermelandi, subrogatus fuit; qui summa cum laude monasteriũ, quoad vixit, gubernauit. Intereà Hermelandus plenus dierum, & virtutum omnium splendore illustris, cum iam tempus illud à Deo præfinitum adesse intelligeret, quo ex vitæ huius miserijs ad alteram vocandus erat, fratres iterum atque iterum ad suscepti semel propositi constantiam hortatus, sacro se Dominici corporis & sanguinis sacramento muniuit, atque inter orationis verba, spiritum in manus benignissimi creatoris efflauit. Sacrum eius corpus, multis cum lachrymis in Basilica B. Pauli Apostoli conditum est, vbi non pauci magna sanitatum beneficia diuinitus sunt adepti.

**Moritur fœliciter S. Hermelandus.**

**Miracula ad sepulchrum eius.**

*VITA S. LVDGERI, PRIMI EPISCOPI MONASTERIENSIS; qui dictus est Apostolus Saxonum. ex ea quæ est prolixè admodùm scripta per monachos VVerdinensis cœnobij, à S. Ludgero extructi.*

*Claruit temporibus Caroli Magni Imp.*

*Obijt an. Domini 809.*

Vide Cæs. Bar. in not. Mart. Rom.

LVdgerus ex Frisia oriundus, parentes habuit prima nobilitatis gloria insignes, & fidei & religionis sanctitate claros. Auus eius, quem Vurisingum appellabant, ex illa primum familia Christo nomen dedit. Is Ado cognomẽto, à Rege Radbodo, qui tunc Frisiæ imperitabat, ob iustitiæ defensionem exilio mulctatus, in Franciam peruenit. Sed cum post mortem Radbodi, Carolo regnante, Frisia Francorum accessit imperio, ab ipso demum in patriam, cum summa dignitate restitutus est. Huius filius iunior, qui Thiadgrinus appellabatur, sancti viri pater erat: mater Liafburga dicebatur. Hæc auiã ex paterno genere habebat gentilẽ. Quæ cã doleret filio tantum filias nasci, furore fœmineo succensa, matrem sancti viri eadem, qua nata fuerat hora, aquis necari præcepit. Vnde cùm iuxta crudele eius mandatum, situlæ aqua plenæ à mancipio, cui hoc erat iniunctum immergeretur, puella brachiolis extensis, veraque manu marginem situlæ apprehendit, & quibus potuit viribus reniti ne mergeretur; Itaque in hac colluctatione prorsùs mirabili, vicina mulier superuenit, & misericordia mota, infantulam de manu mergentis eripuit. Et quia iuxta superstitionem gentilium, semel aliquid gustantes illicitum erat necari infantes, cum puella domum festina

2c. Martis. Patria & parentes S. Ludgeri.

Pater eius Thiadgrinus.

Mater Liafburga.

Crudelitas auiæ S. Ludgeri.

Nota matrem Ethnicum, erga infantes.

regressa, ori eius de melle aliquid immisit; quod cum statim ipsa sorbuisset, ab imminentis mortis periculo liberata est. Verum postquam iam adulta ætate fœlicibus auspicijs marito iuncta esset, & virum Dei Ludgerum in vtero gestaret, casu nescio quo tam grauiter prolapsa est, vt palus super quem ceciderat, latus penetraret, & extremum mortis periculum, tam sibi quam infanti minitaretur. Sed & hoc periculo, Dei benignitate liberata, infantem fœliciter enixa est, cui in sacro baptismatis fonte Ludgero nomen impositum fuit.

Natiuitas S. Ludgeri.

MOX igitur vt pedibus insistere, & vocem in verba formare potuit, egregium futuræ sanctitatis & eruditionis specimen de se præbuit. Interrogatus quandoque adhuc puerulus, quid per totum diem operatus fuisset, tale fertur dedisse responsum; Ego die tota aut libros composui, aut legi, aut scripsi. Inquisitus vlterius quis eum docuisset: Deus, inquit, me docuit. Profecto admiranda omninò in tantillo pectore doctrina. Hoc enim verbis illis dixisse videtur; Cur me interrogatis quis me docuerit, quasi quisquam alius singulos doceat, quam Deus. Nisi enim Deus mentem intus erudierit, labore forinsecus homo proficere non potest. Verum vbi cum ætatis processu scientia simul cum meritis in Ludgero accreuit, ne qua ignorantia laberetur, obnixè à parentibus viro alicui in sacris literis erudito se tradi postulauit. Parentes plurimũ gauisi eum Gregorio cuidã literarũ scientia & morũ probitate insigni, (qui ea tempestate Traiectinæ sedi in gradu presbyterij præsidebat, & sancti martyris Bonifacij successor erat) cõmendarunt. Apud quẽ breui temporis spatio eos in literarũ scientia & optimis disciplinis pro-

Nota mirabile paruuli responsum.

Traditur Gregorio presbytero, in disciplinam.

progressus fecit, vt nihil præter cælestia & æterna meditari posset. Itaque rebus huius mundi valere iussis, se totũ in Trajectensi monasterio Dei seruitio mancipauit.

Eo tempore, in Anglia, summa quadam scientiæ & maximarum artium cognitione admirabilis florebat Alcuinus. Ad hunc igitur Ludgerus, vt mentem excellentiori scientia expoliret, simulque vt sacris ordinibus in Anglia initiaretur, contendit. Gregorius enim, presbyter tantùm, cathedræ Episcopali præsidebat. Vbi primò annum vnum in studiorum curriculo summa diligentia exegit; deindè tres continuos cum dimidio, ea diligentia apud Alcuinum collocauit, vt nihil ei vel ad totius scripturæ intelligẽtiam, vel ad monasticæ disciplinæ perfectionem deesse videretur. Domum igitur ad suos reuersus, incredibilẽ omnibus voluptatẽ attulit. Erat tunc Gregorius ætate & laboribus confectus, adeò vt morbis oppressus, è vita excederet, & Albricum nepotem successorem relinqueret. Is vnico Ludgerum affectu diligebat, & quia ipsius prudentiæ & pietati plurimùm tribuebat, statim ei animarum curam in Dauentrienſi parochia commisit. Suscepit eam prouinciam confidenter, & quia auditione perceperat, Lebuinum olim in ea vinea laborasse, & beato agone consumptum, in Ecclesia à se quondam cõstructa, sed Saxonum feritate funditus euersa, quiescere, cœpit summa diligentia beati viri corpus inquirere, eoque non inuento, collapsa templi fundamenta erigere. Sed accidit dùm iactis fundamentis parietes erigere pararet, vt nocte quadam Lebuinus ei appareret, & ad cõstantiam suscepti operis excitaret. Qua visione mirificè confortatus Ludgerus, non dubitauit deo-

Ludgerus, Alcuino, in Anglia, annos in vniuersum quatuor, adhæsit.

Albricus succedit Gregorio.

S. Lebuinus apparet Ludgero.

deorum fana & diuersa idolorum simulachra,
Ludger⁹ demolitur, Deorũ fana in Frisia.
quæ in Frisia apud omnes summo in honore erãt, cum ingenti capitis sui periculo demoliri, & Christi Euangelium cõstanter eis annunciare. Eo tempore Diaconi adhuc officio fungebatur, sed Albrico pontificatùs ordinem sortiente, presbyterij ab eodem gradum suscepit, simulque Ecclesiæ Doctor in pago Ostrache constitutus est.

VVindekindus Dux Saxonum.
Ea tempestate Dux Saxonum VVindekindus grauissimum Frisiæ bellum intulit, omniaque cædibus & incendijs miserè compleuit. In hac perturbatione Ludgerus, cùm neque martyriũ quod optabat mereretur, neque vllum suæ prædicationi locum, cunctis vnanimiter resistentibus, dari videret, cedendum tempori ratus, Romã ad Leonem Pontificem se recepit; à quo benignè admodùm habitus est, suaque singulari eruditione, & eximia morum probitate effecit, vt Carolo Magno innotesceret, summamque apud eum existimationem obtineret. Carolus autem vehementer eius sanctitate delectatus, plurimumque eius prudentiæ tribuens, quinque in Frisia pagos ei, & insulam vnam quam Bant appellant, commisit.

S Ludgerus venit Romã.

Ludgerus prædicitur Frisijs.
Hos vir Dei & verbo & virtute aggressus, ab infinitis dæmonum erroribus perpurgauit, effecitq; vt cum multi Christo nomina darent, etiam vicinæ insulæ, quæ in ipso Frisonum atque Danorum cõfinio sita est, statim inter primos, princeps ipse crederet, & Landricum filium suum ei de fonte leuandum offerret. Quem vir Dei, posteà sacris imbutum literis, etiam presbyterum ordinauit.

Multi credũt in Christum, & ipse princeps cũ filio.
Igitur cùm huiusmodi quotidiè operibus, & apud Deum sanctitatis meritum augeretur, & apud homines fama eius magis magisq; cresceret,

Rex Nortmannorum,
etiã Nortmannos euangelizandi gratia adire cogitauit,

gitauit, sed impij regis mandato prohibitus, Saxonum Occidentalium, qui ab idololatria ad Christum recenter conuersi fuerant, curam susscepit.

(quos hodiè Noruegos vocant) non admittit S. Ludgerum.

Quodam tempore cùm euangelizandi gratia, vir Dei Ludgerus ad quandam in Frisia villã nomine Heligwerde accessisset, inter alios qui illuc ad audiẽdum eum confluxerant, quidam etiã cæcus aduenit. Pro cuius illuminatione cùm multi virum sanctũ orarent, vt suis precibus eam à Domino obtinere contenderet; ille de animæ magis quàm corporis lumine sollicitus, quæsiuit ex eo, vellet nè pura oris cõfessione crimina omnia expiare, & salutarem pro ijs pœnitentiã peragere. Respondit miser, se ad integram peccatorũ suorũ confessionẽ paratum esse. Nec mora, altera die cũ summa doloris testificatione, crimina sua cõfessus, & animæ & corporis salutem consequutus est. Monuit tamen vir sanctus, nequid sibi eo in opere asscriberet, sed totum Christi Saluatoris gratiæ & benignitati acceptum referret.

Cæcum illuminat.

Erat in quodam diœcesis eius loco Billerbeki, mulier quędam valdè nobilis, sed incestis nuptijs infamis, quæ vt ab infamiæ nota & æterno animæ periculo solui posset, munusculis & donis sanctum virum aggressa est. Misit enim die quodam, testeum pretiosissimi mellis vas plenum, quod vir Dei nullo modo recipere voluit, asserens se participare non posse, quæ se illicito connubio alienam ab Ecclesia fecisset. Hac igitur via frustrà tentata, mulier plerosque ex discipulis eius aduocauit, ijsque præfatum mellis vasculum tradens, rogauit vt viro Dei persuaderent, vellet eam à peccatorum nexibus clementer soluere. Illi cupiditate ducti, mel Episcopo nescio susscipiunt, & quia alium vbi reconderent locum

Respuit oblatũ munus ab incesta.

repentè non inueniebant, subtus altare linteis vndique coopertum, illud locauerunt; Iamque aderat tempus quo res diuina peragenda erat, & eccè ad primum orationis initium, vas illud crepuit, & melle effuso, minutatim desciſſum est. Itaque melle per terram fluente, Ludgeri sanctitas omnium ore celebrata est.

Nota miraculum.

Villa est in pago Sudergo, quæ Alna nuncupatur. Ad hanc dum magno studio diœcesim suam peragrãs veniſſet, pauper quidam luminibus orbatus acceſſit, illoq; ad mensam sedente, magnis vocibus misericordiam viri sancti implorauit. Exijt festinus Diaconus, cuius id officij erat, vt stipem petentibus, cibum potumque benignè porrigeret. Sed pauper ille, reiecto cibo aliud sibi neceſſarium esse dixit; Nummum igitur ei tradidit. Sed & illum accipere recuſauit. Diaconus igitur non intellecto quid postularet, dimisso illo, in domum regressus est. Porrò ille foris relictus, iterato clamore misericordiam implorauit. Tunc Episcopus miserum ad se introduci iuſsit, & quæ tanti clamoris causa esset, quæsiuit. Respondit ille, Fac vt videam, obsecro te pater, per amorem Dei. Tùm Ludgerus, Videas, inquit, per amorem Dei. Quo dicto, integrum oculorum lumen protinùs recepit, lætusque indè abijt.

Videretn admirandã.

Quodam tempore cùm per Hassiam iter haberet, vidit in campo quodam hominem quendã atrociſſimo supplicij genere mactatum. Furtinamque reus, quo per fraudem VVindekindi Saxonum Ducis caballos auerterat, tali mortis generi adiudicatus erat, vt in campo ad stipem ligatus, iactatis in eum ſudibus præacutis & lapidibus, necaretur. Quo facto, corpus exanime in cãpo relictum, miserandum valdè transeuntibus

Nota genus ſupplicij, ſæuiſſimum.

ſpecta-

spectaculum prębebat. Ludgerus autem comperto, quòd Christianus fuerat, sepulturā ei à VVindekindo impetrauit. Interim dùm fossa à libitinario pararetur, discerpta totius corporis membra colligi, & summo studio foueri iussit; statimque non sinè ingenti astantium stupore, qui mortuus putabatur respirare cœpit. Deindè à fossa ad Episcopi tentorium reductus, potuque refectus, integrā membrorū sanitatē, breuissimo temporis spatio recepit. Fertur eo in loco, lapidea crux ab incolis erecta, in huius miraculi monumentū ad nostra ferè tempora perstitisse, & campum illum à nomine viri ipsius, qui Buddo appellabatur, Buddonsfelt vocatum esse.

Excitatur homo, omnibus membris dilaceratus.

Oppidum est in Saxonia cui nomen Meppea, in cuius vicinia dum sacer Antistes Frisiam peragraret, aspexit vulgi Concilium die ipsa Dominica congregatum. Quare admiratione detentus, misit eo Diaconum, vt causam conuenticuli tali die facti, cognosceret. Intellexit autem reo cuidā suspendium parari. Nec mora, concito gradu eò contendit, & blandis eos verbis affatus, hominē illum sibi concedi postulauit, aut si scelus supplicio dignum commisisset, in alium illud diem reseruarent. Illi spreto episcopo, mortem illi accelerabant. Obtinuit tamen vir sanctus, vt liceret sibi cum homine verba de æterna salute facere. Facto sermone & confessione, quæ ad animum expiandum pertinebat ritè peracta, homo in patibulum sublatus est. At verò vespere illius diei cùm Antistes sex ab eo loco milliaria peregisset, venit ad illum homo ille, qui iam omnium opinione expirauerat; Mirantur vniuersi, & stupore oppressi, quasi ab inferis excitatum intuentur. Quibus ille rem ex ordine pandere cœpit. Ego, inquiens,

Homo suspensus, mirabiliter liberatur.

inquiens, dùm episcopo à me digresso, in patibulum traherer, vidi duos incredibili decore viros à latere episcopi equitantes, quorum alter ad me festinè rediens, nescio quid mihi pendenti supposuerit, ità vt quasi pedibus insistens, dolorem prorsus nullum sentirem, donec his qui me suspenderant hinc illinc dispersis, eiusdem auxilio solutus sum, solutoque vestris insistere vestigijs, & episcopo pro concessa vita gratias agere, imperauit, quam ipse, dùm à fatuis contemneretur, à Domino impetrârat.

Mira sunt hæc.

Intereà assidua illi construendi monasterij cura, in VVerdena viuebat. Erat ibi nemus quoddá arborum opacitate, & arbustorum densitate vndique concluſum. Ibi fixis tentorijs, primo mane arbores diruere, & locum, ponendis ædificijs expurgare, si qua facultas daretur, dispoſuit. Sed operarij, lustrato diligenter nemore, spem omnem prorsùs abiecerunt, negantes humanis viribus fieri posse, vt locus ille construendis ædificijs idoneus redderetur. At Episcopus cùm se à suis relictum, & humana ope destitutum cerneret, se totum ad precandum Dominum comparauit. Cumque orationem in multam noctem protraheret, cognouit per spiritum à Deo se exauditum esse. Igitur in tentorium suum, cunctis (vt putabat) ignorantibus, rediens, mox cœlum crebro fragrore intonuit, tantamque tempestatis & turbinis vim excitauit, vt ventorum impetu, annosa radicitus arbusta strauerit, locumque construendo cœnobio valdè oportunum præbuerit. Tunc animus ædificandi cunctis additus est, magnaq; celeritate opus a fundamẽtis ad culmen perductum.

Vir sanctus precib⁹ suis multas euertit arbores, vt sit locus construẽdo monasterio.

Post hæc leni corporis infirmitate correptus, tempus sibi à Deo præfinitum adesse intellexit, quo

quo corporis ergastulo soluendus, & beata immortalitatis gloria, donãdus erat. Cuncta igitur, quæ ad iter hoc necessaria videbantur, summa diligentia curauit. Assiduis precibus & hymnis ad cælestis patriæ amorem se excitabat. Missam incredibili mentis vigore quotidiè ferè in hac infirmitate celebrabat, Sacros codices sine intermissione sibi prælegi faciebat, nec interim commissas sibi oues negligebat, sed pridiè quàm ex hac vita migraret, duas luculenta sanè doctrina ad plebem conciones habuit, atque hoc modo rebus omnibus, tàm quæ ad animum expiandum, quàm quæ ad Ecclesiæ statum stabiliendum necessariæ erant procuratis, spiritum suauiter creatori suo reddidit. Funus, cum multis omnium lachrymis, in ecclesiam Monasterien sem, Deiparæ Virg ni Sacram, inductum fuit. Trigesimo autem secundo, ab obitu eius die, inde ad cœnobium, quod in VVerdena fundârat, fuit (vt viuus desiderârat) delatum, & extra Ecclesiam, in parte orientali sacrum eius corpus humatum. Quod quidem, tanto post mortem tempore, non modo ab omni corruptione alienum, sed tanta etiam odoris fragrantia plenum inuentum fuit, vt omnes ad eius sanctitatẽ debitis laudibus celebrandam, vehementer impelleret.

Exercitia ægrotantis.

Obdormit in Domino.

Corpus S. Ludgeri VVerdenam translatum.

Corporis incorruptio & fragrantia.

Fuit in pago Nordgoa, Irmingerus quidam qui cùm iuuentutis suæ florem, in sancti Ludgeri seruitio triuisset, lumen oculorum amisit, & tredecim annis miseranda hac cæcitate laborauerat. Postquàm autem Ludgerus carne solutus fuit, nocte quadam huic cæco apparuisse dicitur, atque seriò mandasse, vt ad VVerdenense Monasterium contenderet, fore vt ibidem amissum oculorum lumen, DEI benigni-

Miracula post obitũ.

S. Ludgerus apparet cæco.

benignitate reciperet. Et vt ei certiorem spem salutis faceret, animumque ad Dei misericordiam magna fiducia implorandam adderet, hoc ei signum ostendit; quòd locus cutis, quem apprehenderat, alium à reliqua carne colorem assumpserit. Mane facto, summa celeritate eò quo iussus fuerat, contendit, & nocte sequenti in precibus exacta, pristinum lumen plenè recepit. Eadem nocte paralytica quædam, coram sepulchro sancti viri opem eius supplici voto postulauit, quæ etiam sanitati pristinæ restituta est.

Cæcus illuminatur.

Sanatur paralytica.

Hilderadus diaconus qui in VVerdenensi cœnobio CHRISTO famulabatur, cùm puer adhuc literis operam nauaret, in morbum incidit ex quo poples eius, contractis neruis ità incuruatus fuit, vt tibia fœmori iuncta, præter insignem deformitatem, ingentem etiam miseriam ei relinqueret. Hæc calamitas patrem eius Sigebertũ (qui magno pietatis studio ductus, eidem Christi seruitio se totum addixerat) sæpè cruciabat. Vndè varia frequenter cum fratribus, de sanitate filio restituenda, consilia agitabat. Interea nocte quadam Ludgerus Hilderado per visionem apparuit, & verbis asperis, ab ope à medicis implorãda deterruit; postremò de animi leuitate & incõstantia vehementer increpauit, atque hoc modo abscessit. Altera autem die, vespertinis laudibus peractis, domum illam quæ infirmis ad sanitatẽ recuperandam deputata est, intrauit. & eccè graui prolapsione, diuino proculdubio nutu, in terram corruit, ruptisque, qui exaruerant, cum sonitu neruis, sine aliquo dolore sanus & incolumis erectus est. Tùm ille manus in cælum tendere, & Dei bonitatem, in seruo suo Ludgero, magnis vocibus prædicare. Plurima alia admirandæ virtutis opus

S. Ludgerus apparet, Hilderado diacono contracto.

Contractus subito fit sanus.

tis opera, à viro sancto edita legũtur, quæ nos studio breuitatis referre omittimus. Hęc duo de annua eius celebritate agenda miracula, silentio præterire non possumus.

Fertur fuisse vir quidam cui nomẽ Dindo, qui cùm & in vita & in morte sanctum Ludgerum incredibili amore prosequeretur, statuit illi annuos honores deferre. Itaque ad VVerdenense monasterium venire, & beati viri memoriã maximo deuotionis studio frequentare cõsueuerat. Sed nè crebrior eius accessus, fratribus molestiã inferret, suos cum annona homines, qui suis suorumque vsibus necessaria pararent, præmittere solebat. Necdum verò annua sanctitatis eius memoria, à fratribus colebatur. Accidit autem vt die quodam, qui eius natalitio sacer esse debebat, coquendæ ceruisiæ epulisque parandis intenderẽt, sed (quod dictu mirum est) ligna in ignem missa, stipularum instar momento temporis deuorabãtur. Deindè alia pòst alia igni immissa, nullã vim adferre potuerunt. Cùm tamen operi nihilominus instarent, & summa contentione vt ceruisiæ cocturam perficerent, laborarent, tandem oleum & operam se perdidisse doluerunt; adeò vt ceruisia, tantis sumptibus & sudore parata, gustu nimis amara, effundi debuerit. Ità euidenti iudicio cõpertum fuit, hunc diem diuinis laudibus in Ludgeri nomine consecrandum esse. Anno igitur sequenti, cùm natalis eius celebritas superueniret, visum est fratribus monasterij VVerdensis, totum illum diem, intermisso opere, diuinis laudibus mancipare, alijs interim, vt par erat, libertate cõcessa. Sed cum plurimi ex vicinis, exemplo monachorum excitati, simili deuotionis studio ducerentur, quidam verò operibus suis insistendum

Nota mirũ quiddam.

satiùs

Vide hic miraculum, de eius solennitate, celebranda.

satiùs esse ducerent, contigit vt fractis aratris nihil proficerent. Vnde quidam Benno nomine, furore & amentia præceps, aratro vtcunque restaurato, crebris boues stimulis ad arandum impulit. At illi insania efferati, disruptis loris & iugis sylvas petierunt, nec antè sanè capi potuêre, quàm ipse cum reliquis ad S. Ludgeri memoriam veniens, suæ temeritatis & contemptûs culpam cõfessus, fratrum pro se orationem supplex impetrasset.

Vide Cæsar. Bar. Annal. tom. 4.

*VITA S. ISAACI MONACHI, EX EA QVAE est per Metaphrasten. Claruit verò maximè, Anno Dominicæ Incarnationis 378. Damasi Papæ 12. Valentis 15. Gratiani 12. Valentiniani 3.. Impp.*

27. Martij. Persecutio Valentis.

POst venerandæ ac viuificæ Crucis Domini nostri Iesu Christi inuentionem, Valens imperio potitus, cùm summus esset Arianæ hæresis fautor, grauissimam in Ecclesia Dei persecutionem excitauit. Et quidem inaudito quodã animi fastu sese ostentans, templa alia solo æquabat, alia sacerdotibus vel exilio vel morte mulctatis, in stabula redigebat. Erat eo tempore ingens apud veros Dei seruos luctus & lamentatio, omnisque melioris conditionis spes penitùs illis præcisa erat: cùm Isaacius quidam, Dei spiritu plenus, & monachus virtutum maximarum splendore insignis, assiduis precibus & lachrymis diuinam opem, contra tyrannidem Imperatoris implorabat. Nec dubitauit post assidua & præclara orationum certamina, ipsum Imperatorem totius impietatis caput aggredi.

Nota, & cõfer cum nostra ætate.

Eo tempore, Barbari apud Danubium, copioso admodùm milite bellum aduersus Imperatorem

rem mouebant, & ad regiam vrbem totis viribus aſpirabant, & prædas interim ingentes agebant. Imperator quoque ſimili ſtudio exercitum coëgit, vt hoſtem antequàm maiores vires ſumeret, virtute ſua opprimeret. Cùm igitur ad bellum properaret, Iſaacius ei occurrit, & talibus eum compellâſſe verbis dicitur; Tu ô imperator, ſi fœlici marte cum hoſte tuo confligere vis, orthodoxas prius eccleſias reſtitue. At ille virum ſanctum ne reſponſo quidem dignatus, gradum accelerauit. Cui rurſus Iſaacius; Aperi, inquit, Imperator, orthodoxorum eccleſias, & bellum ex animi ſententia conficies, ſaluuſque cum inſigni nominis tui gloria domum redibis. Ad has voces Imperator conſtitit, coactoque concilio, rem conſultatione dignam iudicauit. Sed Præfectus qui peſtiferæ Arianorum ſectæ facilè princeps erat, tanta vi reſtitit, vt Imperatorem ad ſupplicium viro ſancto inferendum impelleret. Non tamen potuit Iſaaci animus, & Eccleſiæ totius & Imperatoris ipſius ſalutis amore vehementer inflammatus, Præfecti malitia adeò frangi, vt non tertio Imperatorem à peſte, in quam ruebat, blandè reuocaret. Paucis itaque diebus interiectis, Imperatorẽ proficiſcentem rurſus aſſequitur, arreptoq; equi ipſius fræno, cõſtanter eum hortatus eſt, vt ablatam eccleſiæ pacem reſtitueret, ſeq; ab imminẽte exitio eriperet. At ille mente in ſcelere obdurata perſiſtens, virũ ſanctum corripi, & in locũ quendã, horribili ſpinarũ denſitate obſitũ, proijci iuſſit; vt ibi auxilio omniũ deſtitutus, inter horrẽda ſupplicia animã ageret. Sed fuit ei pro humano diuinũ continuò oblatũ auxiliũ. Angelorũ enim miniſterio (qui numero tres, cãdidis induti veſtibus ab eo viſi ſunt) planè incolumis reſtitutꝰ fuit.

Iſaaci verba, ad Imperatorem.

Viri Dei, ſumma magnanimitas.

Valẽs iubet Iſaacium in ſpinas iactari.

Liberatur ab Angelis.

Tunc

Tunc vir Dei incredibili gaudio perfusus, cum lachrymis Deo gratias egit; sumptaque maiore fiducia, iterum se Imperatoris cõspectui obiecit. Imperator eo viso obmutuit. Existimabat enim, iàm eum supplicij atrocitate cõsumptum, exspirasse. Cui vir sanctus vultu intrepido; Tu quidem, inquit, ô Imperator interitum mihi spinarum aculeis machinatus es, sed clementissimus Deus, cuius ego legatione apud te fungor, per Angelos suos ab omni cruciatûs periculo me eripuit. Quamobrem audi me, & noli te mente furibunda in pestem sempiternam præcipitem dare. Si libertatem orthodoxis restitueris, clarissimam de hostibus tuis victoriam consequeris: sin verò salutaria monita contemnere pergis, viuus igne cõflagrabis.

Hac dicendi libertate vehementer commotus Imperator, vinctum eum Saturnino & Victori Senatoribus custodiendum tradidit, vt bello ex animi sententia (quemadmodum sperabat) confecto, crudeli vindicta animi sui perturbationem sanaret. Sed miser cæco impetu in pestem ruens, eundem omnino finem, quem vir sanctus prædixerat, sortitus est. Nàm vt commisso prælio, fusus fugatusque ab hoste fuit, latebras cum suo præfecto in quodam stabulo quæsiuit. Sed cum quorundam indicio illic eum latitare Barbari comperissent, flammas in stabulum coniecerunt, viuumque horribili incendio combusserunt, atque hoc suæ impietatis iustum à Deo præmium consequutus est. Succéssit autem huic Theodosius, vir fidei & religionis studio præclarus. Saturninus verò & Victor, quorum custodiæ vir sanctus à Valente traditus fuerat, statim eum non modo vinculis liberârunt, sed summo etiam, tanquàm pro-

Valẽs viuus, ignibus concrematur.

Valenti, succedit Theodosius.

phe-

phetam, honore prosequuti sunt. Et quidem postquam Constantinopolim (in qua ciuitate Theodosius Imperator sedem elegerat) peruenerunt, pia inter se contentione certabant, vter eorum viro sancto domum ædificaret. At ipse, cognita eorum contentione, & grato obsequio, Audite, inquit, me serui Christi; Quandoquidem conferendis in digno mihi beneficijs inter vos certatis, & domicilium mihi erigere vultis, eius ego domum gratissima voluntate acceptabo, cuius in ædificando maior diligentia enituerit. Vterque igitur summo studio eigratificari voluit. Saturninus tamen qui extra muros ædificabat, Victorem & diligẽtia & industria anteuertit, & domicilium, duplici contignatione costructum ei tradidit: inquo vir sanctus admirabili sanctitatis opinione reliquum vitæ cursum exegit. Quotidie, vel ingentem hominum turbam, pietatis studio ad se confluentem singulari humanitatis ratione excipiebat, eisque æternæ salutis monita, mirabili quadam dulcedine, tradebat, vel ciuitatem ingressus, luculẽnter de rebus diuinis ad populum differebat. Quod si sermone diutius protracto, portas ciuitatis clausas forte inuenisset, signo Crucis edito, sponte eas reserabat. Ab homine paupere vel calamitoso, faciem suam nunquam auertit: quin etiam si nihil quòd tribueret ad manus haberet, veste se nudabat, eamque valdè benigne egenti largiebatur. Omni tempore vitæ suæ grauitatem seruauit, spiritu feruens, vt ait Apostolus, Domino seruiens, spe gaudens, in tribulatione patiens, orationi instans, omnibus benedicens, maledicens nemini, angelorum imitans vitam, vestigia sequens Apostolica, tum zelo, tum sacrificio, tum desiderio Christi, omnem

Saturninus & Victor; volunt Isaacio domum ædificare.

Signo Crucis portas aperit.

Rom. 12

manſuetudinem erga omnes homines præ ſe ferens, aduerſarios cohortans vt confiterentur & adorarent ſanctiſſimam trinitatem, atque cœleſtem angelorum & diuinam imitarentur vitam.

Perfectum moderamẽ.

Cum tempus à Deo conſtitutũ adeſſet, vt mortalitatis ergaſtulo ſoluendus, ad ſempiternam gloriam tranſmigraret, vocatis in vnum fratribus, luculenter admodũ de Chriſtianæ fidei myſterijs, eiuſque dignitate diſſeruit, omneſque inflammato in Deum amore, hortatus eſt, vt viriliter ad extremum vitæ ſpiritum, pro ea, quam à Deo gratis acceperant, fide, decertarent. His dictis, ſe ſuoſque pia oratione Deo commendans, ſpiritum ſuauiter efflauit. Fuit funus cum multis lachrymis, in templum S. Stephani protomart. illatum, & ſanctæ atque precioſæ eius reliquiæ, in ſacro altari collocatæ.

Animam efflat.

## *VITA S. RVPERTI, PRIMO VANGIONUM, deinde Salisburgenſis Epiſcopi. ex ea quæ eſt fideliter conſcripta apud R.P. Laurentium Surium.*

Vide Cæſ. Bar. in not. Mart. Rom. & Tom 8, Annal.

*Floruit temporibus Childeberti, ſecundi Regis Francorum, & Theodeberti eius filij A. Domini 593.*

*Hic Bauariæ Apoſtolus dici meruit.*

27. Martij

CVm Rex Childebertus apud Frãcos regnaret, Anno ſecundo regni eius, ſanctiſſimus Chriſti Confeſſor Rupertus, apud Vangiones Epiſcopi fungebatur officio; is genus ſuum ad Reges Francorum referens, tantam carnis nobilitatem & præſtantiam, fide & pietate in Deum eximia mirifice illuſtrauit. Cuius ſi quis virtutes compendio noſſe velit, erat multa animi manſuetudine, integra corporis pudicitia & caſti-

Genus eius regale.

Catalogus virtutum S. Ruperti.

& castitate, cum columbina simplicitate, serpentis obtinens prudẽtiam; in laudibus Dei deuotus, consilio prouidus, in ferendis iudicijs iustus, plenus sancto spiritu; à dextris & à sinistris præclarè virtutum armis munitus; gregi suo, optime viuendi seipsum formam exhibens, quod sermone docuit, vita & factis declarans; corpus assiduis vigilijs, perpetuisque ieiunijs macerans, operum misericordiæ valdè studiosus; adeò largus & benignus in inopes, vt dum illos foueret beneficijs, seipsum ad inopiam redigeret, atque hoc solum suum esse putaret, quod in miseros & egenos contulisset.

Multi ad eum confluunt.

Fama autem sanctitatis eius, non modò per vrbes, sed etiam regiones vulgata, permulti ad eum illustres confluxere viri, non solum è vicinis, sed etiam longinquis populis, vt eius sanctissima doctrina imbuerentur, & Catholicæ Religionis, ex illo puram cognoscerent veritatem; vel certè etiam, ab eius sacro ore in rebus duris & asperis, salutarem haurirent consolationem. Et multi sane illi⁹ opera, ab hostis antiqui laqueis sunt extracti, & in viã salutis æternæ perducti; Porrò homines impij & hæretici, qui tum non pauci apud Vangiones visebantur, virum sanctum non ferentes, multis eum supplicijs affectum, & virgis ignominiosè cæsum, ab oppido cum magna iniuria expulerunt. Sunt qui scribant Beringerum Regium comitem, quem alij Bercharium vocãt, viro Dei succensum, eum ita inhumaniter tractasse, maxime quod is Beringerus Arrianis faueret. Verum hac occasione, maiora pietatis lucra viro Dei accesserunt. Nam per id tempus Theodo, Bauarorum Dux inclytus, audiens famam hominis Dei, itemque sanctitatem & miracula quæ

Cæsus virgis VVormatia eijcitur.

Theodo dux Bauariæ.

per eum Dominus efficiebat, magno eius videndi desiderio accensus, misit quosdam ex viris primarijs, qui eum obnixè precarentur, vt Bauarorum regiones dignaretur inuisere, & eis sanctæ fidei viam explicare. Vt autem vir sanctus legatorum tum præstantiam tum preces didicit, non ignorans diuinæ prouidentiæ moderatione istud geri negotium, gratias egit præpotẽti Deo, quod sedentibus in tenebris & vmbra mortis, verum vitæ lumen, Christum Iesum filium suum, impertire percuperet. Itaque cum legatis illis, quosdam ex presbyteris suis ad Ducem præmisit, nec multo interiecto temporis spatio, ipse eos subsecutus est. Quod vbi ad Ducis notitiam perlatum est, ingenti ille perfusus gaudio, cum proceribus suis processit obuiam sancto viro, & in oppido Ratisponensi cum sũma alacritate excepit.

Theodo Dux. Baptizatur cum multis.

Porrò Sanctus Rupertus indictis ieunijs, de cœlestibus mysterijs Ducem instituit, & in vera fide confirmauit; effecitque vt dœmonum cultui prorsus renunciaret, & postremo in nomine sacrosanctæ Trinitatis baptizauit, neque illum duntaxat, sed cum illo pariter viros primarios, & nõ exiguam populi multitudinem, nobiles simul & ignobiles; qui omnes laudabant mundi redemptorem, qui ipsos de tenebris, in admirabile lumen suum vocare dignatus esset. O vere beatum Pontificem, per cuius sermones illuminata sunt peccatorum tenebris obnubilata pectora, & arentia infidelium corda, vitæ fontem sitierunt. Iam vero vndis salutaribus abluto Duce simul ac populo, eiusdẽ principis permotus precib⁹ S. Rupert⁹ cõscẽsa naui, per Danubiũ descẽdens, vicis & castellis, Euãgeliũ Christi libera voce prædicauit, atq; ita p Noricos ꝓficiscẽs in inferiorẽ vsq;

Panno-

Pannoniam peruenit. Lumen fidei, ipse lucerna illustris,& super candelabrum posita passim omnibus inferens. Indè iam pedestri itinere reuertens, Laureacum venit; vbi multos à dæmonum cultu abstractos baptizauit, complures etiam variis oppressos morbis, in Christi nomine sanitati restituit. Laureacum. Claret miraculis.

Inde Laureaco digressus, vbicunque ethnicismum magis feruere cognouit, eò intrepidus accessit; dissipans idola,& accuratè omnibus exponens Christi Iesu Domini nostri diuinitatem pariter & humanitatem siue incarnationē, vt vnus idemque verus Deus,& homo verus esse crederetur, antè Luciferum à patre Deo verus Deus genitus, in fine seculorum, humanæ salutis causa, ex virgine matre verus homo natus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cum autem ad preces Ducis Theodonis & populi, vir Dei locum deligere vellet, vbi sedes Episcopi cōstitueretur, ad locum VVallersex (quē textus historiæ huius, lacum VVallarij vocat) ædē Pontificiam primò extruxit, atque in honorem beatissimi Apostolorum principis Petri templū ædificauit,& dedicauit, ad Iuuarium fluuium, vbi olim Iuuauium vrbs fuit, quæ priscis temporibus extructa mirabiliter, inter Baioaricas vrbes clarissima eminebat; sed tum destructa, raro iam habitata ciue, penè collapsa & virgultis operta videbatur. Cernens autem vir Dei, locum illum nō importunum esse Cathedræ Pontificiæ, (quippè inter montosa loca situm, & ab vulgi strepitu remotum) eum sibi à Duce Theodone dari petijt. & summo studio instaurauit, & sancti Petri Ecclesiam, quam ædificârat, clericorum ministerijs, & rebus necessarijs, liberalitate fretus eiusdē principis, Psal 109. Ioan. 1. Iuuauium instaurat S. Rupertus.

copis, magnificè instruxit & auxit.

Hac ferè tempestate, quidam viri boni, sancto Antistiti, non sine multa admiratione retulerunt, in ea eremo, quę tunc quidem certum non habuit vocabulum, nunc autem Bonguoni dicitur, cælestia quædam ardentium lucernarum terque quaterque se conspexisse prodigia, & odores eximiæ suauitatis hausisse. Cum autem his auditis cuncti obstupescerent, Sanctus Episcopus Domingum, venerabilem presbyterum suum eò misit, rei huius veritatem accuratè exploraturum; addiditq; illi crucem ligneam, quam sua manu benedixerat, iubens vt eam illo in loco statueret. Itaque Domingus vbi eò peruenit, in ipsis noctis initijs, cum Religiosis, qui ei aderant viris, cælitus descendere vidit luculentas lucernas, totamque illam regionem instar solaris radij illustrare. Hanc autem visionem, cum admirabili odoris suauitate coniunctam, tribus continuis vidit noctibus; moxque in eodem loco sacratam defixit crucem, extructoque super illam tuguriolo, ad sanctum Rupertum regressus est; cui cum rem totam exposuisset, ille communicato cum principe Theodone consilio, ad eremum illam profectus est; cernensque posse locum humanæ habitationi accommodari, cœpit annosas extirpare quercus, & densam syluam in campi planitiem redigere, templumque cum seruorum Dei domicilijs, siue habitaculis exædificare. Per id tempus Theodo princeps aduersa correptus valetudine, cum sibi propè adesse sentiret supremum vitæ tempus, vocauit ad se *Theodebertum filiũ suum, eumque Ducem Noricorum constituens, præcepit vt S. Ruperto obsequentem & morigerum se præberet, atq; ad propagandum Christianismum, & opus

Crux lignea à S. Ruperto benedicta.

Visio in quadam Eremo.

*Theopertum.

& opus diuinum, sedulò illum adiuuaret, sanctũque locum Iuuauensis Ecclesiæ amaret, & honoribus ac dignitatibus perpetuò eueheret. Cumq; hæc mandata dedisset filio, diem clausit extremũ. Eo defuncto, Theodebertus cũ procerib' suis abijt ad sanctum Rupertum, visendi eius gratia; morabatur is tum in ea, quam diximus, eremo. Vbi autem ad eum peruenit Dux, & illum & locum in quo degebat pio venerabatur affectu, contulitque Ecclesiæ, quam S. Rupertus illic constructerat, & præsente Duce, in honorem S. Maximiliani dedicauit, syluæ illius tria in circuitu milliaria, atq; insuper villam Albinam cum cæteris, vt indè sustentarentur Monachi, quos sanctus Episcopus Deo seruituros illic congregauerat.

Theodo decedit è vita.

Posthæc videns vir Dei Bauaricam gentẽ Christianæ quidem religioni colla submisisse, ac interim tamen supereſſe non paucos ethnicismi erroribus & tenebris implicatos, ad patriam profectus est; assumptisque indè duodecim egregijs socijs, qui ei in docendis populis suam nauarent operam, Iuuauium reuersus est. In ijs autem duodecim, eximij erant Cunibaldus & Gisilarius presbyteri, viri multa sanctitate conspicui. Adduxit verò secum etiam Erentrudam neptem suã, & cum in superiori Iuuauensis vrbis castello, in honorem Domini nostri Iesu Christi, & sanctissimæ matris eius Mariæ monasterium extruxisset, multas illic collegit sacras virgines, ijsque præfecit ipsam Erentrudam, vt cælesti Regi & sponso Christo famularentur; Porrò ad preces * Theoperti Principis, qui illi monasterio plurimas attribuit possessiones, illarum Virginum conuersationem per omnia rectissimè instituit.

S. Erentrudæ neptis S. Ruperti.

*Theodeberti.

His ita gestis, cogitabat vir beatus susceptum

verbi & sanctæ prædicationis ministerium, diuinæ gratiæ subnixus ope, accuratè prosequi. Itaq; Iuuauio egressus, Noricos populos, adiunctis sibi socijs, peragrauit; & quibus necdum fidei lumen ortum didicit, eis Christum diligenter annunciauit, profligatisque ab eorum pectoribus, teterrimi dæmonis impostoris & fraudibus, ijs instillauit fidem, castitatem, humilitatem, & Misericordiam; quibus Christus omnium bonorum largitor & fons, delectatus hospitibus, libenter earum mentium ingreditur domicilia, quas ijs præditas animaduertit. Cumque hunc in modum Baiarorum fines vir beatus circumiret, & omnes ad sacram religionem traduxisset, hortabatur vt in fide constantes permanerent; relictisque apud eos presbyteris, qui populum ad diuina mysteria cõsuefacerent, Iuuauium se recepit, ex diuina reuelatione non ignorans, propediem instare diem obitûs sui, quem etiam discipulis suis indicauit. Quorum sanè animos tam triste nuncium non immeritò consternauit, quod non se duntaxat sed etiam tam multos, Christiana Religione nuper admodum initiatos, tanto viderent pastore destitui. At ille multa fiducia in Christum erectus, Iuuauium, & Noricos populos præpotenti Deo cõmisit, Vitalemque, virum sanctum atque omni plebi pergratum, sibi petijt fieri successorem.

Prædicit diẽ obitus sui.

Deinde cum dies Quadragesimalis Obseruantiæ (sic enim loquitur Author huius historiæ) agerentur, febrium ardoribus vir sanctus defatigari cœpit. Porrò illucescente Christi resurrectionis sacratissimo die, Missarum solẽnia celebrauit, & sumpto sacrosancto corporis & sanguinis Christi viatico, post dulces paternæ pietatis adhortationes, & extrema benignissimæ charitatis alloquia,

Dies quadragesimalis obseruãtiæ.

quia, quibus discipulorum animos confirmabat, inter sanctas illorum miserè plorantium manus, emisit spiritum. Ecce autem dum lugent discipuli, cœtus Angelici, à quibusdam audiũtur religiosis viris, cum canticis cœlestibus animam sancti viri ad illam beatam Hierusalem perferentes. Cumque eius sacratissimum corpus ad sepulchrũ apportaretur, visi sunt viri splendidissimi, candidissimis amicti stolis; qui peractis ijs quæ ad funeris curam pertinent, disparuerunt; quos quidẽ nemo dubitauit Angelos fuisse, atque idcirco apparuisse, vt omnes intelligerent, qua ille beatitudine frueretur in cælis, ad cuius sepulturam etiã Angeli non dedignarentur adesse in terris.

Migrat è corpore S. Rupertus.

Certissima signa eius sanctitatis, & æternæ adeptæ salutis.

O fœlicem Iouauiensem vrbem, tam insigni munitam Patrono; quæ etsi murorum ruinis videatur despicabilis, at illius meritorum lumine egregiè claresci t. Denique tanti viri intercessione fulti, gaudent Norici omnes, & præpotenti Deo perpetuas offerunt laudes, qui tam præclarũ ipsis contulerit doctorem; cuius doctrina & prædicatione viam veritatis agnoscentes, erepti sint de tenebris, & perducti ad Christum lumen verũ, viuentem & regnantem in infinita secula seculorum, Amen.

S. Rupertus Doctor Noricorum.

## *DE SS. MARTYRIBVS PRISCO, MALCHO, & Alexandro. Ex histor. Ecclesiast. Eusebij Lib. 7. cap. 11. Passi sunt Vltronei. Anno Christi 260. Sixti Pap. 1. Valer. & Gall. Impp. 6.*

Vide C. Bar. Ann. tom. 2.

IN illa persecutionis clade, quæ regnante Valeriano passim manauit, tres viri, ob veram Christi confessionem insigniter prædicati, 29. Martij.

Cæsareæ Palestinæ bestiarum rictibus, velut prædæ obiectati, diuino & cælesti martyrio, non sine maxima commendatione decorati fuerunt. Quorum vnus Priscus vocabatur, alter Malchus: tertio nomen erat Alexander. Fertur verò istos ruri degentes, primum seipsos, tanquam inertes & desides probris affeciſſe, quòd cùm temporis opportunitas, præmium vitæ æternæ his qui cælesti eius desiderio gliscebant, dispertire videretur, ipsi pre negligentia quadam & segnitie, martyrij coronã non præripuissent. Deindè cum inter se ita deliberassent, absque mora Cæsaream versus ire pergunt, extemplò proficiscuntur ad iudicem, & eius vitæ exitum, qui suprà demonstratus est, assequuntur.

Offerunt se Iudici.

## DE CYRILLO DIACONO ET MARTYRE. *Ex hist. Eccles. Theodoreti lib. 3. cap. 6.*

Vide Cæsar. Bar. Annal. tom. 4.

*Inuicto animo, Certamen exegit. Anno Incarnati verbi 362. Liberij Pap. 11. Iuliani Apostatæ, Imp. 2.*

19. Martij.

QVæ maleficia hi, qui falso simulachrorum cultu tenebãtur obstricti, id temporis (sub Iuliano Apostata) admiserint, quãquã permulta sunt, & opus seperatum postulant, ego tamen pauca ex multis sumam mihi ad commemorandum. Ascaloni & Gazæ (quæ sunt vrbes Palestinæ) primùm, virorum sacerdotij dignitate exornatorum, & mulierum perpetuam virginitatẽ professarum ventres discindunt, deindè farciunt hordeo: ad extremum eos porcis ad deuorandum obijciunt.

Sub Iuliano, vt sæuierint gentiles, in Christianos

Immanis crudelitas.

Sebastæ item, quæ est vrbs, ditioni gentis de qua suprà dixi subiecta, Iohannis Baptistæ tumulum aperiunt, ossa tradunt igni absumenda, & eorum

Imitẽtur id nostri tẽporis hæretici.

rum cineres passim dispergunt. Scelus autem ab illis in Phœnicia patratũ, quis est quæso qui sine lachrymis possit commemorare? Nam Heliopoli, quæ est vrbs Libano finitima, execrabiles isti gentiles, recordati facinoris Cyrilli diaconi, qui regnante Constantino, diuino quodam zelo accensus, multa simulacra, quæ in ea vrbe colebantur, confregerat, non modò eum interfecerunt, verumetiam dissecto ventre, iecur eius degustare non sunt veriti. Verùm Deũ omnia contemplantem hoc celare non poterant, sed debitas sui maleficij pœnas ei dederunt. Nam quotquot illius sceleris labe inquinati sunt, primùm amiserunt dentes, qui pariter omnes ad vnum excidebant; deinde linguas perdiderunt, quæ putredine tabefactæ, ex ore effluebant; postremò oculis orbati sunt; quorum calamitatibus, verę pietatis vis clarè prædicata est.

Cyrilli diaconi horrẽda cædes.

Vltio cælestis.

## *VITA ET CERTAMEN SS. ARMOGASTIS, & Saturi, ex lib. 1. Victor. Vticens. de persecutione VVandalica. Certarunt pro fide Orthodoxa. An. Incarn. verbi 456. Leon. Pap. 17. Marciani Imper. 7. Extat apud Reuer. P. Laur. Surium.*

Vide Cæs. Bar. Annal. tom. 6. & not in Mar. Rom.

QVo tempore Geisericus rex VVandalorũ, impijs antistitum suorum persuasus consilijs, in aula sua, filiorũque suorũ, nõ nisi Arianorũ ministerijs vti decreuit, inter alios ventũ est tunc ad Armogastem, Orthodoxę fidei confessione insignem. Cuius, cum diu ac sępius tibias torquendo, tumentibus confringerent chordis, frontemque, Christi crucis signatam vexillo, mugientibus comprimerent neruis, vincula ipsa, haud

29. Martij.

Acerbi Armogastis cruciatus.

haud secus ac aranearum fila, sancto cælum perpetuò respiciente crepabant. Quo viso, tortores allatis crebrò fortioribus chordis atque canabinis, tanto etiam fortius eum stringebant. Sed illo nihil aliud, nisi Christi nomen inuocante, omnia illa vanescebant. Indè cum capite deorsum ex altero penderet pede, nullo doloris sensu exhibito, dormire suauiter cunctis videbatur. Quæ res Theodoricum regis filium, & martyris Dominũ, ad mortem gladio accelerãdam prouocauit. Sed lata mortis sententia, Iocundus presbyter, inuidia cõcitatus sese opposuit, & Theodorico diffua sit, ne martyrij gloria coronatus Armogastes, sempiterna à Romanis prædicatione celebraretur. Igitur mutata sententia, Theodoricus in Bizacenam Prouinciam, ad fodiendas scrobes eum condemnauit, ac postea quò maiori omnibus opprobrio esset, haud procul à Carthagine, vaccarũ custodiæ deputauit. Inter hæc, Domino reuelante, cum obitûs sui diem cerneret proximum, accito cuidam Felici optimo Christiano, & regiæ domûs Theodorici, procuratori, sedulò in mandatis dedit, obtestatusque est, vt exanime corpus sub filiqua arbore, quam designabat, sepelire dignaretur. Cumque Felix, Armogastis studiosissimus, contradiceret, assereretque Christi martyrẽ, multis trophæis inclytum, celebriori sepultura dignissimum esse, locumque ei in vna Basilicarũ cum triumpho & gratia deberi: Armogastes iterũ præcepit, vt se in loco diuinitus ostenso reconderet. Mira res. Paucis post diebus sanctissimo viro vitæ munere perfuncto, Felix effossa humo, & radicibus siliquæ abscissis, sarcophagum splendidissimi marmoris inuenit, cuius magnificentia cum regis cuiuslibet luxu & ornatu certabat; in quo

Eximia eius in tormẽtis tolerantia.

Inuidetur ei martyrij gloria.

In exilium mittitur.

Efficitur vaccarum custos.

Dies eius obitus reuelatus diuinitus.

Moritur vir sanctus.

quo sacrum corpus cum multis lachrymis recondidit.

Eadem tempestate pari constantia & virtute vir, Saturus, prauitatem Arianorum libertate Catholica frequenter arguebat; quem Maritiadus quidam, Diaconus, ea propter accusabat: & infausto Hunerico, vt ad perfidiam Arianam traduceretur persuadebat. Promittuntur honores & diuitiæ multæ, si faceret, præparantur supplicia dira, si recusaret. Hac optione proposita, vt si regio non obediret imperio, bonis omnibus, mancipijs, denique ac filijs distractis, vxor ipso præsente, camelario in coniugium traderetur.

Præclarum Saturi certamen.

Amara & suauia proponuntur.

Hac tam dira denunciatione coniunx exanimata, inducias à ministris, nesciente marito, petijt: statimque instar Euæ, callidi serpentis instructa consilio, ad maritum accessit. Conscissis vestibus, crineque soluto, comitantibus filijs, infantulam quæ lactabatur, ad pedes mariti abiecit, deinde suis ipsa vlnis genua complectens, draconis voce ferationem sibilare cepit. Miserere mei dulcissime, simul & rui, miserere liberorum cõmunium, ne conditioni seruili subiaceant, quos generis nostri prosapia claros reddidit. Quid? Nunquid patieris vt indigno & turpi subijciar coniugio viuente marito, quæ mihi semper inter coæuas plaudebam de Saturo meo? Nouit Deus, quod inuitus facturus es, quod fortè voluntariè aliqui fecerunt. Cui ille, sanctissimi illius lobi respondens voce: Tanquam, inquit, vna de insipientibus mulieribus loqueris. Si diligeres maritum, nunquam ad secundam mortem attraheres propriũ virum. Distrahant filios, separent vxorem, auferant substantiam, ego de promissis Domini mei securus, illum monentem auscultabo: Si quis nõ demi-

Sollicitatur ab vxore vt perfidiam simulet.

Cap. 2.

Egregium reddit vxori responsum.

Matt. 19.

Varijs modis cruciatur, ac tandē mēdicus dimittitur.

dimiserit vxorem, filios, agros aut domum, non poterit meus esse discipulus. Quid vltra? Discedente muliere cum filijs refutata, confortatur Saturus ad coronam, discutitur, expoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur. Interdicitur ei prodeundi accessus, totum ei tulerunt, stolam tamen baptismatis auferre non potuerunt.

Vide C. Bar. tom. 3. Ann.

*ILLVSTRE MARTYRIVM SS. IONAE & Barachisij fratrū, ex eo quod est apud Metaphrasten, Auctore, & spectatore Isaia Adami filio, Saborij Persarum Regis equite. Coronati sunt anno Saluatoris 344. Iulij Papæ 8. Constantij & Constantis Impp. 8.*

29. Martij. Persecutio regis Persarū in Christianos.

EO tempore, quo Saborius Persarum Rex 18. anno regni sui, grauē aduersus Christi Ecclesias excitabat persecutionem, & inaudita quadam crudelitate sacras ædes ac monasteria flammis absumebat, atque Christianæ fidei professores varijs tormentis excruciabat, erant in regione Persarum in quodam vico qui vocatur Iasa, duo fratres Ionas & Barachisius, viri iustitia fideq; pleni; qui audita persecutione in Christianos, relicta domo paterna, alacri ac confidenti animo, ad eum locum in quo Christiani contra tyrannum omni suppliciorum genere decertabāt, contenderunt. Cùm verò ad vicum, (quem Bardiaboch appellabant) peruenissent, & carceris custodem obnixè rogarent, vt sibi ad vinctos Christi accedendi potestatem faceret, ea multis precibus obtenta, inuenerunt viros nouem morti damnatos; quorum nomina hæc sunt; Zanitas, Lazarus, Marothas, Nerses, Elias, Mares, Abibus, Sembeethes, & Sabas. Hos sanctus Ionas & Barachisius, cum ad certamen pro Christi nomine inuictis animis

Ionas & Barachisius fratres.

Nomina ix. Martyrum.

nimis subeundum hortati essent, illi post multos cruciatus, incorrupta martyrij corona, magna cũ laude redimiti, in cælum ad Angelorum choros aduolârunt.

Post horum autem fœlicissimum vitę cursum, cum magna Christiani nominis gloria peractum, quidam magi sanctum Ionam & Barachisium apud Magorum principes detulerunt, quod ipsi non modò deos deasque omnes contemnerent, sed etiam quòd suis potissimum sermonibus nouem istos martyres, ad tantam animorum constantiam inflammassent. His auditis Magi indignatione repleti, iusserunt eos suis conspectibus præsentari; qui adducti, intrepidè se Christianos esse, & vni ac summo Deo magis quàm impio mortalis regis decreto parere velle dixerunt. Magi hac libertate dicendi ad maiorem indignationem prouocati, virgas asperas è malis punicis atque spinosas afferri iusserunt: alterumque ab altero separatum quæstionibus subiecerunt. Et primùm quidem Sanctus Ionas, cum à tribus Magorum principibus Masdrath, Seroth, & Maarnesem interrogatus esset, malletne regis Saborij iussis parere, quàm vitam in atrocissimis supplicijs cum ignominia & dedecore deserere, hoc modo respondit; Nunquam ego negabo Dominum meum Iesum Christum viuentem in sæcula, quoniã ipse est spes omnũ Christianorum, nec confundentur, qui sperant in eum. Veniet enim in nubibus cæli, in gloria patris sui, redditurus vnicuiq; secundum opera sua: quare facite in me, quæcunq; vobis mandata sunt. Ego enim nullis supplicijs, à Christo Iesu meo auellendus sum.

S. Ionas & Barachisius principibus Magorum oblati profitentur se Christianos

Præclarum S. Ionæ responsum.

Apocal. 22.

Hæc cum audiuissent Magorum principes, ira concitati, iusserũt, vt lege Persica vinciretur. Tra-

iecta

Attrociter flagellatur.

iecta igitur virga inter manus & crura, trunco similis, humi voluebatur. Tunc ministri spinosis, è malo punica, virgis crudelissimè eum verberârunt, adeò vt lateribus vndique dilaceratis, sanguine suo pauimentum rigaret. Ipse verò, nulla omninò doloris significatione exhibita, Deum glorificabat; & Christi virtutê prædicabat: Deorum verò vanitatem constanter arguebat. Vndè magi iusserunt, vt ex altero pede funiculo vinctus, in pruinam & glaciem extraheretur, obseruareturque quid frigoris causa faceret.

Exponitur algoribus.

S. Barachisius adducitur.

His ita peractis, adductus est Barachisius; qui iussus sacrificare, vultu sanè & spiritu tantum nefas redarguit; & luculentis admodum verbis de adoranda rerum omnium creatrice vnius veri & æterni Dei potentia disseruit; deorum verò dearumque vanitatem & cultum eadem, qua eius frater Ionas, cõstantia, reiecit, atque impietatem eorum execratus est. Erat in vtroque tanta virtus, tanta constantia, tantaque in verbis & sententijs grauitas, vt ipsi Magorum principes in admirationem rapti, è vulgi conspectu eos subducendos putarent, ne (quemadmodum dicebant) plebs nostra, auditis eorum sermonibus, à religione nostra deficiat, & immolare recuset. Tunc igitur iudicium intermissum. Nocte verò adductum Barachisium, varijs sermonibus & disputationibus aggressi sunt; sed cùm sanctus diuina munitus sapientia, insignem cum admiratione aduersariorum, victoriam de omnibus argumentis obtineret, illi indignati duas glebas æneas ardentissimas, sub axillas eius admoueri iusserunt, dixerúntque; Per regis regum Saborij coronã, abijce glebarum alteram, vt intelligamus te Deum tuum negasse. Adhæc Barachisius, ministri sathanæ, inquit,

Cruciatur S. Barachisius.

Insignis S. Barachisij constantia.

quit, & principes scelerati, per salutem Dei mei, & interitum sathanæ patris vestri, non timeo regem vestrum, & neutram glebarum in terram abijciam, sed vtramque propter nomen Christi perferam. Quin etiam vos adiuro per viuentem in secula, vt si quos habetis cruciatus nouos, ad hûc eos adiungatis. Hæc cum à Sancto Barachisio dicerentur, principes magorum in furorem rabiemque conuersi, liquefactum, in palpebras nareſque eius, plumbum coniecerunt, atque vt vocem illius Christum confitentem intercluderent fauces eius impleuerunt. His verò tormẽtis Christi martyr satiatus, in carcerem est abductus, ibidemque altero pede suspensus, inuicta sua patientia tantam tyrannidem superauit.

Iterum adducitur S. Ionas.

Post hæc B. Ionas iterum adductus, quæsitus est quonam esset affectus animo, & quomodo noctem illã glaciei ac frigori expositus transegisset, Ionas qui totus erat in sanctissimis Christi vulneribus cõtemplandis absorptus; Principes, inquit, mihi credite. Ego à prima natiuitatis meę die, nullam vnquam noctẽ tranquilliorem, suauioremque mihi extitisse memini. Præsto enim mihi fuit consolatio vna omnium dulcissima, ex sacrosancto illo ligno, cui affixus Dominus meus Iesus Christus suis liuoribus nostros languores egregiè sanauit. His auditis magi dixerunt; Iona quæsumus te, omissis istis inanibus verborum iactantijs, nonne magis expedit, vt Deo tuo relicto, regis nostri inuictissimi mandato obedias, quam vt vitam inter acerbissima tormenta deseras; Ionas ad hæc, ô, inquit, cæci & stulti, hæccine est prudentia vestra? Expendite quæso veritatem. Homo qui triticum habet in horreo reconditum, illudque summa prudentia ac vigilantia multiplicare

Nota respõsum admirabile.

Elegans similitudo.

desiderat, nunquid is poterit vllo modo cõtineri, vbi tempus seminandi adesse cognouerit, quamuis & imbres & niues & fulgura, & reliquæ aëris iniuriæ vigeant sæueantque, quò minus foras prodeat & sumptum in manibus triticum seminet, quô vberes ex eo sequenti anno fructus recipiat? Et nos qui in hoc tempore gratiæ à deo constituti sumus, vt in præsenti vita, præclara virtutum omnium semina spergamus, quò pòst, fructum vitæ sempiternæ metamus, nunquid inertes adeò erimus, vt pro exiguo labore, oblatam æternæ vitæ coronam negligamus?

His auditis, Magorum principes admiratione confixi, conticuêre; tandèm verò manuum ac pedum eius digitos præciderunt, præcisosque illi obijcientes, dixerunt; Ecce nunc digitos tuos in terram seminauimus; expecta igitur, vt messis tempore multos digitos recipias. Quibus sanctus respondit; Ego digitorum multitudine non egeo, sed deus qui me formauit, ille tempore iudicij corpus hoc reformabit. Hęc cùm multò magis furorem eorum prouocarent, cutem capitis illius abraserunt, linguamque euulserunt, atque in vas ingens, ardenti pice ac resina plenum coniecerunt, ac postremo sanctum ipsum in illud deturbârunt; sed pix diuina virtute effluens, sanctum non attigit, prorsus vt crudelitatis ministri, viso tam insigni miraculo, obstupefacti pedẽ retraherent. Postremo autem Principes Magorum diuinum virum in cochleam coniectum, tanta vehementia torserunt, vt omnia ipsius ossa confringerentur, deinde ipsum medium dissecuerunt; atque hoc modo præclaram martyrij palmam adeptus, lætus ad cœlos migrauit.

Præciduntur Ionæ digiti omnes.

O crudelitatem.

Miraculum.

Immanissima supplicia.

S. Ionas moritur.

Tunc verò eodem furore Barachisium aggressi, iusserunt

iusserunt eum in medios spinarum aculeos conijci, & carnes eius arundinibus quibusdam dilaniaris deinde eadem cochlea, qua frater eius Ionas de morte triumphum obtinuerat, omnia ossa cõfringi, ac bulliente pice fauces eius impleri. Tulit cuncta inuicto animo martyr, atque in Christi confessione constanter persistens, beatum Deo spiritum tradidit. Item S. Barachisius.

Cùm autem vir quidam pietate insignis, nomine Abdissotas, sanctos martyrio coronatos intellexisset, non dubitauit amore diuini numinis inflammatus, tyranni satellites accedere, & ingenti pecuniarum summa, sacrosancta martyrum corpora redimere. Quingentis namque miliarisijs Daricis, (sic enim scribit auctor) & tribus vestimẽtis Sericis, sanctorum reliquias mercatus est, neque vllis insuper, quo Christi ecclesia tanto reliquiarum thesauro securè frui posset, sumptibus pepercit. Abdissotas emit corpora sanctorũ, admodum carè.

## VITA S. EVSTACHII, *ABBATIS LVxouiensis, ex ea quæ est per Ionam Abbatem, eius contemporaneum. Claruit Anno Christi saluatoris 615. & sequentibus.

*alias Eustasij,

Vide Cæsar. Bar in not. Mart. Rom. & Tom. 8. Annal. Ecc.

SVb Mauritio & Phoca Imperatoribus, quo tempore Romanæ Ecclesiæ Pontifex Gregorius, pietatis & eruditionis studio summè florebat, Attila & Eustachius almi patris Columbani discipuli extitêre. Quorum prior in Bobiensi, alter in Luxouiensi cœnobio, eius successores fuere, & instituta suis alũnis seruãda tradiderũt. Et quidẽ Eustachius Burgundiorũ gẽte ortus, cũ esset & generis & sanctitatis gloria admodum clarus, facile suarũ splendore virtutũ, plurimos

29. Martij.

Attila & Eustachius discipuli, & successores Columbani Abbatis.

Genus S. Eustachij.

600. Monachis præst.

ad religionis studium alliciebat; adeò vt sexcentis ferè alūnis, & eximijs pietatis cultorib⁹ præesset. Incredibili quadā austeritate carnis cupiditates frangebat, mentē verò assidua rerū diuinarū cōtēplatione, in Dei amorē accēdebat. Neq; interim solicitudinē, quā ꝓ ōnibus ecclesijs gerebat, vnquā deponebat: sed aliorū salutē, haud secus quam propriā curabat. Porrò aliorū delicta, quę sub cōfessionis sacramento exceperat, cōtinuis apud Deū precibus, & multis lachrymis delere nitebatur, præclaro charitatis exemplo sacerdotes exhortans, non satis esse aurū lapsis accōmodare, nisi etiā sese intercessores apud Deum, pro ijsdem delictis piandis exhiberent.

Nota, quòd vir sanctus pro suis filijs confessionis vt vocant, assiduè orabat.

Burgundofora virgo Deo sacrata.

Quodā tempore missus à Rege Frācorū Clotario legatus ad Colūbanū,, cùm peracta fœliciter legatione, domū redijsset, paulo que post pro cōmuni fratrum necessitate Clotariū Regē adire cogeretur, iter habuit per pagū Briegium ad villam Chagnerici Pipimificū dictā, duobus plus minus miliaribus ab vrbe Miledorēsi distāntē. Ibi tùm Chagnericus cū cōiuge sua Lādegūda, (cui⁹ filius Magnoald⁹ Eustachio adhærebat) virū sāctū ingēti cū gaudio exceperūt. Erat autē cū patre & matre filia Burgūdofora, quā Columbanus Domino cōsecrauerat, & tùnc pater eā vel inuitā cuidam desponsauerat, & nuptijs tradere studebat. Sed accidit vt puella incredibili oculorum dolore correpta, tanto febrium igne æstuaret, vt iam extremum spiritū trahere videretur. Accessit igitur ad illam Eustachius, blandisq́ue eam verbis consolans, sciscitatur quo animo cælestia vota terrenis commutare voluisset; at puella cum nunquam se huiusmodi votis parere voluisse respōdisset, subiūxit; vidi ego hac ipsa nocte simili planè figura virū

virũ qua tu es, qui oculorũ lumen mihi redderet, si eius parere mandatis nõ recusarem. His auditis Eustachius patrem durioribus increpans verbis, dixit eum tantam in calamitatem filiam adduxisse, quod eã à diuinis obsequijs & à suauissima Christi seruitute contra datam fidem viro tradere præsumeret. Quo dicto, pater per iniquam simulationem respondit, si posset filiæ sanitatis beneficium obtinere, se eius votis deinceps reluctari non velle. Humi igitur prostratus Eustachius, precatur à Domino promissum salutis beneficium largiatur, surgensque eam signo crucis signat, fugatoque statim oculorum dolore, & febrium ardore extincto, integram puella sanitatem consequitur. Mirantur vniuersi insperatæ salutis beneficium. Pater autem amore filiæ inflammatus, non modo promissa non præstitit, sed per vim etiam matrimonij vinculis constringere eam voluit. Sed puella fugam iniens, à prophanis se manibus eripuit, & Eustachij adiuta patrocinio, Christo se consecrauit.

Signo crucis & oratione, pellit dolorem oculorum, & febrem.

S. Eustachius annunciat gentibus Christum.

Peracta legatione, vir sanctus ad Euangelium VVarascis prædicandum accessit. Quibus ad fidẽ conuersis, & à pestilenti Photini & Bononi errore (quibus scelerate contaminati erant) liberatis, ad Boios, (qui nunc Baioarij dicuntur) tendit; ijsque multo labore Christiana pietate imbutis, Luxouiũ remeare studet. Cum verò iter carperet venit ad virum quendam Gundoinum, qui iussus liberos, si quos haberet, offerre, duos bonæ indolis filios præsentat, & filiã * Salebergam, luminibus misere orbatam. Eustachius visa filia scisciatus est ex ea, vtrũ ad cultũ diuini timoris aspiraret. Tũ illa affati, vt tenera quiuit ętas, respõdit, se paratã esse sacris obtẽperare præconijs. Suscepit

* Adesbergã

ergò vir ſanctus laborē, biduano corpus ieiunio affecit, mentem fide armauit, ſuper oculos benedictionis oleum effudit, eamque tandem à miſeranda cæcitate liberauit. Indè digreſſus, in fratrē quendam Agilum nomine, (qui modò Reſpacenſis cœnobij Præſul exiſtit) ardentiſſimo febrium calore excoctū incidit; quem protinùs ſacræ manûs contactu, ac orationum ſuarum interuentu, integræ ſoſpitati reſtituit. Hinc ad monaſterium perueniēs, vt quibuſdam in locis collapſa pietatis fundamēta reſtauraret, enixè operam dedit. Erat enim hoc viro ſancto aſſiduo ſtudio propoſitum, non modò quomodo ſuos in officio contineret, ſed vt omnibus maximarum artium diſciplinis, ad populi totius ſalutem conſtituendā excoleret. Hinc plurimos diuina quadam eloquentia præſtantes, ex ipſius diſciplina prodierūt, qui multis in locis cum ſumma eruditionis & ſingulari ſanctitatis opinione, eccleſijs præfuēre. Chagnoaldus Lugduni, Acharius Viromandorum & Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus. Rachnacarius Auguſtoduni & Baſileæ, Audemarus Bononiæ Taraonenſis oppidi.

Cæcam illuminat.

Febrem pellit.

His ſtudijs Euſtachius omnibus gratus factus, præcipuum apud Clotarium Franciæ regem & amoris & honoris locum tenebat; cùm ſubitò Agreſtius, vnus è fratribus, (qui quondam Theodorico Regi à libellis fuerat, & rerum mundanarū pertæſus ſe in diſciplinam Euſtachij receperat) diris inuidiæ ſtimulis exagitatus, virum ſanctum inſigni mentiendi artificio, varijſque calumnijs in crimen vocare conatur. Is enim tumida quadā ingenij confidentia ſubnixus, audaciter ſibi gentiū prædicationem poſtulabat; quam Euſtachius (quòd hominem, neq; literis, neq; ità magnis pietatis

tatis operibus, satis exercitatum, nouerat) ei denegabat, asserens, maioribus eũ ecclesiasticis ornamentis antè ornatum esse debere, quàm tantũ tamq; arduum opus aggrederetur. His rationibus cum nihil proficeret, quem tenere nõ valebat abire siuit. Abijt igitur & non modo à religione, sed etiam, non multò post, à Romanæ Sedis communione defecit, atq; schismaticis sese iunxit, totisq; deindè viribus, sacra monasticæ religionis instituta oppugnare cœpit. Nec his contentus, Amatũ & Romaricum Eustachij discipulos, (qui virginũ, Christo sub Columbani regula famulantium regimini præfecti erant) aggreditur, & per fictam humilitatis speciem, secum in errorem & in defectionis studium trahit; eoq; sceleratus rem perduxit, vt omnes, sanctissimis primorum Patrum institutis contemptis, carnis libertatem appeterent. Sed statim diuina bonitas, quæ mali contagium, ad sana membra serpere non est passa, horrendum de improbis quibusdam, ad aliorum correctionem, supplicium sumpsit. Eccè enim lupi rabie exagitati, impetu in monasterium intempesta nocte facto, duos scelere ante alios insignes dilaniant, & rabie eadem correptos, cum morte luctantes deserunt. Alius autem quidã * Plareius, dæmoniaco furore agitatus, qui ad hunc discordiæ fomitem vehementer aspirabat, crudeles sibi manus per laqueũ intulit. Sed cùm neq; hæc quidem vltio, mentes in scelere obduratas, ad veritatis agnitionem reducere posset, fulgur è cælo magno fragore delapsum, ecclesiæ tegumẽta subuertit; & viginti homines internecione deleuit, alios q; metu perculsos paulatim extinxit, adeò vt amplius quinquaginta, ea vltio deleuerit, ipso tamen sceleris auctore ad pœnitentiam reseruato. Sed

Agrestius Schismatico nititur S. Eustachij discipulos, à fide & vnitate Ecclesiæ auertere.

En vltionẽ diuinam in Schismaticos.

* Plereus.

to. Sed cùm ille, neque pœnitentiæ locum agnoscere, neque B. Eustachij sententiam, qua illi diuinum iudicium, ante triginta dierum circulum, imminere denunciabat, ad aures admittere vellet, à seruo suo, quem ipse redemerat, securi percussus interijt. Occasio criminis, dicebatur vxoris permixtio. Amatus verò & Romaricus his diuini iudicij signis opportunè admoniti, Eustachij indulgentiam postulârunt, qua benignè concessa, bonorum deinceps virorum officio cum laude perfuncti sunt.

Agrestij interitus.

Romaricus, & Amatus, a Schismate resipiscunt.

Eustachius autem, postquàm multò ardentiùs in plurimorum salute constituenda laborasset, & nouis fabricis diuinas laudes promouisset, se totum ab externis operibus ad continuam rerum cælestium meditationem contulit, donec tempus adesset, quo cælesti gloria sublimandus erat. Cùm itaque graui corporis infirmitate correptus, de iusti iudicis sententia solicitus esset, nocturna visione inter pœnæ incendia, interrogatus est, Si velit quadraginta dierum spatio, leuiori pœna cruciatus, an verò triginta feruentiori, incendio purgatus, cælos penetrare. Respondit ille, meliùs esse, quamuis duris breui tempore subiacere flagellis, quàm pœnis leuioribus prolixiùs consumi. Tulit ergo prouisam, & electam corporis pœnam, & die tricesimo omnibus valedicens, triste remanentibus nuncium depromit, suum exitum ea die esse futurum. Deindè sumpto viatico, animam cælo reddidit; partaque de cunctis hostibus victoria, cælorum regna, duce Christo, penetrauit.

Visio oblata sancto viro.

Prædicit obitum suũ.

Decedit è vita, vir sanctus, Eucharistia munitus.

VITA

## *VITA B. IOANNIS CLIMACI ABBATIS, ex ea quam Daniel Monachus scriptam reliquit.*

Vide Cæs. Bar. in not. Mar. Rom. Item Anna. tom. 7.

*Claruit non multo post tempora Iustiniani Imp. qui regnauit vsq; ad Annum Domini 565. sub Ioanne Roma. Pontifice.*

QVænam virum hunc sanctissimum, & omnibus pietatis exercitijs mirificè ornatum, patria tulerit, nullis literarum monumentis scriptum inuenitur; nisi quòd præclaris admodum operibus cælestem illam Hierusalem, veram sibi patriam esse egregiè declarauerit. Nam vt primùm per ætatem ad sanctissima spiritualis vitæ arma sumenda idoneus fuit, omnibus mundi huius ludibrijs calcatis, anno ætatis suæ sextodecimo, in monte Sina arctissimis monasticæ vitæ disciplinis se tradidit: & decem ac nouem annis continuis, sub graui obedientiæ iugo, cupiditatibus suis tam sæuum bellum indixit, vt angelicam libertatem adeptus esse videretur. Postquam verò spiritualis eius parens, mortalitatis vinculis solutus, ad Christũ migrasset, perfectioris vitæ desiderio flagrans, in interiora deserti loca se recepit, exstructoque quinto ab ecclesia lapide vili palestræ suę domicilio, (is locus Tholas vocabatur) certamen contra callidi serpentis insidias aggressus est, tanta virtute ac animi magnitudine, vt annos quadraginta in acie perstiterit, & assiduos hostium insultus egregiè sustinuerit. Quanquàm verò soli Deo (cui ab omni hominũ conspectu remotus militabat) certamina eius cognita sint, tamen ex quibusdam eius primitijs & leuioribus cum hoste congressibus, arduum vitæ eius institutum facilè colligere possumus.

Ioannes Martij.

Anno ætatis suæ 16. fit monachus.

Fit anachoreta.

Annos quadraginta vixit in eremo solus.

Et quidem quod ad victûs parsimoniam attinet, superuacaneum puto de ea verba facere, cùm ita gulæ rabiem semper extinxerit, vt nunquam eius cupiditati plenè satisfecerit. Omnibus tamen, quibus per professionis votum licebat, liberè vescebatur; sed adeo parcè ac modicè, vt magis spiritum fouere, quàm corpus nutrire videretur. De reliquis animæ pestibus, nihil attinet dicere; cum ille eas misericordia Dei & assidua pietatis ac virtutum omnium exercitatione superauerit.

Exercitium pium ac laudabile, contra accidam.

Orationis studium sine intermissione colebat, & ne aliquandò inertia vel torpore vinceretur, libellos etiam conscribere solitus erat.

Porrò quanto virtutum omnium splendore claruerit, pleniùs ex eius, quæ nobis reliquit, ingenij sui monumentis cognoscere licet. Neq; enim putandum est, quòd soli sibi suæq; tantum saluti prospexerit, immò plurimos à flagitijs auocauit, & innumerabilem multitudinem, adeò diuini amoris facibus inflammauit, vt libenter omnibus vitæ huius delicijs despectis, sese in sacram solitudinem recluserint, & angelicam in humana carne puritatem sectati fuerint. Et sanè si quis clariùs diuinam animæ illius effigiem perspicere, & admirandam discipulorum eius sanctitatē, quam ex sacro illius pectore hauriebant, cognoscere velit, is scripta eius legat, & inueniet, tantū pro dignitate meritoque virum, nullis prœconijs dignè satis extolli posse.

Plurimos à vitijs auocauit.

Præclara eius scripta.

Sed vt cognosci possit, nihil esse tam sanctum, nihil tam sincerum, quòd obtrectatorum ac malignorum hominum calumnias euadere possit, non sunt veriti, homines quidam inuidiæ facibus inflammati, sanctissimum vitæ eius institutū carpere, & illum tanquam hominem nugacem, ac loqua-

Obtrectatores patitur vir sanctus.

loquacem, apud omnes passim traducere. Cùm enim vir sanctissimus, omnium salutem diuini verbi prædicatione promouere cuperet, & quotidiè ad se venientes admirabili quadam sermonis suauitate exciperet, omnibusq; doctrinæ suæ fluenta largissimè profunderet, quidam summa vi tantam frugem impedire conati sunt. Quod ille animaduertens, vt impijs illorum conatibus prudenter occurreret, sese aliquamdiù ab illo pietatis officio continuit, ac mellifluum doctrinæ suæ fluentum compescuit; donec ipsi propriæ salutis detrimento prouocati, suum ipsorum errorem agnoscerent, & diuturnum ipsius silentiũ molestè ferrent. Tum verò vir sanctus, ad intermissum docendi munus rediens, tardos torpescẽtesq; mortalium animos, adeò excellenter ad ardentissimum rerum immortalium studium excitauit, vt eum omnes velut alterum Mosen intuẽtes, communi fratrum omnium regimini frustrà reluctantem præfecerint. Quod sanè munus quãta virtutum omnium excellentia administrauerit, testes sunt eius discipuli, qui ex eius disciplina innumerabiles, omnibus religionis ac sanctitatis laudibus ornati, prodierunt. Creatur Abbas.

## *VITA S. GVIDONIS CONFESSORIS.*

*Cuius ossa, hodieq; inter se cohærentia cernũtur Spiræ, quò translata sunt ab Henrico 3. anno Christi 1047. ex ea quæ est apud R. P. L. Sur.*

*Obyt anno 1046.*

BEatissimus Guido nobilibus, ac religione idmodùm Christianis ortus parẽtibus, patriam habuit Rauennam: in cuius villa suburbana (quæ Casamarensis dicitur) natus est, pa- 31. Martij. Patria & parentes eius.

trẽ

tre Alberto, matre verò Martia, stirpe sanè præclaris eius virtutibus dignissima. Cùm puer adhuc Rauennæ literarum studijs incumberet, visus est acerrimis prauæ cupiditatis stimulis concitatus, in vitiorum gurgites præceps abire: & abiuisset sanè, nisi benignissimus Deus, gratia sua admirabili, ab hoc præcipitio potenter eum eripuisset. Nam subitò cælestibus desiderijs mirificè accensus, non modò pristinis cupiditatibus nuncium remisit, sed etiam tota mente ad arctissimá monasticæ vitæ disciplinam aspirauit. Nam cùm pater eum ad præpotentis & nobilissimæ cuiusdam sponsæ nuptias hortaretur, ipse cælestis patriæ ac sponsæ immortalis amore vehementer inflammatus, nocte quadam celeberrimæ apud Rauennates Apollinaris martyris solennitatis, preciosis se vestibus exuens, easque pauperibus largiens, vilissima se tunica induit, & inscijs parentibus Romam iter intendit. Vbi cùm in Clerũ cooptatus esset, statuit dulci patria & parentibus ac cognatis omninò valere iussis, Hierosolymam pergere, vt in locis illis sacrosanctis vitam in omni sanctitate traduceret.

Vili habitu, it Romam, & fit Clericus.

Intereà verò cùm varia pia mente consilia agitaret, fuit diuina admonitus reuelatione, vt Rauennam repetens, Martini eremitę viri religionis ac sanctitatis opinione per vniuersam Italiam celeberrimi, magisterio se subderet. Quam ille admonitionem protinùs secutus, viri illius sanctissimi disciplinis se subiecit, sumptoque habitu monastico, annis tribus solitariam cum eo vitam in insula, quam Padus fluuius à Pomposia separat, exegit. Porrò Pomposianum monasterium (cui Guilielmus quidam tunc temporis præsidebat, & Abbatis munere fungebatur) erat huius Marti-

Fit monachus, & adhæret Martino eremitæ.

Martini curæ, volente sic Imperatore, demandatum. Itaque vir Domini, vt Guido perfectissimæ monasticæ vitæ disciplinam imbiberet, è solitudine ad hoc eum cœnobium transtulit; in quo post alia atque alia officia, tandem inuitus totius monasterij regimen & Abbatis dignitatem suscipere coactus fuit. Porrò cùm præclarè admodum atque prudenter, cum insigni nominis sui celebritate, monasterij illius gubernacula tractaret, parens eius vnà cum filio altero, Gerardo nomine, spreta dignitate, & contemptis mundi delicijs diuitijsq;, eò aduolarunt, & strenuè nō minus quā religiosè, sub eius disciplina Christo militarunt.

S. Guido constituitur Abbas, in monasterio Pomposiano.

Interim Guido, cùm sacer monachorum numerus, indies magis magisque accresceret, aliud cœnobium condere cœpit, in quo qualia quantaque ab illo sint patrata miracula, non erit abs re breuiter explicare. Et quidem inter ea quæ per ipsum Deus in vita operatus est, fratres quosdā, in cœnobij sui renouatione, ab imminenti mortis periculo, per lignorum ruinam, precibus suis liberauit. Alios quartanis febribus laborātes haustu aquæ, qua sacras manus abluerat, curauit. Cùm noua monasterij fabrica construeretur, & operarij magna victûs inopia pressi, plus satis illi molestiarum exhiberent, & ille de ratione comparandæ alimoniæ cogitaret, nec tamen viam vllam modumque inueniret, quo necessitatibus eorum opportunè succurreret: tandem de sola omnipotentis Dei misericordia confisus, Rauennam profectus est; & ecce in ipso itinere non longè à monasterio, duas naues vino frumētoq; plenas, diuinitus sibi præparatas inuenit; quas statim lætus summæ Trinitati gratias agens adduxit; fratresq; abmonuit, vt ex eo beneficio diuinitus sibi collato

Miracula S. Guidonis.

Annona diuinitus illi collata.

collato, deinceps de immensa Dei erga suos famulos benignitate confiderent.

Defunctus reuiuiscit.

Frater quidam idiota, octo plùs minùs miliaribus à monasterio defunctus, ad monasterium sepeliendus allatus ast. Cumque post persoluta, ex more defunctorum officia, tumulo inferendus esset, subitò vitæ redditus, sanctum Patrem Guidonem inclamauit. Aduenit ille, & accuratè perquirit, vbinam fuisset, quidve vidisset. Tum ille; Vidi, inquit, pœnarum loca, & in ijs propinquos meos, plurimosque mihi notos. Ego verò vitæ restitutus sum, vt accepta benedictione tua, post triduum rursùs discedam, & misericordiam Domini nostri Iesu Christi percipiam. Itaque post triduum, accepta beati Guidonis benedictione, iterum obdormiuit & in pace quieuit.

Denuò obit.

Item alius.

Eodem tempore, alius quidam frater, cui Bertholdo nomen erat, cùm in ipso agone tardè animam efflaret, & conscientiæ stimulis punctus, dubia valdè salutis suæ indicia relinqueret, precibus sancti Guidonis sibi redditus est. Rogantibus autem fratribus, quid sub ijs tã diuturnis angoribus vidisset; Vidi, ait, horrendos sanè cacodæmones, aduersum me sæuientes, & peccatum vnicum, quod iam diu alta apud me obliuione sepultum erat, in memoriam reuocantes. Cùm enim in seculo degerem, leui quadam incantatione vsus fueram; Hãc procaces spiritus obijcientes, pœnam damnationis æternæ infligere volebant; sed Christi virtute, & precibus sanctissimi Patris nostri Guidonis, vestrisque profligati, tristes abscesserunt. Deindè accepta pœnitentia, in pace perpetua illicò quieuit.

Heribertus summus Rauennatum Antistes, sancto aliquandò furore in virum Dei commotus fuit,

fuit, vt Pomposianum cœnobium armata manu destruere meditaretur. Quod cùm ad aures sanctissimi viri perlatum esset, triduanum omnibus ieiunium indixit, positisque laneis vestibus, cilicinis omnes indui voluit, hortatusque est suos, vt precibus & lachrymis pugnarent, nec dubitarẽt, quin ijs facilius armis, quàm gladio & clypeo, de inimicis victoriam obtinerent. Quod sanè pulchrè consecutum est. Nam cùm illi toto illo triduo, humi cubantes in cinere & cilicio, assiduò Domini misericordiam implorarent, & Archiepiscopus præcipiti mente, ad tyrannidem exercẽdam veniret, statim obuiam ei cum timore processerunt, atque in ecclesiam summo cum honore illum perduxerunt. Tum ille repentè animo ita commutatus est, vt profusa ingenti lachrymarum vi, scelus suum detestaretur, fratresque perpetuo sibi amicitiæ fœdere ità copularet, vt nullæ deinceps inimicitiæ illud violauerint.

Precibus & ieiunijs, inimicum superat.

Igitur vir sanctissimus Guido, posteaquàm annis duodequinquaginta, Pomposium cum eximia sanctitatis laude gubernasset, iturus obuiam Imperatoris legationi, in ipso itinere apud Parmam feliciter exspirauit, pridie Kal. Apr. anno sal. 1046 Cùm autem Parmenses, venerabile corpus è manibus fratrum per vim abstulissent, superueniens Henricus Imperator eius nominis tertius, sacratissimas exuuias humiliter veneratus, primò fecit eas Veronam in sancti Zenonis ecclesiam reponi: deindè Verona Spiram, in Ecclesiam collegiatam transferri; quæ quidem tunc à Patrono suo primo, diuo Iohanne Apostolo & Euangelista, nomen habuit: nunc verò ob sacratissimarum præsentiam reliquiarum, S. Guidonis nomen obtinuit. Vt quemadmodum Conradus Imperator, eius

Moritur vir sanctus anno 1046.

Corpus eius transfertur Spiram.

eius nominis 2. felix, eidem ecclesiæ in primi lapidis collocatione, dedit initiũ, ita per filiũ eius Henricũ 3. à venerandis eiusmodi reliquijs, manu sua præsentatis, non indignum sumeret, post tantam immutationem, cognomentum. Ad laudem Dei in secula benedicti. Amen.

FINIS MENSIS MARTII.



Annumeror Bibliotheca Fratrũ Capucinorum Paderborna. 3

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
2404
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN